COLLECTIO PISAURENSIS

OMNIUM POEMATUM, CARMINUM, FRAGMENTORUM LATINORUM,

SIVE AD CHRISTIANOS, SIVE AD ETHNICOS, SIVE AD CERTOS, SIVE AD INCERTOS POETAS,

A PRIMA LATINÆ LINGUÆ ÆTATE

Ad ſextum uſque Chriſtianum Seculum & Longobardorum in Italiam Adventum pertinens,

Ab omnium Poetarum Libris, Collectionibus, Lapidibus, Codicibus exſcripta.

TOMUS SEXTUS

CHRISTIANOS POETAS CONTINENS.

PISAURI)(MDCCLXVI.)(

EX AMATINA CHALCOGRAPHIA.

PUBLICA AUCTORITATE.

PA
6121
A7A56
t.6

LIBRARY
DEC 6 1971
UNIVERSITY OF TORONTO

PROLEGOMENA.

DE PAULLINO PETROCORIO ET PAULLINO PELLAEO.

B*Enedicti Paullini Petrocorii* (*a*) de vita B. Martini libros ſex. carmen ad nepotulum & Epigramma Baſilicæ Martini apud Turones inſcriptum, quæ cum Franciſci Jureti, Caſp. Barthii, Joh. Frid. Gronovii & ſuis notis recenſuit Chriſtianus Daumius, addito etiam *Paullini Pellæi* Auſonii Nepotis Euchariſtico & Tertulliani carmine de Jona & Ninive, Lipſ. 1681. 8. *Hic Benedictus Paulinus Petricorius* Gallus, qui circa A. 460. ſcripſit carmine heroico libros ſex de vita S. Martini ad Perpetuum Epiſcopum Turonenſem, male S. Paulino Nolano tributos in prioribus editionibus, & genuino auctori reſtitutos in nova editione de qua dixi: idem fortaſſe Benedictus Paullinus ad quem Fauſtus Rhegienſis Tom. 8. Bibl. Patrum edit. Lugd. pag. 550. *Paullini Pellæi*, Auſonii nepotis euchariſticon de vita ſua quod carmine heroico ſcripſit A. C. 456. octogenario major, exſtat ad calcem Paulini Petrocorii in editione nova Chriſtiani Daumii Lipſ. 1681. 8.

DE APOLLINARI SIDONIO.

C. Sollius Apollinaris Sidonius, patria non Arvernus, ut Savaroni viſum, ſed Lugdunenſis (*b*) Gallus, Chriſtianus, inter doctiſſimos ſuæ ætatis, Græce (*c*) non minus quam Latine peritus, & Poeta non abſurdus, poſt varios honores ſeculares, quibus Imperator Anthemius eum ornaverat, Anno Chriſti 472. electus Claromontanus Arvernorum Epiſcopus obiit A. C. 482. Alius, & longe quam Sidonius antiquior, *doctus* ille *Apollinaris*, de quo Martialis IV. 87. & ad quem Plinii Epiſtolæ II. 9. & V. 6. Alius quoque C. Sulpicius Apollinaris Chartaginenſis, Gellio, qui doctorem illum audivit, ſæpius laudatus, cujus exſtant periochæ Comœdiarum Terentii, & Epigramma in Catalectis veterum Poetarum, quod in Virgilii Æneidem flammis ab auctore ſuo deſtinatam compoſuit. Huic Apollinari in diſciplinam datus eſt P. Helvius Pertinax, grammaticen etiam poſt eum profeſſus teſte Capitolino c. 1. poſtea Imperator. De Apollinare Sidonio Apollinaris (*d*) filio accurate Tillemontius T. 16. mem. Eccl. p. 181. qui etiam de Sidonio ipſo præter editores Jo. Savaronem, & Jac. Sirmondum, & Theophilum Rainaudum in Sanctis Lugdunenſibus Tom. 8. opp. p. 81. ſeq. conſulendus omnino. Alios Apollinares veterum ſcriptis claros referre me memini libro V. Bibl. Græcæ cap. 16. Volumine VII. p. 660. ſeq. Alius *Sidonius* Moguntiacenſis Epiſcopus, ad quem Venantius Fortunatus lib. IX. carm. 9. Tom. X. Bibl. Patrum edit. Lugd. p. 582.

Exſtant ejus Carmina XXIV. quorum ſecundi, quinti & ſeptimi locum occupant panegyrici Romæ dicti Anthemio Auguſto A. C. 468. ſecundum Conſuli Majoriano Auguſto ſub extremum Anni 458. & Avito Auguſto Socero A. C. 456. Carmini 14. Epiſtola ad Polemium, & carmini 22. Epiſtola ad Pontium Leontium proſa ſcripta præmittitur. Claudiani non raro inſiſtere veſtigiis notavit Sirmondus p. 214. La-

(*a*) *Paulinus Petricoriæ* dicitur in MS. S. Germani de Pratis, teſte Labbeo Bibl. nov. MSS. p. 63. De illo vide Acta Erud. A. 1682. p. 128.

(*b*) Conſule Sirmondi notas p. 254. ſeq. qui etiam videndus de more illius ætatis, quo non contenti prænomine, nomine, & cognomine, quartum etiam adſciſcebant, vel quintum quoque. Sane in Epitaphio quod a Pithœo acceptum edidit Vir ſupra laudes Joſephus Scaliger VI. de emendat. temporum pag. 614. dicitur C. *Sollius Apollinaris Modeſtus Sidonius*.

(*c*) Hermolaus Barbarus, qui Sidonium Græcarum litterarum inſcitia notaverat, caſtigatur a Jo Savarone pag. 258. ad Sidon. Porro hujus Sidonii amicus fuit Claudianus Mamertus, qui eum fratrem amantiſſimum, & eruditiſſimum virorum vocat, libroſque tres egregios de ſtatu animæ diverſo tempore ſcriptos (Barth. 53. 8. Adverſ.) illi dicavit, qui ejuſdem Barthii notis illuſtrati prodierunt Cygneæ 1655. 8. Idem Barth. 54. 3. huic Claudiano incerta conjectura tribuit librum ad Jovium qui legitur inter opera Paulini. In tranſcurſu etiam notandus error Gvil. Crowei, qui in elenco interpretum S. Scripturæ p. 65. Apollinarem Sidonium confundit cum Apollinari Græco Pſalmorum Davidis Metaphraſte. Sidonium laudat Alanus lib. 3. Anti Claudiani p. 68.

(*d*) Alter filius fuit Alcimus, duæ filiæ Severiana ac Roſcia.

pſus ejuſdem nonnullos in proſodiam admiſſos p. 244. Carmina ante A. C. 472. a Sidonio edita notat Tillemontius Tom. 16. pag. 216. Affectatum ſcribendi genus in illis reprehendit Barthius ad Claudian.... p. 465. ſeq. 538. 773. 816. 1169.

Epiſtolarum libri IX. poſt carmina editi, & ſuadente Conſtantio Lugdunenſi Presbytero, ſecunda ἐκδότει (*e*) circa A. C. 478. collecti quibus etiam paſſim verſus intermixtos videre eſt. Libri ſeptimi Epiſtolæ nonæ annectitur ſermo, quem Sidonius Biturigis habuit in electione Benedicti Simplicii Epiſcopi. Deſcriptio curiæ Romanæ, quæ in MSS. rectius, ut opinor, tribuitur Hildeberto Cenomanenſi, ab aliis refertur ad Sidonium Apollinarem, ut notavit Eduardus Brown in tomo ſecundo faſciculi rerum expetendarum, & fugiendarum editi Lond. 1690. f.

Opera Sidonii deperdita præſtantiſſimus Caveus hæc recenſet: *Attilæ Regis, & obſidionis Aurelianenſis hiſtoriam*, cujus Sidonius in Epiſtola 15. libri VIII. meminit: ſed quam ab ipſo inchoatam, non perfectam fuiſſe, docet eadem Epiſtola. *Apollonii Tyanei vitam e Græco in Latinum verſam;* at Sirmondi notæ ad epiſtolam 3. libri VIII. ubi illius vitæ mentio eſt, oſtendunt a Sidonio intelligi non verſionem, ſive interpretationem Latinam, ſed Græcæ Apollonii vitæ exſcriptionem, quam Enricus ad ſe mitti poſtulaverat. *Tractatum adverſus quemdam dies bonos male ferentem*, cujus operis mentio eſt in Epiſt. 17. libri V. quod ſortaſſe epigramma fuit, aut non multo longius carmen. *Conteſtatiunculas* (*f*) *Megethio Epiſcopo nuncupatas*. Harum meminit in Epiſt. 3. libri VIII. quodnam operis argumentum fuerit, non indicat. *Satyram in Pæonium Marcellianæ conjurationis ducem*, de qua ſermo eſt in Epiſtola ultima libri I. At ſatyram, de qua illic ſermo, quicumque titulus fuerit, Sidonius ipſe ibi prorſus a ſe abjudicat. *Librum de Miſſis*. Memorat quidem Gregorius Turonenſis lib. 2. Hiſt. c. 22. *librum quem de Miſſis a Sidonio compoſitis conjunxerat*, id eſt contexuerat ipſe; alium de Miſſis librum a Sidonio ſcriptum nemo quod ſciam perhibet. *Librum Cauſarum*. De hoc Sidonii libro nihil comperiri potuimus, niſi forte Caveus reſpexit ad verſum hunc epitaphii Sidonii, *Cauſarum moderans ſubinde motus*. At his verbis nihil minus quam liber cauſarum denotatur. *Panegyricos duos, alterum ad Majorianum, alterum ad Anthemium Impp.* Præter duos qui exſtant, unus Anthemii, alter Majoriani, uterque metro ſcriptus, alium aliquem a Sidonio eorumdem Imp. panegyricum ſcriptum fuiſſe, divinat, ut putamus, vir doctus. *Epiſtolas plures*. Notavit Sirmondus gemino loco indicari, primam ipſius Epiſtolarum editionem non fuiſſe, quam Conſtantio nuncupavit, & quam nunc habemus, ſed earum aliquot libellos ante Conſtantianam, ſive Conſtantio ſuadente ſuſceptam collectionem in lucem emiſſos. Verum hos etiam libellos complecti potuit Conſtantiana collectio. Fieri tamen poteſt, ut, cum tam multas Epiſtolas Sidonius ſcripſerit, nonnullæ interciderint. Num aliud intelligat auctor hiſtoriæ literariæ, neſcimus. *Hæc Jacobus de la Baune S. J. præfat. ad Tomum I. Operum Sirmondi, in quo Sidonius cum Sirmondi notis ſplendide recuſus exſtat Pariſ. 1690. fol.*

Lucem aſpexerunt Sidonii carmina, & epiſtolæ Mediolani primum A. 1498. cura Jo. Baptiſtæ Pii, qui in præfatione ad Jo. Franciſcum Marlianum equitem Senatorem JCtum Mediolanenſem civem hæc habet: *Præcipitavimus editionem, in tantum ut una diecula elucubraverimus haſce quas vides annotatiunculas, tumultuario, & incondito ſchedio, Hieronymo presbytero Aſulano, divi Joannis Muri, quem vocant, Hierodulo meritiſſimo, qui ἀγαθῶν θάλαττα eſt, hoc eſt bonorum mare. Cujus induſtria, & erogatione, Sidonii mille voluminum imprimitur.* Deinde Baſil. apud Henr. Petri A. 1542. 4. & 1597. 8. cum commentariis *Jo. Baptiſtæ Pii;* hinc ex *Eliæ Vineti* recenſione, Lugduni 1552. 8. apud Tornenſ. Cum *Petri Colvii* (*g*) notis Sidonius prodiit Pariſ. 1598. 8. cum præſtantiſſimis *Jo. Savaronis* commentariis ibid. 1599. 4. cum *Jo. Woweri* obſervationibus poſthumis ex *Geverh. Elmenhorſtii* recenſione, Hanov. 1617. 8. cum *Jac. Sirmondi*

(*e*) Vide Sirmondum ad lib. IV. Epiſt. 10. & Tillemont. Tom. 16. p. 264. & ſeq.

(*f*) *Le mot de* conteſtatio *ſignifioit dans les anciens ce que nous appellons aujourdhui la preface de la Meſſe (Mabillon. liturg. Gallican. p. 24.) ainſi ces* conteſtatiunculæ *pourroient bien eſtre la meme choſe que les Meſſes compoſees ſelon Gregoire de Tours par S. Sidoine, qui en forma un livre & y ajouta une preface.* Tillemont. T. 16. p. 277.

(*g*) Confer Colvii Epiſt. ad Lipſium quam edidit Tho. Crenius par. 7. animadverſ. p. 76. ſeq.

di notis doctiſſimis, Pariſ. 1614. 8. quæ poſt ejus obitum cura Philippi Labbei auctiores exhibentur in edit. præſtantiſſima ibid. 1652. 4. Exſtat quoque Sidonius e Sirmondi recenſione in Bibliotheca Patrum edit. Lugdunenſ. Tomo VI. ſed omiſſis ejus notis. De Joannis Wowerii ſtudio, quod jam ab an. 1595. in emaculando Sidonio poſuit, nec non de Codicibus per Nanſium, Colviumque collatis, vide Jac. Fried. Reimannum in Wowerii vita Germanice edita p. 135. ſeq.

DE MARTIANO CAPELLA.

Martianus Mineus [*h*] Felix Capella [*i*] patria, ut Caſſiodori [*k*] teſtimonio viri docti notarunt, Madaurenſis, etſi in libri ultimi extremo ipſe prædicat ſe urbis Eliſſæ alumnum, unde eum Carthagine vixiſſe, vel ſaltem educatum fuiſſe cognoſcimus; Vir proconſularis, longeque diverſus a Marciano JCto, quem Alexandri Severi temporibus celebrem fuiſſe conſtat. Marcianum laudat Scotus Erigena libro tertio de diviſione naturæ pag. 147. 148. Honorius Auguſtodunenſis lib. 2. de Philoſophia Mundi cap. 5. ubi Hiſpanum videtur innuere, fortaſſe Carthagine Hiſpaniæ non Africæ ortum ratus. Meminit & libri de nuptiis Mercurii & Philologiæ Petrus Blæſenſis Epiſt. 101. & auctor libelli de diſciplina ſcholarium (non Boethius ſed Thomas Cantipratanus) reponit Marcianum inter ſcriptores indagandos memorialique cellulæ commendandos. Gregorius Turonenſis libro decimo hiſtoriarum extremo: *Quod ſi te, ſacerdos* DEI *quicumque es, Marcianus noſter ſeptem diſciplinis erudiit, id eſt ſi te in* Grammaticis *docuit legere, in* Dialecticis *altercationum propoſitiones advertere, in* Rhetoricis *genera metrorum agnoſcere, in* Geometricis *terrarum linearumque menſuras colligere, in* Aſtrologicis *curſus ſiderum contemplari, in* Arithmeticis *numerorum partes colligere, in* Harmoniis *ſonorum modulatione ſuavium accentuum carminibus concrepare: ſi in his omnibus ita fueris exercitatus, ut tibi ſtilus noſter ſit ruſticus, nec ſit quoque deprecor ut avellas quæ ſcripſi.* Ex quo loco prælectos in ſcholis & juventuti ediſcendos propoſitos Capellæ libros colligunt viri eruditi, quod ex Joanne Sariſbberienſe etiam & Nicolao de Clemangis obſervat Barthius p. 32. ad Claudianum, ubi exinde factum opinatur ut tot mendis contaminata ſcripta Marciani, carmina præcipue, ad nos pervenerint, quod toties deſcripta novis ſemper erroribus per librarios corrumperentur, *quibus exoſa erant omnia, ad rem, ut opinio erat, non facientia, nec tot modi & genera metrorum cujuſquam fere captum ſubibant, conſuetudine accedente quæ paganiſmum talibus indeclinabilem adſcriberet.* Ad verba Capellæ, quibus *Pegaſeo ſe gurgite haurire* ait, idem Barthius p. 8. ad Britonem annotat, *tempeſtate pluvia ſane & lutulento vaſe hauſiſſe.* Adde pag. 110. Eodem Barthio judice Marcianus Capella *medii ævi ſcholas tenuit, adoleſcentiæ prælectus: itaque ultra nativa vitia inſititiis peſſime corruptus eſt. Tota poeſis diſtorta & ſtribliginibus perſita. Solinum in Geographicis, alios aliis artibus exſcribit, unde & ii & ipſe poteſt corrigi. Rhetoricam etiam & dialecticam muſicamque alibi* κατὰ λέξιν *ſæpe offendes.*

Scripſit Romæ, ut par eſt credere, tempori-

(*h*) Jo. Sariſberienſis lib. 2. cap. 19. Policratici: *quorum neutrum, teſte Mineio, Aſtrologiæ regulis invenitur adverſum.*

(*i*) Capellam ab acumine ingenii ita dictum eſſe ait Jacobus Gaddius de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis T. 1. pag. 145. Fuerunt autem alii quoque hoc nomine, ut Capella elegorum poeta, de quo Ovidius IV. 16. e Ponto: *clauderet imparibus verba Capella modis.* Julius Capella (Κάπελλος) cujus meminit Flavius Joſephus in vita ſua p. 1000. De alio Juvenalis V. 155. *Diſcit ab hirſuto jaculum torquere Capella*; ita enim legendum cum Yvone Villiomaro p. 137. Antiſtius Capella literator qui Commodum Imp. teſte Lampridio c. 1. docuit. Capella a quo *ruta Capelliana*, Martial. XI. 32. C. Alburius Capella VI. Vir, in veteri Inſcriptione apud Gruterum p. 350. 5. Ceterum falli puto Glandorpium, qui in præclaro opere quod Onomaſticon Romanum inſcripſit p. 338. ſcribit *Capellam patre natum Felice, e Martis curia, unde illi cognomen Marciano.* Aliud certe ſibi volunt Capellæ verba in extremo libri ultimi:

—— —— —— utque e Martis curia
Felicis inquit ſed Capellæ flamine,
Indocta rabidum quem videre ſecula
Jurgis caninos blateratus pendere,
Pro conſulari jura dantem culmine,
Ipſoque dudum bombilatore floſculo
Decerptum falce jam caneſcenti rota,
Beata alumnum urbs Eliſſa quem videt.

(*k*) Hugo Grotius in notis: *Carthaginenſem indicant libri omnes Manuſcripti, Caſſiodorus tamen Madaurenſem appellat.*

poribus (*l*) Leonis Thracis, cum jam ipſe ætate provectus eſſet. Sed ſcripſit, ut eſt mos Afrorum, dictione aſpera, ſemibarbara (*m*) quandoque & difficili Satyram proſa oratione, interjectis paſſim varii metri carminibus, quod ſcribendi genus longe felicius poſtea imitatus Boethius eſt, (*n*) etſi in Marciano quoque doctrinæ & ingenii veſtigia non proletaria oſſendantur. Satyra *Capellæ* (*o*) *novem libris* abſolvitur, quorum *duo priores* continent Philoſophiæ ἀποθέωσιν, ſive delectabilem fabulam *de nuptiis* (*p*) *Philologiæ & Mercurii*, a quibus p. 16. merito excludit diſcordiam ac ſeditionem, quas Philologiæ ſemper inimicas fuiſſe vere affirmat. *Reliqui ſeptem, ſinguli ſingularum artium liberalium laudes ac præcepta complectuntur*, atque ut Gregorii Turonenſis verbis ſupra relatis utar, *in Grammaticis docent legere, in Dialecticis altercationum propoſitiones advertere, in Rhetoricis perſuadere, in Geometricis terrarum linearumque menſuras colligere, in Aſtrologicis curſus ſiderum contemplari, in Arithmeticis numerorum partes colligere, in Harmoniis ſonorum modulationes ſuavium accentuum carminibus concrepare.*

Hoc Satyricon Juſtiniani Imp. temporibus dicitur emendaſſe *Securus Melior Felix*, qua de re vide Voſſium de Hiſt. Lat. p. 713. & Sirmondum ad l. 1. Ennodii Ep. 19. Expoſitionem MS. *Jo. Scoti* A. C. 875. defuncti in Capellam memorat Labbeus p. 45. Bibl. novæ MSS. *Alexandri Necham* clari circa A. C. 1230. commentarium Lelandus pag. 214. de Scriptoribus Britannicis. *Remigii Antiſiodorenſis* (vixit circa A. 888.) commentarios in Marcianum Capellam manu exaratos habuit Jac. Perizonius, legavitque Bibl. publicæ Leidenſi. MStum Capellæ codicem optimæ notæ, qui locis etiam Grotio judice deſperatiſſimis medetur, *gloſſis* ineditis illuſtratum memorat Jo. Frid. Gronovius Epiſtola ad Caſparem Hofmannum, inter Epiſtolas Georgii Richteri p. 561. Gloſſæ hujuſcemodi MSS. ſervantur Lipſiæ in Bibl. Ampliſſimi Senatus. Ut vero publice hodie extet, acceptum ferimus Thaddæo [*p*] Ugoleto Italo, quem minores Quintiliani declamationes in lucem protraxiſſe ſupra diximus. Prodiit Vicentiæ A. 1499. per Henricum de S. Urſo cura Franciſci Vitalis Bodiani, qui in Epiſtola ad Joannem Chæregatum Epiſcopum Catharenſem ſupra duo millia errorum emendaſſe ſe teſtatur. Vicentinam excepit editio Mutinenſis A. 1500. fol. per Dionyſium Berthocum Regienſem, quæ utraque editio apud me eſt. Baſileæ quoque editus eſt Capella ap. Henricum Petri A. 1532. fol. & Lugduni 1539. 8. ſumptu hæredum Simonis Vincentii excuſa a Matthia Bonhomme, atque cum Iſidori Originibus aliiſque ſcriptis veterum, & Bonov Vulcanii Scholiis Baſil. 1577. f. Præſtantiſſima hactenus editio *Hugonis Grotii* eſt, qui

(*l*) Aliquanto Juniorem facit Voſſius lib. de Poetis Latin. & de ſcient. Mathem. Chriſtianus fuiſſe videtur Barthio p. 517. Adverſar. quod Gregorii Turonenſis quoque teſtimonio videtur confirmari.

(*m*) Voſſius lib. 1. de Analogia cap. 7. *Mire hallucinatur* (Ramireſius de Prado ad Martial.) *cum ſcriptorem hunc ſemibarbarum appellat bonum latinitatis auctorem.* Lud. Vives lib. 3. de ratione dicendi judicium ferens de Sidonio ac Capella, eorum proſam abſurdiſſimam eſſe, verſum non penitus rejiciendum affirmat.

(*n*) In veterrimo MSto Bibl. Laurentianæ, libris Boethii de conſolatione Philoſophiæ hic prologus præmittitur teſte Jo. Mabillonio, qui dicitur compoſitus, vel a Q. Fabio Cos. vel a Boethio ipſo, vel quod eſt verius a quodam Scottigena i. e. diſcipulo Boethii. *Tempore Theodorici Regis inſignis auctor Boethius claruit, qui virtute ſua conſul in urbe fuit. Cum vero Theodoricus Rex voluit Tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quosque in Senatu neci daret, Boethius ejus dolos effugere geſtiens, quippe qui bonis omnibus necem parabat, videlicet clam litteris ad Græcos miſſis nitebatur urbem & Senatum ex ejus impiis manibus eruere & eorum ſubdere defenſioni; ſed poſtquam a Rege reus Majeſtatis convictus eſt, juſſus eſt retrahi in carcerem, in quo repoſitus hos libros per Satyram edidit imitatus videlicet* Marcianum Felicem Capellam, *qui primus libros de Philologiæ & Mercurii nuptiis eadem ſpecie poetatis conſcripſerat: Sed iſte (Boethius) longe nobiliore materia & facundia precellit, quippe qui nec Tullio impar ſit, nec Virgilio in metro inferior floruit.*

(*o*) In dictionario Hiſtorico Ludovici Moreri perperam excuſus eſt ſeptem librorum numerus.

(*p*) Conf. Wowerii commentarium de Polymathia cap. 15. & Marqu. Gudii Epiſtolas p. 211. Allegatur Felix Capella libro de nuptiis Mercurii & Philologiæ a Fulgentio de priſco ſermone in *cælibatum*. Anonymi carmen leoninum de nuptiis Mercurii & Philologiæ memorat Labbeus Bibl. nova MSS. p. 66. Ad Capellæ exemplum Jo. Barræus ſcripſit nuptias JCti & Philologiæ, Pariſ. 165[illegible].

(*p*) Vide Laur. Pignor. p. 59. Epiſt. Mediceum codicem Capellæ MS. laudat Politianus cap. 59. Miſc. Jo. Scoti Erigenæ expoſitio in Marcianum Capellam extat in Bibl. Cottoniana. Alibi ut in Bibl. Sereniſs. Regis Angliæ, occurrit commentarius Danchanti Pontificis Hibernenſis.

qui editionem A. 1592. [q] memorat, & admodum puer, annos non plures 14. natus Scriptorem hunc recenſuit, notiſque illuſtravit Lugd. Bat. 1599. 8. Multa adhuc reſtant in Marciano, quæ Delio natatore indigere videntur. Ea emendatum & illuſtratum iri ſperamus a Theodoro Gorallo, ſive qui ſub hoc nomine latet, Joanne Clerico V. C. quem cum voluptate intellexi novam [r] Capellæ editionem moliri. Jo. Clericus V. C. veluti conſilium edendi quod prius in animo habuerat Capellæ abjeciſſet, T. 21. Bibl. Selectæ p. 375. ſeq. teſtatur *Joſephum Waſſe*, [ſ] Cantabrigenſem (illum, cui præclaram Saluſtii editionem debemus) in illuſtrando & poliendo Capella ſtudium & operam poſuiſſe. Librum nonum in tomo ſecundo ſeptem antiquæ muſicæ auctorum edidit & emendavit vir clariſſimus Marcus Meibomius Amſtelod. 1652. 4. Amicus & civis Gyraldi, quem ille dial. 4. de Poetis ait commentarium in Capellam ſcribere conatum eſſe, ni fallor, fuit Baptiſta Guarinus. Non pauca Capellæ loca emendavit illuſtravitque præter Salmaſium ad Solin. Thomas Munkerus notis ad Mythologos latinos, memorans etiam gloſſam interlinearem, quæ huic ſcriptori in veteribus libris adjuncta legitur. In Cathalogo Bibl. Carpzovianæ parte 2. p. 141. fertur editio Lugdunenſis A. 1658. 8. hoc titulo: *Martiani Capellæ artes liberales ad mentem veterum explicatæ*. Capellam frequenter imitatur Saxo Grammaticus, ut docet Stephanius prolegomenis ad Saxonem c. XIX. & in notis paſſim. Celeberrimo Huetio inſtigante illuſtris *Leibnitius* de Marciano Capella cum notis in uſum Delphini edendo cogitavit, nec a propoſito deſtitiſſet, niſi per malevolorum malitiam, quæ in chartam conjecerat, clam ſurrepta fuiſſent, ut tradit auctor elogii Leibnitiani inſerti Actis Eruditorum A. 1717. p. 327. Fertur in quibuſdam Bibliothecis, *Udalrici Bavenbergienſis epitome artis dictandi* ſive *Rhetoricæ*, ex variis auctoribus, Cicerone potiſſimum, Quintiliano, & Capella decerpta ad Godeſchalcum, quem in prooemio verſibus leoninis ſcripto in hunc modum alloquitur:

Hæc Godeſchalce tibi noſtro cariſſime cordi,
Immo pars animæ, rerum dulciſſime, noſtræ
Dimidiumque fere, vigili collecta labore
Offerimus. Nugis rogo non offendere noſtris &c.

Idem hic eſt Udalricus, ex cujus Codice diplomatico nonnulla vulgavit Gretſerus in divis Bambergenſibus & in veteribus pro Gregorio VII. opuſculis, integrum ex Cæſareo Codice edere promiſerunt Lambecius [t] & Neſſelius, editum deinceps ex MS. Zuvetalenſi præclaræ Viri inſignis Bernardi Pez [u] Monachi Benedictini induſtriæ debebunt ſtudioſi.

In tranſcurſu hic ſubjicere juvat conjecturam de loco Capellæ, quem Vir ſummus Joſ. Scaliger p. 113. ad Euſebium negat ſe umquam aſſequi potuiſſe. Libro 3. p. 58. Z *vero literam Appius Claudius deteſtatur, quod dentes mortui dum exprimitur imitatur*. Nempe [x] Z juxta Verrium alioſque Grammaticos componitur ex d & s incipitque a littera d. uti X. a littera c. Ds itaque pronunciatum imitatur dentes mortui compreſſos. Sed hæc ab hoc loco nimis aliena ſunt, quare inſtitutum noſtrum proſequamur.

DE HELPIDIO.

R*uſtici Helpidii Medici Theodorici Regis Triſticha de Hiſtoriis quibuſdam utriuſque teſtamenti, & carmen de Chriſti Jeſu beneficiis*, poſtea Andreæ Rivini notis illuſtrata cum Lactantii, Merobaudis, & aliorum carminibus prodiere Lipſiæ 1652. 8. Laudat Barthius III. 16. Adverſar. & Labbeus p. 64. Bibl. nov. Ms. emendatiorem illorum promiſit editionem, additurus Walafridi Strabi Abbatis Augienſis verſus ad picturas N. T. & Anonymi compendium doctrinæ Evangelicæ. Strabi verſus ad Picturas N. T. quos editurum ſe recepit Labbeus, neſcio fuerintne diverſi ab iis, qui in imagines Mariæ, & Apoſtolorum leguntur Tom. 15. Bibl. PP. Lugd. p. 233. ſeq.

DE

(q) Editio Lugdunenſis 1592. 8. fuit in Bibl. clariſs. Almelooveenii.

(r) Vide T. 3. Bibl. ſelectæ p. 368.

(ſ) Ex Clariſs. Waſſii litteris memoriæ Trevoltinæ A. 1716. p. 180. *j' ay preparè pour l' impreſſion Lactance, & Marcianus Capella conferè avec de bons MSS.*

(t) Vide Lambecii Catalogum ſcriptorum edendorum pag. 48.

(u) Acta Erud. A. 1717. p. 30. 316. 432. A. 1718. pag. 345. & A. 1721. ubi Pezii theſaurus anecdotorum recenſetur.

(x) Paulo aliter Lud. Moreri in lexico: *les dents de celui, qui prononce cette conſone, raſſemblent a celles d' un mort, tant le ſon en eſt foible & bas.*

DE ORIENTIO.

ORientii [y] Epiſc. Eliberitani, Venantio Fortunato [z] in limine libror. de Martino laudati *Commonitorium fidelium*, carmine elegiaco, cujus librum I. e membranis Aquicinctinis edidit notiſque illuſtravit Martinus (*aa*) Delrio S. I. Antwerp. 1600. 12. deinde Rameſius de Prado edi curavit Salmanticæ 1614. 4. Sæpius deinde Delrionis editio recuſa in Patrum Bibliothecis. Andreas quoque Rivinus recenſuit Lipſiæ & cum notis ſuis vulgavit Anno 1651. 8. Denique Edmundus Martene in nova collectione veterum monumentorum Rothomag. 1700. 4. alterum Orientii librum eouſque ineditum adjunxit e pervetuſto Codice Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ab annis circiter 800. exarato, una cum aliis ejuſdem Orientii verſibus Heroicis *de Nativitate Domini*, *de Trinitate*, *de Nominibus Domini*, & quos e XXIV. illius precationibus & *hymnis* jambico verſu ſcriptis ſolos *duos* reperit. Marteneanam editionem de integro recenſuit, variiſque locis caſtigavit, & virorum doctorum animadverſiones & copioſa prolegomena adjunxit quem paulo ante laudabam Nobiliſſimus D. Henricus Leonhardus Schurtzfleiſchius, Witebergæ 1706. 4. In Orientium caſtigationes & animadverſiones *Jo. Commirii* S. I. occurrunt in memoriis litterariis Trivultinis A. 1701. p. 112. ſequ. & parte 2. p. 332. ſeq. *Johannis* vero *Georgii Eccarti* in Monatlichen Uvſug ave Beuchern. A. 1701. menſe Octobri pag. 27. ſeq. Alius Orientius, regali intimus aulæ, cujus Epitaphium apud Venantium Fortunatum lib. 3. carm. 24. Tom. X. Bibl. Patrum edit. Lugd. pag. 550.

DE ENNODIO.

MAgni Felicis Ennodii, qui A. C. 521. deceſſit, Ticinenſis Poematum libros duos cum reliquis ejus ſcriptis a Jac. Sirmondo recenſitos & notis illuſtratos Pariſ. 1611. 8. & recuſos in Sirmondi Opp. Tom. I. quem vide.

(*y*) De hoc Orientio præ ceteris conſules Nic. Antonium in Bibl. veteri Hiſpana, & eruditam H. L. Schurtzfleiſchii præfationem.

(*z*) *Paucaque perſtrinxit florente Orientius ore.*

(*aa*) Labbeus Bibl. MSS. p. 63. memorat Orientium editum illuſtratumque ab Ant. Delrio Salmanticæ 1599.

DE ALCIMO AVITO.

ALcimi Ecdicii Aviti Viennenſis Archiep. *de mundi Origine*, *de origine peccatorum*, *de ſententia Dei*, *de diluvio*, *de tranſitu maris rubri libri V.* Ad Apollinarem Sidonii F. Ejuſdem *de conſolatoria Caſtitatis laude* liber ad Fuſcinam ſororem. Hæc poemata primus e Præceptoris ſui Phil. Beroaldi Codice vulgavit Jo. Adelphus Mulingius Argentin. 1507. apud Gruningerum. Hinc Martinus de Werdena Colon. 1508. tum Pariſiis Aſcenſius 1509. 8. Quarta editio lucem aſpexit Lugduni 1536. 12. Ab eo tempore Alcimum cum notis ſuis edidit Menradus Molterus Baſil. 1546. apud Oporinum, & Joachimus Zehnerus, Lipſ. 1604. 8. Georgius vero Fabricius atque antiquiorum editorum Bibliothecæ Patrum & corporis poetarum collectores iterum vulgarunt ex editione jam dicta Lugdunenſi Jo. Gagnei, quam innumeris locis, præcipuæ in libris poſterioribus depravatam & quinquaginta prope verſibus interpolatam agnoſcit Sirmondus, qui ſincera & emendata una cum aliis Aviti ſcriptis edidit notiſque illuſtravit Pariſ. 1643. 8. T. 2. Varior. opuſc. recuſa in Bibl. Patrum noviſſima Lugdunenſi T. 9. p. 560. & in Sirmondi Operibus T. II. ubi & *Epiſtolæ IV.* & *Fragmenta* Aviti, quæ poſt Sirmondi induſtriam Baluzius, & *Collatio adverſus Arianos*, quam Dacherius eruit, ſunt adjuncta. Ac longe plura etiam ab Avito verſibus deſcripta fuiſſe conſtat ex ipſius Epiſtola ab Apollinarem fratrem, & Sirmondus teſtatur ſe in nonnullis Bibliothecis reperiiſſe Alcimi Aviti Metrum in Exodum verſus continens MCCCXXVII. Leviticum ---- CCCVIII. Numeros --- DCXXCIX. Deut. --- CCXXCVII. Librum Jeſu Nave --- CCCCLII. Judicum ---- DCXCV. Sed in tribus quæ viderit MStis tot fuiſſe mendis rudes atque impolitos, ut evulgare religioni duxerit. Epiſtolam *Alcimi* ad Apollinarem in notis ad Ennodium pag. 67. vulgavit & Homiliarum quoque Aviti MStarum meminit Sirmondus. Obiit Avitus A. C. 523. Laudatur a Venantio Fortunato lib. III. carm. 26. ſeq. T. X. Bibl. Patrum Lugd. pag. 545. De Judæis per Avitum Epiſcopum converſis, idem videndus lib. V. carm. 5. pag. 554. Ad manus mihi ſunt Aviti editiones Colonienſis per Martinum de Werdena A. 1509. 4. feria ſecunda poſt feſtum S. Mar-

Matthiæ Apoſtoli, cum præfatione (*bb*) *Johannis Adelphi Molingi* Argentinenſis, qui numquam ante a chalcographis diſſeminatum teſtatur. Baſileenſis 1545. 8. menſe Auguſto, cum commentariis Menradi Moltheri, Auguſtani. Hanc habeo emendatam manu viri eruditi ex Codice MS. Lugdunenſi 1536. forma octava majore ex recenſione *Jo. Gaigneii*, Pariſienſis, una cum Victore ſive Victorino Maſſilienſi, de quo ſupra. Lipſienſis 1604. 8. cum caſtigationibus M. *Joach. Zehneri*, Superintendentis Schleuſingenſis, qui uſus eſt MSto inſigni Fuldenſi. Nova cura recenſere integrum & veteri nitori reſtituere Avitum pridem promiſit *Chriſtianus Daumius*. Syllabum Poetarum Chriſtianorum Daumius præmiſit Paulino Petrocorio.

DE BOETHIO ET ELPIDE.

ANicius Manlius Torquatus Severinus Boethius, (*cc*) Romanus Scriptor Chriſtianus ſeculo poſt Chriſtum natum ſexto ineunte, ſummis honoribus functus, cum Theodorici Gothorum Regis tyrannidem impedire conatus eſſet, Ticinum in exilium miſſus eſt, cujus rei Theodulfus (*dd*) Aurelianenſis meminit his verbis:

Ipſe Severinus magna eſt dejectus ab urbe
Conſul Romana clarus ab arce procul.

Ticini cum Socero (*ee*) in carcerem detruſus poſtquam paulo ſupra ſemeſtris ſpatium in eo vitam produxiſſet, petens ſolatium a Philoſophia & literis, A. C. 524. juſſu ejuſdem Theodorici eſt interfectus. Vir utraque lingua doctiſſimus, verſuum quos compoſuit ſuaviſſima gravitate paucis comparandus & in omni Philoſophiæ genere excellens. In veteribus lapidibus & monumentis jam Boethius, jam Boetius ſcriptum invenitur, ut notavit Sirmondus ad Ennodium p. 31. Boetius vir clariſſimus & illuſtris, ex Conſul ordinarius & Patricius cum Theodorici Gothorum regis, miniſtrorum Conigaſti, Triguillæ, aliorumque tyrannidem impedire conatus eſſet, Ticinum in exilium miſſus eſt, cujus rei meminit Modoinus Epiſcopus Epiſtola ſolatoria ad Theodulphum Aurelianenſem exulem, libro IV. Theodulphi carm. IX. Tom. 14. Bibl. Patrum Lugd. pag. 48. Boethii Conſulis diptychon aſſervatur Brixiæ a Julio Barbiſono, e Congregat. Orator. Vide ejus iconem deſcriptam ære & erudite illuſtratam in Diario Veneto, Giornale de' Letterati d' Italia Tom. 28. pag. 39. ſeq. Alius Boethius Primas Byzacenæ in Africa Provinciæ, de quo Sirmondus ad Facundum T. II. Opp. pag. 838. E recentioribus memorandus & Anſelmus Boethius, qui de lapidibus pretioſis ſcripſit. Uxor *Elpis* Boethium in exilium comitata eſt, ut conſtat ex ejus epitaphio, quod exſtat Romæ in porticu S. Petri, affertque Gyraldus Dial. 5. de Poetis.

De Boethii Epitaphio, quod adhuc Papiæ ſive Ticini cernitur, vide Joannis Peringskiold notas ad vitam Theodorici a Jo. Cochleo ſcriptam p. 537, Stockolmiæ A. 1699. 4. Altera Boe-

(*bb*) Eadem præmiſſa editioni priori Argent. 1507.

(*cc*) Alii Boethii in veterum monumentis celebrati colliguntur a Biſciola lib. 3. horarum ſubſecivarum cap. 5. quibus adjici plures poſſunt. Boethus pictor ap. Plin. Boethus Tarſenſis poeta de quo Strabo lib. 14. Boethus Stoicus Ciceroni memoratus. Boethus Peripateticus Sidonius Strabonis συμφοιτητὴς Diodori Sidonii frater, teſte eodem Strabone lib. 16. Alius Boethus Peripateticus Vir Conſularis, & Galeni qui libros illi quoſdam dicavit amicus. Boethius præfectus prætorio ſub Valentiniano II. occiſus teſte Caſſiodoro in Chron. & Paulo Diacono lib. 15. Boethus Platonicus auctor. lexici duplicis in Platonem de quo Photius cod. 154. ſeq. Vulfinus Boethius, Epiſcopus Pictavienſis circa A. C. 830. qui ſcripſit de vita & reliquiis Juniani Nobiliacenſis.

(*dd*) Lib. 4. carminum p. 221. edit. Sirmondi. Adde Paulum Diaconum lib. 17. & excerpta antiqui auctoris; quæ cum Ammiano edidit Valeſius. Gerberti Epiſcopi Epigramma in ſtatuam Boethii ab Ottone III. poſitam lib. 2. Poematiorum veterum a Pithœo collectorum p. 55.

(*ee*) Uxor quoque *Elpis* Boethium in exilium comitata eſt, ut conſtat ex ejus Epitaphio, quod affert Gyraldus Dial. 5. de Poetis ubi illam litterarum & Poetices laude celebratam fuiſſe oſtendit ex duobus ejus qui extant hymnis in Apoſtolos non vulgari ſtylo, quorum unus incipit: *Aurea luce*. Alter vero: *Felix per omnes*. Ceterum in carcere Boethius libros de conſolatione ſcripſiſſe traditur, velut aliis quoque contigit eruditis, carcere pro Muſeo uti, cujus rei exempla habes in Vignolii Marvilii T. 1. Miſc. litterar. p. 185. ſeq. & in Actis erudito:. 1693. p. 365. Quid vero in mentem venit H. Glareano, ut præf. ad Boethii opera ſuſpicaretur conſolationem non ipſius Boethii eſſe. *Atqui ſi quæras*, inquit in præf. Operibus Boethii præmiſſa ad Fuggerum, *quem auctorem ejus operis putem, haud facile dixerim; conjectura tamen haud exigua colligimus fuiſſe aliquem non indoctum aut aliquot potius doctos, qui in gratiam optimi Viri hujuſmodi lamentationem inſtiterint velut funebre ſolatium injuſte cæſo. Nam Boethium haudquaquam tam ſtupidum fuiſſe putandum eſt, cum in carcere detineretur, ut tyrannicæ injuriæ meminiſſe tam importune voluerit.*

Boethii uxor fuit *Ruſticiana*, de qua Procopius III. 20. de bello Gothico: Symmachi, qui A. C. 485. Conſul fuit, filia, materque plurimorum liberorum, e quibus duo filii, Q. Aur. Anicius Symmachus & Anicius Manlius Severinus Boethius conſules fuere A. C. 522. Theodoricum ſuæ in Boethium iniquitatis ſero deinde pœnituit. Vide Procopium L. I. Hiſtoriæ Gothicæ. Boethium una cum ſocero ſuo Symmacho fuiſſe capite truncatum ſcribit auctor vitæ S. Solangiæ Tom. II. Act. Sanctorum Maii p. 594. atque inde pingi caput ſuum manu portantem. Gerbertus ſive Silveſter II. Pontifex :

- - - gladio bacchante Gothorum
Libertas Romana perit. tu Conſul & exul
Inſignes titulos præclara morte relinquis.

Vide etiam quæ notat Papebrochius Tom. 6. Maii pag. 704. ſeq. & Jo. Peringskiold ad vitam Theodorici p. 566. De rebus Boethii præ ceteris diligenter egit auctor Hiſtoriæ ejus in tres diviſæ libros & Gallice nuper editæ, *Hiſtoire de Boece, Senateur Romain, avec l' analyſe de tous ſes ouvrages, des notes & des diſſertations Hiſtoriques & Theologiques.* Pariſ. 1715. 12. quinque voluminibus. Vide Ephemerides literarias Pariſ. 1716. pag. 330. ſeq. Male pag. 331. Boethius dicitur natus A. C. 407. opinor typographi errore pro 467.

Exſtant ejus *De Conſolatione Philoſophiæ libri V.* (*ff*) elegantiſſimi, ſoluta partim oratione, partim verſibus (*gg*) ſcripti. Boethii de Conſolatione Hincmarus quoque Librum memorat, non libros, Tom. I. pag. 211. de prædeſtinat. contra Godeſchalcum & T. II. pag. 62. *quidam catholicus & ſapientiæ ac ſcientiæ multæ Philoſophus in quodam ſuo Libro &c.* Joannes Sariſberienſis VII. 15. Policratici : *Si mihi non credis, liber de Conſolatione Philoſophiæ revolvatur attentius -- ſine difficultate profundus in ſententiis, in verbis ſine levitate conſpicuus : orator vehemens, efficax demonſtrator, ad id quod ſequendum eſt nunc probabiliter ſuadens, nunc quaſi ſtimulis neceſſitatis impellens.* Præclarum de Boethio Julii Cæſaris Scaligeri judicium exſtat libro VI. Poetices pag. 761. *Boethii Severini ingenium, eruditio, ars, ſapientia facile provocat omnes auctores, ſive illi Græci ſint, ſive Latini. Seculi barbarie ejus oratio ſoluta deterior invenitur : at quæ libuit ludere in poeſi, divina ſane ſunt. Nihil illis cultius, nihil gravius. Neque denſitas ſententiarum venerem, neque acumen abſtulit candorem. Equidem cenſeo paucos cum illo comparari poſſe. Valla docet eum latine loqui : at Vallam Boethius bene ſapere.* De Conſolatione Philoſophiæ eximium opus in carcere Boethius compoſuit, quod multis aliis contigiſſe eruditis, ut carcere pro muſeo uterentur, obſervant Gabriel Naudæus in panegyrico quem ad Urbanum VIII. de liberato Campanella A. 1632. dixit, & A. 1644. 8. Pariſiis edidit, pag. 149. ſeq. Vignolius Marvillius Tom. 1. Miſc. literar. editorum Gallice Tom. 1. pag. 185. ſeq. Acta Eruditor. Ann. 1693. pag. 365. Joan. Chriſtophor. Wolfius in carcere eruditorum muſeo, Witeb. 1710. Jo. Georgius Betulius ſive Burchardus Epiſtola ad amicum de relatione itineris. C. H. E. D. (*hh*) pag. 55. ſeq. Sic ſcripta in carcere elucubrarunt ex priſcis Socrates, (*ii*) Anaxagoras, Philoxenus Tragicus, S. Ignatius, Phileas (*kk*) Thmuitanus Epiſcopus, Oribaſius Medicus, Gauterius ſive Galterius Antiocheni belli ſcriptor, (*ll*) Joannes de Rupeſciſſa, [*mm*] Jo. Beccus ſive Vecchus Patriarcha CPol. E recentioribus Balthaſar Alamus, Franciſcus Baſſompetreus, Franciſcus Baco de Verulamio, Stephanus Bathorius (*nn*) Jo. Bradefortius, Sain Bremont, (*oo*) Barnabas Briſſonius, Georgius Buchananus, Tho. Campanella, Carolus I. Angliæ Rex, Michael Cervantes, Tho. Cranmerus, Nic. Fouquetus, Martinus Frechtus, Nicod. Friſchlinus, Gilbertus Gualminus, Guil. Gnapheus, Joanna Graja, (*pp*) Petrus Greifenfeld, Hugo Grotius, Detlevus

Comes

(*ff*) In Alfridi Regis verſione non in quinque libros ſed 42. hoc opuſculum diſtinguitur, ut diſtinctio in libros fortaſſe non ſit ab ipſo Boethio. Confer Goldaſtum ad Paræneticos veteres.

(*gg*) In metris Boethius fere ſemper imitatur & exprimit Senecæ Tragœdias, ut Sitzmanus in Epiſtola ad Putſchium teſtetur nullum fere eſſe verſum in Boethio, qui non e Seneca deſumtus videatur. Gaddio quidem judice T. 1. de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis p. 206. unumquemque Platonis Dialogum ſeorſim ſuperat, etſi omnibus ejus dialogis conjunctim ſumptis debet concedere. Quod ridiculum mihi videtur Gaddii judicium.

(*hh*) Chriſtiani Henrici Erndt, Dreſdenſis.

(*ii*) Vide Syneſium in Dione pag. 59.

(*kk*) Euſebius Hiſt. Eccleſ. pag. 304.

(*ll*) Miræus auctario de ſcriptoribus Eccleſ. pag. 61. edit. a me curatæ.

(*mm*) Trithemius cap. 611. de S. E.

(*nn*) Act. Er. 1711. pag. 150.

(*oo*) Lettres de Mr. Bayle pag. 106.

(*pp*) Acta Erud. 1708. pag. 503.

Comes de Holken, qui Svetonium Germanice in carcere tranſtulit, Balthaſar Henckelius, cujus Epiſtolæ carcerales prodiere Holmiæ An. 1640. Rex Scotiæ Jacobus VI. poſtea Angliæ inter Reges Jacobus I. Joannicius Hieromonachus Cartanus, a quo liber ἄνθος conſcriptus in carcere, (*a*) Leonhardus Keyſer, Hieron. Magius, Margareta Henrici IV. Galliæ Regis conjux, Andreas Matthæus Adriæ princeps, Tho. Morus, Nicolaus Florentinus, (*b*) Paulus Peliſſonius, Caſpar Peucerus, Platina, cujus libri tres de falſo & vero bono, in carcere exarati ſunt, Rogerius Rabutinus, Comes de Buſsy, Nicolaus Ridley, Hieron. Savonarola, Jo. Serranus, Stephanus Szegedinus, Turennius, Wicquefortius, (*c*) in cujus memoriarum de legatis prima editione litteræ in titulo adſcriptæ L. M. P. denotant *le Miniſtre priſonnier*.

Jo. Mabillonius pag. 221. itineris Italici, de Boethio, inquit, ejuſque libris de Conſolatione Philoſophiæ in veterrimo codice Laurentianæ apud Florentiam Bibliothecæ hæc præmittuntur litteris Saxonicis: QUINTUS FABIUS CONSUL FECIT HUNC PROLOGUM: VEL BOETIUS IPSE, VEL QUIDAM SCOTTIGENA, ID EST DISCIPULUS BOETII. *Tempore Teocriti regis, inſignis auctor Boetius claruit, qui virtute ſua Conſul in urbe fuit. Cum vero Teocritus rex voluit tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quoſque in Senatu neci dare; Boetius ejus dolos effugere geſtiens, quippe qui bonis omnibus necem parabat; videlicet clam litteris ad Græcos miſſis, nitebatur urbem & Senatum ex ejus impiis manibus eruere, & eorum ſubdere defenſioni. Sed poſtquam a Rege reus majeſtatis convictus eſt, juſſus eſt retrudi in carcerem; in quo repoſitus hos libros per ſatyram edidit, imitatus videlicet Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de nuptiis Philologiæ & Mercurii eadem ſpecie poematis conſcripſerat. Sed iſte longe nobiliore materia & facundia præcellit, quippe qui nec Tullio impar ſit, nec Virgilio in metro inferior floruit.* Hæc ibi. In eandem ſententiam vide, ſi placet, quæ Anonymus Mellicenſis de Scriptor. Eccleſ. c. XV. Verſus quidam Boethii e lib. III. metro 9. citantur in ſpecululo, quod legitur Auguſtino ſuppoſitum in tomo VI. Operum Auguſtini p. 627. edit. Amſt. Barthius ad Claudian. pag. 147. edit. primæ teſtatur ſe ex Bibliot. Martisburgica accepiſſe MS. Codicem Boethii de conſolatione, in cujus ſtatim primo carmine duo ſint verſus a nemine ullo hactenus viſi. Hos *Angloſaxonice* quondam liberiore paraphraſi tranſtulerat Ælfridus Rex, qui obiit A. Chriſti 906. Prodiit illa translatio e Franciſci Junii apographo cura Chriſtophori Ravvlinſon, Collegii Reginæ Socii. Oxon. 1698. 4. In Alfredi Regis verſione *Angloſaxonica* habes carmina reddita primum ſermone proſario, deinde verſibus. Utramque metaphraſin Ravvlinſonus in ſua editione exhibuit, priorem e Bodlejano, alteram e Cottoniano Codice MS. *Græce* vertit Planudes, ex cujus interpretatione nonnulla profert Lambecius lib. 7. commentar. de Bibl. Vindobonenſi pag. 145. ſeq. Græca Boethii verſione, quam *Maximus Planudes* adornavit, MS. ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi Vallinus quoque uſus eſt. Codex pulcherrimus Patavii donatus Monaſterio S. Juſtinæ, fuit in Bibl. Cancellarii Seguierii. Vide Celeberr. Montfauconi Bibliothecam Coislinianam pag. 140. *Hebraicam* verſionem R. Samuelis Ben *Banſchat* [*Banaſtum* vocat Bartoloccius T. 1. Bibl. Rabbinic. p. 503. in Vaticana Mſtum haberi teſtatus) memorat Hottingerus Bibl. Oriental. p. 28. Conſule Rev. Wolfii noſtri Bibliothecam Hebraicam T. 1. p. 229. 1192. ſed & p. 243. 354. 369. Omitto *Italicas* translationes Thomæ Tamburini, Panorm. 1657. 12. & Benedicti Varchi, elaboratam juſſu Coſmi I. magni Hetruriæ Ducis Florent. 1551. 4. & 1584. 12. cum notis marginalibus Roberti Titii: *Anglicam* (*d*) Mich. Walpolus, *Germanicas*, *Belgicaſque* & *Gallicas*, ſive editas illas, ſive ineditam Jo. Clopinelli, cujus ſpecimen exſtat in Verderii Bibl. Gallica pag. 676. & *Hiſpanicas* Antonii de Genebrada, Alberti de Agrayo, & Auguſtini Lopeſii, qui notas addidit Pinciæ 1598. fol. & 1604. Ex Kielmanniana auctione na-

(*a*) Cruſii Turcogræc. pag. 199.

(*b*) Hunc inter eos qui in carcere libros ſcripſere, refert Naudæus in panegyrico ad Urbanum VIII. pag. 154.

(*c*) Lettres de Mr. Bayle p. 144.

(*d*) Eliſabetham quoque Angliæ Reginam hos Boethii de conſolatione Philoſ. libros Anglice vertiſſe teſtatur Voſſius in dedicatione Ariſtarchi, & ante Voſſium Cambdenus. Æmulati Boethium ſunt Bernhardus Sylveſter de planctu animæ, & Alanus de Inſulis de univerſitate Mundi.

ctus ſum Boethium cum *Belgica* verſione Anonymi carminum metrica & proſarum proſaria, atque amplo commentario Belgico, excuſum Gandavi apud Arend de Keyſer A. 1485. fol. ſingulis libris in meo exemplo præfixo icones calamo non ineleganter delineatæ. Ut ſpecimen interpretationis habeas, en tibi metrum 1. libri 1.

Carmina qui quondam ſtudio florente peregi,
Flebilis heu mæſtos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camœnæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.

Ban Breugden ſcreef ic miſen eer
Mat ic dichte hets laes al ſeer,
Dus es verſeert dat eerſte ſcriven,
Dat ic des moet myn oghen mriden.

Recentiores verſiones Belgicæ ſunt, quæ vidit lucem Dordraci 1654. 12. & noviſſima M. Gargonii Amſt. 1703. 8. de qua vide Diarium Belgicum illius anni, Boekſaal van Europe Tom. 2. pag. 489. *Hiſpanica* Auguſtini Lopeſii excuſa eſt Pinciæ ſive Valliſoleti 1598. fol. & 1604. fol. *Germanicæ*, Boethii de Conſolatione plures exſtant, ut quæ Norimb. 1600. 12. prodiit. Sed præferenda cæteris præclara illa Chriſt. Knorii de Roſenroth, quæ auctoris nomine præterito Solisbaci A. 1667. 12. prodiit & 1697. recuſa Luneburgi. Inter *Gallicas* præſtantiſſima eſt Nicolai Regnierii, Canonici Regularis, quæ A. 1675. primum lucem vidit, & ſæpius deinde prælo ſubjecta eſt, ut Bruxellis 1711. 12. De veteri Jo. Clopinelli de Meun ſive Mehun, ad Philippum IV. Galliæ Regem, cum Guilelmi le Roy verſione Gallica Æneidos Virgilianæ, edita Lugduni 1483. fol. vide Sorellum Bibl. Gallicæ p. 195. & Mich. Maittaire Annales typographiæ pag. 171. Etiam alteram Joannis de Cis, ſive de Cys, aut ut alii Te This, Poetæ antiqui Gallici metaphraſin memorat Franciſcus a Cruce p. 216. Bibl. Gallicæ. Johannis de Meun ſive de Mehun, id. p. 247.

Boethii imitatione *EcKardus*, quem A. 1130. conſtat obiiſſe, ſcripſit Laternam ſive Conſolationem monachorum libris V. laudatam Trithemio cap. 378. de S. E. & II. 107. illuſtr. Benedictin. *Joannes Gerſon* Cancellarius Pariſienſis Libros IV. de Conſolatione Theologiæ, qui leguntur T. I. Opp. edit. novæ a Lud. Elia du Pin curatæ pag. 125. His jungendus liber *le Roman de fortune*, (e) *& de felicitè ſur Boece de Conſolation composè A.* 1336. *par frere Regnault de Lovens des freres prechans*. *Galfridus* etiam *Chauterus* ad Boethii exemplum de conſolatione Philoſophiæ librum compoſuit Anglice, ſoluta oratione, ut refert Jo. Lelandus de ſcriptoribus Britannicis p. 424. ut *Ceriſierii* Conſolationem Theologiæ, ſcriptam Gallice prætereaın. Argumentum horum Boethii librorum eleganter & ſuccincte complexus eſt Jo. Clericus V. C. T. XVI. Bibl. ſelectæ p. 239. ſeq.

Petri de Alliaco MSS. commentariorum in hos libros meminit Jo. Launojus T. 2. Hiſtor. Academ. Navarr. pag. 479. Prodiit hoc opuſculum Boethii cum *Jodoci Badii* Aſcenſii notis Pariſ. 1495. & 1502. 4. cum commentario *Thomæ* [f] Aquinatis Norimberg. 1473. 1476. 1495. fol. per Ant. Coburger. & Colon. 1481. fol. Lovan. 1484. 1487. 1495. 1499. fol. Lugd. per Jo. de Prato 1487. fol. & 1490. & additis Jodoci Badii Aſcenſii notis 1514. 4. & inter Doctoris Angelici opera, T. 18. Venetæ & Antu. editionis. Exſtat etiam Thomæ Commentarius in editionibus operum Boethii Ven. 1491. 1499. & Baſil. 1546. 1570. fol. Feruntur præterea commentaria literalia & myſtica *Dionyſii Carthuſiani*, Tomo tertio ejus operum, Colon. 1540. fol. Nec non *Raymundi Palaſini* Albienſis, dicti *Valderici &c.* Cum commentariis *Jo. Murmelii* & *Rudolphi Agricolæ*, Daventr. 4. & inter alia Boethii opera Baſil. 1536. 1570. fol. Prærerea e recenſione *Theodori Pulmanni*, Antvv. 1562. 1580. 1590. 12. & Lugd. 1581. forma minore; & cum animadverſionibus *Jo. Bernartii* Antvv. 1607. 8. & eodem anno eademque forma Hanoviæ cum obſervationibus eximiis *Theodori Sitzmanni* & Pulmanni libro de metris Boethianis. Porro ex *P. Bertii* recenſione, præmiſſa prolixa de Boethio ejuſque ſcriptis præfatione Lugdun. Bat. 1633. 24. Eadem præfatio præfixa legitur editioni cum notis Sitzmanni, & vario-

(e) Journal. des Savans A. 1718. Aout pag. 140. ſeq.

(f) Rectius Thomæ Anglico tribuitur hic commentarius. Vide Renati Vallini notas pag. 60. & Petri Callyi præf. ad Boethium. Nicolai Traves Anglici Ord. Prædicator. gloſſulas memorat Labbeus Bibl. MSS. pag. 276. Confer Veteres gloſſas editas a Barthio LVI. 10. Adverſar.

riorum, (g) vulgatæ ibid. 1671. 8. Denique in uſum Delphini illuſtravit *P. Callyus* Pariſ. 1680. 4. De Callyo vide Huetium lib. 4. de vita ſua p. 228. *Renatus* quoque *Vallinus* elegantem librorum de conſol. Philoſophiæ editionem cum eruditis notis in lucem miſit Lugd. Bat. 1656. & 1668. 8. Commentarios *Roberti Grosbead* ſive *Capitonis* & *Nic. Triveti* memorat idem Lelandus de Script. Britannicis & *Aſſerii* Monachi lucidos commentarios p. 156. *Nicolai Cronii* Car. de Viſch. Bibl. Ciſterc. p. 250.

In Polycarpi Leyſeri hiſtoria poetarum & poematum medii ævi, edita Halæ 1721. 8. qui editiones Boethii pag. 95. plures enumerat, & p. 105. ſeq. metra Boethiana univerſa ex tribus MSS. Codicibus Academiæ Helmſtadienſis & quatuor editionibus caſtigata exhibet, laudatur editio antiqua in folio ſine loco & anno, cum his in fine verſibus:

Hic mea de prora in littus jactetur apertum
Ancora: parva cadent ducentia vela faſelum.

Excuſus etiam Boetii liber Pinerolii 1479. fol. per Jacobum de Rubeis. Cum commentario Colon. 1482. 4. & Lovan. per Joannem de Weſtfalia 1484. fol. Cum commentario, & Jo. Gerſone de Conſolatione Theologiæ, Colon. per Joannem Kœlhof de Lubeck 1488. fol. Lipſiæ 1468. 4. & 1505. 1513. fol. per Baccalarium Martinum Lantzbergk, Herbipolenſem. Circa finem ſeculi XV. hoc titulo: *Boethius de conſolatione philoſophica, & de diſciplina ſcholarium cum commentariis ab infinitis fere erroribus emaculatis. Additum eſt carmen juvenile* Sulpitii *de moribus in menſa ſervandis, &* Quintiliani *præceptum de officio ſcholaſticorum erga præceptores. Inſigne* Joannis Clein in 4. Commentarii ſunt S. *Thomæ* de Aquino & *Jodoci Badii Aſcenſii*. Pagina ultima legitur: *Antonius Petrus Duvelandus ſtudioſis ſalutem. Accipite Boethium de conſolatu philoſophico, duplici commentario explanatum. Erratulis noſtris facile parcet ſpero quicumque hunc noſtrum Boethium cum illis, qui hactenus impreſſi ſunt, conferet: ſi tamen aliqua non expiabilia invenerit, id exemplari quo uſi ſumus ore adſcribat. Ex chalcographia Joannis Clein Alemanni nulli impreſſorum Lugdunenſ. ſecundi nono Kalendas Octobris.* Argentorat. 1501. fol. cum iisdem commentariis.

Præterea excuſi hi libelli, ſine notis, Florentiæ 1513. & per *Nicolaum Creſcium*, opera hæredum Philippi Juntæ 1521. 8. in qua Sitzmannus deprehendit optimas fere, quas e MSS. eruerat ingeniive reſtituerat adminiculo, lectiones haberi. Ex Jo. Cæſarii recognitione, cum *Jo. Marmelii* notis & *Rod. Agricolæ* 1535. Editionem Pariſ. 1568. 8. cum *Henr. Cornelii Agrippæ* commentario, in Hendreichii pandectis pag. 622. inter alias plurimas memoratam non vidi. Nec Jenenſem *B. Dilberro* curante vulgatam Jen. 1639. 12. Poſt Pulmanni emendationem denuo recogniti hi libri ad vetuſtiſſimas membranas *Conr. Rittershuſii* J. C. Lugd. B. apud Raphelengium 1601. forma minore. Nonnulla ex MSS. Codicibus emendat *Caſpar Barthius* Adverſar. V. 16. XXVI. 15. &c. notas etiam promiſit LXVII. 13. *M. MicKelii* Conrectoris Scholæ Arnſtadienſis ad optimum MS. caſtigata Codicem promiſſa A. 1715. editio necdum vidit lucem.

DE ARATORE SUBDIACONO.

ARatoris Subdiaconi *Hiſtoriæ Apoſtolicæ* ſive de vita S. Pauli *libri II.* Carmine Epico, præmiſſis duobus brevibus elegiis, una ad Florianum Abbatem, altera ad Virgilium Pontificem. Hoc ejus Poema ex Actis Apoſtolorum expreſſum publico applauſu A. CHRISTI 544. recitatum eſſe ex veteri codice narrat Labbeus T. 1. Bibl. novæ MSS. pag. 668. In eo emendando præter alios Theodorus Pulmannus deſudavit, qui cum Sedulio, Juvenco, & quatuor Fortnnati hymnis Aratorem edidit Baſileæ in 8. apud Oporinum. *Elegiam ad Parthenium* primus ab eo tempore vulgavit Sirmondus notis ad Ennodium Ticinenſem. Spero & ipſe novam me daturum editionem hujus Poetæ caſtigatam ad veteres ἐκδόσεις, & ad Codicem Cantabrigienſem, quem contulit doctiſſimus Ericus Benzelius, Præfectus digniſſimus Bibliothecæ Upſalienſis. *Arator* ſæpius cum Sedulio & Juvenco editus prodiit etiam Mediolani 1469. 8. (quæ editio eſt in Bibl. Barberina) & Lipſiæ 1515. 4. & cum commentariis Arrii Mendoſæ, Salmanticæ 1516. Habeo quoque excuſum ex antiqua editione in 4. ſine anni nota & loci, in cujus calce legitur: *explicit liber ſecundus Aratoris Subdiaconi de inſignibus Apoſtolorum actibus.* Cer-

(g) In editione Boethii cum notis Variorum omiſſæ ſunt Sitzmanni & Vallini [quod merito ægre fert J. Clericus Tom. 16. Bibl. Selectæ pag. 274.] præfationes.

Cernis ut, o lector, ſua carmina finit Arator,
Littera ſtat ſuavis typicis intexta figuris.
Alius Arator presbyter, Martyr Alex. de quo Martyrologia 21. April.

DE FL. CRESCONIO CORIPPO.

FL. *Creſconii Corippi* Africani fragmentum panegyrici in laudem Juſtini Aug. Minoris, panegyricum in laudem Anaſtaſii quæſtoris & magiſtri, & de laudibus Juſtini Minoris libros IV. cum Conradi & Nic. Rittershuſiorum, Michaeliſque Ruizii Aſſagrii notis Aſtorff 1664. 4. Pleraque Corippi illuſtrat Barthius in Adverſariis. *Joannidem* Corippi in Italiæ Caſinenſi monaſterio ſuperſtitem memorat Cuſpinianus, Cæſaribus. *Corippum de bellis Libycis* Leo Marſicanus III. 62. p. 339. Corippus ipſe præfat. libror. ad Anaſtaſ.

Quid Libycas gentes & Syrtica prælia dicam
Jam libris completa meis ....

Libri IV. Corippi de Juſtino Minore ex recenſione & cum notis Tho. Demſteri viderunt lucem Pariſ. 1610. 8. Loca quædam emendat & Jo. Meurſius in Critico Arnobiano p. 149. Cum Mich. Ruizii notis prodiit Corippus Antverp. 1581. 8. Male Joannem Ruizium vocat Nic. Antonius Tom. 1. Bibl. Hiſpan. p. 592.

DE DRACONTIO TOLETANO.

D*Racontii (b) Toletani Hexaemeron liber primus* isque in fine mutilus. Ab eo tempore, addito etiam ſecundo libro & Eugenii Toletani additamento ſupplevit Jacobus Sirmondus Pariſ. 1619. 8. Sirmondum ſecutus Andreas Rivinus eſt, qui cum notis recedendum dedit Lipſiæ 1651. 8. Meminit Dracontii Iſidorus Hiſpalenſis XII. 2. Originum ad quem locum Jo. Grialus in notis pag. 556. *Dracontius opus ſex dierum carmine compoſuit, Athanagildo regnante, quod poema Eugenius III. Toletanus Antiſtes ſub Cindaſvinto & Reccenſvintho, & emendavit & ſeptimi diei verſibus auxit. Hunc librum Gothicis characteribus ſcriptum Bibliotheca Martini Roderici Azagræ nunc ſervat:* Ante Sirmondum Dracontius ex Eugenii interpolatione in lucem emiſſus eſt a Mich. Ruizio Aſſagrio, quam editionem videre vehementer deſiderat Barthius pag. 1615. Adverſ. *Dracontii* Hiſpani (*i*) presb. carmine ſcriptum epico Hexaemeron cum elegia ad Theodoſium juniorem Auguſtum exſtat & in Bibl. Patrum Lugd. Tomo IX. pag. 724. & Tom. 2. Opp. Sirmondi pag. 890. Prodiit etiam cum indice, gloſſario, & notis Jo. Weitzii Francof. 1619. 8.

DE VENANTIO FORTUNATO.

V*Enantii Honorii Clementiani Fortunati* Poematum Sacrorum libri IV. *de partu Virginis* liber 1. *de Chriſti Beneficiis* liber 2. *de vita hominum* lib. 3. *de certaminibus & miraculis Piorum* liber 4. Hæc mutila & laciniosa Fortunati editio in corpore poetarum etiam repetita eſt. Aſt integros Poematum libros XI. cum præmiſſa ad Gregor. Turonenſem Epiſtola dedicatoria primus edidit Chriſtoph. Brovverus Moguntiæ A. 1603. 4. & emendatius A. 1616. cum poematis ſacris *Rabani Mauri*. Brovveri editio recuſa eſt Tomo X. Bibl. Patrum, Lugduni vulgatæ. Lacunam lib. 10. carm. 25. v. 26. ex Frontonis Ducæi ad Concilia notis Tom. 3. pag. 1672. edit. Bibianæ ſupplendam monet Daumius præfat. ad Hieronymi Theologi Græci Philoponiam, ubi & novæ editionis a Labbeo promiſſæ meminit. Expoſitionem Venantii in ſymbolum *Quicumque* (hoc eſt, quod Athanaſio tribuitur,) editurum in ſe recepit Antonius Muratorius T. 1. anecdoton Bibl. Ambroſianæ pag. 15. Venantium Fortunatum edere promiſit etiam Joſephus Caſtalio.

Ejusdem Venantii Fortunati *De vita Martini libri IV.* carmine Heroico ſcripti una cum Severi Sulpicii libro ejusdem argumenti lucem adſpexere Pariſ. 1511. 4. *Carmen de Reſurrectione*, quod inter poemata Fortunati lib. 3. carmen nonum eſt, Lactantio perperam etiam in MS. quod memorat Lambecius lib. 2. Bibl. Vindob. p. 790. olim adſcriptum, & inter ejus opera ſæpius editum notis illuſtravit, & ſeorſim vulgavit Auguſtus Buchnerus, Witteberg. 1627. 8.

(*b*) Alius fuit Dracontius Monetæ præpoſitus ſub Juliano Imp. cujus mentio apud Ammianum XXII. 11.

(*i*) Vide Nic. Antonii Bibl. veterem Hiſpan. III. 3. p. 192.

PAUL-

PAULLINI PELLÆI
EUCHARISTICON

Incipit Euchariſticon Deo ſub Ephemeridis meæ textu.

ENarrare parans annorum lapſa meorum
Tempora, & in ſeriem deducere geſta dierum
Ambigua, exactos vitæ quos forte cucurri:
Te, Deus omnipotens, placidus mihi, deprecor, adſis,
Adſpiranſque operi placida tibi cœpta ſecundes,
Effectum ſcriptis tribuens votiſque profectum,
Ut tua te merear percurrere dona juvante.
Omnia namque meæ tibi debeo tempora vitæ,
Auram ex quo primum vitalis luminis hauſi,
Inter & adverſas jactatus ſæpe procellas
Inſtabilis mundi, te protectore ſeneſcens.
Altera ab undecima annorum currente meorum
Ebdomade, ſex æſtivi flagrantia ſolis
Solſtitia, & totidem brumæ jam frigora vidi,
Te donante, Deus: lapſi qui temporis annos
Inſtaurando novas curſu revolubilis ævi,
Sit mihi fas igitur verſu tua dona canentem
Pangere, & expreſſas verbis quoque pendere grates,
Quas equidem & clauſo ſcimus tibi corde patere,
Ultro ſed abrumpens tacitæ penetralia mentis
Fontem exundantis voti vox conſcia prodit.
Tu mihi lactanti vires in corpore inerti
Ad toleranda viæ, pelagique incerta dediſti.
Editus ut Pellis, inter cunabula quondam
Regis Alexandri, prope mœnia Theſſalonices,
Patre gerente vices illuſtris Præfecturæ,
Orbis ad alterius diſcretas æquore terras
Perveherer, trepidis nutricum creditus ulnis,
Ninguida perque juga, & ſectas torrentibus Alpes,
Oceanumque fretum, Tyrrheni & gurgitis undas,
Mœnia Sidoniæ Carthaginis uſque venirem,
Ante ſuum novo quam menſtrua luna recurſu
Luce novata orbem noſtro compleret ab ortu.
Illic, ut didici, ter ſenis menſibus actis,
Sub genitore meo Proconſule, rurſus ad æquor,
Expertaſque vias revocor, viſurus & urbis
Inclyta culminibus præclaræ mœnia Romæ.
Quæ tamen haud etiam ſenſu agnoſcenda tuentis
Subjacuere mihi, ſed poſt comperta relatu
Aſſiduo illorum, quibus hæc tum nota fuere,
Propoſitum ſervans operis, ſubdenda putavi.
Tandem autem exacto longarum fine viarum,
Majorum in patriam, tectiſque advectus avitis,
Burdigalam veni, cujus ſpecioſa Garumna
Mœnibus Oceani refluas maris invehit undas,
Navigeram per Portam, quæ portum ſpatioſum
Hæc etiam muris ſpatioſa includit in Urbe.
Tunc & avus primum illic fit mihi cognitus, anni
Ejuſdem Conſul, noſtra trieteride prima.
Quæ poſtquam eſt expleta, mihi firmavit & artus
Invalidos creſcens vigor, & mens conſcia ſenſus,
Adſuefacta uſum didicit cognoſcere rerum:
Quidquid jam potui meminiſſe, neceſſe eſt,
Ipſe fide propria de me agnoſcenda retexam.
Sed quid ego ex noſtris aliud puerilibus annis,
Quos mihi libertas, luduſque, & lætior ætas
Conciliare ſuis meritis potuiſſe videntur:
Vel magis ipſe videns recolam, vel dignius auſim
Inſerere huic noſtro, quem verſu cudo, libello;
Quam pietatis opus ſtudiumque inſigne parentum,
Permixtis ſemper doctrinam exercere peritum
Blanditiis, quorumque apto moderamine curam
Inſinuare mihi morum inſtrumenta bonorum,
Ingenioque rudi celerem conferre profectum:
Ipſius Alphabeti inter prope prima elementa
Noſſe cavere decem ſpecialia ſigna amathiæ,
Nec minus & vitia evitare akinononta.
Quarum jamdudum nullus vigeat licet uſus
Diſciplinarum, vitiato ſcilicet ævo,
Me Romana tamen, fateor, ſervata vetuſtas
Plus juvat, atque ſeni propria eſt acceptior ætas.
Nec ſero exacto primi mox tempore luſtri
Dogmata Socratis, & bellica plaſmata Homeri,
Erroreſque legens cognoſcere cogor Ulyſſis.
Protinus ad libros etiam tranſire Maronis
Vix bene comperto jubeor ſermone latino,
Colloquio Grajorum adſuefactus famulorum,
Quos mihi jam longus ludorum vinxerat uſus.
Unde labor puero, fateor, fuit hic mihi major
Eloquium librorum ignotæ apprehendere linguæ.
Quæ doctrina duplex ſicut eſt potioribus apta
Ingeniis, geminoque ornat ſplendore peritos:
Sic ſteriles nimium noſtri, ut modo ſentio, cordis
Exilem facile exhauſit diviſio venam.
Quod nunc invito quoque me hæc mea pagina prodit,
Inconſulta quidem, quam ſponte expono legendam;
Sed mihi non rebus, quantum confido, pudenda,
Quarum notitiam ſcriptis contexere conor.
Namque ita me ſollers caſtorum cura Parentum
A puero inſtituit, lædi ne quando ſiniſtro
Cujuſquam ſermone mea ſe fama timeret.
Quæ licet obtineat proprium, bene parta, decorem,
Hoc potiore tamen tum me decoraſſet honore,
Conſona ſi noſtris primo ſub tempore votis
Hac in parte etiam manſiſſent vota Parentum,
Perpetuo ut puerum ſervarent me tibi, Chriſte,
Rectius hanc curam pro me pietatis habentes,
Carnis ut illecebris breviter præſentibus expers
Æternos caperem venturo in tempore fructus.
Sed quomodo nunc jam magis hoc me credere fas eſt
Conduxiſſe mihi, quod te voluiſſe probaſti,
Omnipotens, æterne, Deus, qui cuncta gubernas
Culpatore novando mihi vitalia dona,
Hoc nunc majores pro me tibi debeo grates,
Majorum quanto errorum cognoſco reatum.
Namque & incautus quidquid culpabile geſſi
Illicitumque, vagus per lubrica tempora vitæ,
Te indulgente mihi totum ſcio poſſe remitti,

Ex quo me reprobans lapſum activa jura refugi,
Et ſi ulla umquam potui peccata cavere,
Quæ mihi majorem parerent commiſſa reatum,
Hoc quoque me indeptum divino munere novi.
Sed redeo ad ſeriem, decurſaque illius ævi
Tempora, quo ſtudiis intentus litteraturæ
Ultro libens aliquem jam me mihi ipſe videbat
Votivum impenſi operis ſentire profectum
Argolico pariter, Latioque inſtante Magiſtro;
Cepiſſem etiam forſan fructum quoque dignum,
Ni ſubito incumbens quartana acerba meorum
Conatus placidos ſtudiorum deſtituiſſet,
Vix impleta ævi quinta trieteride noſtri.
Conſternata autem pro me pietate Parentum,
Quippe quibus potius viſa eſt curatio noſtri
Corporis invalidi, quam doctæ inſtructio linguæ.
Primitus hoc medicis ſuadentibus, ut mihi jugis
Lætitia, atque animo grata omnia proſpicerentur.
Quæ pater in tantum ſtatuit per ſe ipſe parare,
Depoſito ut nuper venandi attentius uſu,
Cauſa equidem ſola ſtudiorum quippe meorum;
Neve hi ſufficerent, ſibi me ad ſua ludrica jungens,
Neu ſine me placitis umquam ſolus frueretur,
Me propter rurſus cura majore reſumens
Ejuſdem ludi cuncta inſtrumenta novaret,
Ex quibus optatam poſſem captare ſalutem.
Quæ protracta diu longi per tempora morbi
Invexere mihi jugem jam deinde legendi
Deſidiam; officeret durans quæ poſtea ſano
Succedente novo mundi fallacis amore
E tenero nimium affectum cedente parentum,
Sufficeret quibus ex noſtra gaudere ſalute.
Qua ratione auctus noſter quoque crevit et error.
Firmatur facile ad juvenilia vita ſequenda,
Ut mihi pulcher equus, faleriſque ornatior eſſet,
Strator procerus, velox canis, & ſpecioſus
Accipiter, Romam, & nuper ab Urbe petita
Aurata inſtrueret noſtrum ſphera concita ludum:
Cultior utque mihi veſtis foret, & nova ſæpe,
Quæque Arabi muris leni fragraret odore:
Nec minus & vegetus veloci currere vectus
Semper equo, gaudens, quotiens evaſero caſus
Abruptos recolens, Chriſti nec munere fas eſt
Credere ſervatum, quod tum neſciſſe dolendum eſt.
Scilicet illecebris urgentibus undique mundi,
Quas inter fluctuans, interque & vota parentum
Jugiter in noſtram tendentia poſteritatem,
Jam prope ſero calens ævi pro tempore noſtri
In nova prorupi juvenilis gaudia luxus,
Quæ facile ante puer rebar me poſſe cavere.
Attamen in quantum laſciva licentia cauto
Stricta coerceri potuit moderamine freni,
Congererem graviora meis ne crimina culpis,
Hæc mea caſtigans lege incentiva repreſſi,
Invitam ne quando ullam, juriſve alieni
Appeterem, carumque memor ſervare pudorem,
Cedere & ingenuis, oblatis ſponte caverem,
Contentus domus illecebris famulantibus uti:
Quippe reus culpæ potius, quam criminis eſſe
Præponens, famæque timens incurrere damna.
Sed neque hoc etiam mea inter geſta ſilebo,
Unum me noviſſe ex me illo in tempore natum;
Viſum autem neque illum tum, quia eſt cito functus:
Nec quemquam, fuerit ſpurius poſt qui meus umquam,
Cum mihi laſcivæ illecebris ſociata juventæ
Libertas gravius quiſſet dominando nocere,
Ne tibi, Chriſte, mei jam tunc quoque cura fuiſſet;
Talis vita mihi a ter ſenis circiter annis
Uſque duo durans impleta decennia manſit,
Donec me invitum, fateor, pia cura parentum
Cogeret invectum blanda ſuetudine ritum
Deſerere, atque novum compelleret eſſe maritum
Conjugis, antiquo potius cujus domus eſſet
Nomine magnifica, quam quæ poſſeſſa placeret;
Ad præſens poſſet munus obnoxia curis,
Dudum deſidia Domini nec lecta ſenili,
Parva cui neptis functo genitore ſuperſtes
Succeſſit, tædiſque meis quæ poſtea ceſſit.
Sed ſemel impoſitum ſtatuens tolerare laborem,
Suffragante animi ſtudiis fervore juventæ,
Vix paucis domus indeptæ exercere diebus
Gaudia contentus, maleſuada otia curis
Mutare inſolitis cito meque, meoſque coegi,
Quos potui exemplo proprii invitando laboris,
Quoſdam autem invictos domini adſtringendo rigore;
Atque ita ſuſcepti ſtatus actibus impiger inſtans,
Protinus & culturam agris adhibere refectis,
Et feſſis celerem properavi impendere curam,
Vinctis comperta mihi ratione novandis.
Et quod præcipue pleriſque videtur amarum,
Ultro libens primus fiſcalia debita certo
Tempore perſolvens, propere mihi fida paravi
Otia, privatæ poſt impendenda quieti:
Quæ & mihi chara nimis ſemper fuit, ingenioque
Congrua prima meo mediocria deſideranti,
Proxima deliciis, & ab ambitione remota,
Ut mihi compta domus ſpatioſis ædibus eſſet,
Et diverſa anni per tempora jugiter apta,
Menſa opulenta, nitens, plures juveneſque miniſtri,
Inque uſus varios grata, & numeroſa ſupellex,
Argentumque magis pretio, quam pondere præſtans,
Et diverſa artis cita juſſa explere periti
Artifices, ſtabula & jumentis plena refertis;
Tunc & carpentis evectio tuta decoris.
Nec tamen his ipſis attentior amplificandis,
Quam conſervandis ſtudioſior, & neque cauſas
Augendi cupidus nimis aut ambitor honorum,
Sed potius, fateor, ſectator deliciarum.
Si qua tamen minimo pretio, expenſaque parari,
Et ſalvo famæ poſſent conſtare decore:
Ne nota luxuries ſtudium macularet honeſtum,
Quæ mihi cuncta tamen gratæ, acceptaque fruenti,
Chara magis pietas ſuperabat magna parentum,
Obſtringens ſibi me nexu dominantis amoris
Majore, ut parte anni ipſis præſentia noſtra
Serviret, paribus perdurans conſona votis,
Communemque parans per mutua gaudia fructum.
Cujus vitæ utinam nobis prolixior uſus
Conceſſus largo manſiſſet munere Chriſti:
Perſiſtente ſimul priſcæ quoque tempore pacis,
Multimodis quiſſet noſtræ prodeſſe juventæ.
Conſulti Patris aſſidua collatio verbi,
Exempliſque bonis ſtudiorum inſtructio creſcens.
Sed tranſacta ævi poſt trina decennia noſtri,
Succeſſit duplicis non felix cura laboris
Publica; quippe ſimul clade in commune dolenda
Hoſtibus infuſis Romani in viſcera regni,
Privata cum forte Patris de funere functi.
Ultima namque ejus finitæ tempora vitæ
Temporibus ruptæ pacis prope juncta fuere.
At mihi damna domus populantem illata per hoſtem,
Per ſe magna licet, multo leviora fuere,

Deſun-

Defuncti Patris immodico collata dolori,
Per quem chara mihi & patria, & domus ipſa fiebat;
Tamquam enim fido tradentes mutua nobis
Officia affectu, conſerto viximus ævo,
Vinceret æquævos noſtra ut concordia amicos.
Hos igitur mihi ſubtracto inter prima juventæ
Tempora, tam charo ſocio, & monitore fideli,
Illico me indocilis fratris diſcordia acerba
Excepit, validum genitoris teſtamentum
Solvere conantis, ſpecialia commoda matris
Impugnandi animo, cujus mihi cura tuendæ
Hoc quoque major erat, quo juſtior: & pietatis
Non minor affectus ſtudium firmabat honeſtum.
Inſuper adverſis me pluribus exagitandum,
Læva facultatum prorumpens fama mearum
Expoſuit blandas inter vanæ ambitionis
Illecebras, gravibus conjuncta & damna periclis.
Quæ meminiſſe licet pigeat, tranſactaque dudum
Oblivione ſua malim ſopita ſilere:
Invitant adverſa tamen per noſtra tuorum
Cognita donorum ſolatia, Chriſte, bonorum
Emenſis indepta malis tua munera fando
Prodere, & in lucem proferre recondita corde.
Namque & quanta mihi per te collata potentum
Gratia præſtiterit, facile experiendo probavi;
Sæpe prius claro procerum collatus honori,
Ignorans proprio, quam præditus ipſe potirer,
Quantum & e contra vi impugnante maligna,
Ipſa patronorum mihi ambitioſa meorum
Obfuerint ſtudia, & noſtri evidenter honoris;
Ac mihi ante omnes ſpecialiter altera cujus
Pars Orientis erat patria, in qua ſcilicet ortus,
Poſſeſſorque & jam non ultimus eſſe videbar,
Injecere manum; mala ſed mihi debita dudum,
Quæ me & invitum protracto errore tenerent,
Agminis ipſa mei primum molitio pigra,
Diſſona, & interdum charorum vota meorum,
Sæpius & propriis certans mens obvia votis,
Ambigui eventus quotiens formido recurrens
Tardabit certos, ſorte obſidente, paratus,
Allicerent & contra animum ſuetudo quietis,
Otia nota domus, ſpecialia commoda plura,
Omnibus heu nimium blandis, magniſque referta
Deliciis, cunctiſque bonis in tempore duro,
Hoſpite tunc & jam Gothico quæ ſola careret.
Quod poſt eventu ceſſit non ſero ſiniſtro,
Nullo ut quippe domum ſpeciali jure tuente,
Cederet in prædam populo permiſſa abeunti.
Nam quoſdam ſcimus ſumma humanitate Gothorum
Hoſpitibus ſtuduiſſe ſuis prodeſſe tuendis.
Sed mihi ad ſortem præfatæ conditionis
Addita majoris nova eſt quoque cauſſa laboris,
Ut me conquirens ſolatia vana tyrannus,
Attalus abſentem caſſo oneraret honoris
Nomine, privatæ comitivam largitionis
Dans mihi, quam ſcirem nullo ſubſiſtere cenſu.
Jamque ſuo ipſe etiam dediſſet fidere Regno:
Solis quippe Gothis male jam ſibi notis,
Quos ad præſidium vitæ præſentis habere,
Non etiam imperii poterat per ſe nihil ipſe,
Aut opibus propriis, aut ullo milite nixus.
Unde ego non partes infirmi omnino tyranni,
Sed Gothicam fateor pacem me eſſe ſecutum,
Quæ tunc ipſorum conſenſu optata Gothorum
Paulo poſt aliis ceſſit mercede redempta,
Nec pœnitenda manet, cum jam in republica noſtra
Cernamus plures Gothico florere favore,
Triſtia quæque tamen perpeſſis antea multis,
Pars ego magna fui quorum, privatus & ipſe
Cunctis quippe bonis propriis, patriæque ſuperſtes.
Namque profecturi Regis præcepto Ataulfi,
Noſtra ex Urbe Gothi, fuerant qui in pace recepti,
Non aliter nobis quam belli jure ſubactis,
Aſpera quæque omni Urbe irrogavere cremata.
In quam me inventum comitem tum principis ejus,
Imperio cujus ſociatos non ſibi norant,
Nudavere bonis ſimul omnibus, & genitricem
Juxta meam mecum communi ſorte ſubactos,
Uno hoc ſe nobis credentes parcere captis,
Quod nos immunes pœna paterentur abire,
Cunctarumque tamen comitum ſimul, & famularum
Eventum fuerant noſtrum quæcumque ſecutæ,
Illæſo penitus, nullo adtentante, pudore:
Me graviore tamen relevato ſuſpicione,
Munere divino, juges cui debeo grates,
Filia ut ante mea per me ſociata marito,
Excedens patria communi clade careret.
Nec poſtremi tamen tolerati meta laboris
Iſta fuit noſtri, quem diximus: illico namque
Exacto laribus patriis, tectiſque crematis,
Obſidio hoſtilis vicina excepit in Urbe,
Vaſtatis patria majorum & ipſa meorum
Et gravior multo, circumfuſa hoſtilitate,
Factio ſervilis paucorum mixta furori,
Inſano juvenum licet ingenuorum,
Armata in cædem ſpecialem nobilitatis,
Quam tu, juſte Deus, inſontia ſanguine avertens
Illico paucorum ſedaſti morte reorum,
Inſtantemque mihi ſpecialem percuſſorem
Me ignorante alio juſſiſti ultore perire;
Suetus quippe novis tibi me obſtringere donis,
Pro queis me ſcirem grates debere perennes.
Sed mihi tam ſubiti concuſſo ſorte pericli,
Quo me intra Urbem percelli poſſe viderem,
Subrepſit fateor nimium trepido novus error
Conſilii, ut me præſidio Regis dudum mihi chari,
Cujus nos populus longa obſidione premebat,
Urbe ab obſeſſa ſperarem abſcedere poſſe,
Agmine charorum magno comitante meorum;
Hac tamen hos noſtros ipſe ſollicitante paratus,
Quod ſcirem imperio gentis cogente Gothorum,
Invitum Regem populis incumbere noſtris.
Explorandi igitur ſtudio digreſſus ab Urbe,
Ad regem intrepidus nullo obſiſtente tetendi:
Lætior ante tamen prima quam afforet, amicum
Alloquio gratumque magis fore quem mihi reor.
Perſcrutato tamen, ut potui, interius viri voto,
Præſidium ſe poſſe mihi præſtare negavit,
Extra Urbem poſito, nec tutum jam mihi prodens,
Ut viſum remeare aliter pateretur ad Urbem,
Ipſe niſi mecum mox ſuſciperetur in Urbe:
Gnaros quippe Gothos rurſum mihi dira minari,
Seque ab ipſorum cupiens abſolvere jure.
Obſtupui, fateor, pavefactus conditione
Propoſita, & nimio indicti terrore pericli.
Sed miſerante Deo, afflictis qui ſemper ubique
Imploratus adeſt, paulo poſt mente reſumpta,
Ipſe licet trepidus & adhuc nutantis Amici,
Conſilium audacter ſtudui pro me ipſe fovere,
Ardua diſſuadens quæ ſcirem omnino neganda,
Et præſtanda prius, quam mox tentanda perurgens,
Quæ non ſero probans vir prudens ipſe ſecutus.

Illico conſultis per ſe primatibus Urbis,
Rem cœptam accelerans, una ſub nocte peregit,
Auxiliante Deo, cujus jam munus habebat,
Quo nobis, populoque ſuo ſuccurrere poſſet.
Concurrit pariter cunctis ab ſedibus omnis
Turba Alanarum armatis ſociata maritis.
Prima Uxor Regis Romanis traditur obſes,
Adjuncto pariter Regis charo quoque nato.
Reddor & ipſe meis partæ in fœdera pacis,
Communi tamquam Gothico ſalvatus ab hoſte,
Vallanturque Urbis pomœria milite Alano.
Acceptaque, dataque fide certa reparato
Pro nobis, nuper quos ipſe obſederat hoſtis.
Mira Urbis facies, cujus magna undique muros
Turba indiſcreti ſexus circumdat inermis,
Subjecta, exterius muris hærentia noſtris,
Agmina barbarica plauſtris vallantur & armis,
Qua ſe truncatam parte agminis haud mediocris,
Circumjecta videns populantum turba Gothorum,
Illico diffidens tuto ſe poſſe morari,
Hoſte inteſtino, ſubito in ſua viſcera verſo,
Nil tentare auſa ulterius, properanter abire
Sponte ſua legit, cujus non ſero ſecuti
Exemplum & noſtri quos diximus auxiliares,
Diſceſſere, fidem pacis ſervare parati
Romanis, quoquo ipſos ſors oblata tuliſſet.
Atque ita res temere a me cœpta, benigno
Auxilio Domini, eventu eſt expleta ſecundo,
Erroremque meum Deus in nova gaudia vertit,
Multorum pariter mecum obſidione levata:
Accreſcunt quæ cuncta mihi ſimul ad referendas,
Chriſte, tibi grates, quas impos ſolvere rebus,
Parte rependo aliqua, ſemper debere profeſſus.
Sint tamen iſta ſatis, ſuper his me eſſe profatum,
Inter barbaricas longo quæ tempore gentes
Expoſitus geſſi: quorum mihi plurima ſæpe
Adverſa experto rurſum ſuaſere moranti
Linquendas patriæ ſedes quantocius eſſe.
Quod feciſſe prius fuerat magis utile nobis,
Illa ut contento peteremus littora curſu,
Pars ubi magna mihi, & jamnum ſalva manebat.
Materni cenſus complures ſparſa per Urbes
Argivas atque Epiri veteriſque, novique,
Per quas non minima numeroſis ſarta colonis
Prædia diffuſa, & non multum diſſociata,
Quamvis profuſis Dominis, nimiumque remiſſis,
Præbere expenſas potuiſſent exuberantes.
Sed nec ſero mea eſt proventus vota ſecutus,
Ut vel migrare exoptata hinc ad loca poſſem,
Vel mihi pars aliqua ex rebus ſupereſſet avitis,
Inter barbaricas hoſtili jure rapinas,
Romanumque nefas contra omnia jura licenter,
In mea graſſatum diverſo tempore damna.
A quo ſe exuere admiſſo nec nomina poſſunt
Chara, mihi major noſtri eſt quæ cauſſa doloris,
Cum mihi damna rei damnis cumulentur amoris,
Quem ſcio me fidum primis debere propinquis,
Quamlibet offenſum: nec fas non reddere duco;
Sed, bene ſi ſapio, grataṅda hæc nunc mihi ſors eſt,
Quæ tibi complacuit multo potiora paranti,
Jam te, Chriſte, mihi quam cum ſecurior ipſe
Placatum rebar noſtris adſiſtere votis,
Cum mihi læta domus magnis floreret abundans
Deliciis, nec pompa minor polleret honoris,
Inſtructa obſequiis, & turbis fulta clientum,
Quæ peritura cito illo me in tempore amaſſe
Nunc piget, & tandem ſenſu meliore ſeneſcens,
Utiliter ſubtracta mihi cognoſco fuiſſe,
Amiſſis opibus terrenis, atque caducis,
Perpetuo potius menſura ut quærere noſſem;
Sero quidem, ſed nil umquam, Deus, eſt tibi ſerum,
Qui ſine fine manens miſerandi ponere finem
Neſcis, & ignaris ſolus ſuccurrere noſti,
Præveniendo prior multorum vota precantum,
Et ſupra quam petimus bona nobis proſpiciendo,
Ambiguiſque etiam quid pro ſe quiſque precetur,
Plura petita negas, magis apta his dona paratus,
Qui ſapiunt tua bona ſuis præponere votis.
Namque etiam memores, quam illos quanto prior ipſe
Me melius noſſes, in me prodendo probaſti:
Quem majora meis audentem viribus ante
Proſpiciens melius per te mihi conſuluiſti,
Conatus inhibendo meos nimis alta petentes;
Auderem ut Monachi perfecto vivere ritu,
Cum mihi plena domus charis affectibus eſſet,
Quæ ſibi ſervari conſuetam indicere curam
Poſſe viderentur, filii, ſocrus, uxor,
Cum grege non minimo famularum quippe ſuarum,
Quem totum pariter peregrinæ exponere terræ
Nec ratio, aut pietas, mens aut religioſa ſinebat.
Sed tua magna manus, divina, & provida virtus,
Conſilio ſanctorum cuncta operanda peregit,
Suadentum mihi tunc morem ſervare vetuſtum,
Quem ſemel invectum majorum traditione
Nunc etiam ſervans Eccleſia noſtra teneret.
Confeſſuſque igitur, *
Propoſita ſtudui conſtrictus vivere lege,
Non digno fortaſſe pians commiſſa labore,
Sed rectam ſervare fidem non inſcius ipſe,
Errorum diſcendo vias per dogmata prava,
Quæ reprobans ſociata aliis nunc reſpuo culpis,
Poſt autem exacta jam trieteride quinta,
Rite recurrente ſtatuto tempore paſcha,
Ad tua, Chriſte Deus, altaria ſacra reverſus,
Te miſerante, tua gaudens ſacramenta recepi,
Ante hos ter decies ſuper & his quatuor annos.
Salvo tunc etiam propriæ domus ordine, nuper
Qui fuerat linqui, & quam jam non poſſe probare,
Nec retinere tamen peregrino jugiter eſſet
Poſſibile, adſtricto jam cenſu: qua minus autem
Rem propriam experere, cujus meritumque, ſitumque
Anteriore loco jam me expoſuiſſe recordor,
Obſtabat flecti ad communia commoda Conjux,
Indocilis, nimio quæ metu navigare recuſans,
Quam nec jam vitam trahere uſquam fas mihi rebar,
Parque nefas eſſet ſubtractis inique penatis:
Atque ita fruſtratus ſpe jam meliore quietis,
In rebus propriis, poſt plura adverſa fruendæ,
Perpetuum exilium diverſa ſorte dierum,
Exigo, jamdudum cunctis affectibus expers,
Prima ſocru, & matre dehinc, & conjuge functa,
Quæ mihi cum fuerit rectis contraria votis,
Officiente metu, fuit & defuncta dolori,
Tum ſubtracta, meæ potuiſſet cum magis eſſe
Apta ſenectuti, junctæ ad ſolamina vitæ,
Quæ mihi jam deerant natis abeuntibus a me.
Non equidem paribus ſtudiis, nec tempore eodem
Succenſis pariter, ſed libertatis amore,
Quam ſibi majorem contingere poſſe putabant,
Burdigalæ, Gothico quamquam conſorte colono;
Quod licet invito me illos voluiſſe dolerem,
Sic compenſandum tamen hoc ipſum mihi rebar,

Commoda ut abſentis præſentum cura juvaret.
Fructus quippe rei noſtræ quicumque fuiſſent,
Sponte ſua mecum paulatim participando:
Sed cito præreptus juvenis jam presbyter unus
Morte repentina luctum mihi liquit acerbum.
Summa autem rerum tenuit qualcumque mearum,
Tota arrepta mihi multis fuit una rapina,
Inſuper ipſe etiam, velut ad ſolatia noſtra,
Qui ſupereſt, actu ſimul, eventuque ſiniſtro,
Inter amicitias verſatus Regis & iras
Deſtituit prope cuncta pari mea commoda ſorte,
Atque ita ſubtracta ſpe omni ſolatiorum,
Quæ mihi per noſtros rebar contingere poſſe,
Cunctaque ſero probans a te magis eſſe petenda,
Quæ cupimus, Deus alme, ſubeſt cui ſumma poteſtas,
Maſſiliæ demum pauper conſiſtere legi;
Urbe quidem, in qua plures ſancti eſſent mihi chari,
Parva autem cenſus ſubſtantia familiaris.
Nec ſpes magna novis ſubitura ex fructibus eſſes,
Non ager inſtructus propriis cultoribus ullus,
Non vineta, quibus ſolis urbs utitur ipſa,
Omne ad præſidium vitæ aliunde parandum.
Sed tantum domus urbana, vicinus & hortus,
Atque ad perfugium ſecreti perparvus agellus,
Non ſine vite quidem, vel pomis, ſed ſine terra,
Digna coli. verum exigui jactura laboris,
Suaſit & in vacuum culturæ impendere curam
Vix plena exeſi per jugera quatuor agri;
Et fundare domum ſumma in crepidine ſaxi,
Ne quid de ſpatio terræ minuiſſe viderer.
Porro autem expenſas vitæ, quas poſceret uſus,
Conductis ſtudui ex agris ſperare paratas,
Donec plena magis ſervis manſit domus, & dum
Majores melior vires mihi præbuit ætas.
At poſt quam in pejus pariter mutavit utraque
Conditio inſtabilis ſemper generaliter ævi,
Paulatim, fateor, curis eſt victus, & annis,
Exul, inops, cælebs, facile in nova verſus
Conſilia, & varia multum ratione vacillans
Burdigalam revocare gradum conducere duxi.
Nec tamen effectus noſtra eſt incepta ſecutus,
Utilitas cum vota ſibi conjuncta juvaret,
Quod mihi firmandæ fidei, quantum puto, cauſa
A te proviſum fas eſt me credere, Chriſte,
Ut præſtare mihi quantum tua gratia poſſet,
Prolixo paulatim uſu experiendo probarem,
Plurima ſubtracto cum per diſpendia cenſu,
Perdurare mihi ſpeciem domus, & renovatas
Sæpius expenſas, te proſpiciente, viderem.
Pro qua ſorte quidem vitæ ſcio me tibi grates
Immodicas debere, Deus; pro me tamen ipſe,
Neſcio ſi ſalvo poſſim gaudere pudore,
Sive quod ipſe adhuc propriæ ſpecie domus utens,
Seu quod divitibus contentus cedere natis,
Omnia, quæ poſſunt etiam nunc noſtra videri,
Expenſis patior me ſuſtentari alienis.
Ni mihi noſtra fides, quæ nil proprium docet eſſe,
Subveniat, jam toto aliena ut noſtra putemus,
Quam nos noſtra aliis debemus participanda.
Nec tamen hoc ipſo vitæ me in ordine paſſus
Ambiguum nutare diu, velociter ultro
Solari dignate Deus, noſtramque ſenectam
Invalidam variis diverſo tempore morbis,
Jugiter adſuetas blandis palpare medelis.
Nunc quoque ſic ipſum juveneſcere poſſe dediſti,
Ut cum jam penitus fructus de rebus avitis
Sperare ulterius nullos me poſſe probaſſes,
Cunctaque ipſa etiam, quæ jam tenuatus habere
Maſſiliæ potui, amiſſa jam proprietate,
Conſcripta adſtrictus ſub conditione tenerem;
Emptorem ignotum mihi de gente Gothorum
Excires, noſtri quondam qui juris agellum
Mercari cupiens pretium tranſmitteret ultro
Haud equidem juſtum, verumtamen accipienti
Votivum fateor: poſſem quo ſcilicet una
Et veteres lapſi cenſus fulcire ruinas,
Et vitare nova chari mihi damna pudoris,
Quo me donatum præſtanti munere gaudens,
Ecce novas, Deus omnipotens, tibi debeo grates,
Exſuperent quæ pene alias, cumulentque priores.
Quas conteſtatas tota hæc mea pagina præſens
Continet, & quamquam ſpatiis prolixior amplis
Evagata diu claudi ſe jam prope poſcat:
Noſtra tamen jugis devotio ponere finem
Neſcit ad explenda tibi debita munia, Chriſte,
Hoc unum ipſe bonum ſtatuens, hoc eſſe tenendum
Conſcius, hoc toto cupiens adquirere corde,
Omnibus uſque locis, & tempore jugiter omni,
Te præfando loqui, te meminiſſe ſilendo.
Quo circa & totum tibi me, Deus optime, debens,
Cunctaque quæ mea ſunt, opus hoc abs te, Deus, orſus,
Nunc quoque concludens, tibi deſino, teque precatus
Sæpius attente nunc multo impenſius oro,
Ut qui a vita in hac, qua nunc ego dego, ſenili,
Ipſa morte magis plura agnoſco timenda.
Nec mihi quid potius cupiam, diſcernere promptum eſt;
Quamcumque in partem tua jam ſententia vergit,
Da, precor, intrepidam contra omnia triſtia mentem,
Conſtantemque tuæ virtutis munere præſta,
Ut quæ jamdudum placitis tibi vivo dicatus
Legibus, & ſponſam conor captare ſalutem,
Nec vicina magis pro conditione ſenectæ
Tempora plus metuam mortis, cui ſubjacet omnis
Ætas, ambiguæ ne me diſcrimina vitæ
Suſpectum exagitent varii formidine caſus,
Vitari quos poſſe, Deus, te præſule, fido.
Sed quæcumque manet noſtrum ſors ultima finem,
Mitiget hanc ſpes, Chriſte, tui conſpectus, & omnem
Diſcutiat dubium fiducia certa pavorem:
Me vel in hoc proprio mortali corpore dum ſum,
Eſſe tuum, cujus ſunt omnia; vel reſolutum,
Corporis in quacumque tui me parte futurum.

PAUL-

PAULLINI PETROCORII OPERA.

DE VITA S. MARTINI EPISC. TURONENSIS LIBRI SEX.

LIBER PRIMUS.

SParſerat in toto lumen venerabile mundo
Chriſtus, evangelici referens myſteria regni.
Sed quia non omnes virtutum operatio gentes
Moverat, & fragili dubitabant credere ſenſu
Quidquid ab æternis vulgaſſet nuncius oris,
(Nam verbis comperta movent præſentia rebus.
Suadentur non viſa quidem, ſed viſa probantur.)
Ille ergo in totum cui par miſeratio mundum,
Sevit & in noſtris miracula plurima terris
Donans extremis Martini inſignia Gallis.
Quem procul in noſtram miſit fœcunda ſalutem
Pannonia, haud humili generatum ſtirpe Tribuni.
Nam genitor clarus meritorum laude, ſed iſte
Nobilior patribus, tam clarus qui patre Chriſto
Sprevit ſacrilegos bene degener in patre ritus.
Vix etenim decimo ſenior jam moribus anno
Tranſiit ad ſacram conſtanti pectore legem,
Signavitque crucis ſanctam munimine frontem.
Non illi in tenero mens lubrica pectore, tota
Præceptum ſervare Dei, vel noſſe voluntas.
Conventus vitare hominum, ſecreta beati
Scire heremi, ſpretoque Deum cognoſcere mundo,
Linquere terrenas ſublimi pectore curas.
Hæc vix biſſenis cum moliretur in annis,
Præcluſa eſt tanti ſublimis gloria facti,
Sed meritum numerante Deo, qui velle probavit,
Præcipit Auguſtus delecta ad bella parando,
Accingi cunctam veterano e germine prolem.
Quid non livor agat? prodit pater, armaque nato
Ingerit. heu tanti pietas oblita pericli.
Quin potius, ſi quem recipit mens ſaxea ſenſum,
Creſce tuis titulis, mage laus eſt munere vinci.
Cerne pio tantum quæ geſſerit omnia voto.
Si bona ſunt, imitare libens. ſin ardua, gaude.
Vincitur Chriſti miles pro milite ſæcli,
Sed mens non trahitur, nec cor cum carne ligatur.
Vana tyrocinii ſunt nomina, militat olim
Qui captus proprii per plurima prælia Regis,
Vicit avaritiam, debellavitque ſuperbam
Luxuriem, proſtrata jacet jam viribus hujus
Ambitio, & firmam fugit furor iraque mentem,
Excedenſque omnes funeſta ſuperbia culpas.
Unum progreſſus ſocium ſibi vix ſinit ire
Non opere adſtrictum, ſed ſolo nomine ſervum.
O felix, cui tale jugum tam grata paravit
Conditio, ut de ſorte tua contendere tecum,
Si liceat ſervire tamen, ſed tu quoque duram
Cogeris ad legem naſcendi lege ſolutus.
Nam tibi ſubiecti ſervit devotio Sancti,
Idem habitus, parcæ communis copia menſæ.
Hic prior obſequiis, ne ſaltem noſcere poſſit
Prælatum domino quævis ſolertia ſervum.
Hic jam cum paribus quæ gratia, quamque modeſte
Ipſos ſubdiderat dilectio vera priores,
Tum ſumendorum diſtrictio quanta ciborum,
Ne diſtenta citum vitiarent viſcera ſenſum,
Nec premeret vigilem membrorum ſarcina mentem,
Ut diviſa inopi præberet copia patrem,
Quaque unum obrueret, melius refoveret utrumque.
Nam ſi ſupplicibus diviſerat omnia egenis,
Ut ſola exeſis ſupereſſent tegmina membris,
Cum ſubito horrentis glaciali frigore brumæ
Nudus in occurſum properat, vix verba frementi
Dimidians præfata ſono, ſed cauſa loquelam
Expedit, & linguæ partes proclamat ærumna.
Prætereunt cuncti, faſtiditamque querelam
Deſpexit miſero locupletum inſania riſu.
Subſtitit incertus confuſo pectore Sanctus
Quid faceret, nam votum aderat, ſubſtantia deerat,
Suſpendit ſaltem cunctantis vel mora factum.
Sola ſuperfuerat corpus tectura beatum,
Ut ſemper duplicata chlamys, quæ frigus & imbrem,
Ventorum & rabiem geminato arceret amictu,
Nam ſi truncatam compenſat pendula partem,
Si quod deſuerit capiti creviſſe caloris,
Sentiat adjecto tepefactum vellere corpus.
Verum hæc diſtricti felix ſententia voti
Amovet, & tamquam cordis diſpendia damnat,
Quod ſic maluerit trepidæ cautela fidei
Adjectam membris duplicato tegmine partem
Conceſſiſſe uni quam diviſiſſe duobus,
Nec mora, tardat opus, ſed tranſit dextera votum.
Expedit & factum quidquid mens vidit agendum.
Stringitur invictus ſine crimine vulneris enſis.
Et mediam reſecat miſeratio prodiga partem
Pejorem ſibi credo legens; tum membra trementis
Obtegit, & tradens aliquem de veſte teporem.
Jam leviore habitu recipit de frigore partem:
O felix virtute tua miracula vincens
Omnia, & excedens Domini præcepta jubentis:
Ille etenim modico contentos nos jubet eſſe,
Nec ſervare duas veſtes, tu dividis unam.
Aſpiciunt omnes, alii deformia rident
Tegmina, nec cernunt mage verum in corde decorem.
Aſt alii ſecum compuncto corde queruntur,
Juſtitiam potuiſſe inopis decernere egenti,
Divite quod cenſu ſubſtantia larga negaſſet.
Nec mora, quin tanto reddatur palma triumpho.
Nam vix defeſſus ſtratos rejecerat artus
Admittens tenuem vigili ſed corde ſoporem,

Nec

Nec ſopor illud erat, quia mens attenta vigebat.
Cum ſubito ante oculos larga mercede benignus
Adſtitit, inque ſuo veſtitus paupere Chriſtus
Aptavit propriis felicia tegmina membris:
O vere pretioſa chlamys! quid tale vel oſtro
Vel ducto in filum penſis rutilantibus auro
Inſignes meruere habitus? quid ſerica tactu
Lævia, vel docte expreſſis viventia ſignis.
Ille hominum terræque Deus, Pontique, Polique,
Omnia qui tribuit, ſine quo nihil, ipſaque cujus
Quæ dedimus, vel qui dedimus, donumque datorque;
Hac ope ditatur, numeret ſi lucra ſalutis.
Nec tamen hinc ſaltem ſtabilem jactantia mentem
Concutit, aut vanum perſenſit corde tumorem.
O virtus vicina Deo nil ducere laudi,
Cum laudanda geras, nec noſtro adſcribere facto
Quæ facimus, cunctoque Deum laudarier actu.
Jam certe ſecurus erat de Judice tanto.
Sed non erigitur, vel per conſortia Chriſti
Augent viſa fidem, ſancto renovata lavacro
Membra nitent, ſumuntque parem cum corde decorem,
Atque novum pariunt fontis myſteria corpus.
Et tamen hoc ſenio morum, carniſque refulgent,
Quatuor a luſtris geminos minus egerat annos.
Credo equidem quod tota prius præcordia ſanctus
Spiritus irrigui ditaret flumine doni.
Ut quondam ſanctus felicia munera Petrus
Præmiſſa a domino jam tali in milite vidit.
Quiſnam quæſo bonus ſic conſummare valebit,
Ut cœpit teneris felix Martinus in annis?
Et tamen iſta gerens ſe nec cœpiſſe putabat,
Quod vix dum geminis paulum tardaverat annis,
Jam meritis monachus, ſed ſolo nomine miles
Rumpere calcari jam vana vocabula mundi.
Spondentes ſpectant conſortia ſancta Tribuni;
Ut parvam juſtamque moram mox Judice Chriſto
Penſaret geminata ſalus per vota duorum.
Interea fractis irrupto limite clauſtris
Gallica rura ferus populari cœperat hoſtis.
Obvius ire parat Princeps, cunctoſque maniplos
Imperio, hortatu, prece, largitione vocatos
In bellum cogit, nam quos formido retentat,
Munera ſollicitant & vincunt dona timorem.
Sed mens plena Deo metuit nihil, omnia temnit,
Terrorem irridet, terrena & munera calcat.
Ergo ubi prægreſſi donum ſumpſere priores,
Ordine tranſcurſo Sanctus de more citatur.
Reſpuit inſtantis præſentia munera Regis,
Talibus & dictis it contra dicta Tyranni:
Trade alii Princeps terrena hæc munera nummo,
Me majora manent majoris præmia regis.
Hæc merces belli eſt, ſumant pugnare volentes.
His igitur dictis ſævas flammatur in iras
Princeps, ignavum cauſatus tempore belli,
Immemorem laudis cauſas finxiſſe timoris.
Illi autem nulla inſtantis formido pericli eſt,
Nec metuunt facilem conſtantia pectora mortem.
Denique quod verba expediunt, & facta probabunt:
Primus ego abjectis præcedens agmina telis,
Non arma arripiens hominis, ſed ſigna ſalutis,
Tegmine nec fidens clypei, ſed nomine Chriſti,
Atque crucem fronti auxilium pro caſſide ponens,
Intrepido cunctis occurram corde periclis:
Adnuit, utque fidem dicti documenta probarent,
Adſervare pium cuſtodia dira jubetur.
Et jam prima nova ſpargebat lampade terras
Orta dies, venit ad Regem legatio ſupplex,
Subdita ſubmittens ditioni colla jubentis.
Quidnam hic quæſo viris, quid geſtum cernimus armis?
Quid ferrata acies valuit, quid terror & enſis?
Quis pilis cecidit cuneus, quæ turma ſagittis?
Unus homo, & ſola æterni fiducia Regis
Innumeras vicit ſine cædis vulnere gentes.
Hic, Martine, tuus Chriſto pugnante triumphus,
Ne ſaltim Sancti violaret ſanguine vultum,
Neve piam adficerent morientum funera mentem.
Ergo alacer merito ſucceſſuque acrior ipſe
Hoſtibus oppreſſis feſtinat vincere mundum:
Doctorem fidei per tot documenta probatum
Expetit Hilarium, ne quod jactantia vulnus
Inferat, ut proprie extollat ſententia cordis,
Diſcipulum jam doctor agit, majorque probatur,
Cum cupit eſſe minor, nam laudem temnere laus eſt.
Sic & præcipuæ jam dignus honore cathedræ,
Abnuit ut ſaltim Diaconi clareſcat honore
Velle locum, ſancto quem dudum exceſſerat actu,
Inferiora ſibi depoſcens munia ſumpſit,
Exorciſta gradu, ſed jam virtute ſacerdos.
Exin ne pietas ſaltim terrena notaret
Quem tam præcipue pietas divina regebat,
Auctores generis feſtino viſere voto
Optat, & averſas melius convertere mentes.
Namque Patrem & Matrem præceps ac devius error
Sacrilegos ritus, & ſaxa vel æra colentes
Prævalida nimium viventes morte premebat.
Ergo iter adgreſſo pietas comes ibat, & omnes
A Domino miſſus præſtaverat angelus oras,
Mollis ut aſcenſus demerſo colle faceſſat,
Nec traherent pronos prærupta & concava lapſus.
Ac dum nubiferas propere tranſcenderet Alpes,
Sævorum inſidiis exceptus ſorte latronum
Inſtantes gladios manibus poſt terga revinctis
Riſit, & immoto tempſit diſcrimina vultu.
Quin etiam ut tanti recolam miracula facti,
Cuſtodem fertur monitis ſervaſſe ſalutis,
Verior hic cuſtos animi, quam corporis ille.
Alter enim nec membra ſuæ ditionis habebat,
Alter & adverſæ vinxit penetralia mentis.
Sed tamen ambo viam ſcite docuere ſequendam:
Aggeris hic monſtravit iter didicitque ſalutis.
Ergo iter incœptum peragit, Patriæque propinquat,
Heſperia ingreſſus tranſcurſis Alpibus arva.
Hic rurſum jugis ſanctis conatibus hoſtis
Humanam ſpeciem mentito corpore fingens
Obvius adverſo ſe ſe obtulit, auſus ab ipſo
Quærere quo tendat, quidve hæc properatio poſcat.
Ille ſub hæc: Mihi ſola via eſt dux Chriſtus in illo,
Effectus voti eſt a quo donata voluntas.
Aſt ille infrendens cunctis conatibus ibat
Obvius, offenſus tanto molimine Dæmon.
Cui ſanctus: Dominus defendit, non nocet hoſtis.
Adjutore Deo virtus adverſa timeri
Nulla poteſt, metuens dominum contemne periclum.
Ne timeam timor ille facit. Qui talia poſtquam
Effatus, pulſa ex oculis evanuit umbra.
Aſt ille ut Domino duce contigit ora parentum,
Cumque patrem durata uſu ſuadente teneret
Perditio ingeſtæ renuentem verba ſalutis,
Tum ſaltim matrem Chriſto donante recepit.
O tanto partu felix, enixaque natum,
Per quem nata Deo eſt, unaque & mater & infans
Facta puerperio genetrix generanda beato.

Ante

Ante utero peperit per quem nunc orta lavacro eſt.
Attamen exemplo plures ceſſere ſalubri
Mirantes recte tantorum inſignia morum.
Ac tum forte malus funeſti dogmatis error
Sparſerat in populos incauto corde ſequaces
Virus ab inſano quod fuderat Arrius ore,
Præcipue tamen infectum lues iſta tenebat
Illyricum, toto penitus graſſata veneno:
Hic ſtabili virtute potens tum tendere contra
Audet, & oppoſito fluctus dum pectore frangit,
Sæpe ſacerdotes, populum dum ſæpe coercet:
Cunctorum inſidiis oppreſſus, verbera paſſus,
Pulſus ad extremum terrena habitacula liquit:
Attamen ore fidem tenuit, vel corde ſalutem.
Ergo ut cedendum ratus eſt, ne forte morantem
Obrueret ſanctum ſubverſi inſania mundi,
Gallica rura petit, turſum & veſtigia retro
Obſervata legit non immemor ille fidei.
Sed cum funeſtus toto ſæviret in orbe
Error, & extremos premerent hæc crimina Gallos,
Cumque ipſum murum fidei, validamque columnam
Hilarium inſani truſiſſet factio mundi,
Paulum conſtructa ſtatuit requieſcere cella,
Hic ubi gaudentem nemoris vel palmitis umbris
Italiam pingit pulcherrima Mediolanus.
Hinc quoque pulſus abit, terras & mœnia linquens,
Et pelagum fluctuſque potens, quia fœdior unda,
Hoſpitio magis & populi, vulgique procella,
Quam Ponti metuenda fuit: comitatur eumdem
Preſbyter ejuſdem meriti ſimiliſque pericli.
Inſula in hoſpitium legitur procul hoſpite ab omni
Herba cibo ſatis eſt, cujus radicibus uſi
Tam ſterili victu duplicant jejunia Sancti.
Dumque indiſcrete tenuem timantur in eſcam
Quidquid inexpertæ promebant viſcera terræ,
Ellebori gramen ſubito ſenſere venenum
Mortiferum totis virus diffundere membris.
Pergitur ad Dominum tota virtute precandum.
Sed prægreſſa preces pietas, nil artibus actum,
Sed præſens medicina fuit ſpes ſola ſalutis.
Cernamus toto qui vitam quærere cenſu
Effuſa in medicos pretii mercede ſolemus,
Ut creſcant noſtris vivendi tempora nummis,
Quidnam hic electis egerunt pocula ſuccis,
Lectaque in antiquis quondam medicamina libris,
Hic certe celerem ſine ſumptu aut arte ſalutem
Cor meruit, verbumque dedit, miremur ovantes.
Vox ſilet, & cauſa adſtruitur clamore tacentum,
Sentitur medicus, nec cernitur, omnia cauſis
Membra piis totam admittunt ad viſcera curam.
Interea injuſto tandem remeare refertur
Sanctus ab exilio per Regis juſſa Sacerdos,
Cum quo præclaræ fuerant conſortia vitæ
Dum Pictavorum Doctor floreret in oris
Indomitis tradens populis præcepta ſalutis.
Et quamquam propere Sanctum rapuiſſet ovantem
Velox affectu pietas, tamen ille morarum
Impatiens celſæ iam liquerat ardua Romæ
Mœnia, Pictonicas citius revehendus ad oras.
Ergo legens prægreſſa pio veſtigia curſu
Promeruit votum cordis finemque laboris.
Conſtruit hic cellam feſſis ſolatia membris:
Nam mens plena Deo cœleſti in ſede manebat.
Hic modo ſi veterum recolamus carmina vatum,
Cum ſubito attonitos quaterent miracula ſenſus,
Clamaret miſerum vecors inſania Phœbum,
Nec ſineret falſas ſaltim requieſcere Muſas.
Delphica mentito quaterentur Apolline templa,
Cunctaque ſurdarum raperetur turba ſororum,
Excita vi totum complerent monſtra furorem.
Nos, quibus a Chriſto ſenſus vel verba petuntur,
Chriſticola inſpires paulum Martine, precamur.
Tu qui defunctis potuiſti reddere vitam,
Auxilio Domini vultus mihi redde ſalutem.
Primus ego indultæ faciam miracula vitæ.
Primus fætentis diſrumpam clauſtra ſepulcri,
Juſta precor, toto defunctus corde Patronum
Ut tantæ laudis titulos mens viva loquatur.
Ergo licet fandi vires ſublimia vincant
Geſta, nec orandi moduli ſe laudibus æquent,
Adgrediar. Tu quiſque legens tam vilia temnis
Carmina, dum verba irrides, mirabere facta.
Quidam tam claræ cernens miracula vitæ
Elegit tanto ſemet ſociare magiſtro,
Myſtica quem nondum fontis renovaverat unda.
Huic febris totas penitus depaſta medullas
Extorſit tenuem conſumpto corpore vitam.
Ac tum forte abſens Doctor, ſed ſedula fratrum
Religio exanimum plangebat mœſta cadaver,
Mœrens ſupplicio fratris, non funere carnis.
Adveniens ſanctus fletu rigat ubere vultum,
Defuncti triſtem caſum miſeratus & omnem
Implevit clamore locum, mox teſte remoto
Irrupit mæſtam tam triſti funere cellam.
Tum ſuper exanimum ſe ſe projecit amicum,
Cunctis frigentes membris complectitur artus,
Aſpirans tenuem ſuper ora rigentia flatum.
Attamen ad dominum penitus ſpes tota refertur,
Adſueta oratur pietas, miſeratio nota
Poſcitur, & meritum fidei credendo meretur.
Vidit adeſſe Deum puri fiducia cordis,
Effectumque piis ſenſerunt viſcera fibris.
Nec mora, vix geminis votum ſuſpenditur horis,
Paulatim incuſſis motantur lintea membris,
Arenteſque artus venarum humore rigantur,
Afflatuque animæ pectus glaciale tepeſcit.
Obducti inſuſa reſerantes lumina viſus
Felices quibus inducti ſub liminis ortu
Contigit in primo Martinum cernere mundo.
Erigitur totum ſubito molimine corpus,
Et cutis exeſis dudum jam lurida membris,
Purpureum recinit ſucco meliore ruborem,
Vox facilis, ingreſſus ſtabilis, manus apta, vigens coc
Totus homo ex variis conflato corpore cauſis
Unam ſuſcepit diverſo in munere vitam.
Eliciunt magnam mox gaudia maxima vocem.
Laudes lingua ſonat gratantis nuncia mentis:
Affectum cordis clamor pronunciat oris.
Irrupit mox turba fores, cellamque replevit,
Et ſanctas cecinit concors Symphonia laudes.
Ille autem ut penitus vitam poſt facta novaret,
Confeſtim æterna nituit renovatus ab unda,
Et multos felix ſenium protraxit in annos,
Tam clari teſtis non parvo tempore facti.
Sæpe etenim multis idem narrare ſolebat
Iudicis æterni ſemet tremuiſſe tribunal
Vilibus addictum turbis, merſumque tenebris.
Angelicis donec prolata oratio verbis
Offerret votum domino, vitamque referret.
Hic primus noſtris Martinum prodidit oris,
Hoc aditu ad reliquas pervenit gloria laudes.
Nec multum ſane poſt hæc miracula tempus
I luxe-

Fluxerat, accelerat clarum nova gloria factum.
Nam dum contiguum Paullini præterit agrum
Non humilis parviqua hominis, ſed pene per orbem
Inſignis virtute viri, quo clarior inde
Gloria per tantum teſtem firmata pateret,
Indoctam illiciens tot per miracula plebem,
Audito clamore procul, miſerabile, flentum
Subſtitit. inquirit cauſam diſcitque viciſſim,
Excivitque pium miſeratio juſta dolorem.
Unus enim laqueo fauces ſtringente miniſter
Ruperat extortæ demens confinia vitæ.
Accurrit propere complexus triſte cadaver,
Eliſos oculos & ſiccas ſanguine fauces,
Lumina torva nimis vultumque in morte minacem.
Ad dominum rurſus fletus, ſuſpiria ſurſum,
Et gemitus clamor, cordis vox magna tacentis:
Una fides meriti nec diſpar gratia doni
Excipitur gratante choro, ſtipante caterva,
Oſtentans cunctis Domini miracula Chriſti,
Atque hoſtis ſpolium credentis gloria plebis.

LIBER II.

PAnditur ecce novum pelagus, flatuſque benigni
Rimoſam in medios fluctus traxere carinam,
Ac dum placati rapiunt me gaudia Ponti
Irrupit vaſtum temeraria cymba profundum,
Vix vel vicinis bene radens littora terris.
Nunc quid ago, & dubiam trepidus quo dirigo protam?
Flamina ſollicitant curſum, formido regreſſum.
Pergamus, quia terra procul, quo traxerat unda.
Tantum ut placatam Martini ſpiritus auram
Diffundat, flatumque levem ſic præſtet eunti,
Ut putre ſuſtineat felicia flamina velum.
Hactenus ut mores monachi vel geſta referrem
Ripa fuit, nunc Pontus erit doctrina cathedræ,
Clara Sacerdotis magni nunc geſta retexam.
Gallorum quondam valde florebat in oris
Urbs Turonum diſtenta agris populiſque referta,
Sed pollere magis cupiens antiſtite tali
Ardebat totis Martinum adſciſcere votis.
Sed penitus ſancto depellens corde tumorem
Mens humilis, precibus crebris immota manebat.
Donec compoſitis verbis lacrimiſque coactis
Vicerunt nimium mendacia juſta rigorem.
Nam quidam tantæ pietatis conſcius, orat
Conjugis infirmæ triſtem miſeretur erumnam,
Dignetur ſancto poſcentem viſcere votum.
Se fore vel cauſam propere veniendo ſalutis,
Vel mortis, ſi dura preces ſententia tardet.
Junguntur fictis ſimul & ſuſpiria verbis.
Sic ſequitur, cogente Deo, namque ipſe doloſum
Proderet ingenium mage, ni facienda probaret.
Excipit egreſſum populorum turba, benignam
Vim faciens, ſtipatque viam numeroſa precantum
Seditio, motus placidi, ſine felle tumultus.
Diſponitque etiam vigilis cuſtodia pernox
Excubias, ſervatque ſuum ſervanda magiſtrum.
Exultant paribus concordia pectora notis,
Itur in occurſum, portis ruit obvia totis
Ambitio, & certans populi favor: una voluntas
Omnibus, & nulla in ſtudiis divortia mentis.
Quoſdam livor edax nigrantes felle veneni
Inficit, & ſtimulis miſerorum corda perurens
Carnea in adverſam retrahit ſententia partem.
Quoſdam etiam perhibent (nefas eſt quod credere) docta
Mente ſacerdotes ſimilem traxiſſe furorem,
Ridentes gaudenda ſibi, quod nulla verendam
Gratia conciliet faciem, quod crine reciſo
Proferret totum Domini frons libera ſignum,
Lumina nec premeret tremularum nube comarum,
Sordida quod veſtis cordis teſtata nitorem
Proderet orantis ſtudium, quia ſæpe volutis
Ad terram membris poſtrato corpore preſſus
Haſerat horridulus ſordenti in vellere pulvis.
Recte igitur ceſſit populo tam prona voluntas,
Sanior & proceres vicit ſententia vulgi.
Nam vere nulli licuit neſcire vocantis
Judicium Chriſti per tot documenta probatum,
Nam reliquis, quos ſæva ſibi ſociarat inique
Factio diverſum cupiens, violentior unus
Antiſtes Defenſor erat, quo nomine falſi
Defendenda ſui molimina forte putabant
Conſilii renuente Deo, qui juſta probabat.
Nam ſolitum ſancto cœtū celebrabat honorem
Plebs pia, conventu celebri myſteria viſens,
Dum mage condenſæ ſtipant altaria turbæ,
Ac ſua fautores pendent in vota frequentes,
Nec prætenta poteſt tranſire obſtacula lector.
Sed Diaconus, qui forte aderat vix codice rapto,
Quem primum propere reſerati pagina pſalmi
Obtulerat, ſubito feſtinus tempore verſum
Arripit, hæc priſci decantans verba prophetæ.
Ex ore infantum parvoque ex murmure laudem
Lactantum teneras feciſti evolvere linguas.
Exoſos propter perverſum ut deſtruat iſta
Prolata a parvis laudatio defenſorem:
Tollitur in cælum clamor, præſenſque probatur
Judicium clamante Deo ſententia Chriſti.
Obruit adverſam verborum flumine partem,
Namque idem verſus laudantum verba probavit,
Atque obſiſtentum liventia corda repreſſit.
Nec minor inde labor monachi quia gloria crevit:
Jure ſacerdotis factis facienda docentur.
Exemplum mage ſuadet opus quam gratia verbi.
Sic illi attrito viliſſima veſtis amictu,
Sic humilis ſancti pretioſa modeſtia cordis,
Sic manet aſſiduæ felix ſententia vitæ.
Primum igitur conjuncta ſacris altaribus illi
Cella fuit, mox ut populos vitare frequentes
Poſſet ab aſſiduis ſecreta oratio turbis.
Millibus egreſſus diſceſſit ab urbe duobus,
Nec nocuit cellæ vicinia tanta remotæ,
Secretum hoſpitium monacho, via parva magiſtro,
Doctori vicina domus, longinqua vacanti.
Hinc naturalis præciſi margine ſaxi
Ambierat modico rupes curvata receſſu.
Hinc Liger inflexis parvo ſinuamine ripis
Sepſerat ingreſſam prætento gurgite terram,
Unus & anguſtam patuit rupem inter & amnem
Ingreſſus, paulum arctato qua lumine diſtans
Fluminis adlapſus tangit confinia montis.
Hic ſtrue lignorum parvam contexere cellam
Maluit, agnoſcens ſancti myſteria ligni
Succedens humili tecto celſiſſimus hoſpes,
Ut collectorum ſic docta modeſtia fratrum
Diſceret exiguo pompam contemnere ſumptu,
Prægreſſum exemplis certatim imitata magiſtrum.
Aſt aliis nec ligna placent, ſed monte cavato
Præbet defoſſos rupes vicina receſſus.

Octo-

Octoginta illuc juſta admiratio fratres
Traxerat ad tantæ ſpeculum virtutis, ut inde
Sumeret inſpectos felix imitatio mores.
Nil cuiquam ſpeciale fuit, communia cunctis
Omnia, de medio ſumpſit dilectio cenſu,
Nulli videndi quicquam conceſſa facultas.
Ne deguſtati famis improba creſceret auri,
Exercere artem prohibet, conceditur unum
Scribendi ſtudium, quod mentem, oculoſque, manumque
Occupet, atque uno teneat ſimul omnia puncto,
Aſpectum viſu, cor ſenſibus, ordine dextram.
Attamen his rebus minor ætas ſola tenetur,
Nam jam maturæ ſatis eſt oratio menti,
Ut cujus ſenſum ſenior ſententia firmat,
Mundicies cordis ſtudeat, vigiletque remotum
Interius purgare oculum, ne nube latentis
Peccati obductus privetur lumine Chriſti.
Nulli progreſſus facilis, ſua quemque tenebat
Cellula; tum ſolum ſociandi cauſa dabatur
Agminis, adſciſſet cunctos cum ſueta precandi
Ore & corde Deo referens ſymphonia laudem.
Vel cum ſolventes feſſis jejunia membris
Communes certo repetebant tempore menſas,
Et finem exacti domita jam carne diei,
Et ſuccedentem vigilanda in nocte laborem
Dividerent modicæ parciſſima tempora cœnæ.
Infirmis tantum laxato jure licebat
Deguſtare merum, quo tabem corporis ægri
Suſtentaret odor reſperſi in pocula vini.
Multis veſtis erat ſetis contexta cameli,
Quæ levibus ſtimulis vigiles contingeret artus
Excludens tenuem compuncta carne ſoporem,
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus,
Laſciva & tenui veſtis fluitaret amictu,
Qualia præteritæ conſueverat copia vitæ.
Nam multos illuc priſco de ſanguine claros
Traxerat ad talem prudens ſententia vitam.
Quo mage mirandum eſt poſt ſerica fulcra, toroſque
Hanc veſtem & talem ingreſſis placuiſſe rigorem.
Denique mirati tantorum inſignia morum
Confines populi, vicinaque mœnia, ſanctos
Hinc ſibi rectores ſtudio certante petebant,
Ut doctrina Dei tali de fonte fluentes
Spargeret irriguos ſitientum in viſcera rivos.
Sed jam tempus adeſt tanta de mole potentum
Virtutum exiguam ſaltim contingere partem.
Et quamquam recte titulos virtutis adornent
Diſcipuli, & factis id præmonſtrare gerendum:
Attamen e propriis tangam pauciſſima geſtis
Oſtendens brevibus præconia maxima ſignis.
Forte fuit juxta tumulus, quem ſæpe colentum
Vana ſuperſtitio falſo decepta ſacrarat
Martyrio celebrem dependens ſemper honorem,
Quin & prægreſſi venerandum altare dicarant
Ante ſacerdotes, magis ut fundata maneret
Relligio, adjecto cultu firmata ſacrorum.
Sed poſtquam impoſitas Martinus ſumpſit habenas,
Commiſſæ & plebis moderamina ſancta recepit,
Protinus inquirit nomen tituloſque colendi
Martyris, & quonam tam claræ ſtemmata palmæ
Tempore, vel quali ſub judice promeruiſſet.
Verum ubi nulla patet quæ poſſit prodere verum
Hiſtoria, atque omnis renuit hoc ſcire vetuſtas,
Detrectat dubiis tam grandia credere verbis.
Nec ſatis eſt fidei mendacis fabula vulgi.
Ergo patet dubiis ſuo teſtis pondere rebus
A domino conſulta petit, cui ſubdita ſemper
Tempora tranſcurſi adſtant præſentia ſecli.
Ad tumulum properat paucis comitatus, ut illis
Adteſtata fidem faciant miracula multis.
Ergo ut contigui moles contacta ſepulcri eſt
Propter frigentes reſoluta carne favillas,
Ad cælum rediere preces: veſtigia carnis
Junguntur tumulo, ſed mens & ſidera tranſit.
Tum Domino tota fidei virtute precatus,
Proderet ut meritum ignari nomenque ſepulti,
Cum ſubito ad lævam ſordentem reſpicit umbram,
Nigrantem mœſto ſpeciem quæ proderet ore,
Et punitorum triſtiſſima fata reorum
Præferret, trepido confuſa & conſcia vultu.
Vox quoque flebilibus mœrentis reddita verbis
Talibus expreſſit ſuſpiria crebra querelis.
Deſinat antiquus plangendis Manibus error
Addere ſupplicium, titulum reddendo alienum,
Ne cui pœnarum ſatis eſt de crimine ſolo,
Huic onus adjecto duplicatum creſcat honore.
Atque utinam ſancti, quibus hoc pro jure refertur
Obſequium, noſtras tenui reſpergere gutta
Dignentur juges miſerorum incendia flammas.
Illi perpetua gaudentes luce fruuntur.
Nos chaos æterna horrendum caligine ſepſit.
Longe eſt a meritis lucis confuſio noctis.
Hæc vox multorum late pervenit ad aures;
Sed ſpecies ſoli Martino eſt prodita, cujus
Mens levior fragilis tranſibat pondera carnis
Corpoream molem tranſmittens lumine cordis.
Protinus amoto altare depellitur omnis
Vana ſuperſtitio ritus mentita Sacrorum:
Tranſlata ad veros migrant myſteria cultus.
Quid ſimile his titulis tandem conferre valebit
Ars magicis infecta dolis, vel tincta venenis,
Carmina compoſitis texens mendacia verbis,
Extaque perſpectis rimans pendentia venis,
Ut per tartareæ quæſita ſilentia noctis
Mugiat inſanus fallaci murmure Dæmon,
Adſumens fictum tenui ſub imagine vultum?
Hic certe ſimplex animus & ſola precantis
Relligio infernæ diſſolvit vincula legis.
Et quamvis artus premerentur voce ſepulcri,
Attamen ad præſens tempus confeſſio vixit.
Nec vero hic finis titulis, nec tempore ſaltim
Interciſa brevi virtutum ſtemmata ceſſant.
Nam ſemper ſancto comes indiſcreta cohæret
Gratia, nec certo cohibetur fine locorum,
Progreſſum ſequitur, manet indivulſa manenti,
Si ſit cauſa viæ, gaudens comitatur euntem.
Nam cum diſtenti propere legit avia ruris,
Qua diffuſa pater latis fera Gallia campis,
Dum ſequitur miſerum gentilis turba cadaver,
Et tremefacta levi motantur lintea vento,
Porrecto in longum per plana patentia viſu
Funeris obſequium cultum putat eſſe nefandi
Dæmonis, & ritus miſerorum ferre ſacrorum
Submiſſa idolicis bacchantum colla figuris.
Protinus ante tulit ſanctum & venerabile ſignum,
Et crucis objectu propere venientibus obſtat,
Greſſus inſtabiles vexilli pondere ſiſtit.
Tum vero impoſito miſeros torpore teneri
Cernere erat, nerviſque artus riguiſſe ligatis
Fruſtrata innexis conamina plurima membris,
Tardata immoto veſtigia ſidere greſſu,
Concludi ſeptas mandato limite turbas,

Nec

Nec tranſcendendi prætenta obſtacula muri
Partibus e cunctis immenſum opponere clauſtrum,
Donec paulatim viſu propiore pateret
Exequiis delatus honor, tum rurſus eodem
Vexillo, atque ipſo libertas reddita ſigno.
Sic crucis imperio ſimul & virtute fidei
Jus habuit vincire vagos, diſſolvere vinctos.
Hæc raptim contacta legens, quia copia ſuadet
Virtutum brevibus laudanda attingere ſignis,
Ne feſtinantes tanta ad miracula mentes
Tardet prolixis viliſſima pagina verbis,
Excipio rurſus majorum pondere rerum.
Sacrilegum quondam dejecto culmine templum
Straverat ad terram, perfractis idola tignis
Comminuens, totiſque premens ſimulacra ruinis.
Huic pinus vicina loco diſtenta virentes
Pendebat ramos, annoſa & brachia late
Nexuerant viridem frondenti in vertice ſilvam,
Arcebatque omnem foliorum crate calorem
Arboris unius denſum nemus umbra perennis,
Jugem temperiem mentito vere tegebat.
Hanc etiam pinum templi ſociare ruinis
Adgreditur, parili cupiens convolvere buſto
Quidquid in errorem miſerorum corda trahebat.
Tum vero accenſi vecors inſania vulgi
Et prohibere pio totum molimine votum.
Nil ratio inſanis, nil proſunt ſancta profanis
Verba animis, non vox ſurdis, non lumina cæcis.
Clamatur non quire homini conferre ſalutem
Quæ ſibi non valeant, lignis non poſſe juvari
Lignorum dominos, ſervire hæc nutibus ejus,
Qui ſervire velit ſubjectis ſubditus idem,
De ſilvis urenda legens, veneranda relinquens.
Hæc contra exclamant longe diverſa volentes,
Idolico & multum profuſi corda veneno,
Deſine prolixis renuentes cogere verbis,
Si rebus ſuadenda probas: hæc jure placebit
Conditio adlatura fidem. nam protinus ipſi,
Aggredimur noſtra propere ſuccidere pinum:
Tu ſi vera adhibes fidei documenta, cadentem
Excipe, & optatæ gaudens occurre ruinæ.
Nil grave confiſus domino: tam dura probatur
Cauſa, nec injuſto renuit juſtiſſimus ori,
Confidens virtute Dei, cui prona facultas
Quamquam præſentem verbo prohibere ruinam.
Nec mora, & adſtrictis nectuntur vincula membris,
Atque elidendus jam parte locatur in illa,
Qua pronus toro pendebat ſtipite truncus:
Jamque inclinatis nutanti pondere ramis
Subjecta haud dubie terrebat mole ruinæ.
Infeſtant totis certantia gaudia votis,
Ictibus adſiduis crebriſque bipennibus inſtant.
Vindicta affectum excludit, fugat ira dolorem.
Exanimes pallent monachi, majuſque periclum eſt
Confuſæ nimium tanto terrore fidei.
Vulneribus donec paulatim evicta fragorem
Prona dedit, totoque in ſanctum concita ſaltu
Præceſſit celeres properantia vota furores.
Jam prope contiguo perfractis turbine membris,
Ille metum prohibente fide formidine pulſa
Vicinam opperiens conſtanti corde ruinam,
Ne cito converſam cernens perfidia pinum
Ad caſum revocaret opus, meritumque negaret,
Dum putat eventum, ſed jam propiore periclo
Erigit armatam ſigni munimine dextram,
Opponitque crucem, qua protinus impetus omnis
Frangitur, & celeri propere motata rotatu
Diverſam in partem pernici turbine pinus
Fertur in auctores ſceleris: nam propter ovantes
In ſe converſam trepide timuere ruinam:
Qui tutum ſemet tanta ad ſpectacula caute
Credebant legiſſe locum, vix mente recepta
Perfractis cernunt confoſſa ſedilia ramis.
Tollitur in cælum clamor, parteſque reſultant
Attonitæ, & voces cœtu referuntur ab omni.
Gaudia teſtantur monachi, miracula victi.
Chriſtum lingua ſonat, Chriſtum ſimul ore benigno
Ignarique canunt multi, pars iſta favorem
Agnoſcit, petit illa fidem. ſic conſona raptim
Inter diſcordes Chriſto ſociante voluntas,
Cum fidei donum meruit, cum credere ſancit.
Nam certe nullus penitus fuit agmine in illo,
Qui non rettulerit ſperatæ dona ſaluris
Adjectus gregibus domini munimine ſigni.
Et loca quæ tetris fœtebant obſita fumis,
Obtexit veris mox inops Eccleſia templis.
Sic vincis Martine tuos, ſic obruis hoſtes,
Sic gravis oppreſſos ſententia proterit, illos
Immunites fecit clemens victoria fratres.
Ergo acuit mentem eventus, ſtudiumque rebelles
Vincendi aſſidue felix Victoria nutrit.
Nam vix collapſis fumabant Idola flammis,
Vicino & tenues volitabant igne favillæ,
Cum renovat ſimilis repetita incendia templi
Exultans crebris juſtiſſima dextera flammis.
Sed dum flagrantes longe lateque vapores
Turbo ferit, crebriſque ferox exæſtuat undis
Eructans rapidam flammarum inſania nubem,
Augens collectum vicina ſtrage furorem:
Haud procul amotum toto petit agmine tectum
Vicina adlambens funeſtis culmina flammis.
Quod poſtquam ſanctus trepidans inſtare periclum
Vidit inafflatis jam mixta incendia tignis
Sepſiſſe implicitum flammarum gurgite tectum,
Pernici properans conſcendit culmina ſaltu,
Qua globus igne domum nimio denſiſſimus urget,
Arruſque oppoſitos flammis venientibus offert.
Tum vero adverſo ſinuata incendia flatu
Ad ventum redeunt, & quamquam urgente procella
Præcipiti vis major agit, cogitque reverſis
Ignibus inſanum confeſtim cedere ventum.
Sic paret meritis natura oppreſſa jubentis,
Non flammæ urgentur flabris, ſed flamina flammis,
Atque ignis præcepta ſequens ſic geſſit utrumque,
Arripiens decreta ſibi, defenſa relinquens.
Sic debellato per juſta incendia templo
Itur in excidium alterius, quod forte leproſus
Quondam opulens vicus perverſa mente colebat.
Sed poſtquam crebri demens inſania vulgi
Tentatum revocavit opus, totumque furorem
Oppoſuit violenti * turbo tumultus,
Avia ſolorum repetit ſecreta locorum,
Atque ibidem ſanctus precibus violentius inſtat,
Trinas continuans orandi intentio luces,
Et totidem jungens vigilatis noctibus horas.
Quin & contexto ſetis coopertus amictu
Exeſa adſiduo compunxit acumine membra,
Ut tereret tenuem veſtis nimis aſpera pellem,
Et cutis exrentis ſtimulis adtacta paveret,
Saxea collidens mage duris oſſibus arva,
Producens tardos ſera in jejunia Soles,
Perfundens totum lacrimarum flumine vultum,

Ut Domini jugis ſemper clementia Chriſti
Inſontis famuli nimium miſerata laborem
Traderet effectum voto, & tentata patraret
Adverſæ penitus removens molimina partis.
Interea armatos propter conſiſtere cernit
Angelico fulgore viros, nec tarda pateſcit
Agnitio, adjueti prompta eſt fiducia vultus,
Inſuper & verbis veniendi cauſa docetur,
Ne trepidet, ne vim timeat, neve arma paveſcat.
Præſentem agnoſcunt per talia ſigna favorem,
Quælibet oppoſito conſurgat turba tumultu,
Auxilium ſatis eſſe Dei, qui protinus omnes
Debellare queat verbi virtute catervas,
Sufficere ad bellum credens hæc arma duorum,
Se ſimul auxilium ferre, & mandata referre.
Acrior ergo animus penitus virtute recepta
Ad cœptum revaleſcit opus, mediaſque catervas
Irrupit trepido conſtantia reddita cordi.
Funditus everſis ſternuntur templa ruinis,
Excipiunt totas ſimulacra jacentia moles,
Fractaque dejectis ſuccumbunt idola tectis.
Involvit mixtus pariter ſimul omnia pulvis
Tigna, aras, ſtatuas, cementum, ſaxa, metallum.
Nec ſane tanto progreſſus ab agmine quiſquam
Obvius ire parat: manet imperterritus ille
Debellata videns trepidantum corda virorum.
Immoti expectant populi, riguere minantum
Pectora, & attonitis ſtupuerunt viſcera fibris.
Non membra expediunt motum, non verba tumultum:
Diriguere artus miſeris, vox faucibus hæſit.
Tentantum cecidere manus, & clamor hiantum.
Ut mare, quod fundo convulſum moverit imo
Fluctibus inſiſtens vehementis turbo procellæ,
Illidit tota ſpumanti aſpergine cautes,
Et rauco oppoſitas tranſcendit murmure ripas,
Pulſant perfractæ dum concava litora moles,
Et vada permiſcent totum vicina profundum.
Mox ubi depoſito ſiluerunt flamina motu,
Sternitur immenſus placidarum campus aquarum,
Lævia depoſito confidunt marmora vento,
Et jacet immoti ſpecies mutata elementi
Sollicitans tenues conſtrato gurgite cymbas.
Haud aliter ſiluit furioſi inſania vulgi,
Et tempeſtatem poſuit, ſtatuſque remiſit.
Hoc tantum & veris clamavit ſubdita verbis
Martini Dominum toto ſimul orbe colendum,
Hunc ſolum ſe noſſe Deum; nam ſurda ſalutem
Idola quæ poſſint umquam conferri petenti,
Haud latura ſibi, nec quemquam tradere donum
Quo careat, magis eſſe inopem qui poſcat egentem.
Sic vere penitus lucis fulgore recepto
Hæc quoque turba diu adcrevit, dedita caſtris.
Talibus adſidue vegetato corde triumphis,
Rurſum bella cupit, removet fides aucta pavorem,
Spes animat, meriti cedit formido pericli,
Nam ſimilem movit ſimilis mox cauſa tumultum.
Dum ſubvertendo properat ſuccurrere templo
Ruſticitas veſana nimis, ſolitumque rigorem
Augens præcipites immenſa mole furores:
Denique ſic totum obruerat dementia ſenſum,
Ut ſtricto quidam minitans occurreret enſe
Auſus ſacrilegum vibrare in vulnera ferrum.
Et cum rejecto nudatam tegmine gaudens
Cervicem offerret ſanctus, nihil ille retractans
Alte ſublatum ſurgit furioſus in enſem.
Celſius inſanam dextram ſuſpendit in altum
Attollens totum celeri conamine corpus
Concita præcipiti tendens veſtigia in altum
Altius, ut veniens caderet vehementior ictus:
Cum ſubito adſtrictis riguerunt viſcera nervis,
Atque hæſit tenui conſumptus in aera motus,
Porrecta & juſſum ſuſpendit dextera ferrum,
Et periit totus membris torpentibus ictus,
Et manus irrito conamine fixa remanſit,
Sic artus tota collapſi mole retrorſum
Præcipiti ad terram proni cecidere ruina,
Oſſaque colliſis ſonuerunt obruta membris,
Prona & ſaxoſæ jacuerunt aggere terræ.
Tum demum extorti gemitus, lacrimæque coactæ,
Depoſitiſque armis nimium miſeranda precantis
Ambitio, ad veniam rediit converſa ſalubrem.
Quidnam quæſo avidam revocaſti a ſanguine dextram?
Cur parcis quem nemo rogat? quid detinet ictum
Sic tamen ira tuum? tu certe ignoſcere non vis.
Cur ferrum retines, patet ecce innoxia cervix
Vulneribus nudata tuis. quid vota moraris,
Qui mentem ferientis habes? cur crimine ſalvo
Ultio differtur? facis, & ſi dextera ſalvet,
Quod feciſſe cupis: ſi non mutata voluntas,
Culpa manet, ſatis eſt meritis ſententia cordis.
Nec ſane hinc ſolum ſervatæ dona ſalutis
Videre attonitæ trepidantia pectora plebis.
Nam mox cum ſimilem ſimilis veſania mortem
Diſtricto inferret telo, diſcuſſa repente
Ferri acies caſſo ferientem deſerit ictu,
Extortum & demens quæſivit dextera telum,
Totaque collecti evaneſcere vota furoris
Decepta amiſſo viderunt lumina ferro.
Et tamen interdum alloquio ſuadere ſalubri
Sueverat, & verbis mentes mutare feroces,
Et corda afflita molire rigentia ſancto,
Illuſtrans veterem doctrinæ lumine noctem.
Præterea proclive fuit adhibere ſalutem
Infirmis, greſſum claudis, & lumina cæcis,
Nam certe nullum tanti violentia morbi
Obruerat, quin votivæ fomenta ſalutis
Retulerit viſu gaudens revaleſcere ſancto,
Quod vel præſenti poterit clareſcere facto.
Quondam Trevericis in mœnibus innuba virgo
Tabuerat conſumpta gravi paralytica morbo,
Atque omni motu torpentia membra carebant
Officiis privata ſuis: jam carne relicta
Spirabat tenuis frigenti in pectore flatus,
Pallebant pavidi vicina morte propinqui,
Arenteſque artus lacrimarum fonte rigabant,
Triſtis & obſequii mæſtum contraxerat agmen
Exequiis præbendus honor: cum murmure flentum
Concitus irrumpit reſerato nuntius ore
Martinum veniſſe ferens, cui prona facultas
Optatam Sanctis * precibuſque advolvitur, orans
Auxilium, & largo ſpargit veſtigia fletu,
Ac ſingultantes rumpunt ſuſpiria voces,
Et plus de precibus lacrimæ quam verba loquuntur.
At contra ſanctus pollens pietate modeſta
Adfectum ſociat, meritum negat, abnuit eſſe
Virtutem qua præſtet opem, ſed corde dolorem
Participat, refugit pompam, ſed deflet erumnam,
Et meritum vitando probat: ſic celſior extat
Corde humili, confert laudi quod demit honori.
Hæc cernens genitor tanto vehementior inſtat
Donec permota adſiduo juſtoque rogatu
Sancta ſacerdotum precibus conjuncta paternis
Am-

Ambitio, blando renuentem jure coegit
Viſere lugentis penetralia mœſta parentis.
Adſtant pro foribus populi, miracula Chriſti
Attonitæ expectant pendentia pectora plebis.
Ille ubi ſeminecis miſeratus tabida vidit
Membra, & conſumptis languentis lumina malis,
Oſſibus hærentem ſiccato corpore pellem,
Et cutis infuſo vitiatum felle colorem,
Subtracto & penitus conſtrictæ murmure linguæ
Suſpiria, exiguum glaciali a pectore flatum,
Filique venarum rupto pereuntia pulſu
Ordine præciſo quærentem linquere dextram,
Ad terram toto confeſtim corpore pronus
Sternitur, a Domino verbi medicamina poſcens
Cui juſſiſſe ſat eſt, atque artem vincere nutu.
Senſit adeſſe Deum, promi depoſcit olivum.
Oblato accedit benedictio ſancta liquori.
Exin mutati congaudens unguine ſucci
Singula contingit medicato chriſmate membra.
Admota expellit veterem pia dextra dolorem,
Atque impetratæ felicia dona ſalutis
Ad tactum medici paulatim infuſa recurrunt.
Sic morbis cuncta membrorum a parte fugatis
Reddita ſuccedit vegetato corpore virtus.
Mox valida exurgit populo mirante puella,
Et ſtabiles greſſus divino munere ſiſtens
Dat laudem domino per ſancta altaria Chriſto.
Quod poſtquam virtutis * celeberrima cœtu
Mœnia complevit, certatim accurrere cuncti,
Quorum vel mentes Dæmon, vel corpora morbus
Obruerat, cordi orantes membriſque medelam:
Si greſſu ſtabiles, hi ſenſu abiere valentes.
Præcipueque tamen cunctis quæ gratia Chriſti
Per famulum dignata ſuum miracula fecit
Unius eminuit præſens curatio ſervi,
Quem Dæmon toto captivum jure tenebat.
Denique cum Sanctus grandi ambitione rogantum
Permotus miſerum deduci ad ſancta juberet
Limina, non potuit quiſquam vincire furentem,
Sic cunctos rapido debacchans ore fugarat,
Dentibus infrendens: lacerum cruor undique corpus
Texerat, & nudis horrebant vulnera membris.
Tum Dominus claro nimium ſublimis honore
Faſcibus ornatus Proconſulis, immemor hujus
Ambitionis adeſt, genibuſque advolvitur almis,
Ac pronus pedibus blandas circumligat ulnas,
Orans, ut quoniam nec vis, nec vincla valerent
Adtrahere inſano bacchantem corde miniſtrum,
Ipſe adeat tectum, ſub quo jam tempore multo
Servabat clauſum jugis cuſtodia ſervum.
Sed renuit Sanctus limen calcare profani,
Nec vult Idolicis juſtus ſuccedere tignis,
Diſcernens templi fœtorem a chriſmate Chriſti.
Ille autem ſanctis genibus violenter inhærens
Reſpondet, ſancto ſe credere velle miniſtro,
Quidquid tradiderit tanti doctrina magiſtri.
Tum demum motus tam juſta voce rogantis
Intulit optatos ſalvanda ad limina greſſus,
Atque eadem domino auxilium tam juſta petenti
Quæ ſervo medicina tulit. gratantur uterque,
Ille fide accepta gaudens, hic mente recepta,
Confeſtimque novum poſthæc miracula factum
Attonitam erexit tanta ad præconia plebem.
Nam forte ingrediens vicini limina tecti
Exclamat forte ingrediens vicini limina tecti
Horribilem, & viſu furioſis Dæmonis umbram.

Nec mora, continuo cœpit tam proditus hoſtis
Arrepto ſævire coco, miſcere tumultu
Interiora domus penetralia, frendere malis,
Captivique oris dentes nudare minaces
Ingenitam exercens alienis morſibus iram.
Dum quatit obſeſſum permixta inſania corpus,
Dæmonis ut rabies humano ſæviat ore
Armata ad proprios alieno dente furores,
Diffugiunt trepidi, nec quiſquam obſiſtere contra
Audet, & extremos acuunt exempla timores.
Sed fidens Domino ſanctus fallacia ridet
Agmina, & occurſu rapido ſeſe obvius offert.
Qui, ne tum quateret tremulos dementia rictus
Collidens miſeros ferali murmure dentes,
Et repetens crebros nutanti vertice morſus,
Conſtanter digitis fauces penetravit hiantis,
Siſtens adverſi ſæviſſima jura latronis.
Hæſerunt avidæ dilato vulnere malæ,
Suſpenſus riguit patuli furor improbus oris,
Subdita contactu gaviſa eſt lingua ſalubri,
Molliaque infertam preſſerunt oſcula dextram.
Tum quia perſtructo fuga nulla pateret ab ore,
Egeſtus fluxu ventris vacuata reliquit
Viſcera, fœtorem ſolum de corpore traxit.
Interea ſubito turbantur cuncta tumultu
Mœnia, barbaricos adfert fama improba motus,
Spargens incredulos per credula corda pavores.
Nec tamen extabat rumoris nuntius hujus,
Ut prolata fides manifeſto auctore pateret.
Ergo ubi tam dubiis mutare ingentia rebus
Vidit, & incerto populos terrore teneri,
Imperat ut clauſus captivo in corpore Dæmon
Proderet, unde novam ſparſiſſet fabula famam.
Protinus impulſus verbo tortore fateri,
Se cauſam clamat, crimenque, caputque malorum,
Semet cum ſociis iſthæc mendacia larvis
Seviſſe, ut trepidam premerent formidine plebem.
Ergo hæc fallacis confeſſio vera latronis
Abſolvit mæſtas cruciato dæmone mentes.
Jam vere, ut tantæ pietatis geſta retexam,
Nec mens ſufficiet, ſterilis nec pagina vilis.
O vere confine bonum, miſeratio prompta,
Mens humilis! nullum ſpernit qui diligit omnes.
Nam quemdam horrendo lepra traxerat improba morbo
Inficiens cunctam macularum tegmine carnem,
Et ſpargens denſas vitiato in corpore guttas.
Quem cum ſanorum faſtidia crebra notarent,
Ignara & proprii mens injuſtiſſima caſus
Deſpiceret triſtes alieno in corpore morbos,
Ingrediens portam ſanctus præeunte caterva,
Qualis in obſequium tanti collecta patroni
Stipabant denſis murorum limina turbis,
Oſcula dat miſere vultu connexus, & ore.
Nec metuens tali faciem ſordeſceret actu
Impreſſit junctis pacis ſignacula labris.
Obſtupuere animis alii, gaviſus at ille
Senſit in attactu divini munera doni,
Et remeare citam raptim per membra ſalutem,
Diſpergi & celerem renovata in carne nitorem.
O vere pretioſa tuæ dignatio pacis,
Et medicina pio quæ permanabat ab ore;
Seu membra attingas labiis, ſeu corda loquelis,
Oſcula ſanabunt ægros, & verba docendo.
Atque utinam noſtros ſimilis clementia morbos
Tangeret, & miſeri maculas depellere cordis
Orans tam ſancto Martinus vellet ab ore:

Tum credo ad veræ revocaret gaudia pacis
Sanatum attollens ſancta ad myſteria vultum.
Et poſt everſum dederat quem portio cenſum
Spes mea clementis domini penderet ab ore,
Porcorumque eſcas linquens, vel gaudia carnis,
Acciperem veræ ſignacula certa fidei.
Quin & contactus tantum vel fimbria veſtis,
Raptaque certatim diſrupto vellere fila,
Omnibus in cauſis celeres habuere medelas.
Namque ut prætercam quæ non obſcurius acta
Erga humiles naturæ homines, num quæſo, latebit
Arborius mundi eximio perfunctus honore,
Clarus præcelſæ qui culmine Præfecturæ
Romana indultis moderamina rexit habenis,
Nec minus excellens morum probitate piorum?
Hujus conſumptis penitus jam tabida membris,
Unica languidulos ſtratis rejecerat artus
Filia, quam febris jugi cum lege recurſus
Ad quartum reditura diem ſic carnis amictu
Exuerat crebras ſemper repetendo ruinas,
Ut nihil adflictum corpus ſentire medelæ
Poſſet, vel mediis vicina febre diebus,
Dum tranſcurſa ſibi jactatio vindicat unum,
Alter venturam patitur trepidando ruinam.
Talem igitur triſti genitor pietate puellam
Dum fovet, & flatu glacialia membra tepenti
Percurrit patrii dum creber anhelitus oris,
Oblata ad trepidam pervenit epiſtola dextram,
Quam pius antiſtes mœſto mittebat amico.
Ille ubi perfectæ gaviſus munere chartæ,
Preſſit in abſentem congaudens oſcula dextram,
Concluſit celeri veneranda volumina motu,
Et ſtomacho raptim properans admovit anhelo.
O vere pretioſa fides! depulſa fugatur
Febris, & igniti removetur flamma caloris.
Arentes penetrat præſens benedictio venas,
Et rigat exhauſtas verborum rore medullas,
Reſtituens celerem domini pietate ſalutem.
Ad cujus laudem recte referemus ovantes
Quæ nunc miramur ſervos potuiſſe fideles.
Nec ſolum hæc membris tribuit medicina medelam,
Sed corde adjecit veram fides aucta ſalutem.
Confeſtim nam vota Deo facta virgo per illum
Offertur Domino, per quem valet eruta morbo.
Sic tribui indulta eſt ſimul hujus gratia doni,
Conſecrat antiſtes, Pater offert, virgo ſacratur.
Quin & Paullino ſimilis medicina ſalutem
Reddidit, inſignis fidei quem gloria late
Extulit, obducta cujus cum nube latebat
Viſus, & infuſis caligo extenta tenebris
Arcebat cunctam macularum tegmine lucem,
Quam levis & tenui tactu ſuſpenſa fugavit
Spongia, vicino benedictæ munere dextræ.
Vix admota oculo didicit jam reddita lucem
Ferre acies, lumenque novum mirata recepit.
Atque utinam noſtri tenebras contingere cordis
Tali luce velit ſancti medicina patroni,
Reddat ut antiqui rurſum myſteria facti
Nomen idem, medicuſque idem, par cauſa medelæ.
Miramur cito tam multa & tam magna videntes
Archiatri fomenta pii, miremur & illam
Quam meruit medicus Chriſto medicante medelam,
Per quem munificus ſimul, & de munere gratus
Expenſis gaudet donis bonus atque retentus.
Namque ad ſublimem nitens conſcendere partem,
Qua domus excelſis pendebat fulta columnis,
Lubrica dum ſcalis fixit veſtigia, pronus
Concidit, & crebram gradibus renovando ruinam
Colliſo terram collapſus pondere preſſit.
Ecce autem præfracta trucem dum membra dolorem
Feſſa gemunt, ſubita adflicto ſolatia portans
Angelus adſiſtit ſancto venerabilis ore,
Abluere infuſis feſtinans vulnera lymphis,
Paullatim ignoti contingens unguine ſucci,
Perducens tenuem tactu leviore liquorem.
Unda rigat, tacitam propere ſenſere medelam
Membra ſimul madidis mollito corpore venis,
Confeſtimque artus ſtabiles viguere, fugati
Undique mandato Domini ceſſere dolores.
Pernices greſſus, mens vivida, cordis & oris
Gaudia, gratifico concors cum pectore vultus.
Dum Dominum laudat, ſibimet nihil adrogat inde.
Prodidit & meritum quia ſe meruiſſe negavit.

LIBER III.

QUo rurſus ſteriles calamos & ſibila ruptis
Vox ſtipulis emiſſa vocas? hæc gloria certe
Majorum voces digna eſt augere tubarum,
Nec poterit parvis vox tanta erumpere culmis,
Quanta & ſublimes lituos implere valeret.
Sed ſi vel tenui flatu tam anguſta juvetur
Tibia, quam ſancti benedictio miſerit oris,
Grandia ſi nequit effari, vel ſuavia dicet.
Primam igitur libri partem devicta tenebit
Ambitio, hæc reliquas reſerabit janua laudes,
Qua poſt degeneres per ſecula multa pavores
Corrupto emicuit libertas perdita mundo.
Elatus quondam bellis feliciter actis
Maximus, & domini unius jam morte ſuperbus,
Exilio alterius, crimen male moribus hærens
Auxerat eventu, naturæ & vulnera pravæ
Reſciderat ſæpe infelix mage corde ſuperbo
Proſperitas, rebus gravius ruitura ſecundis.
Hunc igitur Regem diverſa ex parte frequentes
Paſtores adiere Dei, queis cura perennis
Vel ſervare piam Domini, vel paſcere plebem,
Certantes laxare reos, diſſolvere vinctos,
Reddere defeſſis requiem, ſolatia mœſtis,
Orare exulibus patriam, veniamque precari
Proſcriptis, cenſum, miſeris vitamque mereri.
Dumque hæc nituntur ſtudio celerare benigno,
Paullatim adſenſu trepido ſubjecta tumenti
Sancta Patrum gravitas, nimiumque vileſcere cœpit
Dedita blanditiis, non quas dependere fuerat
Priſca ſacerdotum gravitas, ſed vana clientum
Ambitio ad nutum tumidi dejecta patroni.
Inter quos ſolus conſtanti corde vel ore
Martinus nullo infecit pia viſcera fuco,
Nec trepida oppreſſit deformi ignavia nævo
Mentem Chriſto humilem, celſam ad faſtidia mundi.
Quin & conſtanter precibus connixus in ipſis,
Si qua fuit Regem tumidum tum cauſa rogandi,
Optantis votum expediit quaſi jure jubentis.
Sæpe etiam ſanctum crebro movere precatu
Ambitio eſt adgreſſa virum, ut vel ſero veniret
Oratus totiens ſpreta ad convivia Regis.
Ille etenim faſtus temnens & facta revolvens
Ejus ſe penitus renuebat jungere menſæ,

Cujus

Cujus criminibus ſanctam connectere mentem
Adſenſu ſaltim tenui nefas eſſe putabat,
Objectans cædem dominorum, & ſanguine partum
Imperium, mortem Regis, regnumque tyranni,
Sed cum continuis precibus pia corda fatigans
Dilueret culpas, objecta & crimina purgans
Diceret oppoſitum ſibimet terrore jubentum
Imperii regimen, nefas eſſe ut mole prematur
Invidiæ, ferro atque armis extorta poteſtas,
Ambitione vacans: nec ſane parva pavoris
Signa ſui tanto Dominum miſiſſe triumpho.'
Nec quemquam, quamvis tepidæ parvæque fidei,
Ignorare hominem belli momenta gerendi
In nutu pendere Dei, manifeſtius autem,
Si mage confiſum numero, virtute, viriſque
Inferior vincat, viciſſe hunc judice Chriſto.
Nec ſane quidquam ſe vel poſt bella cruentum
Immiti geſſiſſe animo, ferrique furorem
Poſt aciem valuiſſe nihil, poſt arma tubaſque
Inſontes gladios ceſſaſſe a crimine cædis,
Et nullo penitus reſperſam ſanguine pacem.
Talia ſæpe iterans, precibuſque inſtantius orans
Mollivit ſanctum crebra ratione rigorem,
Ut culpæ ignoſcens ſtudioque evictus adiret
Faſtidita prius regalis fercula menſæ:
Exultat ſpes jam propior de munere tanto,
Faſta dies læto gaudet clareſcere cœtu,
Adduntur lecti proceres quos Regia juxta
Culmina vicini ſplendor connectit honoris
Inſignes trabeis, legum armorumque tenentes
Arbitrium, vel jura fori, vel claſſica belli.
Hos inter medius qua ſigma flectitur orbe
Presbyter accubuit, dextra lævaque potentum
Ordo ducum, membris ſuper aurea fulcra locatis
Preſſit ſubjectum pretioſi velleris oſtrum,
Ad dextram Regis ſancto venerabilis ore
Conſedit ſenior, qualis pia jura reportans
Deſcendit ſacro montis de vertice Moyſes
Mutati vultus nimio fulgore coruſcans,
Cum faciem cordis ſplendor depromeret oris,
Nec cohibere novam poſſent velamina lucem.
Mirantur taciti gaudentes turba miniſtri,
Atque aula obſequiis certat devota modeſtis
Tam ſancto ſervire viro, cura omnibus una eſt
Optari officii, minor eſt reverentia Regis.
Ipſe etiam præſens Martinum excellere mavult.
Stipant ſubjectas regalia fercula menſas,
Dives in excelſis ſplendeſcit purpura fulcris,
Mollia puniceo motantur ſerica fuco,
Et rutilat docte ductis ſine vellere penſis,
Miſceturque oſtro mollitum in fila metallum.
Liminibus diſtenta tremunt aulæa ſuperbis,
Nutat & in foribus velorum mobile clauſtrum:
Cuncta nitent vario cultu ſurſum atque deorſum
Edita pigmentis, ſola marmore, tecta metallis:
Suſtentant vitreas cryſtalla capacia lymphas,
Cumque ipſa & conchæ ſpecies videatur & undæ,
Nec cohibere putes ſuſceptum clauſtra liquorem,
Pocula funduntur gemmis, gemmiſque bibuntur,
Electri mollis fulvum diſcriminat aurum,
Ars erat in pretio, pretium pretioſius arte eſt.
Hæc radiant gemmis, hæc extant vaſcula ſignis,
Aſpera ſunt quædam viſu ſed levia tactu,
Lancibus & rutilis diſciſque patentibus adſunt
Aeris, & nemoris fructus terræque, mariſque.
Poſtquam exempta fames epulis, tum ſola voluntas
Arentem relevare ſitim, rapuere miniſtri
Incluſas auro glacies lymphaſque nivales,
Rorantes alii pateras offerre, petentum
Anticipat votum famulorum cura vigorque.
Tum Rex Martino dubitantem offerre miniſtrum
Imperat, officio cedens ſimul ordine verſo,
Tam ſanctæ ardenter cupiens ſuccedere dextræ,
Ut patera adtactu tanti pretioſior oris
Infuſum inficeret cæleſti rore liquorem.
Verum ubi reſperſit tenui ſua guttura lympha,
Vix humectati tactu defecit in oris:
Cum Rex protenta captaret pocula dextra
Tradidit ille ſuo fidei metitus honorem
Presbytero, meritum cordis non purpura Regis
Vicit, prælatæ ceſſit diadema fidei.
Attonitis ſtupuere animis defixa videntum
Corda virum, ſpretoque etiam conſtantia Regi
Plus placuit quam mira fuit, nec livor aduſſit
Invidiæ tanti trutinantem pondera facti.
Quiſnam vel magnus quamvis ſub Judice parvo
Auderet tantum pro ſancto jure ſacerdos?
Non terror vicit firmum, non gratia juſtum,
Non convivantis ſtudium, non ira potentis.
O virtus vicina Deo, ſi corde remoto
Sis velut ipſe procul, præſentem vincere mundum.
Nec timuit quæcumque illi patefecerat almus
Spiritus, infuſo complens pia viſcera dono,
Haud dubitans ipſi conſtanter prodere Regi
Eventus belli varios, felicia primum
Prælia, mox alio triſtem in certamine cladem.
Quæ cuncta ut puro vidit mens ignea ſenſu,
Sic ducta eventu celeri quaſi viſa probavit.
Nam primo oppreſſum Regem certamine fudit,
Mox captiva Duci ſubmiſit colla reverſo.
Nec mirum eſt tantum mentem vidiſſe ſagacem
Linquentem cunctas ſublimi pectore curas,
Et ſenſu æthereo penitus ſuper aſtra volantem.
Nam ſæpe angelicis miſcentem verba loquelis
Pro foribus ſtantes monachi ſtupuere fideles.
Sic nil corporeum corpus vel membra caduca
Senſerit, atque animo jam libertate fruenti
Nequaquam edomitæ nocuerunt pondera carnis.
Ipſe etiam quovis tentaſſet fallere vultu
Perſpicuus caſſo patuit molimine Dæmon,
Nec permutatis permiſſus ludere formis.
Denique cum trepido penitus fuga nulla pateret,
Efflabat ſævum per verba furentia virus,
Illæſum inſidiis cupiens accendere dictis,
Dentibus elapſum linguæ lacerare veneno,
Effundens caſſas jam fractis motibus iras.
Quin etiam orantem miſerando ſanguine dextram
Concutiens, cornuque oſtentans crimina cædis
Sanguineo, lætuſque malis & triſtia ridens,
Irrumpit ſanctam funeſto murmure cellam,
Tartaream effundens per verba procacia vocem,
Cernat ut impleti tandem documenta furoris.
Hæc ſors arma dedit, telum hoc violentis adegit
Obſequium pecudis, vincens ſed crimine noſtro.
Quo major fructus ſceleri, tuus ille, tuiſque
Agminis, in noſtræ ſolatia concidit iræ,
Effœtas renovans optato ſanguine vires.
Protinus accitos proceres jubet ocyus omnes
Effectu celeri monachorum viſere cellas,
Ne fors fallacis mendacia verba latronis
De proprio ſaltim dixiſſent crimine verum,
Qualis mœſtorum ſoleat vox eſſe reorum,

Com-

Complectenda truci jam ſub tortore fatentur.
Tum referunt nullum penitus de fratribus illo
Signari indicio, coram ſe protinus omnem
Sanctorum numero eſſe gregem, qui clauſus ovili
Temnebat rabiem frendentum ad clauſtra luporum,
Quem vigil æterno Regi Martinus alebat.
Attamen accepta quemdam mercede profectum
Ut plauſtro advectis prohiberet frigora lignis,
Huic propere accurri Martinus præcipit illum,
Tum ſocium monachis vel per commercia factum
Confeſſi inſidiis credens patuiſſe latronis.
Nec mora quin præſens jam conjectura probetur.
Seminecem egreſſi non longe a limine cernunt
Extremæ efflantem miſerum ſpiramina vitæ.
Ille tamen letho languentia lumina ſolvens
Vix ſingultantis præciſo murmure linguæ
Adtraxit tenuem glaciali a pectore vocem,
Vulneris exponens cauſas, nam forte juvencus,
Dum reſoluta arctis ſtringuntur vincula loris,
Liberior cervice vaga dominoque rebellis
Mollia tartareo transfoderat inguina cornu.
Quæ poſtquam expoſuit, preſſoque obmutuit ore,
Tum feſſum leto poſuit caput, oraque, & artus
Perfudit croceos glaciali corpore pallor.
Hoc fine interiit, nobis tamen hic quoque finis
Martini oſtendit meritum, cui noſſe futura
Sic licuit, nihil ut penitus velamina carnis
Tardarent celerem terreno pondere mentem.
Nec quemquam minimum mendax & callidus hoſtis
Vel tegere inſidiis fraudes, vel fallere formis
Tentaret, fruſtra hæc toties molimina perdens,
Auſus fictorum formas ſimulare deorum,
Fingeret effigiem quorum fingebat honorem.
Nunc Jovis inceſtam faciem, Martiſque furorem,
Mercurium falſis nexum veſtigia pennis,
Forcipe Vulcanum, chordis vel pectine Phœbum,
Effigians clypeo inſanam criſtiſque Minervam,
Laſcivam Venerem, quatientem luſtra Dianam,
Inceſtam illicita thalamorum lege ſororem,
Germanæ & nomen perdentem crimine fratris.
Talibus oſtentans formis, ſe, digna ſuorum,
Facta, & mentito vultu ſua crimina prodens;
Nequaquam elabi potuit, ſed fraude retecta
Perdidit irriſus molimina callida Dæmon,
Efflans extremum per verba procacia virus,
Illæſumque virum viciis vel voce laceſſens.
Quæ cuncta immoto tolerans patientia vultu,
Blanditias temnens, probra & convitia ridens,
Atque hoſtem agnoſcens figmento in utroque doloſum,
Crimine nec lædi potuit, nec laude moveri,
Verborum jaculis opponens ſigna ſalutis,
Et crucis objectu confringens tela latronis,
Qui ſæpe adgreſſus duris pia corda querelis
Impius objectare pio pietatis amorem,
Proh dolor, audebat coram ſic voce reſultans,
Teſtibus ut multis feralia dicta paterent.
Quare ait exoſos domino (ſi crimina damnas)
Suſcipis, & vitium culpans, conſortia quæris
Peccantum: forſan lateant te facta tuorum,
Hortatu tum facta meo, quæ plurima ſuaſi,
Et quorum pars magna fui. qui, quæſo, probabit
Inſenſum factis hominem facientibus æquum?
Ille ait, antiquo ſerpens diſtente veneno,
Non hæc de miſeris domini ſententia Chriſti eſt.
Qui ſi finiri culpam videt, abjicit iram,
Tempora non ſtatuens culpæ niſi tempora noxæ,
Ne maneant peccata monens, finita remittens,
Mitis præteritis, ſi ſit correptio præſens,
Errantes revocans, revocando crimina donans,
Perverſis patiens, clemens, placiduſque reverſis,
Vita hominum, mors culparum, miſerator utroque
Exitium ſceleris cauſas jubet eſſe ſalutis.
Nec deſperarem fidens bonitate probata,
Quod quamvis vincant cunctas tua crimina noxas,
Si commiſſa diu ſaltim vel ſero doleres,
Quod te de mediis raperet clementia flammis.
O felix pietas, tantum confidere quemquam
De domini bonitate Dei, ut ſpondere benigne
Audeat illa etiam quæ non promiſſa fatetur.
Dum revocare ipſum conſueto a crimine tentat
Criminis auctorem, peccatum a fomite tollens,
Et ſtirpem exoſam prima ab radice recidens.
Sed quoniam crebros cantare eniſa triumphos
Murmura tartareum tetigerunt noſtra tyrannum,
Atque inter laudes titulos replicare volentes
Bellorum ſeriem nomen reſonavimus hoſtis,
Hoc quoque quem dederit Chriſtus ſermone loquemur
Tempore quod geſtum valde miramur in illo.
Sanctorum quemdam ſociis Chriſtique miniſtris
Adjectus juvenis, factoque & nomine Clarus,
Haud procul a ſancto cellam doctore locarat.
Adſciſcens plures iſta ad conſortia fratres,
Ut modulata piis ſymphonia pſalleret hymnis,
Concors connexis reſonaret gloria linguis.
Subdolus hunc quondam juvenis, ſimulataque geſtans
Compoſitis figmenta dolis, mentitus & omnem
Inſontis ſpeciem monach. ſub nomine fallens,
Expetiit ſub veſte ovium, ſed mente luporum
Spirans antiquum vitiato pectore virus.
Ac primum Sanctis vel ſolo corpore mixtus
Communis vitæ ſpeciem ſimulator agebat.
Poſt ſeſe angelicis ſolitus jactare loquelis
Fallacem extulerat vana ad faſtigia mentem,
Celſius elati caſurus culmine cordis.
Quin & prodigiis ſuadens incauta coegit
Corda, velut meritis jam per documenta probatis
Pro levibus ſignis tumidis plus credere verbis.
Ipſius interdum ſeſe jactare ſolebat
Alloquio domini, tamquam * creber ad illum
Nuntius adſidue cæleſti a ſede referret,
Oſtendens magnum ſocio ſermone favorem.
Nec timuit ſanctis ſemet conferre Prophetis
Spirans fallacis mendacia verba latronis.
Jamque adeo plures confictis credere verbis
Impulerat, ſolus conſtanti pectore Clarus
Reppulit a ſancto fallacia murmura ſenſu.
Et quamvis domini furioſus fingeret iram,
Nec terrere gravem potuit, nec fallere cautum
Spondens virtutem per plurima ſigna probandam.
Namque ut deceptas caperent miracula mentes,
Talibus attonitos voluit confundere dictis.
Hac, inquam, me nocte Deus (ne vana putetur
Gratia, quam meritis voluit decernere noſtris)
Indutum niveæ donabit vellere veſtis.
Hæc veſtris cum dona oculis manifeſta patebunt,
Saltim, ſi dictis dubitatis credere, viſis
Credite, & aſpectum facili laudate favore.
Cum vero ad tantum vigil expectatio monſtrum
Curſum prædictæ novitatis pergeret ordo,
Ecce autem mediæ jam ferme tempore noctis,
Quo diviſa diem non longe aſpectat utrumque,
Proxima venturo, nec multum amota relicto,

Con-

Concuſſa intremuit tellus, fragor undique vaſtus
Horrendum intonuit tenebris, & tetrior ignis
Lampade terribili, mentita & luce micavit.
Terrentur viſu ſubito trepidantia corda.
Protinus ergo alacer ſucceſſuque acrior ipſo,
Quo ſic prædictæ fraudis proceſſerat ordo,
Tangendum cuidam vellus dedit atque videndum.
Qui citus accivit reliquos, ne falleret unum,
Comminus inſignem candore & murice veſtem,
Extaque ſollicitis blande cedentia dextris,
Mollia dum tenuis percurrunt ſtamina telæ,
Nec tamen agnoſci poterat quo vellere ductus,
Quamvis admotus propter fulgeret amictus,
Sed veſtis viſa aſpectu, vel credita tactu
Suſceptam tenuit mendax in utroque figuram.
Tum Clarus cunctos hortatu urgere ſodales,
Ut tam confuſis per monſtra ingentia rebus
Ad dominum precibus redeant, quia pandere ſolus
Obtectos queat ille dolos, fraudemque latronis
E tenebris proferre ſuis. vigil ocyus omnes
Turba ad conſuetos modulamina dulcia pſalmos
Advolat, & ſanctis ſolatia quærit in hymnis,
Quæ pellant ſegnes vegetato corpore ſomnos,
Cantibus & ſacris nocturna ſilentia vincant.
Succedunt pſalmis lacrimæ, ſuſpiria voci,
Conclamat ſi lingua tacet, connectitur omne
In laudem domini tempus vice mentis & oris.
Interea ut primum tenebras rareſcere noctis
Vicina jam luce vident, cum prævia Solem
Nunciat acceptum ſpargens aurora ruborem,
Et croceo obnubens pallentia ſydera fuco:
Comprenſum ad ſancti certant perducere cellam
Martini, ut tandem diſiecta nube fugatus
Perderet ingenii Dæmon figmenta doloſi,
Prodens detectam tanto ſub judice fraudem.
Aſt ille obnitens jamjam propiore periclo,
Abnuere, & ſanctas præſentum evadere dextras.
Certabat greſſu ſiſtens, & voce reſiſtens,
Clamans ad ſancti vetitam ſe accedere cellam
Martini, atque illam proferre a limine veſtem.
Tum vero inſiſtunt, prodit trepidatio fraudem,
Compoſitoſque dolos pallens ignavia pandit.
Vanuit in manibus prenſantum veſtis imago,
Attentoſque oculos ſpecies dilapſa reliquit:
Qualiter aëreis nebularum vellera filis,
Quæ texere cavas mentito gurgite valles,
Cum purum nitidus ſol altius erigit orbem,
Æquora diſperſis produnt nudata tenebris.
Hoc quoque Sancte cruci Martine adfige tropæum,
Quo ſpolias ſævum ſimulata veſte tyrannum
Scindens aeriæ mendacia tegmina telæ,
Disjicienſque cavæ fluitantia vellera nubis.
O numquam ceſſure furor, rurſumne reſurgis
Eliſus toties, toties conamina perdens
Irruis, atque ruens: nec finem audacia ponit,
Nec votum ſucceſſus agit? tunc impie vultum
Mentiris domini, tenebris & fallere lucem
Conaris, tali ut ſpecie eludere ſanctum
Compoſitis poſſit vecors inſania formis,
Spirans extremum quamquam ſine vulnere virus,
Efflatam rabiem caſſis jam rictibus efflans,
Non penetrans purum tetra caligine ſenſum,
Nec claudunt verum nebularum umbracula ſolem:
Et quamvis oſtro radians, gemmiſque coruſcans
Subdideris rutilum plantis mendacibus aurum
Inſimulans verum falſo diademate Regem,
Proh dolor! æternum clamans te perfide Chriſtum,
Ut velata pio ſub nomine forte lateret
Impietas mentita, Deum ſuaſura beatum
Credere mendaci ſpecie ſub nomine Chriſti,
Et curvare pios in honorem Dæmonis artus,
Sacrilegum ut faceret, nefas heu, credita ſanctum
Relligio, ac fidei meritis credendo careret,
Et male tradendi fallacia pocla veneni
Occuleret ſolidum mellis dulcedine ſuccum.
Ignaris h. ſolu[illegible]de animis, tyronibus iſtas
Inſidias mo[illegible] viris, qui claſſica nondum
Bellica inexpertis tentant præcludere telis:
At qui non rudibus ſuetus ſudare ſub armis,
Signaque prætento felicia claudere vallo,
Emeritos celat veneranda caſſide canos,
Omnia quæ multo doctus præcaverit uſu,
Sollicite explorat, quæ ſint loca fida parandis
Inſidiis, vel quæ rurſum ſuſpecta cavendis:
Quo clypeum regat ingenio, quo turbine telum,
Qui regem capiant tituli, quæ crimina lædant.
Ille ita conſtanti cunctis gravitate reſiſtet
Inſidiis, tantaque dolos ratione cavebit,
Ne fraudem efficiat fractus conflictibus hoſtis,
Quod virtute nequit. tali tum robore florens
Martinus bellator erat, cum claſſica Chriſti
Subruerent penitus vitiati crimina mundi.
Noverat ille ſui ſignum dignoſcere Regis,
Et calcare iſtas crucifixi nomine pompas.
Tu modo purpureo Chriſtum mentiris amictu,
Atque auro & gemmis peregrino flamine ferum
Hanc ſpeciem exornas, miſer heu, nec fallere noſti.
Sic fruſtrata tuis toties molimina perdens
Conſiliis, rurſus tenues delapſus in auras
Solveris, atque fugam turpi fœtore fateris.
Tu vero immota ſtabilis virtute triumpha
Sancte Dei, cui perpetua virtute cohæres
Firmaſti invictus contra omnia crimina mores,
Manſuetus, patiens, juſtus, pius, integer, æquus,
Mitis, confidens, humilis, ſine felle, benignus,
Inſtructus, comis, facilis, placabilis, acer,
Antiſtes ſanctus, doctor bonus, hoſpes amandus,
Mirandus ſignis, imitandus moribus idem,
Corde humilis, mente excellens, venerandus utroque,
Dum laudem fugiendo capis, vitando mereris,
Ducens continuos ſera in jejunia ſoles,
Et vix exiguis ſemper parciſſimus eſcis
Defeſſum relevans ſtomachum ſine pondere carnis.
Sic expulſa cibi, ſic ſomni abjecta voluptas,
Ne vigilem premeret terrena hæc ſarcina mentem,
Sed levius animi poſſet conſueſcere corpus,
Orandi ſtudio invigilans ſtudioque legendi.
Continuata iſtis hæſerunt tempora curis,
Hæc ſola & requies placuit. mutare laborem
Succedentem alio jugem ſine fine precandi.
Ipſam etiam cuncti tanto miremur ovantes
Naturam ceſſiſſe viro, licet ultimus illum
Clericus oblitus tanti læſiſſet honoris,
Nec læſus ſelle intumuit, nec judicis umquam
Jure in ſubjectos vindictæ exarſit amore.
Non odium furor excivit, non gaudia riſum,
Triſtitiamve dolor ſanctus gravitate verenda,
Angelicus fulſit venerando in corpore vultus,
Qui poſſit ſancti faciem depromere cordis,
Proferre & clauſam ſacro de pectore lucem.
Semper in ore Deus, ſemper miſeratio. pacem
Conſilio & voto tenuit. nam ſæpe ſolebat

Invidia infectas fauces livore veneni
Armare opprobriis, ipſoſque accendere diro
Felle ſacerdotes, ut linguis carpere mallent
Quam factis æquare pium, nec quoque ſanctum
Ira animum ſaltim reddendi ad vota coegit.
Quin & fraternos pro tanto crimine fletus
Fundebat madido clemens miſeratio vultu,
Exorans dominum lacrimarum flumine Chriſtum,
Parceret ut verbis veniam tribuendo doloſis.
Sic ſtabili ſemper contra omnia vulnera co[illegible]ctur
Non odium furor excivit, ſed cauſa dol[illegible]
Qualis ſectatus domini veſtigia martyr[illegible]
Excipiens ſævam ſaxorum nube ruina[illegible]
Cum tenuem efflaret benedicto corp[illegible]e vitam,
Dimitti inſano poſcebat crimina vulgo,
Plus peccata dolens plebis quam vulnera carnis.

LIBER IV.

Finierat ſumptum translatio cœpta volumen,
Percurrens ſancti pura exemplaria libri,
Cum ſubito oblata eſt obſtruſæ gloria nobis
Hiſtoriæ, noſtri ſtimulans molimina voti,
Non ut de miſero melius clareſceret ore,
Quod tam perſpicui ſignaſſet pagina cordis.
Cum vis verborum viva virtute coruſcans
Perderet ingenitum metro mollita vigorem.
Sed quia non omnes liquidi penetralia fontis
Interius ſcrutanda pec[illegible]nt, pars magna petentis
Sæpe bibit proprios [illegible]eglecto frigore rivos.
Nos quoque qui dign[illegible]n nil poſſumus edere doctis,
Turbida non longe purgemus pocula pigris,
Sæpe & clangentum voces æquare tubarum
Emiſſa implicito conantur ſibila libro.
Et qui ſub celſa ſuevit requieſcere pinu,
Interdum vilis penetrat virgulta ſalicti.
Tu quoque qui gratis malles ſuccedere lucis,
Si longe amoti nemoris via forte fatigat,
Comminus oblatum properans irrumpe frutetum.
Pergebat Sanctus benedicti ad limina templi,
Ut ſolita æterno ferret myſteria Chriſto.
Ecce autem tremulus glaciali frigore pauper
Collidens miſeros nutanti vertice dentes,
Admotaſque manus malis pallentibus aptans,
Captabat tenuem flatu adſpirante teporem.
Durabat crebros concreſcens ſtiria flatus,
Vox quoque non toties reſonans lacrimabile verbis,
Flebilibus præciſa ſonis gemituque locuta,
Signabat totam cauſa clamante querelam.
Hæc quamvis durum molliſſent forte rigorem,
Ne dum Martini pietas jam nota valeret
Diſſimulare iſtam miſeri plangentis ærumnam,
Protinus adſtanti Diacono, quem more priorum
Antiſtes ſanctæ cuſtodem legerat arcæ,
Imperat, ut Domini ſumptu nummiſque coemptam
Aptaret properans algenti in corpore veſtem.
Ergo hæc quæ fieri voluit quaſi facta reliquit.
Exin ſecretæ penetrans habitacula cellæ
Quæ progreſſurum ſacra ad myſteria ſanctum,
Hic quoque vicinis fuerat ſejungere turbis,
Excipiens monachum mox emiſſura miniſtrum.
Sed quid non penetrent miſeri, quos cogit ærumna
Adtritæ expoſitum frontis vulgare pudorem?
Quod nec presbyteris patuit, perrupit egeſtas,
Allegans querolam dilato munere cauſam.
Tum vero invaſit totum miſeratio ſenſum,
Nec placuit rurſum mandati adferre periclum.
Amphibalo caput occuluit, tum teſte remoto
Subtraxit flexus paulatim ad membra lacertos,
Collectam excutiens adclivi pectore veſtem,
Nec patuit nudum veſtito paupere corpus,
Tam propere exterior ſpoliatum texit amictus,
Ut votum anticipans feſtini pauperis, ipſum
Ignarum facti faceret, quem munere lætum
Fecerat occultus, teſti manifeſtus egenti.
Dicite qui ſpreti calcantes gaudia mundi
Abjecto vitam voluiſtis quærere cenſu,
Quis nudum proprio texit nudatus amictu,
Quis quod ferre alium doluit non ipſe refugit?
Quis miſer eſſe volens miſerum miſerando refecit?
Viciſti veterum Martine exempla virorum,
Tuque ipſum mirandus eras tum paupere tecto,
Vel cum diviſæ remaneret portio veſtis.
Cede tibi; antiquam geminaſti hoc munere palmam.
Interea, quod moris erat, ſolemnibus horam
Eſſe monet Diaconus conventu in plebis agendis.
Ille ait, implenda eſt ſancti doctrina Prophetæ,
Præcedat Miſſam miſeratio, gratior hæc eſt
Hoſtia mandatum faciens, prius obtege nudum.
Egreſſus paulum quæſito paupere rurſum
Suggerit abſentem, nec largitione repertum.
Prome age, ſanctus ait, munus non deerit egenis.
Tum veſtem octava ſolidi vix parte coemptam
Nodoſis textam fœtoſo vellere filis,
Ante pedes Sancti ſtomachatus projicit ille.
Amoto paulum Diacono pretioſa coarctat
Congaudens propere tam vili tegmine membra.
Sic altare petens & multo comptior heros,
Hoc habitu, qualis Regi poſt bella reverſo
Occurrit madidus ſudore & pulvere miles,
Pulcrior hoc titulis, quo membris turpior horret.
Nam ſpeciem virtutis opus præcedit, ut altæ
Radicis robur foliorum tempora tranſit.
Nec dubia hoc votum mox conjectura probavit,
Nam dum ſolemni cumulat pia dona rogatu,
Proſequiturque ſacris vota immortalia verbis,
Effulſit rutilans claro de vertice flamma
Splendorem capiti infundens, innoxia crini,
Perſpicuo ſurſum porrecta atque edita tractu,
Ignifluo liquidum perrumpens aera ſulco.
Perge age continuo titulorum impulſa rotatu,
Gloria ſic facili virtutum concita curſu,
Ut penitus laxis currens in gaudia frænis,
Incipienda prius ſubeas quam clauſa relinquas.
Quidam vir locuples Evantius, & licet illis
Aſtrictus mundi per vincla tenacia curis,
Attamen illæſæ fidei cordiſque benigni,
Conſervans purum terreno a crimine ſenſum,
Exeſis penitus vehementi febre medullis,
Concutiens crebro trepidantia viſcera flatu,
Et ſingultanti rumpens ſuſpiria pulſu,
Supplex arentis confuſo murmure linguæ,
Et plectrum vocis ſiccati glute palati
Impediens, fractis eniſus ſæpe loquelis
Affectum ſignare ſuum, rogat ocius ad ſe,
Adventum Sancti obtineat miſeranda precantum
Ambitio, ſi quæ ſtimulet vel cura doloris,
Vel pietatis amor quærens fomenta ſalutis:
Hunc adeat ſolum renovandæ ad tempora vitæ,
Martini aſpectum cunctas ſuperare medelas.

Nec

Nec tardat, juſtum ſaltim dilatio votum
Credidit: optatis divino munere ſignis,
Hanc ſatis eſſe fidem mox & res ipſa probavit.
Vixdum vel medii tranſcurſa parte laboris,
Reſtabat pars magna viæ, prævenit euntem
Gratia: præmiſit ſperatæ dona ſalutis,
Præcedens tardos virtus pernicior artus.
Occurrit validus medico, gratantur uterque,
Corpore ſanato transfuſam in corde ſalutem,
Dum fidei meritis creſcit curatio carnis.
  Ergo ut ſublata eſt cunctarum cauſa morarum,
Confeſtim remeare volens multa prece victus,
Præſtitit unius ſpatia exorata diei.
Sed breve quod fuerat ſpatio, virtutibus amplum eſt:
Arctum compenſat non acta operatio tempus.
Nam puerum quem forte malus lethaliter ictum
Perculerat ſerpens infectum felle veneni,
Cum jam liventes virus diſtenderet artus,
Atque ipſis etiam penitus vitalibus hauſtum,
Serpentis furiale malum quaſi morte peracta,
Solveret inferno marcentia lumina ſomno:
Ipſe herus inflectens juſto pia corda labori,
Pertulit ad veri veſtigia ſancta Patroni,
Non dubitans meritis per tot documenta probatis,
Quod præſens poſſit tactu depellere virus,
Qui veniens morbos ſolo terrore fugaſſet.
Nec mora, contactum dextra medicabile vulnus
Purgavit tetro frigentia membra veneno,
Et quacumque manus per corpus ſancta cucurrit,
Mors fugit, ſed vita redit, remeavit ad unum
Mox peſtis collecta locum. tum vulnere ſolo
Stipavit juſſum confeſtim erumpere virus,
Et puer intrepido firmans veſtigia niſu,
Greſſibus impavidis domino gaudente cucurrit.
Hac dives mercede redis, hæc munera ſumis
Adjecta enumerans felicia dona ſalutis.
Quod tempus vacuum virtutibus aggere in ipſo?
Quæ via non ſolum petiit licet hoſpita terris?
  Luſtrabat caulas commiſſi paſtor ovilis,
Queis pia rureſtrem claudebat Ecleſia plebem,
Ne furum fortaſſe doli rabieſve luporum,
Incautas pecudes raperent cuſtode remoto.
Interea ſociis paulum fortaſſe relictis,
Carpebat prægreſſus iter, qua publicus agger
Porrigit erectam per plana jacentia molem.
Ut via conſtratis ſolidata atque edita ſaxis,
Vergeret effuſos in concava ſubdita nimbos,
Et gravis in duro non ſideret orbita colle,
Merſaque ne luteum ſorberent plauſtra profundum,
Sed ſummæ vix dorſa viæ vertigo rotarum
Raderet, haud ullo ſignans veſtigia ſulco:
Sed procul, impacti tinnitu prodere ferri,
Hoc Martinus iter paulum prægreſſus agebat:
Cum ſubito ingenti properantem turbine rhedam
Obvius aſpexit, tumidos quæ forte vehebat
Militiæ terrore viros: non ordo furorem,
Non ratio inſanam poterat componere mentem.
Ambitio, ebrietas, clamor, furor, ira, tumultus,
Miſcebant variis incondita pectora monſtris,
Exanimeſque inter mulas trepidoſque magiſtros,
Verbera cædentum reſonabant, verba clamantum:
Nec ſtandi lex ulla inerat, nec cura pericli
Tardabat celerem per plana, per ardua curſum.
Talibus ergo viris habitu diverſus & ore
Obvius occurrit. Sancti timuere verendam
Jumenta adverſi faciem, ceſſere trementes
Aggere de medio mage ſano pectore mulæ,
Innexæ implicitis trepidantia corpora loris.
Ut quondam ſanctæ vetitum maledicere plebi,
Lectio fert aſinam dominum tempſiſſe profanum
Eliſam adclivi preſſantem corpore plantam.
Tum vero inſano ſuffuſi corda veneno
Deſiliunt, ſpes eſt voti data cauſa furendi,
Auſi & ſacrilegas in Sanctum extendere dextras,
Verberibuſque pium certatim elidere corpus.
Inſontem, ſolum, mitem, placidum, patientem,
Irati, inſtabiles, multi, tumidi, furioſi,
Obvia verberibus prorſus nec verba ferentem,
Impellunt, retinent, elidunt, ora madeſcunt
Sanguine, confoſſum rumpunt ſpiramina pectus,
Liventes fracto nigreſcunt gutture fauces,
Languenteſque oculi ſolo de lumine Chriſti
Præſentes penſant tenebras caligine noctis,
Deficit aſpectus, ſed ſpes in pectore lucet.
  Talem igitur ſocii poſtquam aſpexere magiſtrum
Exanimes, viſo palleſcit turba patrono,
Extendens humiles ad ſuſtentacula dextras,
Blandaque ſanguineis adfigens oſcula membris.
Tum properant diræ loca triſtia linquere cædis.
Subditus excepit venerabile pondus aſellus
Adſuetum vecturus onus. ſed corpore flexo
Nutat ſemianimis adclivis ſarcina membris,
Et dubios caſus jamjam lapſura minatur.
  Interea expleto ſatiati corda furore,
Ad rhedam rediere viri, pernicius inde
Præcipiti cogunt jumenta erumpere ſaltu.
Ut quidquid fuerat funeſta in cæde morarum,
Confeſtim celeres penſarent turbine curſus.
Verum hæc fruſtra adhibent molimina fixa, rebellant
Imperio jumenta truci, riguere ligatæ
Arbitrio domini ſtatuarum in imagine mulæ.
Tum vero inſano propius calet ira tumultu.
Nil voces, nil flagra valent, contuſa reſultant
Ilia, vicinas rapiunt ad verbera ſilvas,
Saxa, ſudes, fuſtes, ſtimulos, quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit, conſumit in ictus.
Nec tamen hæc poſſunt nervos laxare rigentes,
Aut fixos mutare artus, frigentia credas
Æra, vel expreſſas ſaxis riguiſſe figuras.
Tandem conſumpto penitus fractoque furore
Admiſit ſanum vecors dementia ſenſum,
Ut ſcirent nexas inter tot verbera mulas
Judicio torpere Dei, cauſamque morarum
Non ſine divino miſeris contingere nutu.
Tum demum admoniti monſtris, poſitoque furore
Peccati memores quærunt, quiſnam ille verendo
Corpore ſacrilegos pulſantum exceperit ictus.
Ecce autem audito Martini nomine proni
Accurrunt laceros turpati pulvere crines,
Rotanteſque genas lacrimarum fonte rigantes
Innectunt humiles plantis felicibus ulnis
Poſcentes veniam pariter, culpamque fatentes.
Nec ſane dilata diu eſt miſeranda precantum
Ambitio, excluſit longos clementia fletus,
Et veniæ donum prævenit vota rogantum.
Nec mora, libertas abeundi reddita verbo
Laxavit celeri juſſarum fræna morarum.
Dicite quid veſtri velox evectio Regis
Efficiat tardante Deo, conferte coruſcas
Gemmarum radiis frontes, & tegmina ſetis
Hiſpida, virtutum titulos, pompaſque jubentum:
Tum ſaltim edocti meritorum pondere ſancti

Imperium veſtro melius præponite Regi.
Perge, age, continuo virtutum ſeminata tractu
* Hiſtoriam pangendo refer, via * verſa Sacerdos
Ingeniumque meum, tu cordis plectra vel oris
Auxilio continge tuo, ut ſani loquentes
Dementes rapiant furioſa ad pectora Muſas.
Nos Martinus agat. talis mutatio ſenſus
Grata mihi eſt, talem ſitiunt mea viſcera fontem.
Caſtalias poſcant lymphatica pectora lymphas,
Altera pocla decent homines Jordane renatos.
Rurſus iter greſſus venerabile Sanctus agebat,
Carnatæ jacent patulis quæ mœnia campis.
Ergo hic, fœcundi dum præterit avia ruris,
Vicinum implevit juſta admiratio vicum.
Innumeri, paſſim coeunt & ſexus & ætas,
Omnis adeſt, nudat vacuos cultoribus agros
Gloria tanta viri: minor eſt jam cura domorum,
Martinum vidiſſe ſat eſt, hoc nomen & ipſi
Pro laudis titulo recte ſtupuere profani.
Et quamquam necdum fidei virtute recepta
Ad famam tanti raptim adfluxere magiſtri.
Stipabat denſum populis rureſtribus agmen,
Texerat expoſitos juſta admiratio campos,
Quem fructum tantæ ſegetis ſatione ſalutis
Commiſſis cupidos gauderes condere clauſtris
Reſpiciens vacuos granorum pondere culmos,
Cum ſubito exanimum nati complexa cadaver
Mater adeſt pulſans caſſos ad viſcera ictus,
Et querulum immergens labris glacialibus uber
Allegans tremulas inter ſuſpiria voces,
Pallenteſque rigans lacrimarum flumine malas.
Perſenſit mens plena Deo vicina faventis
Dona Dei, purum vegetavit gratia ſenſum,
Fideret ut tantam divina ad præmia plebem
Perſpecta ſaltim domini virtute vocandam.
Ergo ut defuncti funus miſerabile nati
Supplex impoſuit mater felicibus ulnis,
Adtacti nutare artus, reſerata patere
Lumina, & infuſam paulatim adſueſcere lucem,
Et plectrum humentis collidens lingua palati
Faucibus expreſſam verbis diſtinguere vocem,
Brachiaque innexo gaudens ſuſpendere collo
Martini amplexus neglecta matre popoſcit.
Pande ſinus patulos populis ditata receptis,
Adjectamque tibi gaudens amplectere plebem
Sponſa Dei, totum rapiens ad viſcera mundum.
Vos vero in miſeris dudum fœtentia buſtis
Idola, gaudendos tandem lugete triumphos.
Quæ non corda tibi cedebant, Sancte, docenti?
Quæ feritas non mitis erat? cum ſemper in ipſis
Regibus oppoſitum contra tua vota rigorem
Prævia molliret domini clementia Chriſti?
Sed mage trux reliquis, vitioque tumoris, & iræ
Terribilis ſolum Valentinianus agebat.
Quem cum ſæpe Ducem ſupplex Martinus adiret
Difficilem allegans duro ſub Principe cauſam,
Tam jugi offenſus Rex ambitione precantis,
Ne ſæpe obſtructas pulſaret queſtibus aures,
Arceri foribus Sanctum jubet. ille repulſus
Deſerit infenſi penetralia turbida Regis
Mallens æterni pulſare ad limina Chriſti,
Atque illam penetrare aulam, quæ regibus ipſis
Jus tribuit, certis concludens tempora metis,
Adſtringens validis licet ora rigentia frænis.
Ergo ad conſuetum remeat mens tota vigorem
Adfligens tenuem defeſſo in corpore carnem,
Exeſam ſtimulans ſetoſo tegmine pellem,
Jejunando diem ducens, vigilando tenebras,
Continuo & fletu connectens tempus utrumque.
Ac ſi quando brevi ceſſiſſent lumina ſomno,
Nuda humus ad tenuem ſat erat ſubjecta ſoporem.
Donec mœſtitiam ſancti miſeratus alumni
Chriſtus ad afflictum ſolatia miſit amicum
Alloquio delata pio, nam lapſus ab alto
Angelus hæc Domini mandati verba profatur.
Perge, age, ut obſtructam penetres ſecurus ad aulam,
Nil ſeptum eſt miſerante Deo: cui regia cæli
Oranti patuit, terrena hæc clauſtra patebunt.
Nec mora divini tanto ſponſore favoris
Certa fides, petit intrepidus penetranda tyranni
Limina, conceſſit tumidi cuſtodia Regis,
Armaque ad excubias dirarum objecta minarum,
Quem poſtquam ſolio ſubito rex vidit ab alto,
Obſtupuit viſu attonitus, torvumque tremente,
Aſpexit minitans regali a ſede miniſtros.
Interea ut ſpreto caperent ſolatia ſancto,
Comminus adſtantem nullo dignatus honore
Immotis preſſit ſubjecta ſedilia membris.
Ecce autem rapido crepitantis turbine flammæ
Ignis atrox vindex divino munere miſſus
Involvit ſolium Regis partemque ſedentis,
Tum demum celeri linquens incendia ſaltu
Excuſſis fixit trepidus veſtigia membris.
Extortum redhibere pio gratatur honorem,
Et blando affectu cauſam removere precandi
Subdens præceptis immitia pectora ſanctis,
Et flectens dociles adverſa jubentia mores.
Quin & larga ſatis regali dona paratu
Ingeſſit. ſed nil de mundi ſumere cenſu
Mens opulenta Deo voluit terrena relinquens
Præmia, ad æterni recondens munera Chriſti.
Nunc quia plebeis viliſſima carmina verbis
Irrupere humili præcelſa palatia verſu,
Contiguo, ut Chriſtus dederit, ſermone loquemur
Subdita ſanctorum meritis faſtigia regum.
Poſtquam, ut tranſcurſi ſignavit pagina libri,
Maximus impoſiti purgavit crimina regni,
Jugibus officiis cœptum ſervare favorem
Prudenter ſtuduit, nam ſic arceſſere Sanctum
Gaudebat cupiens divini flumine verbi
Irriguam potare fidem, de fonte beati
Oris nectareum doctrinæ haurire liquorem,
Diſcere Sanctorum titulos & geſta piorum,
Quæ decertanter ſudarent prælia, quæve
Præmia victores caperent, quæ gloria juſtos
Excipiat, quæ pœna reos clementia Patris
Ut foveat, quantum adficiat ſententia Regis.
Talia quærenti congaudens ſingula Sanctus
Pandere, & ejectis lumen revocare tenebris.
At non inferior tanto Regina marito
Devota obſequiis vincebat ſedula Regem,
Pendens ſanctifico ſemper narrantis ab ore.
Et largo propter ſpargens veſtigia fletu,
Illius æquabat meritum, quæ crine beato
Lota prius lacrimis domini veſtigia terſit.
Verum hæc parva putat ſpeciali accincta ſeorſum
Affectu ſervire parans, ut ſola remotis
Inſtrueret menſas felix Regina miniſtris,
Nec prius adjuncto contendens ſæpe marito
Deſtitit a precibus, quam Sanctum cedere crebros
Continuans fletus jugi ambitione coegit.
Adponit menſam, ſellam locat, ingerit ultro

Lin-

Lintea ſiccandis manibus lymphaſque lavandis.
Et quas obſequio congaudens coxerat eſcas,
Ipſa in perſpicuis properat deferre caniſtris.
Et quamquam officiis numquam deteſſa vacaret,
Supplebat jugem ſtandi virtute laborem,
Pro tanti mercede operis venerabile munus
Micarum fragmenta legens, quibus eſca fidei
Eſuriem ſanctam tactu pretioſa repleret.
O felix virtute tua regalibus iſtas
Anteferens gazas opibus ſervire beato
Mallens, quam toto penitus præcellere mundo,
Ad famulæ nomen referens regnantis honorem.
Non tibi ſidereis radiantia tempora gemmis
Mutavere animum, rutiliſque rigentia filis
Serica, contextoque aurum pretioſius oſtro.
Æquaſti merito tantæ Regina fidei
Illam quæ ſimilis ſolii ſublimis honore
Venit ab extremis Salomonem agnoſcere terris,
Auditu captans docili quod mente retentans
Cordis opes profers verbi ſapientis amore,
In ſe quod tenuit longe progreſſa petivit.
Talis ſubjecti calcati obſtacula mundi
Femina priſcorum titulis æquata virorum.
Nam ſæpe invictos multo in certamine Reges
Sola jugum renuens funeſta ſuperbia vicit.
Recte igitur ſancti donum ſpeciale tuliſti,
Ut tibi mollito paulum poſitoque rigore
Mitia ſiderei cordis ſecreta paterent.
Quam multos licet exiguo laxata ſereno
Frons pia clementer juſſit confidere fluctus,
Quantas ſedavit moderatior aura procellas.
Et breviter rutilans licet inter nubila ſudum,
Quam triſtes hæc menſa reos, quæ vincula ſoluit
Libertas permiſſa parum, quantaſque catenas
Diſcuſſit laxans proprium brevis hora rigorem:
Nam tempus, perſona, locus ſapientibus adſtant
Conſiliis, ſubitaque animum ratione gubernant.
Ne mihi feminei prætendas nomina ſexus
Invide, non artus meritum ſed corda parabunt.
Nec minor eſt natura homini * cum gratia par eſt,
Nec diſtat merito fidei gens, ſexus, & ætas,
Vir, mulier, ſervus, liber, peregrinus, & hæres.
Credentis meritum præſtat, non gloria carnis.
Denique quid ſexum hunc ſtudio meruiſſe fideli
Compertum brevibus cupiens perſtringere ſignis,
Hoc quemcumque dabit Chriſtus ſermone retexam.
Dum progreſſus iter carpit venerabile Sanctus
In noctem vergente die, vicina petivit
Tecta, & gaudentis ſuſceptus culmine vici
Expetiit properans ſancti penetralia templi.
Atque hic ut ſemper benedicti liminis hoſpes
Permiſit feſſum paulum requieſcere corpus,
Laxans exiguo marcentia lumina ſomno,
Ut renovata brevi ſaltim modicoque ſopore
Sufficerent jugi tenuiſſima membra labori,
Ut ferrent vigilem per ſuſtentacula mentem:
Verum ubi tranſegit tenebras & nocte refulgens
Lux operum cunctis propere ſolemniter actis,
Rurſus * feſtinus agit, tum vero fidelis
Turba puellarum, domino quas ſancta ſacrarat
Virginitas carne intactas & corde pudicas,
Nec feſtinantem cæli ad ſublimia mentem
Ad terram premeret fragilis corruptio carnis,
Irrumpit ſanctæ gaudens penetralia cellæ
Hoſpitio benedicta pio, flatuſque recentes
Haurit, & infectas abſorbet anhelitus auras.
Tunc humili obſequio ſolium Doctoris adorant,
Officioque oris raptim loca ſingula ſignant,
Quæ tetigere pedes ſtantis, quæ membra jacentis,
Quæ ſancto benedicta cibo, quæ preſſa ſedili,
Vel quæ proſtratis oranti ſubdita membris:
Ut vero aſpectu benedicti ſtramine lecti
Tentavere pio tepefactum corpore fœnum,
Certat adinventam violenta modeſtia prædam,
Dum partem ſibi quæque rapit, finibuſque repletis
Lævia denſati compungunt pectora culmi,
Atque arcent tenues ſtimulato pectore veſtes.
Quid non vera fides faciat? forte una cohortis
Virgineæ, nec corde minus quam corpore caſta,
Cum quemdam miſerum violento jure retentans
Cogeret in furias dæmon prorumpere juſſas,
Excutiens ſanum captivo a pectore ſenſum,
Auxilio confiſa Dei, meritoque Patroni,
Particulam captæ ſapienter prodiga prædæ
Faucibus innectit miſeri, colloque furentis
Suſpendit preſſum benedicto corpore fœnum.
Nec mora, & adtactu confeſtim territus hoſtis
Arentes ſtipulas ſæva ut incendia fugit,
Impar contactis Martini corpore culmis.
Et tamen eliſus toties totieſque fugatus
Audet mutatis demens occurrere formis
Expertum tentare virum, coramque verendos
Ferre oculos, ſpeciemque tegens monſtrare furorem.
Nam pecudis dorſo inſidens furiiſque petulcum
Concutiens animal, ſeſeque in viſcera mergens
Naturam pecudis funeſta excuſſerat ira.
Vel cum captivæ præſiſtit terga juvencæ
Ferret ut impoſitum non ſolum corpore monſtrum,
Explens infuſum per membra obſeſſa furorem,
Atque miniſterium bacchantis motibus aptans
Sanguineum ſpargens concuſſo vertice rorem,
Lævia dum rubræ percurrunt cornua guttæ,
Igneaque iratam præcedunt cornua frontem,
Efflat & alternas vix creber anhelitus auras,
Pulvereamque ciet curvato poplite nubem,
Et tenues ſurſum tremulus pes ſpargit arenas,
Nempe inter profugas paſſim bacchata catervas
Mitis ad aſpectum Sancti ſeſſore fugato
Adſtitit, atque onere abjecto ſed mente recepta
Agminibus ſociis gaudens ſe bucula junxit.
Deſine nunc ſaltim gregibus te mergere Chriſti,
Poſtquam nec pecudum Sanctus tibi jura reliquit.
* Cedimus, exuperat trepidantia verba loquentis
Gloria virtutum, claris magis edita factis,
Quam linguæ prodenda ſonis obſcura Poetæ
In lucem fando expediant, nos lumine laudis
Vincimur, & tanto oppreſſi ſplendore latemus.
Atque utinam noſtram paulum rareſcere noctem
Gloria tam clari faciat contecta Patroni,
Ne lucem hiſtoriæ tenebroſo corde tegamus,
Et titulum laudis minuant peccata loquentis.
Quod cor non placidum ſancto, quæve ira rebellis,
Quæ feritas non mitis erat? ſenſere moloſſi
Imperium, cum venatu tranſcurſa patentum
Æquora camporum quateret laſciva juventus,
Corripiens celeri vel prona vel ardua ſaltu.
Cornipedes propere multo ſudore madebant,
Et patulis tenues efflabant naribus auras.
Ungula terrifico reſonabat concita pulſu,
Linquens pulveream cita poſt veſtigia nubem.
Nec ſat erat volucrum tam velox curſus equorum,
Pendula ſic pronas æquabant pectora frontes,

Ut

Ut mora cornipedum tardaret vota ſedentum,
Vectorum & curſum tranſiret motus agentum.
Certabant alacres ventos æquare moloſſi,
Vincendi & ſtudio ſpectantum explere furorem,
Pendenteſque procul reſerato guttore linguas
Flatibus alternis tremulus quatiebat hiatus.
Hic tantus labor, hic ſumptus quo, pro dolor! exit?
Quis fructus, quæve utilitas prenſare fugaces
Beſtiolas, leporumque fuga gaudere paventum?
Tempſiſti talem prudens Martine furorem,
Inſontis triſtem caſum miſeratus, hiantum
Ora canum, & trepidos faciens torpeſcere greſſus.
Jam ſi continuum laxaſſet fronte rigorem,
Quo ſale verborum ſociorum abſolvere curas,
Attonitaſque aures paulum refovere ſolebat,
Cum gravitate catus, cum relligione facetus,
Virtutem cordis reſpergens flore leporis.
Pellicea cernens objectum veſte bubulcum
En, ait, alter Adam tales velavit amictus
Nudati obvolvens algentia membra parentis,
Atque novo præſtans ſolatia parva pudori,
Cum poſt tartarei virus lethale veneni
Lubrica deceptum perſenſit ſibila corpus.
At nos exutos penitus penituſque ſepultos
Peccato veteri rurſum nova gratia velet.
Idem detractis detonſo vellere lanis
Adridens reſpexit ovem, tum protinus inde
Ordine de facti ſumens exempla docendi,
Cernite mandatum vilem compleſſe bidentem,
Veſtibus e geminis poſcenti tradidit unam,
Succreſcente alia nolens retinere priorem.
Aſt homines brutæ pecudi ceſſiſſe pudendum eſt,
Sic mage munifico vincat nos prodiga cenſu.
At parte ex alia pratorum dorſa patebant
Diſſimili diſtenta ſitu, pars una voraces
Pertulerat ſuffoſſa ſues, viridemque colorem
Perdiderant glebis nigrantia dorſa ſupinis.
Aſt aliam adroſo detonſam ceſpite triſti
Nudarant armenta fame, proneque fuerantum
Ora boum abſtulerant late telluris amictum.
Roſcida dum patulo carpuntur gramina morſu
Curvatæ ad fauces adtracta aſpredine linguæ,
Prævia quæ teneras adlambens colligit herbas,
Ut denſata avidi ſuccidant pabula dentes.
Nec minus impreſſo protriverat ungula cornu
Elidens crebro viridantia germina pulſu:
Partem aliam illæſi vernantem ceſpite campi
Ornabat vario comens natura decore.
Undabant tenui viridantia gramina flatu,
Impulſaſque levis motabat ſpiritus herbas.
Inſuper innumeri per plana jacentia flores
Diſtincta inſertis pingebant æquora gemmis.
Hos roſeo inficiens tingebat purpura fuco.
Aſt alii niveo inſignes candore nitebant,
Inter quos croceis diſtinguens gramina ſignis
Aurea flavorum rutilabat gratia florum.
Curvant purpureæ gemmantia germina guttæ,
Flectebantque herbas humentis ſuccina roris:
Blandus odor gratum certans æquare colorem
Permiſcens paribus concordia gaudia formis
Paſcebat ſpecie viſum, ſpiramine nares:
Præbebant raræ pergrata umbracula frondes,
Cærulaque implexis nutabant brachia ramis:
Certabant tectæ foliis vernare volucres
Muſica dulciſonis moderantes ſibila linguis,
Purus vicinas paſcebat rivulus herbas
Graminaque adlapſo ſtringens humore fovebat.
* Perſpicui ſubter viſu penetrante lapilli
Criſpabant vitreas per blanda obſtacula lymphas.
Nec poterat merſum ex oculis auferre decorem
Pervia luminibus ſpecies & gurgite tecti.
Quid rudibus conor formas ſignare loquelis?
Expromi hæc verbis nequeunt, quæ munere Chriſti
Effigians melius naturæ gratia pinxit.
Hanc igitur ſpeciem diſtinctam diſpare forma
Aſpiciens Martinus ait. Conferte parumper
Deſpaſti, effoſſi, illæſi loca ſingula prati
Scortorum ſceleri, vel juſto fœdere nuptis
Conjugibus, vel virginibus, quæ corpora Chriſto
Sancta vovent roſei gemmis ornata pudoris.
Ut ſuffoſſa illic ſpecies non permanet agri,
Oblita ſic vitiis Chriſti non fulget imago.
Ut radix hic ſilva manet, ſed gramine ſecto,
Sic nuptis eſt tuta fides ſine flore pudoris.
Ut color, atque nitor florenti ridet in agro,
Gloria ſic puræ fulgebit lucida carnis.
Talia perſpicui dantem documenta vigoris
Attenti & ſemper divina ad præmia cordis,
Quidam adiit monachus neglecta hoc nomen adeptus
Militia, qui poſt lituos & claſſica belli
Maluerat veri ſignis ſe dedere Regis,
Magna crucis Sanctæ melius vexilla ſecutus.
Quin & conſortem thalami ad collegia vitæ
Alliciens, ſociam ſanctis præceperat eſſe
Virginibus, thalami vel carnis jura remittens.
Verum ubi laſcivum rurſum rediviva voluptas
Occœpit ſtimulare animum, penituſque medullis
Indere contempti mortalia gaudia ſecli,
Vix prælibatum cupiens laxare rigorem,
Rurſus in amplexus nuptorum & vota recurrens
Poſt monachi titulos nomen renovare mariti.
Quin & doctorem crebro pulſare tumultu
Adgreditur, tales precibus miſcendo querelas:
Si mihi conjugii Chriſtus ſolatia præſtat,
Dignatus thalamis diverſum adnectere ſexum,
Quis rapiet mihi dona Dei? quis jure novello
Audebit priſcam domini convellere legem?
Talia præcipiti frangentem murmura ſenſu
Mitius adgreditur Sancti medicina Pattoni.
Dic, age, præteritæ recolis ſi tempora vitæ,
An collata acie ſævo conflixeris hoſti?
Quod quia percrebro factum reminiſceris, idem
Reſpice; num lituos inter vel claſſica belli,
Pilaque terrificis pugnantum intenta lacertis,
Diſtrictoſque enſes, accepto & turgida flatu
Serica ſerpentum ſpiras imitata vel iras,
Bellica femineus turpaverit agmina ſexus?
Quis ſcutis ad penſa locus, quis ad arma puellis?
Lævia num decuit reſperſio pulveris ora?
Quod ſi terrenis non ſunt hæc congrua caſtris,
Quidquam ut femineum deceat vexilla virorum,
Num tibi continuo bellum ſudore gerenti
Non mage turpis erit ſpreti permixtio ſexus?
Tempore deſidiæ, talem laſciva voluptas
Inveniat ridenda chorum. cum vero viriles
In campos properant acies, ferrataque lucent
Agmina, femineas defendant mœnia turbas,
Diviſæque armis ſtudeant ſe claudere portis.
Qui vero ad bellum properat, ſolatia temnat.
Talibus effrænæ ſanavit gaudia mentis,
Compoſitoque dedit rurſum nova gaudia cordis,
Pugnacemque virum cum pace ad bella remiſit.

Jam vero hoc quiſnam digne percurrere poſſit
Tam docilem ornarit patientia quanta leporem?
Forte inter ſanctas & corde & carne puellas
Perpetui ſemper pretioſas flore pudoris,
Innuba quas domino ſociarat dedita Chriſto
Virginitas, nexu mentis, non fœdere carnis,
Virtutum quædam ſtudio præcellerat omnes,
Hoc ſpeciale decus titulis addendo pudoris,
Quod ſemel ex oculis cunctorum amota virorum
Servabat caſtum conſtanti corde rigorem,
Nec levis inſtabili nutabat femina ſenſu
Vincens ingenitum virtutis pondere ſexum,
Et prægreſſorum vix rara exempla virorum.
Hujus propoſiti juſta admiratio Sanctum
Perpulit, ut talem recte veneratus adiret
Illectus tanto virtutum flore puellam.
Verum ita conſtanti defixa in pectore manſit
Jam domino devota fides, ut clauſtra pudoris
Septa viris claræ titulos ſervantia palmæ,
Nec tanti poſſit meritum reſerare patroni.
Nec tamen erubuit votivam ferre repulſam
Propoſito gaviſa fides, ſed cuncta benignus
Quæ ſpem contulerant, proprium numeravit honorem,
Plus lucra attendens animæ quam gaudia carnis.
Quam tibi quam ſancto tabies de pectore partem
Ambitio inſani ventis adflata tumoris
Jam penitus proſtrata jacet: nil Chriſtus habere
Cum vitiis commune poteſt: qui laude tumeſcunt
Extolli ſeſe & cupiunt. ſatis adprobat ille
Qui latuiſſe cupit, mundi & faſtigia temnit,
Quum ſoli Domino tribuat quem vitat honorem.
Sed qui laudato malles vileſcere Chriſto
Hoc quoque judicium titulis addendo beatis,
Quam vitando fugis laudem, vivendo mereris.

LIBER V.

JAm ſemel in laudem tanti prolata Patroni
Quidnam lingua ſiles, incondita murmura vocis
Indociles que ſonos per longa ſilentia claudens?
Si rubor eſt tam magna loqui, prius iſta pudori
Lex ſtatuenda fuit, nimis hæc velamina tarde
Attritæ nimium tentas prætendere fronti.
At ſi deſidiæ vili torpore teneris,
Ut terræ mortis triſtis diſcedat imago,
Excute marcentem depreſſo a pectore ſomnum.
Ut vigil ad Chriſtum diſcuſſa morte reſurgas,
Si merito depreſſa jaces, confide patrono.
Quid rea ſupplicii pavitas, cum ſis rea voti?
Ergo age, & extinctam domino committe favillam,
Ut rigor ingenii Chriſto adſpirante tepeſcat,
Et glaciem cordis Martini oratio ſolvat,
Ac faciat brutam quam primum erumpere vocem,
Ut quondam ſimilis meruit miracula facti.
Carnutena jacent patulis qua mœnia campis,
Gallia & immenſis late diſtenditur agris,
Hic jam biſſenis quæ muta ſilebat in annis
Obſtructa, & nullis reſeraverat ora loquelis
Filia, mœſtorum triſtiſſima cura parentum,
Augebat jugem miſeris vivendo dolorem,
Annorum & ſpatio creſcebant vulnera luctus.
Heu quoties doluere aliis indulta potentis
Dona Dei periiſſe ſibi, cum ſæpe viderent
Vixdum reptantes in verba erumpere parvos,
Nominaque & teneris præfracta exire labellis?
Cum murmur dubium pietas prægreſſa notaret,
Incertam agnoſcens affectu interprete vocem,
Excipiens quaſi dicta ſonos, rapienſque loquenda
Hæc quæ poſt primas aliis ſunt præſtita cunas.
Æmula bis ſenis pietas defleverat annis,
Cum luſtris geminis mœrens, anniſque duobus,
Optaret primam nubendi ad tempora vocem.
Donec Martini genibus connexus & hærens
Exanimis genitor lacrimoſo flebilis ore
Aſtrueret cunctam gemitu pandente querelam,
Attracta ex imo ſuſpiria pectore ducens,
Singultu incidens crebro lacrimabile murmur,
Ac madidum pectus perfundens imbre genarum.
Et jam Martini mentem concuſſerat almam
Adſuetæ pietatis amor, ſed cauſa morarum
De probitate fuit pretioſi cura pudoris,
Et ſemper claris ſocianda modeſtia factis,
Ne quod contulerit meritum jactantia perdat,
Et virtutis opus vitiet præſumptio cordis.
Ergo, ait, indignum tanti ad miracula facti
Me reor, & trepida pondus cervice paveſco,
Quod ferre infirmus nequeo, ne ſarcina major
Deprimat, & nimio invalidus ſub faſce laborem.
Sed non difficilis quævis curatio Chriſto eſt,
Qui recte hæc aliis committit ſigna miniſtris,
Sanctorum ut meritum domini miracula prodant.
Ecce duo adſiſtunt clari probitate fideque,
Et virtute viri, quos recte evexit ad iſtum
Talis vita locum. numquid non promptius illis
Hæc domini medicina dabit, quæ grandia noſtrum
* Excedunt meritum, ſed non ſunt ardua ſanctis.
Talia ſæpe iterans cordis documenta modeſti,
Et meritum renuendo probans, hoc dignior extat,
Quod comit reliquos pretioſa modeſtia mores,
Invidiamque fugit qui ſe conferre paveſcit.
Hæc cernens genitor Sancto vehementius inſtat,
Hos quoque conjungens precibus, quorum ille tegendam
Dixerat eſſe fidem, ne vel differre liceret,
Quod germana pie Chriſto adſpirante voluntas
Suaſerat, atque paris concordis gratia juris,
Submotis igitur populis ne forte receptum
Oranti obſtreperet confuſo murmure vulgus,
Aut oſtentaret proprias jactantia vires,
Hos tantum adjunxit ſocios, quos culmen honoris
Fecerat eſſe pares, & queis par cura precandi,
Par ſtudium, connexa fides, conjuncta voluntas.
Additur & genitor trepidans, quem munera Chriſti
Acrius optantem faciebant vota fidelem.
Tum ſublimi animo erectus, ſed corpore pronus,
Surſum cor ſanctum ſtatuens, ſed membra deorſum,
Carne jacet, ſed mente viget, conſcendit in altum
Mens conjuncta Deo, premitur jactantia carnis.
Sic via diſſimilis concordi adjungitur actu.
Sic humilis properat quo præceſſere fideles.
Nec mora, & adſueti perſenſit ſigna favoris
Adſidue Sanctus congaudens hoſpite Chriſto
Cordis ſæpe fores ad talia munera pandens.
Tum benedicendo promi præcepit olivum
Oblatum inficiens verborum nectare ſuccum,
Per quem mutato venit medicina liquori.
Qui poſtquam infuſus gratantis in ore puellæ,
Confeſtim innexæ ſolvuntur vincula linguæ,
Et madidas implens ſubito ſpiramine fauces
Murmur blandiloquæ vox expectata revixit.
Ac primum trepidam proprie ſignare loquelam

Incertoſque ſonos genitoris nomine ſumpſit.
Hæc vox prima fuit, primoque loquentis ab ore
Eripuit pater, atque auditam in viſcera merſit.
Exin proſtratis ſupplex complectitur ulnis,
Quique preces ſolus tulerat reticente puella,
Jam domino grates non una voce rependit.
Nec ſane alterius minor admiratio facti eſt,
Cujus me memorem medicati infuſio ſucci,
Et decantati benedictio fecit olivi.
Et quoties pietatis opem medicina popoſcit,
Diſparibus cauſis par gratia ſanctificavit:
Namque, ut ſæpe ſolent præcauto corde fideles,
Vas oleo oppletum ſervando ea ducta ſalutis
Vel juſtis offerre viris, vel condere ſanctis
Relligione locis, quibus aut operatio præſens
Martyrii emeritos prodit virtute patronos,
Aut quibus in cunas verbum veniſſe beatas
Vel recolit manifeſta fides, vel lectio prodit,
Aut ubi contiguæ præcedens tempora lucis
Horreſcens diræ ſcelus exitiabile gentis
Inſeruit ſubitas nox interfuſa tenebras,
Aut ubi diſrupti felicia concava ſaxi
Attactu gaviſa Dei, ſine lege ſepulcri
Mox ſurrecturis patuerunt ſubdita membris.
Aut hinc jam reducis gaviſa ad ſidera Chriſti
Poſtrema excepit felix veſtigia tellus:
Quæ tam ſanctifici conſervans munera tactus,
Quidquid adornatum commentum dextra paravit,
Dedignata ſuis longe diſcuſſit arenis,
Disrumpens fragilem transfuſo pulvere cratem
* Extenti diſſolvens ſepta metalli.
His perſæpe locis, quibus hoc vicinia præſtat,
Pacificum exponunt per vaſcula pura liquorem,
Deſuper infuſi motandum nectare roris,
Quo fluit in ſanctum cæleſtis gratia ſuccum,
Aut quos longarum ſpatia interfuſa viarum
Diverſa amotos penitus regione retentant
Credentes dominum non claudi fine locorum,
Et miſerantis opem cunctas excedere metas,
Incunctante fide præſentia munera poſcunt
Præſentis Domini, qui pro virtute favoris
Non longe ad ſeſe venientum vota fatigat,
Propter & amotus contingit ubique rogantes,
Nec tardos vitat, properis vicinior adſtat,
Fitque viæ finis ſolus conatus euntis.
Hæc qui corde gerunt quacumque in parte vocati
Munus habent domini, ſeu ſacris credita mandent
Vota viris, ſeu ſacratis quæcumque recondant
Sanctificanda locis. Chriſtus quod corpore ſancto
Non adiit, virtute tegit, licet ille reverſus
Ad ſublime poli jamdudum & corpore regnet.
Hæc ſecum ſtimulante fide perſæpe revolvens
Excedens fragilem ſexum virtute fidei,
Et non feminei ſublimis femina cordis,
Credidit, emiſſum tum ſancto offerret olivum
Quod precibus tanti pietas vicina miniſtri
Non aliter votis Martino orante faveret,
Quam ſi pernici propere translata volatu
Intra ipſum Domini ferret ſua vota ſepulcrum,
Vexillum complexa crucis, lignumque ſalutis.
Tali plena fide canenti ſedula vitro
Sollicitis manibus viridans infundit olivum.
Permutat niveum deſcendens unda colorem,
Et tacito manans in concava ſubdita lapſu
Creſcit per nitidi paulatim augmenta liquoris,
Ac ſonitu reticente ſilens pinguedo tumeſcit.
Attamen ut vacuæ fauces ad clauſtra paterent,
Nec nimis oppleto nutaret dextra fluento,
Qua de ſubjecto conſurgunt colla rotundo,
Oris adhuc vacui patulus reſidebat hiatus.
Tum puer accepto properans perrexit olivo
Ad ſanctum referens & vota & verba precantis.
Nec tardat pietatis opus, cita gratia juſtum
Commendat ſtudium, ne vel cunctando fidelem
Differat, aut dubium faciat mora parva favorem.
Confeſtimque Deus per ſigna indulta probavit
Quantum conferret præſens benedictio donum,
Ne fortaſſe fides ſenſu trepidante labaret.
Præſentes ſtupuere viri, quod Chriſtus adeſſe
Juſſerat electos tanta ad miracula teſtes,
Sic creviſſe illum Martino orante liquorem,
Ut ſurſum elati conſurgens unda tumoris
Oppleret vacuam ſuſpenſo gurgite partem,
Sic jugi ad ſummum properans ne linqueret imum
Ferveret exundans, confidens plena maneret,
Creſceret infuſis, ſed non vacuanda receptis:
Ad dominam donec felicia dona reportans
Pergeret exultans famulus, meritumque beati
Offerret tantis congaudens dextera ſignis.
Talis præclari benedictio ſancta prophetæ,
Cum vidua exiguum finiſſet prodiga ſumptum,
Vaſcula manſuris ſupplevit inania donis.
Ut quæ munificæ dederat documenta fidei
Ditior expenſis fieret ſecura petitis.
Nec ſane ut reliquas paveam contingere laudes
Virtuteſque viri, ſaltim hæc narrare valebo,
In quibus ejuſdem ſimilis benedictio ſucci
Multiplicis digne poſcit præconia vocis.
Una fides medicina frequens non diſſonat actu,
Sed ditat numero par ſignis altera donis.
Teſtis adeſt docto mirabilis ore Severus,
Et tota Chriſtum cordis virtute ſecutus,
Inſignis mundi titulis, ſed clarior illa
Qua mundum ſprevit ſanctæ virtute fidei,
Nobilitate potens, ſed multo extentius idem
Nobilior Chriſti cultu quam ſanguinis ortu.
Hic ſacrum canonem, diſtentæ & ſcripta coarctans
Hiſtoriæ, geminis concluſit cuncta libellis,
Quæcumque a primis percurrerat edita ſeclis.
Idem Martini titulos, vel geſta retexens
Scrutator cautus veri fiduſque relator
Protulit in medium tam claræ inſignia vitæ.
Sic juſtam retinens æquato examine libram,
Nec dubia adſtrueret dicens, nec certa taceret.
Hic Sancto perſæpe pie ſociatus adhæſit,
Ut ſolet in ſpeculo cordis perſpectio mentis
Cognatæ ſimilis morum ſociare figuras.
Quo magis credendum eſt teſtem magis eſſe probatum,
Qui coram comperta docet cum viſa loquatur.
Ergo inter reliqua affectus documenta popoſcit,
Sumeret ut ſancti munus ſpeciale liquoris:
Cui poſtquam fido tribuit benedictus amico
Congaudens virtutis opem, monumenta favoris,
Invexit domini cui relligione fidei
Credens indultam ſeſe deferre ſalutem,
Et ſtatuit celſæ ſublimi in parte feneſtræ,
Qua prætenta diem claudunt ſpecularia parum
Obvia ventorum flabris, & pervia luci.
Hic niveæ ampullam texit velamine pallæ,
Ut diſtenta vagos prohiberent lintea viſus
Occurſura oculis, ſed non arcentia mentes.
Tum puer ignarus properantis turbine dextræ

Dum

Dum rapit incauto feſtinus tegmina niſu,
Vas vitreum illidens in marmora ſubdita jecit.
Exanguis ſtupuit Domino pallente miniſter,
Et ſonitus rapido reuit ad faſtigia pulſu,
Tinnituque vago ſimul omnia murmure complens
Inliſit ſemet, ſumma ſurrexit ab imis.
Non ſenſit tantos ampulla impacta fragores,
Illæſa & vitreæ manſerunt tegmina cruſtæ.
Sic liquor interior fragili concluſus amictu,
Exteriora cava duravit tympana cratis,
Marmora ut in plumas penitus mutata putares
Excepiſſe illam per mollia fulcra ruinam.
Sic, Martine, tuum ſic jugis gratia donum
Sanctificata pie recipit, benedicta tuetur.
Quidam, cum diri violentia ſæva moloſſi
Irrueret quatiens furioſos gutture ictus,
Rugatas retrahens oris de tegmine nares,
Nudatos crebro collidens murmure dentes:
Tam ſubito terrore pavens, non fuſte, nec ictu,
Sed ſolo os rabidum Martini nomine clauſit.
Quod ſimul inſonuit, compreſſi hæſere latratus,
Erectæ cecidere jubæ, torvumque minaces
Extantesque oculi ſuffuſas ſanguine flammas
Depoſitis clauſere minis, tum blandius aures
Mulcere & terram contorta verrere cauda,
Et caput inflexo pronum demittere collo.
Quæ merito, Martine, tuis non mitia cedant,
Cum tantam rabiem vel ſolo nomine vincas?
Quis nunc miretur ſævorum corda virorum
Cedere, & humanos ſibimet miteſcere motus,
Ut quondam ſtupuere homines, quod dira poteſtas
Et vis crudelis tibi ceſſerit Aviriani,
Cui feritas connexa minis & ſola voluptas
Ungula, carnifices, tortores, flagra, catenæ,
Mors hominum, vox plangentium, pallorque reorum,
Carcer edax, faſſi interitus, tormenta negantis.
Tartarei nimium ſæviſſima beſtia cordis
Spirans innumeras furioſo pectore cædes,
Immiti feritate fremens intraverat urbem,
Quam Sancto Antiſtes Martinus honore regebat.
Mœſtorum pallens infelix ordo reorum
Hærebat, nexis pe ſquallida colla catenis,
Incutiens fractis ſtridentia vincula membris,
Et morans tardos incurvo pectore greſſus.
Talia Martino Phalaris ſpectacula præſens
Proxima diverſas parat ad ſubſellia cædes.
Feſtinant rapidi furialis turba miniſtri
Inſtrumenta feris certatim exquirere pœnis.
Illi ad tartareas depromunt vaſcula flammas,
In quibus incluſo diri fervore vaporis
Pix reſoluta trucis crepitacula poſceret ignis,
Qui procul exundans funeſtæ gurgite flammæ
Sulphureo exceptum torreret corpus in antro.
Aſt alii ſurſum porrecti robora ligni
Triſte miniſterium furioſo corde parabant,
Ut caro diſtentis propere male pendula membris
Torrori laceros crucianda exponeret artus,
Tartareo miſeram perfundens ſanguine dextram,
Et ſpargens triſtem per vulnera crebra cruorem.
Utque eadem geminum ſatiaret pœna furorem,
Incuſſor laceri quatiebat corporis artus,
Deſpiciens ruptis membrorum vincula nodis.
Aſt alii deferre faces, atque unguine multo
Inficere in longum contextæ vincla papyri,
Non ut diſcuſſas lux vinceret illa tenebras,
Obſcuram ignifluo diſtinguens lumine noctem,
Verum ut funereos miſeris ſuccenderet ignes
Infigens laceris admota incendia membris.
Hæccine Martino debuiſſet in urbe videri,
Et placidam tanto configi vulnere mentem,
Ut ſanctas ſaltim fama hæc contingeret aures,
Aut pia concuteret vel ſolus viſcera rumor?
Ergo ut funereo mens eſt percuſſa paratu,
Nuncius & diri ſæva hæc commenta tyranni
Prævia vicini diſperſit ſigna furoris:
Percurrit totas miſeratio juſta medullas,
Ac ſparſit celerem pietatis flamma calorem.
Et quamvis mortes miſerorum flere reorum
Cogeret humanos recolens clementia caſus,
Non minor illa aderat præſentis cauſa doloris,
Idem quod fautor ſceleris, qui criminis ultor,
Se faceret prius ipſe reum plectendo reatum.
Craſſior obtectum caligo obvolverat orbem,
Grata quies placidum per cuncta elementa ſoporem
Sparſerat, & madido marcebant omnia ſomno,
Preſſaque mutarum reticebant murmura vocum.
Horrebant mediæ nimis alta ſilentia noctis
Obſcura. & proprium caligo fuſa calorem
Texerat, abripiens cunctis ſua ſigna figuris.
At non Martino capiendæ cura quietis,
Sed ſancta adſiſtunt humanæ vota ſalutis
Affectu ſtimulante animum: petit ergo cruenti
Judicis inſtanti ferali limina greſſu,
Solus & intrepidus per opaca ſilentia vaſtæ
Noctis, & horrentum ſecreta obſcura viarum.
Credo quidem umbrarum cunctas ceſſiſſe catervas,
Quas malus inſtigat nocturna ad crimina dæmon,
Atque alias diros blande ſiluiſſe moloſſos,
Terrificique oris ſtrictum ſiluiſſe latratum.
Ergo ubi perventum eſt obſtructa ad limina diri
Judicis, & ſævi clauſtrum ferale furoris;
Ante domum media proſtratus in aggere ſeptis
Arcetur foribus, ſed fletu ſidera pulſat.
Sæva gravem tumido perflabat pectore ſomnum
Beſtia diſtentis, & mortis imagine membris
Torpentes penitus ſtratis rejecerat artus,
Cum ſubito Angelicus concuſſit viſcera terror,
Vox etiam attonitas ſtupefacti irrupit ad aures.
Tene gravi infelix oppreſſit inertia ſomno
Beſtia, corrupti ructantem pocula vini,
Ac pigrum cordi diſtendit ſarcina ventris,
Et famulus Domini nudæ ſuper arida terræ
Dorſa pium multo perfundens pulvere corpus,
Pro foribus jacet ecce tuis, ut clauſtra quietus
Objicis ad turpis nocturna ſilentia ſomni?
Diriguit viſu ſubito, propereque vocatos
Præcipit ad clauſtrum rapide properare miniſtros,
Ut ſeriem veri per nuncia verba referrent.
Verum ut ſæpe ſolet membris torpore ligatis
Grata quies preſſum vincire & vincere ſenſum,
Progreſſi paulum vix prima ad limina ſervi
Marcentes viſu nimium, greſſuque labantes
Murmura perplexis reddunt fallacia verbis
Nullum pro foribus ſolerti indage repertum.
Rurſum vicini longe ſemota voluptas
Marcida confeſtim concluſit lumina ſomno.
Tum vero tremefacta novus præcordia terror
Concutit, Angelicæque minax ſententia vocis
Surgere præcipitem præceptum iterando coegit,
Nec placuit rurſum mandati adferre periclum.
Ipſe ad clauſa cito contendit limina greſſu.
Obſtructæque fores domino reſerante pateſcunt.

Obfulſit claro venerabilis ore ſacerdos
Oſtentans ſancto virtutum ſtemmata vultu:
Florebat multis elucens gratia ſignis
Relligione, fide, affectu, pietate, pudore,
Mens læta in gravibus, conſtans, & ſeria lætis,
Nec feritate rigens, nec riſu auſtera reſolvens,
Prorſus ſic media ſemper probitate refulgens,
Ut non ira trucem faceret, non gratia ſegnem.
Talis pallenti ſpecies veneranda tyranno
Occurrit terræ diſrumpens nubila noctis.
Et jam prodiderat ſine verbis conſcia tanti
Mens ſceleris, quæ cauſa pii foret illa laboris.
Nec precibus pandenda fuit, prior ipſe paventem
Protulit, & tremulo confuſus pectore vocem,
Cur mea, ſancte, metu dudum torpore fatigans
Excuſſo penitus turbas præcordia ſomno?
Tu foribus procul arceris, penetralia ſancto
Irrumpis merito, ſubſiſtis corpore, jure
Ingrederis, terrore quatis qui carne moraris.
Nec ſane abnuerim meritis hæc debita noſtris,
Cum duro innumeras ſpirarem pectore cædes
Sævus in urbe tua, precor ergo, ignoſce fatenti,
Utere jure tuo, parci cupis, eſto remiſſus,
Suppliciis emitte reos, me ſolve reatu,
Nec mora, laxatæ raptim cecidere catenæ,
Quæ modo pallentum ſtringebant colla reorum,
Servantes diræ morientia corpora morti.
Exultat ſubito miſeris ſpes reddita voto.
Lætitia mixtoque metu tam magna repente
Credere diffidunt trepidi, ſed credere malunt.
Certant gratantes genibus ſe advolvere ſanctis,
Cingere ſupplicibus veſtigia blandius ulnis.
Ille Deo grates ſuadet magis eſſe ferendas,
Auctoremque hujus Chriſtum monet eſſe ſalutis,
Qui ſic criminibus parcat, ſi vera dolorem
Commiſſi ſceleris ſaltim converſio prodat,
Nam pœnas ſupereſſe reis durante reatu.
Talibus alloquiis ſimul & pietate laborans
Supplicio abſolvit vinctos, culpiſque ſolutos.
Jam vero hoc donum quæ digne lingua loquetur,
Quod pavet attonito ſaltim contingere ſenſu
Mens ad tam clari titulos anguſta Patroni?
Sic meritum ſancti cunctas trepidaſſe catervas
Dæmonis, & tanti ſic prodita ſigna pavoris,
Ut quoties propriæ progreſſus limina cellæ
Eminus amotam greſſus moviſſet ad urbem,
Commiſſam invileos ſancto moderamine plebem,
Vel cupiens offerre ſacri myſteria ritus,
Gratia ſic rapido propere prægreſſa volatu
Torqueret trepidas captivo in corpore larvas,
Ut vixdum egreſſum ſanctæ penetralia ſedis
Per tormenta prius longe prægreſſa viderent
Adfore confeſtim, ſtridenti & murmure vocis
Judicis adventum clamaret pœna reorum;
Ut vero in foribus veſtigia prima locaſſet,
Cernere erat raptis propere ad ſublimia membris
Conſtricta aereis attolli corpora vinclis.
Et per inane gravis nutantia pondera carnis
Linquere contiguas pernici turbine terras
Supplicio ſuſpenſa ſuo, ſed libera nexu,
Vincta precum meritis, propriis pendentia pœnis,
Clamare admiſſas tacito ſub judice culpas,
Nec percontantis confeſſio reddita verbis
Eruta per trepidam prodebat crimina vocem.
Namque ſolo adclivis tranſibat ſidera voto,
Spe Dominum tangens ſanctus, ſed corpore pronus,
Corde humilis, celſus merito, ſine murmure clamans,
Occultus viſu judex, virtute probatus,
Ad cujus meritum miracula tanta paterent,
Inter inane reus pendens, & in aere tortor
Porrectis ſurſum pedibus, conſtricta rigentis
Vellera veſtitus, tectis hærentia membris,
Ne flexu curvata ſuo vel lapſa retrorſum
Nudarent turpes appenſi corporis artus.
Sic meritum, Martine, tuum, ſic ſancta poteſtas
Et prodenda Dei per ſervos gloria Chriſti
Excedens terras titulis & in aere regnat.
Siccatas etiam certum eſt te ſupplice nubes,
Grandinis & diræ ſuſpenſam hæſiſſe ruinam
Conſtricto penitus denſanti gurgite nimbi,
Qui gravis & rigidi connexus frigore venti
In lapides duratus aquis, ſic turbine crebro
In terras ſolidi jaciebat ſaxa liquoris,
Ut fruges, arbuſta, hortos, pomaria, vites
Protererent crebris nimborum tela ruinis,
Confoſſa & valido quateretur verbere tellus.
Hæc peſtis Senonum late graſſata per agros,
Supplicii & leges conſueta explere quotannis
Eliſa aſſiduis nudaverat arva ruinis.
Amiſſam ſegetem pavens referebat arator
Perfracti penitus plangens veſtigia culmi,
Et foſſor vacuam ſine fructu & palmite vitem,
Sæpe gemens jugis poſt annua vota laboris
De jam turgidulis numerabat damna racemis.
Monſtrabat fractos mater mœſtiſſima ramos
Repere conſuetis per mitia pomula natis,
Propter & arentis pallentia germina campi
Mugitu pecudum reboantia ſaxa ſonabant.
Tabida luſtrabant vacuos armenta receſsus,
Quo poterant gemitu querulam teſtantia cauſam.
Hoc igitur compuncta malo plebs cuncta vel ætas
Tam clarum ſibimet cupiens adhibere Patronum,
Martinum exorat legato interprete ſupplex,
Ut placare Deum ſtudeat, veniamque precari
Pro miſeris, tandemque gravem depellere peſtem,
Suppliciis ſatis eſſe datum, clementia Chriſti
Auferret nimiam ſaltim poſt verbera cladem,
Nec ſane miſeros ſpes expectata fefellit.
Nam ſimul a Domino ſemper connexus & hærens
Martinus ſolitæ pietatis dona popoſcit,
Suffragium ſenſere pium, depulſa quievit
Tempeſtas, puroque dies nituere ſereno,
Aut exoptatis maduerunt germina nimbis.
Nec ſpatio conſtricta brevi, ſed tempore longo
Gratior extentis commendans munera metis
Quatuor & plenis permanſit gratia luſtris:
Nec prius inſanæ ſenſerunt damna procellæ,
Quam dominus clauſo præſentis tempore vitæ
Ad requiem veram benedictum adſumpſit amicum.
Sic utriuſque piæ tranſegit tempora vitæ,
Ante ſalus terris, at nunc ſublimis in aſtris.
Et jam longa nimis languentis pagina libri
Enervat clari titulos & geſta patroni
Gaudia dum parvus loquor, & ſublimia ſegnis
Splendorem laudis trepidus corrumpo relator.
Sed quid agam? verſu hiſtoriam percurrere novi,
Judicium narrata timent, ſuppreſſa reatum.
Rectius hæc lector fors faſtidita relinquet,
Quam pius auditor penitus ſubtracta requiret.
Et prius immitem jam contigit Avitianum
Sermo prior, nunc ordo operis revocatur ad ipſum.
Hic ſævos vincens dira feritate tyrannos,

Triſtia

Triſtia mœſtorum ficiens tormenta reorum,
Parcebat paulum Turonorum mitior urbi.
Hic tantum humani ſenſus veſtigia prodens,
Subdebat ſanctis licet ora rebellia frænis
Ingenitum reprimens Martini ad juſſa furorem.
Et ſane manifeſta hujus documenta medelæ
Sic quadam patuere die. venerandus adibat
Martinus diram tali ſub judice ſedem,
Lenior ut tantis lenitas miteſcere poſſit
Officiis, ſancti obſequiis obſtricta patroni.
Ille in præcelſo reſidebat ſorte ſedili
Conſpicuus, ſolio excellens nimiumque ſuperba
Ambitione tumens, ſubito cum Sanctus ad ipſum
Aſpiciens videt horrentis tetrique cruentam
Dæmonis inſani ſpeciem cervice reclivis,
Innexam toto pronam decumbere niſu.
Quam procul ut flatu benedicti contigit oris
Sanctus, & admoto verbi terrore fugavit,
Ignarus ſocii ſe credidit Avitianus
Excepiſſe gravem maledicti in imagine pœnam.
Ille refert, ne crede meo te forte notatum
Judicio, aut ſubiti ſignum hoc exiſtere motus:
Hæc pietas, non ira fuit, quæ ſævit in hoſtem,
Pro miſero miſerata dolet, prorumpit in illum
Hic noſter toto penitus de pectore flatus,
Quem premere horrendo celſa hæc ſubſellia niſu,
Quemque tuæ pronum cervici incumbere vidi.
Deſine jam talis collegia ferre latronis,
Conſiliis plus crede piis, depenſa fugetur
Calliditas, experta dolos cautela repellat.
Jam pudeat parere reo, ſervire fugato.
Talibus ejecto præcluſa eſt janua cordis
Dæmonio, ſediſque ſuæ prærepta poteſtas.
Mitior hinc proprio tandem ſine judice judex,
Et gravis excuſſo rejecta eſt ſarcina collo:
Sic cuncta extruſos hoſtes de ſede fugabat,
Corda hominum abſolvens, profugis nec templa relinquens.
Nam quidquid vanus fanorum extruxerat error
Ardebat pronis late vaſtare ruinis.
Haud longo ſpatio præfata amotus ab urbe
Vicus erat, veteris quondam veſtigia caſtri
Tunc famulis habitata Dei, Chriſtique miniſtris.
Ambaciæ nomen priſcum prior incola dixit.
Hic immenſi operis præcelſam extruxerat ædem
Sacrilegi quondam vecors dementia cœtus:
In conum ſurgens turritæ molis in altum
Miriricum tendebat opus, ſic prorſus ad unguem
Connexis ſemper crebro licet ordine ſaxis,
Ne celſum nutaret onus, ne rima pateret,
Sed pulcra admotos lapides compago ligaret.
Quo magis artificis ſtudium rationis egentes
Attonitis ſtupuere animis: ſic ſtulta pudendo
Relligio invaluit venerans pro numine ſolum
Ingenium, geniumque Dei de nomine fabri.
Hanc igitur Sanctus ſubverti juſſerat ædem
Martinus, neglecta diu mandata fideli
Presbytero exprobrat, tamen ille hæc juſſa modeſte
Expleri potuiſſe negat, ſatis ardua feſſis
Hæc monachis, pauciſque Dei docet eſſe miniſtris,
Quæ vix collectæ vacuato rure catervæ
Aut deſudantes poſſent explere cohortes:
His patuit penitus juſta excuſatio verbis,
Nec ſpes eſt infracta tamen, non ille vocandis
Vota parat populis, nec toto ex orbe coactas
Ambaciæ ad vicum properat deducere turmas.
Auxilium cæleſte vocat, ſpes omnis in illo eſt,
Qui Cælum terramque regit, cui militat aer,
Et permanſurum ſervant elementa pavorem.
Rurſum igitur ſetoſi habitus, ſtimuliſque reclivem
Conſueti penetrare cutem, connexa rebelli
Vellera duritie rigidis in vulnera filis,
Pervigiles iterum gemitus, jejunia rurſum
Dilatis renovata cibis, noctiſque laborem
Mox ſucceſſuro rurſum jungentia ſoli.
Nec longa hoc votum mora diſtulit, ecce reverſo
Tempeſtas violenta die circumſtrepit ædem
Turbine ventorum ruptis in flumina nimbis,
Dividuæ excuſſo ſcinduntur lumine nubes,
Et collectarum ſuper ardua moles aquarum
Rauciſono impactam collidit turbine cratem,
Reddit & expreſſum nimborum pugna fragorem,
Intremuit tellus, imoque excuſſa profundo
Reſpuit impoſitæ fundamina pendula molis
Disjiciens ſparſam procul a compage ruinam,
Et per prona rotans diſruptæ fragmina molis.
O nimium dilecte Deo! te ſupplice Chriſtus
Jam pronos celſo ſiccavit in aere nimbos.
Ad tua vota iterum celeres rediere procellæ,
Accincta & gravibus nigrantia nubila ventis
Parcere juſſa ſatis, validas rumpentia moles,
Mollia graminibus, duriſque inimitia ſaxis.
Nec minus hoc meritum fuerit, nec diſpare cauſa
Gloria conſimilis pariles imitata triumphos.
Idolicam effigiem celſiſſima fulcra columnæ
Tollebant junctis procul ad ſublimia ſaxis,
Altior ut ſpecies ſolioque elatior iſto
Diſpiceret miſeram conficto numine plebem.
Hanc quoque Martino cupienti evertere molem
Cuncti defuerant ad talia vota paratus,
Sed ſpes ad Dominum ſemper feſtina manebat.
Ergo ut pernici revolavit ad æthera ſenſu,
Auxiliumque citum cælorum a Rege popoſcit,
Ignea conſimilis ſpecie, ſed lumine diſpar
Comminuit fragilem delapſa columna ruinam,
Sulphurea advolvens crepitantes flamma favillas,
Fumantem attollens ambuſto e pulvere nubem,
Atque exundantem conſumta mole vaporem.
Sic rutilo, Martine, polo, ſic turbine venti
Connectis geminos vel nube, vel igne triumphos.
Nec mirum ut Dominus ſervo promiſſa fideli
Tam Sancto impleret famulo, qui dixerat olim
Attonitis nimium tanta ad miracula ſervis:
Hæc veræ fidei ſeſe documenta daturum,
Ut majora horum credentes ſigna probarent.
Quid mirum eſt eadem Dominum compleſſe fatentem
Per ſervos, qui plura piis ſpondere miniſtris
Dignatus ſurſum ſublimia corda vocavit.
Nam ſicuti prodit cæleſtis pagina libri
Femineam teſtata fidem poſt flumina multi
Sanguinis, & triſtem conſumto corpore labem
Attactu veſtis celerem remeaſſe ſalutem:
Sic data Martino eſt ejuſdem gloria facti,
Sed ſanante Deo, qui nunc quoque celſus in arce
Stellantis ſolii tangi per membra probatur,
Quæ capiti æterno ſancta compage cohærent.
Quid non mite pio, quæ non ſubjecta fideli
Monſtra viro? juſſi parebant ſæpius angues,
Nec ſuberat victis feritas cognata venenis.
Tranabat virus propter vada proxima ſerpens,
Et vitreas ſulcabat aquas, extabat ab undis
Cum cervice caput, ſindebat pectore ſummum
Feſtinus fluvium, reliquos per cærula tractus

Flectebat vario ſinuamina lubrica motu,
Intorquens lævis curvata volumina caudæ,
Et vibrans tremulam medicata in vulnera linguam.
Hunc ubi vix medio Martinus in æquore vidit
Contiguæ properum jamjamque accedere terræ,
Compulit his dictis raptim remeare retrorſum
Obſtrictum virtute Dei, vel numine Chriſti.
Nequaquam ad veritam ulterius contendere ripam
Te jubeo. ſtetit in medio mala beſtia fluctu
Et fractos rigidus torpor connexuit artus,
Membraque captivo paulatim hæſere natatu,
Donec præcluſo præſtricti gurgitis æſtu
Languida promiſſo flaitarent colla profundo,
Et retro ſeminecem ferret piger alveus anguem.
Atque utinam noſtrum ſimili virtute venenum,
Quod male tranſcurſæ vitiavit lubrica vitæ
Immergens rapido ſemper mea crimina ſeclo,
Convertat Sancti miſeratio fida patroni,
Cogat & oblitæ rurſus meminiſſe ſalutis,
Ne prona in luteo mergantur membra profundo,
Infectum & madeat vitiorum gurgite corpus,
Sed ſtabiles ſurſum virtutum in margine greſſus
Inſiſtant fidei, terrena & gaudia calcent,
Quæque fluunt celeri cupiant evadere niſu.
Hoc tantum, & paulum ſubſiſtam ad flumina voto,
Dum clari titulos recolens percurro patroni,
Ad cujus meritum gaudens ſe ſubdere ſanctis
Paruit imperiis juſſarum gurges aquarum.
Continuum ſemper jejunia ducta per annum
Laxabant paulum ſanctæ Solemnia Paſchæ:
Mitius his tantum cruciabat membra diebus.
Tum ſolum exiguum piſcem ſumebat in eſcam.
Sed dum ventu is ſervantur tempora ſignis,
Conſueta officii votum captura feſellit.
Ille ubi piſcantum vanum fluxiſſe laborem,
Lignaque per vacuum flaitaſſe eatenta profundum
Agnovit querulis mœrentum murmure verbis:
Nam reliquis præſens Diaconus ſatis ore fideli
Adſtipulator erat, quem cura inſtantior hujus
Obſequii vigilem prægreſſæ tempora noctis
Et feſſum exacta præſentis parte diei
Teſtem communis faciebat adeſſe laboris.
Cujus ut anxietas ſancti pia viſcera movit
Permotus mœrore pio, perge, inquit, & amnem
Tranſcurſis propere ſollers ſcrutare fluentis,
Jam tibi captivam concludent retia prædam.
Nec mora, confiſus tanti ſermone magiſtri
Feſtinat Diaconus, trepido ſpes reddita voto eſt,
Nec dilata licet properum captura feſellit.
Nam ſimul ac modico ſepſit vada proxima lino,
Incuſſus tremuit motato cortice ſunis,
Implicitam prodens ſuper invia cærula prædam.
Innexam propere vicina ad littora traxit
Congaudens celocem, tum toto pectore pronus
Brachia labenti circumdabat humida piſci.
Lubrica nudatis vix hæret præda lacertis,
Concuſſa & madidis jam pene elabitur ulnis.
Donec paulatim cognata elementa relinquens
Efflaret tenuem moribundus in aere vitam,
Oraque languidulo tremulus reſeraret hiatu
Rejectæ adplaudens ſigni motamine caudæ.
O ſtupuere ſuum monachorum gaudia votum,
Qui de vicinis tanta ad ſpectacula cellis
Egreſſi, implendum tali ſponſore faventes
Crediderant ſancto prolatum pectore verbum.
O vere æternæ ſpeculum virtutis, ab ipſo
Hæc tibi dona fluunt, qui quondam retia juſſit
Ducere nocturno incaſſum molimine feſſos
Diſcipulos mittens numeroſam in retia prædam,
Concludens lectos ſancta ad convivia piſces,
Quos medii abreptos penitus de turbine mundi
Ad Dominum traheret ſanctæ doctrina fidei.
Sæpe Deus voluit meritum ſublime beati
Illuſtres proferre viros, quo clarius illis
Teſtibus, extulerat penitus quos gloria mundi,
Prolata in populos virtutum ſigna micarent.
Nam geſtæ clarus tum culmine præfecturæ
Arborius, vidit fulgentum luce micantem
Gemmarum, dum ſancta Deo ſolemnia defert,
Martini rutilaſſe manum. lumenque coruſcum
Veſtire ignitam pretioſo murice dextram,
Et colliſorum lapidum crepitare fragorem.
Non tales vexilla ducum pinxere lapilli,
Talia nec frontes regum diademata cingunt,
Sed quales claris Sanctorum in fine coronis
Inſerit emeritas Domini ſententia gemmas.
Nec dubium, quin præcipuæ probitate fidei
Ultra hominem vario virtutum flore coruſcet,
Quem coram Angelici meritum ſolatia verbi
Hiſtorici felix teſtatur pagina libri.
Nam cum Treverica permœſtus ab urbe rediret,
In qua dum miſeris irato rege paveſcit,
Interitum quorum vitam poſcebat ab ipſo,
Compulſus proprium paulum laxare vigorem,
Mitior ad culpam reſpexerat Ithacianam
Damnatæ impulſus clementer parcere cauſæ,
Et raptare piæ rurſum nova fœdera pacis.
Hunc igitur nimis adflictum mœrore reviſens
Angelus, alloquio coram manifeſtus & ore
Detulit ad mœſtum ſolaria blandus amicum,
Anxia collatis permulcens viſcera verbis,
Conſilio mutanda docens, commiſſa reſolvens.
Talia præcipui ſignans præconia vatis
Zachariam ſancto cæleſtis nuncius ore
Exorſum ſancti fecit prædicere nati,
Spondens venturam poſt juſſa ſilentia vocem.
Denique non impar meritum par prodidit ordo,
Utque illi ſoboles, ſic gratia contigit iſti
Clarius adjecta virtutum luce coruſcans.
Nam ſæpe expulſis captivo a pectore larvas
Necdum præſentis verbis vel voce coactas
Verrebat Sanctæ Felix vicinia cellæ,
Excedenſque procul benedicti habitacula virtus.
Sic diſtenta nimis longe lateque micabant
Præſentem Domini teſtantia ſigna favorem.
Nec ſolo contenta ſolo, ſed crebrius ipſos
Martini titulis procul irrumpentia fluctus
Videre immenſo jactati turbine nautæ,
Dum facit inſanæ violentior unda procellæ,
Quantum vel ſolo prodeſſet nomine ſanctus.
Sulcabat medium Tyrrheno in marmore pontum
Extentis properans pappis per cærula velis.
Concitæ ſubjectum ſcindebat prora profundum
Adverſo albentes diſrumpens pectore fluctus,
Linquens ſpumantum veſtigia longa viarum;
Cum ſubito obtectum prætendunt nubila Cælum,
Humida nigrantem prætexunt vellera cratem,
Et perit in piceo penitus lux condita nimbo.
Inſiſtunt validi pontum ſubvertere venti,
Fluctibus & madidæ rubris miſcentur arenæ,
Franguntur celſæ violento turbine moles,
Altius elato ſuſpenſa volumina fluctu

In-

Inſtabiles ſurſum nimium tollentia colles,
Dum redeunt crebris ſolvuntur fracta ruinis,
Innumeroſque procul reddunt conlapſa fragores,
Vela cadunt, reſonant tremulo ſtridore rudentes.
Nunc latet abſciſſo vicina ad nubila monte,
Nutat in excelſo rurſum male pendula dorſo
Ancipitem caſum metuens in utroque profundo.
Aſt alii quatiunt lateri obſiſtentia fluctus,
Et fracti eliſa tabularum crate reſultant,
Implentes laceram tam crebra aſpergine puppem.
Excutit avulſum Ponti violentia clavum
Rejecto rectore procul, formido paventum
Corda quatit tremulo convellens viſcera motu,
Pallenteſque rigant non ſola aſpergine malas:
Confuſi gemitus, lacrimoſa & murmura vocis,
Ruptaque ſingultu aſſiduo ſuſpiria flentum
Plangunt conſimilem vicina morte querelam.
Interea extremo quidam terrore coactus,
Sed necdum inſtructus veræ ratione fidei,
Cœleſte auxilium tali clamore popoſcit.
Ignorate mihi, merito ſed cognite ſancti
Quem veneror famuli, per quem tua gloria fulget,
Martini miſerere Deus, depelle periclum,
Eripe nos; nam cuncta tibi proclivia Sanctus,
Ut memini, Antiſtes crebra virtute probavit.
Nec mora, conſtrato ciciderunt æquora fluctu,
Et jacuit planus placidarum campus aquarum,
Leniter & laceram moderato flumine puppem
Optata impellens Zephyrus ſtatione locavit.
Sic meritum famuli per cuncta elementa probavit,
Et ſancti titulos Chriſtus diſtendit amici,
Glorificans clarum ſuper invia cærula nomen.
Nec mirum eſt tam multa Deo fautore probandam
Martini potuiſſe fidem, ſi quando beatis
Pervigil excubiis tota virtute precandi
Ad Dominum præſens felicia vota tuliſſet,
Si tantum ignari penitus, longeque remoti
Gratia per ſolum meruit clareſcere nomen.
Quamquam ad præcipuam contendens pagina laudem
Obſtupefacta pedem retrahat, verbiſque paveſcat
Vilibus ad tantam virtutum aſcendere molem.
Queis non unum hominem Sanctus, ſed protinus omnem
Suffragio medicante domum ſanaſſe probatur.
Teſtis adeſt claræ celſus vice Præfecturæ
Gratifico adſignans hæc dona Lycontius ore,
Cujus multiplici late graſſata ruina
Obruerat lues una domum; tabentia paſſim
Corpora ſeminecum partes rejecta per omnes
Stipabant feſſis horrentia limina membris.
Triſtis ubique dolor, crebra & ſuſpiria, fletus
Aſſidui, & toto penitus de pectoris antro
Extorti gemitus, convellens ilia flatus,
Et jugis motus, cutis arida, flamina medullis
Inſita ſuccendens ſtomachum, gravis unda pavoris
Illa, ad vicinum pallebant mæſta cadaver
Corpora ſeminecum cognata, & funere tali
Mæſtior exemplo morientum turba pavebat:
Aſt alii exanimes ſaltem contingere charos
Officio miſeri nimium trepidante timebant,
Ne diſperſa graves ſererent contagia morbos.
Hos metus obſequio ſubtraxerat, at dolor illis
Viſcera multiplici præſtruxerat anxia luctu.
At qui poſtremis tumulaſſent membra ſepulcris
Dilati ad ſimilem non longo tempore mortem
Portabant pariles ad limina triſtia morbos.
Nil medicæ valuere manus, nil gramina ſuccis,
Sæpe ſuis magnas languentum operata medelas.
Tali igitur Dominus confuſus clade ſuorum,
Diffiſuſque ſuis precibus, placare laborat
Suffragio ſancti Dominum, meritoque Patroni,
Allegans querulus Martino interprete cladem.
Qui quamquam duræ jam læſo judice cauſæ
Per nimium ſentiret onus, tamen anxia clemens
Sollicito affectu poſcentis vota recepit,
Nec prius obſtitit jugi cruciata labore
Proterere exhauſtis arentia membra medullis,
Et prono duram tellurem elidere niſu,
Adſueta adjectis duplicans jejunia pœnis,
Nec tenui ſaltem concludens lumina ſomno
Exæſam ſtimulans ſetoſo vellere carnem,
Quam Dominus tanti ſtudio permotus amici
Finita tandem penitus miteſceret ira
Reddens optatæ felicia dona ſalutis,
Gratantem & Dominum complectens turba ſuorum
Exciperet totis conteſtans gaudia votis
Narrantem clari titulos, & geſta Patroni.
Qui poſt depulſam Martino orante ruinam
Munera ſic merito feſtinans reddere ſancto,
Argenti centum prædicta ad limina libras
Detulit oblatis compenſans præmia donis,
Ut medici meritum merces vel parva probaret,
Munifica & ſtudiis gratantis vota paterent.
Quæ ſanctus chari officio gaviſus amici
Præmia devoti affectum teſtantia cordis
Nec renuit, dum tradentis diſpendia cautus
Cogitat, ut tractum fide præmiſſa referrent
Munera, nec rurſum proprios ſuſcepit in uſus,
Ne mentem ſancti votum macularet habendi,
Sed commiſſa Deo cælo concluſit in alto,
Ut modo captivos duris laxantia pœnis,
Liminibus excluſa piis, donata redemptis,
Servarentque fidem, ſimul & contempta rigorem.
Perge igitur præmiſſa ſequens, promiſſa repoſcens
Antiſtes claram cæli ſublimis ad arcem
Aſtrigeram ſortire domum, rutilamque coronam,
Qui cunctam rabiem diri, totumque furorem
Dæmonis in parvam potuiſti adſtringere muſcam.
At nos præſentes ſemper venerabimur artus,
Donec ad æternam redeas cum corpore vitam
Sanctorum adnexus tumulis, jungende coronis.
Vix ſolum a nobis potuiſti abſcondere vultum
Nobiſcum pietate manens, te ſæpe frequentes
Inviſunt oculi, coram curatio vivit,
Et ſunt optatæ confeſtim dona ſalutis.
Verba ſilent, ſed ſigna nitent, ſic corpore paulum
A viſu abſtraheris, præſens virtute videris,
Quam precor, ut miſero manifeſto corde petitam
Semper adeſſe velis, ut cum meditatio carmen
Finierit, teneat tranſcripta oratio laudem.

LIBER VI.

Invitas noſtram revocanda ad murmura curam,
Dum vitam virtute geris, non clauſe ſacerdos
Lege obitus, carnique tuæ ſine carne ſuperſtes
Cerneris, expertis contingeris, atque teneris,
Dum largiris opem præſentem, oſtendis honorem
Quærenti adſiſtens, & numquam abſconſe precanti.
Quam bene vicinus propter complectitur artus
Spiritus, & ſanctum perfundit gratia ſaxum.
Nil longe eſt pulſante fide: clamantia corda
Alle-

Allegant proprias ſine voce, & murmure cauſas,
Mentis verba legit qui ſenſum introſpicit, & cor
Viſit, & arcanum percenſet pectoris antrum.
Quinque prius recolens ſignavi geſta libellis,
De multis vel pauca legens: quota portio nobis
Comperta, tantis titulis quos contigit unus?
Exiguum quanta penſat mercede laborem?
Indigno rurſum tanta ad præconia ſenſu
Quanta ſinit, fert vota rei bonitate Patroni,
Præcedit meritum pia gratia, palma tenetur,
Nec ſentitur onus: nondum libata laboris
Cura mihi eſt quod velle jubet, jam muneris arra eſt.
Oh quantas potuit major facundia linguas
Hoc operis decorare bono! conſueta repelli,
Carmina non patitur, credit bona quæ ſua novit.
Nam certum juſſiſſe ipſum, quæ miſſus ab illo
Interpres tentanda putat ſociatus & hærens,
Et ſemper tanti revehens præcepta magiſtri
Perpetuus felix docto victurus in ævo,
Non famæ incertum narrat, nec credulus auræ,
Rumorem attentans properat vulgare per aures.
Coram viſa probat, teſtis fidiſſimus adſtat,
Inſpectæ adſertor fidei miracula prodit
Luminibus oblata ſuis, & tradita votis.
Huc ex diverſis certatim partibus orbis
Agmina conveniunt, numeroſas millia cauſas
Multiplicant, iterantque preces, dat gratia velox
Optatæ pietatis opem, lætantur ovantes
Emenſi fructum celerem ſe ferre laboris.
Jam vero obſeſſos furioſo Dæmone ſenſus
Huc vocat auxilium, rapit huc curatio velox.
Siſtuntur, trepidantque rei, confeſſio clamat
Extorta imperio, ſub judice pœna ſalubris
Cernitur, & proprias alieno in corpore voces
Edere pervaſor captivo ex ore jubetur.
Sentitur judex, nec cernitur impius hoſtis,
Exul ab erepta properat diſcedere præda,
Inter & inſtantes fugiens vaneſcere pœnas,
Aeria innexum conſtringunt vincula corpus,
Quos rebare vagos, nexos miraberis artus.
Firmabunt inſpecta fidem, quem pœna ligavit,
Tormenta implicitis produnt conſtrictius ulnis,
Pulſat, & adfixis * * obſtacula membris.
Quid cum ſidentis cancelli in tramite greſſus
Aerium ſuſtentat iter? nutantia currunt
Corpora, & impoſitum cava ſubvehit aura volatum.
Quin etiam in puteum, qui templo clauſus in ipſo
Fonte ſalutiferas eructat concavus undas,
Corpora præcipiti jaciuntur concita ſaltu
In pronum cogente reo, qui vertice preſſo
Prægreſſum ſua membra caput detrudit in altum
Gurgitis, & crebrum membrorum mole perurget.
Sed quis non videat, cum corpora merſa reſurgant,
Extentos patuiſſe ſinus, & fulcra favoris
Molliter exceptis ulnas reſeraſſe ruinis?
Artus prædo gravat, vitam clementia ſervat.
Plus opis apparet ſtudium quam pœna latronis.
Quiſque fide nutante labas, adtende: reſurgunt
Corpora, & ad vitam Martino orante trahuntur,
Abſorbent tantum miſerorum membra profundum,
Nec puteus patulo concluſos ore perurget.
Sed quid ego e puteis? fluvius teſtatur alumnis
Mirandæ virtutis opus, qui mœnibus urbis
Junctus contiguis adlambit ſaxa fluentis.
Hic medius cellam diſcriminat atque ſepulcrum,
Diviſiſque locis diſtantum interſerit æquor,
Naviger, inque freti ſpeciem ſe gurgite vaſto
Disjiciens, longeque ſuis divortia ripis
Inſtituens, oculos viſu ulteriore fatigat,
Et quamquam validos laſſat tranando lacertos.
Hunc fluvium a templo, quod ſanctos continet artus,
Et laudi æternæ felicia membra reſervat,
Inſanus petiit miſero cum corpore Dæmon,
Merſurus raptam vicino in gurgite prædam.
Verum nil patitur miſeratio tanta cruentum,
Atque adimit diro ſæviſſima jura tyranno.
Duratum calcatur iter, ſolidata rebellis
Greſſibus, & paſſus properos non adluit unda.
Trans fluvium ſiccas ſtupuerunt agmina veſtes,
Et gaudens hominem purgandum cella recepit,
Quæ dudum Angelicæ felix fuit hoſpita vitæ.
Nec quidquam geſtum turbatæ tempore mentis
In ſemet reduces ſenſu tenuere recepto.
Chunorum plerumque ſonos, fractaque minantur
Murmura, & inciſas fera per compendia voces.
Auxilium ſub teſte patens neſcivit ademptus,
Muneris ignarus, tantoque e munere ſalvus
Plerumque inflexas aliena ad murmura linguas
Poſſeſſor miſeri rapiebat ſpiritus oris,
Ut Græcis fluerent Gallorum verba loquelis,
Et fando exprimerent gentem, nec nomine notam.
Quiſquamne hunc ſenſu proprio putet eſſe locutum,
Qui fatur non nota ſibi, de pectoris antro
Mugit, & edomitam flectit poſſeſſio linguam,
Ut chordæ id reſonant motus quod plectra pererrant:
Imperioque manus nervorum fila loquantur.
O quoties urgente Deo ventura fatentur!
Et quorum oblectant ſemper mendacia fraudem,
Exortum a Domino coguntur dicere verum,
Quæ pœna eſt manifeſta loqui, præceptio vocem
Elicit, & cedit mandato oppreſſa voluntas.
Illuſtrem virtute virum, ſed moribus almum,
Plus clarum, magnumque fide, quia celſior extat,
Egidium, hoſtilis vallaverat agmine multo
Obſidio, objectis quæ mœnia ſepſerat armis,
Auxilia excludens, & clauſos viribus urgens,
Ut minus obſeſſis faceret diviſio robur,
Nec jungi ad bellum ſocialia caſtra liceret.
Verum præſidio Domini dejecta fugantur
Millia, & egreſſum portis bipatentibus agmen
Reſtaurat ſolidas ſecuro principe vires.
Interea trepido vicinia mœſta pavore
Pallebant tanti proceris diſcrimine, & omnis
Anxia pendebat populorum cura paventum,
Dum ſe quiſque putat ſimilem proferre procellam,
Inque uno nutat quidquid conſiſtit in uno.
Ergo aliquis forte ex illis quos tetrior ira
Traxerat ad votum ſorbendi in cæde cruoris,
Præcipiti ad nutum Domini quaſi turbine raptus,
Præcedenſque citos trans flabra & nubila ventos,
Geſtorum ſeriem captivo e corpore promſit,
Proclamans iiſdem momentis, tempore eodem
Obſidione urbem Martino orante ſolutam,
Atque ipſo donaſſe Deum populumque ducemque.
Mox patuit manifeſta fides, ſeriemque probavit
Ipſe dies, eadem hora fuit, nihil ordine verſo,
Invitumque hoſtem tunc fallere pœna coegit,
Ut Balaam cupiens Domini maledicere plebem,
Extorquente Deo cœtum benedixit ovantem.
Haud alio peniruſque ipſo rerum ordine venit
Nuntius, illam arcem tanta obſidione ſolutam,
Præcipitem Rhedanum molli qua ponte ſubegit,

Et

Et junxit geminas connexo tramite ripas,
Ut ſiccum præberet iter, quod puppibus inſtat,
Deſuper & preſſo nutans via pendet in amne.
Hanc quoque præſenti ſociatus ſancte patrono
Eripis, & cogis trepidum tua vota fateri,
Quæ nollet donata tibi, reus adſtat, & Euro
Ocyor amiſſa optatæ ſpecularia cædis
Hæc quoque diſcuſſis patefecit calculus horis,
Ipſa ut res docuit, completa & prodita puncto.
Jam vero erga omnes curatio quanta medelas
Non medicante manu, non ſuccu adlata ſalubri,
Nec ferri perpeſſa aciem, nec graminis hauſtum,
Ulcere nec raptum reſoluti ſulphuris ignem,
Sed verbo medicante fluens, rectèque probata
Præcipiti virtute fideque comminus adſtans
Omnibus, invitat trepidus dum ſanat adeptus.
Hic cæci ignotæ ſtupuerunt munera lucis,
Hic alacrem curſum vegetato corpore claudi,
Hic nova collectæ vocis diſcrimina ſurdi,
Quot cauſæ attulerint cladem, tot dona ſalutem
Reſtituunt, ſemper pœnis numeroſius adſtat
Præſidium, præſenſque fugit tutela periclum.
Experta eſt tantam paralytica virgo medelam
Adficiens miſeros longo mœrore parentes.
Namque omnem membrorum uſum violentia morbi
Abſtulerat, cunctiſque ſimul præmortua nervis
Exanimos penitus ſtratis rejecerat artus,
Et ſolo vivens gemitu, ſpiramine feſſo
Et flatu exiguo ſtomachum quatiebat anhelum.
Hæc ſancti ad meritum manibus delata parentum
Propter vicinum jacuit miſeranda ſepulcrum,
Alterno nunc ora rigant rorantia fletu,
Inque vicem effuſo lacrimarum flumine certant.
Permovit ſanctum clementia, vix levis artus
Attigerat miſeros benedicti tactus olivi,
Exiluere pedes, nervi ſumſere rigorem,
Et valida optatos ſenſerunt brachia motus,
Erectæque manus digitis luſere ſolutis.
Gaudia confeſtim miſeri votiva capeſſunt,
Et vix tam trepidi credunt, quæ credere malunt.
Mutatur rurſus facies meliore ſereno,
Et nova perſpicui rapiunt miracula vultus.
Attamen haud longa hoc meritum ſervavit honeſtas,
Qui nunc adſiduis onerabant limina votis
Spondentes celerem poſt præmia tanta recurſum,
Atque inopum ſumptum mox largitione levandum
Munifice quos ſanctus alit, veſtitque ſacerdos
Conſuetam devotus opem dum præſtat egenus,
Expenſiſque ſuis diteſcit prompta voluntas.
Anguis ut antiqui dirum rapuere venenum,
Atque idem ſerpens, qui quondam ſuaſerat Evam,
Hos quoque conſiliis ſimilis livore coegit,
Neglectam calcare fidem, dum prava voluntas
Conſiliis addicta malis diverſa volentum
Paruit infelix fœda ad mendacia verbis,
Immemor inſpecti penituſque oblita favoris
Idolicos petiit veſano pectore ritus,
Diſpoſitum mutavit iter, vegetamque puellam
Auctori vitæ abripuit, diroque latroni
Dedidit, ingratus fidei, ſed ſubditus hoſti.
Verum ubi tartarei feralia buſta tyranni
Eminus aſpexit deceptæ virginis error,
Concidit, & dono tanti ſpoliata patroni
Addicta eſt propriis eliſo corpore morbis,
Donec ſanatam dominante priore puellam
Mors raperet duplicata malis, & debita pœnis,
Quam melius tantæ recolentem dona medelæ
Ad vitam æternam vel præſens vita vocaſſet,
Jure ut Evangelici meminiſſet credula verbi,
Quo juſſum eſt Domini ſanatum munere ſervum
Peccatum vitare ſuum, ne rurſus in ipſum
Pergeret, & culpam pœna graviore piaret.
Interdum injuſtos juſto terrore coegit
Virtutem ſentire Dei; nam ſæpe rebelles
Si nondum præcepta regunt, vel verbera cogunt.
Cum ſubito pavefacta metu graviore periclo
Auxiliatores pateretur Gallia Chunos,
Nam ſocium vix ferre queas, qui durior hoſte
Exter, & adnexum fœdus feritate repellat.
Horum unus ſtimulis furioſi Dæmonis actus
Irrupit ſacram Domini prædo improbus ædem,
Inde altare Dei greſſu temerare profano
Auſus, & intuitus furialia vota ſecuros,
Abripuit ſanctam dextra vellente coronam,
Quæ meritum ſancti propter conjuncta docebat,
Effingens illam, quam Chriſto judice ſumſit
Fulgentem aſtrigera cæli ſublimis in arce.
Sed ſenſere oculi culpam, quod nuncia cordi
Lumina perſpectam voluerunt condere prædam,
Intuitu peccavit ovans, nec cernere quivit
Quæ rapuit, liquitque oculos ſubtracta voluptas,
Obſeſſos gemuit viſus quaſi nocte diurna,
Et circumfuſæ quærens ſolatia lucis
Vicinum doluit tenebris denſeſcere ſolem.
Quid ſtupet adſpectum ſubita caligine clauſum?
Jam tunc cœcus erat, male cum rapienda videbat.
Verum ubi quærenti crimen detexit amico,
Et percontanti nudavit geſta ſodali,
Prægreſſum ſeu nocte ducem cogente ſecutus
Diſſimili petiit benedicta altaria voto,
Edomitus jam clade ſua, propiorque ſaluti
Confeſſus commiſſa reus, ſeque ipſe ſalubri
Judicio damnare volens, meruiſſe videtur
Hinc veniam, quod ſe pœnam meruiſſe fatetur.
Compenſat plectenda dolor, pervaſa reformat,
Amiſſa ut capiat, ſumit ſua, quæ tulit, offert.
Mens perverſa habuit pœnam, converſa medelam.
Aſt alius cædem ſentiens violentior ira,
Dæmone fervidior, qui capto in corpore clauſus
Tartareo miſerum furioſus jure premebat,
Perculit obſeſſum funeſto a dæmone corpus,
Hoſpite tam diro tanto crudelior hoſtis,
Sanguineumque enſem perfoſſo in pectore merſit.
Verum perſiſtens inſania, vel furor idem
Spumantem gladium rorantem,& ſanguine dextram
Vertit in auctorem ſceleris vix cæde peracta,
Et latebras tanti ſceleris mucrone reſolvit,
Ac facinus male conceptum per viſcera quærit.
Quam cito judicium velox vindicta probavit,
Et ſecum tali admiſſo propera ultio junxit.
Nec quiſquam durare putet, cum pauca timorem
Signa acuant pœna exterret, formido medela eſt.
Ornatum ſanctis altaribus addere gaudens
Certatim populus ſtudio properabat ovantum.
Verum cum pulcras molitio tanta columnas
Tentaret ſancti transferre ad limina templi:
Quidam tam properis cæcato corde rebellans
Obvius ire parat, vel talia cœpta morari
Inſtinctu impulſus furioſi Dæmonis audet:
Inſuper uxori minitans quod fletibus ejus
Expletum penſaret opus, cum forte propinquo
Rure habitans quæſita operi inſtrumenta dediſſet.

Nec

Nec mora, & in parvi vada per lucentia rivi
Præcipiti dejectus equo, non reppulit ullas,
Quæ poſſent pronum corpus demergere, lymphas,
Mergendus quæſivit aquas, tenuique fluento
Incubuit moriens, quas preſſerat, hauſit arenas,
Naufragium ſine puppe rapit, ſine flumine gurges,
Agnoſcunt elementa Deum, nil caſibus inde
Mentiri licuit, quod juſſio ſola peregit.
Non illas certe lacrimas tua funera flenti
Præmiſſæ movere minæ, ſed plangit, ut ante
Omnis & exoſi vatis ventura canebas.
Prædecis noſtras jam non prohibendo columnas,
Nec rapis ornatum templo, rapiende ſepulcro.
Sed populus majore fide devotus & inſtans
Præcipuum celeravit opus, virtute probata
Judicium emicuit. præſens devotio crevit.
Jam poſito terrore leges correpta periclis,
Munera præcipui numerabis blanda patroni,
Et poſt percuſſum victo ſerpente venenum
Nectarei primum ſucco gaudebis olivi,
Quod quoties Sancti vicinia juncta ſepulcri
Comminus excepit, mutavit vera liquorem
Gratia, & advexit properas feſtina medelas.
Perlatum obtulerat felix antiſtes olivum
Non cunctante fide, quod ſpiritus ille rigaret,
Et nova contigui perfunderet aura favoris,
Perpetuus Domini non ſolum nomine cultor,
Et prægreſſa pii ſectans exempla magiſtri.
Hunc quum vellet opem veneratus ferre ſaluti,
Expertumque bonum cunctis adhibere medullis,
Aoraſus propere benedicto e marmore pulvis
Admixtus ſancto vires duplicavit olivo,
Ut ſic reſpeſo virtus geminata liquori
Augeret contacta fidem, ſociata ſalutem;
Verum ubi vel modicam ſenſit vicinia micam,
Gratia contactum velox ſuſpendit olivum,
Et tumor exundans efferuit & auxit abundans,
Copia quod coram prolato munere crevit.
Celſior ore ſuo diffuſio clauſtra rigavit,
Et tamen exundans non fecit gratia damnum,
Et ſubjecta fluens, & ſemper plena repleris:
Non maculat umquam madidas hæc gloria veſtes,
Majorem hæc retinent inſpecta Siloa nitorem,
Quæ tantum teſtantur opus, non abluat ullus
Quæ virtus tanto indicio perſcripta notavit.
Nec clauſa eſt laus iſta loco, ſectata fideles
Gratia ſublimes titulos & in aera miſit.
Ipſæ etiam ſancti meritum ſenſere procellæ
Grandinis, & terror denſatis nubibus hæſit,
Vaſtandiſque locis clementior ira pepercit.
Quidam confidens veram ſe ferre ſalutem,
Si quidquam e ſancti licuiſſet limine templi
Ad propriam deferre domum, benedicta ſalubris
Congaudens famulus ſuſcepit præmia ceræ.
Experta eſt gaviſa fides, quid pectore toto
Senſerit auxilium: ſpes expectata revixit,
Evaſit protectus ager jacula illa liquoris
Saxea, & adſtrictæ glacialia verbera lymphæ,
Ac fructus ſegetemque tegens, quæ condita terræ
Extendit patulos votiva ad tegmina ramos.
Indultum ſtupuit vicinia cuncta favorem,
Et patuit veris virtus jam cognita ſignis.
Non ego centenis poſſem hæc præconia linguis
Cuncta loqui, aut tantas virtutum evolvere palmas.
Nec mihi mendacis poſcenda oracula Phœbi,
Nec confictarum plectra expectanda ſororum.
Nos alter repleat tantæ ad præconia laudis
Spiritus, & noſtro det verba & gaudia cordi.
Ut verum cantare queam, mea Muſa Patronus
Me foveat, vegetetque meum ſua gratia ſenſum,
Ne vincar ſplendore operis, neu lumine tanto
Obrutus inſtabiles oculos a luce reflectam,
Perſpicuoque canam celſa & cæleſtia ſenſu.
Crede Deo, lectore, pio, quæ credere nobis
Ambigis, & Chriſti cuncta hæc proclivia noſces,
Quæ dedit, & ſancti titulis adcreſcere juſſit.
Obſequium ſolemne pio deferre quotannis
Adſuevit populus, reducis cum circulus anni
Inſtaurat renovans ſanctæ myſteria Paſchæ.
Invitat propriæ veneratio plurima cellæ,
Quæ tam præcipuo patuit fida hoſpita ſancto,
Angelico poſſeſſa viro, prona ora madeſcunt
Fletibus, & lacrimis ſancti veſtigia quærunt,
Quæ loca contigerit pſallens, quæ preſſerit orans.
Hinc meminiſſe volunt in quo libaverit eſcas
Immenſa exiguo laxans jejunia guſtu.
Cæleſti auxilio excubiis quæ cella quietem
Foverit, atque brevem membris largita ſoporem
Sublimem vigili recreavit imagine mentem.
Huc populum congaudet ovans perducere Paſtor,
Transfretat exceptum numeroſis puppibus agmen,
Et fluctus ſub claſſe latent, huc ſexus & ætas
Omnis adeſt, vacuæ reſident cuſtodibus ædes,
Et cunctis alterna fides penetralibus adſtat.
Interea infuſo mortis vel criminis auctor
Invidiæ livore ſuæ, conatibus iſtis
Obvius ire parat, navemque adgreſſus onuſtam
Fluctibus in mediis vaſtoque in gurgite merſit,
Involvens alto ſimul omnia rupta profundo,
Implicitumque trahens decurſu fluminis agmen.
Quam cladem expectabat ovans, quantoque triumpho
Optata innumeræ numerabat funera mortis,
Divulſos rapiens nutricum a pectore parvos,
Diſpergenſque vagas ſuper invia cærula clades.
Aſt alio cernens nexu cervice gravata
Mergere depreſſum quod ſtinxerat unda cadaver,
Hos madida jam veſte trahi. ſed quærere cælum
Lumine, & infuſas vel murmure pellere lymphas.
Interea concors Martini in nomine clamor
Auxilium cæleſte ciet. proſternitur omne
Vulgus, & humentes fletu perfundit arenas;
Debebat tam læta dies ſpecialia mœſtis
Gaudia. & eximium ſolemni in tempore munus.
Adfuit in mediis confeſtim mitior undis
Spiritus, & diræ rapuit jura improba morti:
Suſpendit vaga membra liquor, ſolidata ſaluti
Lympha artus ſubvexit aquis non icta natatu,
Nec permutatis ſulcata & ſaucia palmis,
Immotum geſtavit onus, ripiſque revexit,
Gaudia & advectam numeravit læta ſalutem.
Agnovit natum genitrix, infantiam atri
Hauſit, & amplexu genitor ſua pignora fovit.
Frater, mater, herus, famulus, matrona, propinqua
Collato coiere gradu, grateſque reſultans
Vox cecinit ſanctiſque Deum laudavit in hymnis.
Vix audet quiſquam confeſtim credere viſis.
Conſulit & trepido dubitantia lumine vota:
Nec fracta eſt terrore fides properatur ad amnem,
Ocyus inſtaurat vegetas nova gratia vires,
Non habitum mutare placet, cum veſtibus iiſdem
Exultant, madidoque fides non alget amictu.

Sic ripa ulterior tanto gaviſa triumpho,
Cantemus domino læta & credula dixit *
Præda illæſa canit, ſubmerſus prædo remanſit.
Ecce iterum Dominus ſciſſi Jordanis hiatu
Diviſum patefecit iter, populumque per amnem
Prægreſſæ juſſit ſe jungere comminus arcæ.
Ad fontem remeans vertit ſua flumina gurges,
Ut ſiſtens curſum refluus properavit ad ortum,
Hæc loca calcatis populus protrivit areuis,
Navita quæ trepidus remo, veloque cucurrit.
Quas terræ, pontique vias non nominis hujus
Gloria pernici penetravit concita ſaltu,
Æquoreas egreſſa vias, & pervia nautis
Vaſti dorſa maris validis abrepta procellis?
Puppis in ignotum longe delata profundum,
Extra hominum claſſiſque vias torpore ligatum
Turbinis impulſu præceps irruperat æquor.
Egreſſum ſpes nulla dabat. nam glute liquoris
Immota obſiſtens pontus tabulata tenebat.
Obſidione maris capientes flumina nautæ
Tempeſtatis opem mallent, ob turbinis iras
Fluctibus in mediis facientes vota procellæ.
Verum nulla datur miſeris exire poteſtas:
Naufragium tam ſegne tenet ſine motibus ullis.
Quæ natat in pelago, non enatat: hæret in undis
Deteſtanda quies: pontus quod ſuſtinet, obſtat,
Nec vehit impulſu puppem, nec ſorbet hiatu.
Effugii ſpes nulla patet, nam ſervat in undis
Fluctibus adſtrictam torpens cuſtodia prædam.
Spes eſt una Deus, ſolus quæcumque creavit,
Et regit, imperium ſervant elementa creantis,
Ad nutum domini raptim commota quieſcunt,
Inſuetos motus propere torpentia diſcunt,
Diſpoſitiſque prius rebus dat juſſio legem.
Quidam rumorem ſenſu meliore ſecutus
Martini titulos fama vulgante per orbem
Compererat, plenaque piis miracula geſtis.
Hic cogente malo ſolam ratus eſſe ſalutem
Ad verum clamare Deum, ſic forte precatur.
Ad cælum viſus lacrimarum fonte rigatus
Erigit, atque oculis cordis penetralia jungens
Aſpice, ait, miſeros, ſpes una & vera ſalutis,
Martini miſerere Deus, qui tanta per illum
Sparſiſti in populos divini ſigna favoris,
Et meritum virtute probans excedere terras
Juſſiſti titulos etiam trans æquora claros.
Ille ſuis ſolvat vel laxet vincula puppis,
Suffragiis cogat diviſas cedere lymphas,
Et tanto fluidum rareſcere gurgite Pontum.
Nec mora, & adlapſi propere vis maxima venti
Expulit abreptam diſciſſo gurgite navem,
Et vexit facili ſuper invia cærula flatu,
Moxque exoptata portus ſtatione refovit,
Nomine Martini vectus ſimul atque revectus,
Adſiduaque fide dona exorata canentes.
Quis tandem hæc ſenſu capiat? quis carmine pingat?
Quis numerare queat, quis promere? vincitur omne
Ingenium, cohibent preſſas præconia linguas.
Attamen inferior titulis quos gloria comit,
Quæ comperta mihi totiens vel ſcripta relegi,
Cum fari ut dignum eſt, nequeam, vel tangere nitar.
Quidam de ſancto repetens ſua limina templo
Præſidium domui credens efferre ſalutis,
Detulerat ſecum ſanctam ad penetralia ceram,
Fidens, quod tanti benedictio juncta Patroni
Tam juſtæ fidei meritis virtutis adeſſet.
Et jam tempus erat prodi documenta favoris.
Forte per elapſum ſerpens incautius ignem
Flamma vorax vires augens per pabula ligni
Urgebat jam clade domum. vapor undique in auras
Plurimus undantem glomerabat turbine molem,
Arida ſorbebat rapiens atque obvia lambens,
Et ſolas linquens de tanta clade favillas.
Nec ſpes effugit propius flagrante periclo.
Serpſerat incumbens propter penetralia terror,
Et tam contiguam vicina pericula prædam.
Ad ſanctum rediere preces, clamore fideli
Poſcitur, atque iterum crebræ pia nomina voces,
Ipſe herus accenſæ rutilantia lumina ceræ
Unguine felici blandam fundentia lucem
Prætrepida velox rapit ad penetralia dextra,
Atque inter medias ſtatuens flagrantia flammas
Ignis præſidiis ſurgentem reppulit ignem.
Hæſit turbo furens, vaſtator protinus hoſtis
Terga dedit, rabiemque ignis ſcintilla fugavit.
Non ita ſi totos jeciſſent nubila nimbos,
Deſuper infuſæ poſſent prodeſſe procellæ.
Aut ſi certanter rapuiſſent flumina, cœtus
Quilibet hæc quirent exhauſto flumine fontes
Tam celeri præſtare bono, quam vera poteſtas
Ignis prætrepidans refugit ſua pabula ceras,
Altoreſque favos conſors natura paveſcit.
Virtute interimit flammam, quam lumine nutrit,
Nectare perſpicuo redolens pinguedo liquoris.
Hæc paucis auſus propere percurrere verbis
Signavi indoctus populo relegenda fideli.
Firmavere humilem tam grandia gaudia vocem,
Quæ quæris deſcripta parum mirabere geſta:
Sufficit ut carmen temnens præconia laudis,
Nil morti licuiſſe, palam cum vita probetur,
Perpetuo urbs Turonum Martino antiſtite gaudet.

DE VISITATIONE
NEPOTULI SUI.

QUam medicam ſtillam quanto torrente rependis
Sancte Deus, licet ipſa hujus vel guttula roris
A te tam ſterili data ſit vel præſtita cordi.
Non his obſequiis tam largum flumen egebat.
Et tenuis levibus foliis qui decidit humor
Tam profluo augmento faceret dum labitur amni
Cum magis ad ramos de rupis ſurgeret humor,
Dum vires fundit nebularum flamina gurges,
Contiguumque rapit ſitiens vicinia frigus,
In hæc gutta meas tetigit tam prodiga fauces,
Tangeris ut marmor ſolidi cryſtalla fluenti,
Quantum hæc ſola mihi ferret patientia donum,
Ut nullam incideret felix audacia culpam.
Nunc vero his etiam duplicaret gratia ſignis,
Ut nullo te fine canam venerande ſacerdos,
Non finitur opus, quo ſuſcitet, addita creſcunt,
Quæ meminiſſe jubet: virtus dum proditur adſtat.
Tunc meas viſus lacrimas, tu fletibus illis
Fers miſeratus opem, te vitæ altiſſimus auctor
Exorante gravis cohibet lamenta ſenectæ.
Ipſa ſalus vitam revehit: deiecerat ægrum
Et pene exanimem morbi vis tanta nepotem,
Conjunctamque eidem nubendi lege puellam,
Ut vix jam tenui ſpirarent corpora flatu,

Nec poſſet ſolers tactus deprehendere venas
Subtracti pulſus filo languente latentes.
Me quoque ſubmotum pietas arcerat ab omni
Officio, exoſam vitabant lumina lucem,
Dum pœna eſt quodcumque vident. ſpes una paventis
Cor tetigit juvenis, cauſam mandare patrono,
Indulti & toties propius meminiſſe favoris.
Nuper contigerat perlectam evolvere chartam,
Quæ tanti ad noſmet meriti pervenerat: index
Innumera ut miris fulgeret gratia ſignis,
Queis dominus veri meritum teſtatus amici,
Ornabat ſanctum per dona immenſa ſepulcrum.
Hæc ſigna antiſtes dextra ſignaverat alma
Perpetuus, tanti gaviſus laude magiſtri.
Hanc igitur chartam vix linguæ murmure parvo,
Incunctante fide ſpes non incerta popoſcit.
Exanimi juveni vires fiducia fandi
Præſtitit, & feſſam laxavit gratia linguam.
Ergo inter medios quos febris moverat ignes
Virtutum palmas ſtomacho conjunxit anhelo,
Et rapuit recolendo fidem, qua ſcripſit in ipſis
Condita viſceribus quidquid concluſa tegebat
Pagina, & ad votum velox medicina cucurrit.
Exiluit juſſus tanta ad miracula ſudor,
Crevit & ad numerum tanti quoque muneris ordo,
Ut ſcribenda fidem faciant quam ſcripta retentant:
Non tam pernici ſuſpendunt ſuccina ſaltu
Feſtucam phœni vicini glute vaporis,
Quam citus ad chartam madeſecit corporis humor.
Mandato celebrante redit, ſæpe vita revertens
Affectu quæſivit avum, quaſi nuntia tanti
Muneris, & reliquis juſſit me jungere ſignis,
Quam præſentit opem. tali mandanda patrono eſt
Cauſa rei, adſiſtit propior clementia ſanctis,
Et culpæ offenſam relevat tutela favoris.
Nec mora, commoditas numerum prægreſſa dierum,
Qua ſæpe ignaro ſpes dinumerata fefellit,
Auxiliis orantis adeſt, nec clauditur ullis
Gratia vera locis, nec vires terminus arctat,
Quas Deus accumulat: propter curatio tangit
Qua ſalvator adeſt, tam longe abjuncta ſepulcro
Cellula ſuſcepit quod mens attenta popoſcit,
Atque ipſa eſt ingreſſa locum quo credita puncto.
Ille æger, lethumque pavens uxoris amatæ
Fit medicus, ſuadetque fidem mittendo ſalutem,
Poſcit & illa toris quidquid perſenſerat iſte.
Eſt certamen, opem retinere, & quærere partam,
Hic poſſeſſa timet dimittere, illa probatis
Se quoque ſalvari feſtinat credula ſignis,
* Sique dure inque vices ambo orant ambo retentant.
Utque herens uni pietas ſuccurrit utrique.
Grates, ſancte, tibi, dum ſpiritus hos reget artus,
Mens & lingua canet, nunc reſpice cetera clemens
Membra domus, celeris revehens fomenta ſalutis,
Et tibi commiſſam propior ſolare ſenectam,
Optata indulgens propere, vel præſtita ſervans.

EPIGRAMMA BASILICÆ MARTINI

Apud Turones inſcriptum.

* * *

QUiſque ſolo adclinis merſiſti in pulvere vultum,
Humidaque illæſæ preſſiſti lumina terræ,
Attollens oculos, trepido miracula viſu
Concipe, & eximio cauſam committe Patrono.
Nulla poteſt tantas complecti pagina laudes,
Quamquam ipſa his titulis cæmenta, & ſaxa notentur.
Terrenum non claudit opus quod Regia Cæli
Suſcipit, & rutilis inſcribunt ſidera gemmis.
Martini ſi quæris opem, trans aſtra reſurgens
Tange polum, angelicum ſcrutatus in æthere cœtum,
Illuc conjunctum Domino perquire Patronum,
Sectantem æterni ſemper veſtigia Regis.
Si dubitas, ingeſta oculis miracula cerne,
Queis famuli meritum verus ſalvator honorat.
Accedes reliquis inter tot millia teſtis,
Dum narranda vides, ſolleis & viſa retexis.
In ſanctis quidquid ſignavit pagina libris
Inſtaurat, renovante Deo; quo munere gaudent
Cæcus, claudus, inops, furioſus, anxius, æger,
Debilis, oppreſſus, captivus, mœſtus, egenus.
Omnis Apoſtolicis gaudet curatio ſignis.
Qui flens adfuerit, lætus redit: omnia cedunt
Nubila; quod meritum turbat, medicina ſerenat.
Expete præſidium, non fruſtra hæc limina pulſas.
In cunctum perget pietas tam prodiga mundum.

C. SOLLII SIDONII APOLLINARIS
OPERA.

EPISTOLARUM

LIB. II. EPIST. VIII.

OCcaſu celeri feroque raptam
Natis quinque patrique conjugique,
Hoc flentis patriæ manus locarunt
Matronam Philimathiam ſepulchro.
O ſplendor generis, decus mariti!
Prudens, caſta, decens, ſevera, dulcis,
Atque ipſis ſenioribus ſequenda:
Diſcordantia quæ ſolent putari,
Morum commoditate copulaſti.
Nam vitæ comites bonæ fuerunt,
Libertas gravis, & pudor facetus.
Hinc eſt quod decimam tuæ ſaluti
Vix actam trieteridem dolemus.
Atque in temporibus vigentis ævi,
Injuſte tibi juſta perſoluta.

EPIST. X.

QUiſquis pontificis patriſque noſtri
Collaudas Patientis hic laborem:
Voti compote ſupplicatione
Conceſſum experiere quod rogabis.
Ædes celſa nitet, nec in ſiniſtrum
Aut dextrum trahitur, ſed arce frontis
Ortum proſpicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol ſic ſollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Diſtinctum vario nitore marmor,
Percurrit cameram, ſolum, feneſtras,
Ac ſub verſicoloribus figuris
Vernans herbida cruſta ſapphiratos
Flectit per praſinum vitrum lapillos.
Huic eſt porticus applicata tripelx
Fulmentis Aquitanicis ſuperba,
Ad cujus ſpecimen remotiora
Claudunt atria porticus ſecundæ:
Et campum medium procul locatas
Veſtit ſaxea ſilva per columnas.
Hinc agger ſonat, hinc Arar reſultat,
Hinc ſeſe pedes atque eques reflectit,
Stridentum & moderator eſſedorum:
Curvorum hinc chorus helciariorum,
Reſponſantibus alleluia ripis,
Ad Chriſtum levat amnicum celeuma.
Sic ſic pſallite nauta vel viator:
Namque iſte eſt locus omnibus petendus,
Omnes quo via ducit ad ſalutem.

LIB. III. EPIST. XII.

EPITAPHIUM APOLLINARIS.

SErum poſt patruos patremque carmen
Haud indignus avo nepos dicavi:
Ne fors tempore poſtumo viator
Ignorans reverentiam ſepulti
Tellurem tereres inaggeratam.
Præfectus jacet hic Apollinaris,
Poſt prætoria recta Galliarum,
Mœrentis patriæ ſinu receptus.
Conſultiſſimus utiliſſimuſque,
Ruris, militiæ, forique cultor.
Exemploque aliis periculoſo
Liber ſub dominantibus tyrannis,
Hæc ſed maxima dignitas probatur,
Quod frontem cruce, membra fonte purgans,
Primus de numero patrum ſuorum
Sacris ſacrilegis renuntiavit.
Hoc primum eſt decus, hæc ſuperba virtus,
Spe præcedere, quos honore jungas.
Quique hic ſunt titulis pares parentes,
Hos illic meritis ſupervenire.

LIB. IV. EPIST. VIII.

PIſtrigero quæ concha vehit Tritone Cytherea,
Hac ſibi collata cedere non dubitet.
Poſcimus, inclina pauliſper culmen herile:
Et munus parvum magna patrona cape.
Euodiumque libens non aſpernare clientem,
Quem faciens magnum tu quoque major eris.
Sic tibi, cui rex eſt genitor, ſocer, atque maritus,
Gnatus rex quoque ſit cum patre, poſtque patrem.
Felices lymphæ, clauſæ quæ luce metalli,
Ora tamen Dominæ lucidiora fovent.
Nam cum dignatur regina hic tingere vultus,
Candor in argentum mittitur e facie.

EPIST. XI.

GErmani decus & dolor Mamerci,
Mirantum unica gemma epiſcoporum,
Hoc dat ceſpite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magiſtro,
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit inſtitutione.
Orator, Dialecticus, Poeta,

Tractator, Geometra, Muſicuſque,
Doctus ſolvere vincla quæſtionum,
Et verbi gladio ſecare ſectas,
Si quæ Catholicam fidem laceſſunt.
Pſalmorum hic modulator & phonaſcus,
Ante altaria fratre gratulante,
Inſtructas docuit ſonare claſſes.
Hic ſolennibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent.
Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans epiſcopali.
Nam de Pontificis tenore ſummi,
Ille inſignia ſumpſit, hic laborem.
At tu quiſque doles, amice lector,
De tanto quaſi nil viro ſuperſit,
Udis parce genis rigare marmor.
Mens & gloria non queunt humari.

EPIST. XVIII.

MArtini corpus totis venerabile terris,
In quo poſt vitæ tempora vivit honor,
Texerat hic primum plebeio machina cultu,
Quæ Confeſſori non erat æqua ſuo:
Nec deſiſtebat cives onerare pudore
Gloria magna viri, gratia parva loci.
Antiſtes ſed qui numeratur ſextus ab ipſo,
Longam Perpetuus ſuſtulit invidiam:
Internum removens modici penetrale ſacelli,
Amplaque tecta levans exteriore domo.
Creveruntque ſimul valido tribuente patrono,
In ſpatiis ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis eſt confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento ſi ſplenduit illud,
Iſtud tranſgreditur cuncta metalla fide.
Livor abi mordax, abſolvanturque priores,
Nil novet, aut addat garrula poſteritas.
Dumque venit Chriſtus, populos qui ſuſcitet omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

LIB. V. EPIST. XVII.

MAne novo ſeu cum ſerventia balnea poſcunt,
Seu cum venatu frons calefacta madet:
Hoc foveat pulcher faciem Philimatius udam,
Migret ut in bibulum vellus ab ore liquor.

LIB. VII. EPIST. XVII.

ABraham ſanctis merito ſociande patronis,
Quos tibi collegas dicere non trepidem:
Nam ſic præcedunt, ut mox tamen ipſe ſequare:
Dat partem regni portio martyrii.
Natus ad Euphratem pro Chriſto ergaſtula paſſus,
Et quinquennali vincula laxa fame,
Elapſus regi truculento Suſidis oræ,
Occiduum properas ſolus aduſque ſolum.
Sed confeſſorem virtutum ſigna ſequuntur:
Spiritibuſque malis fers fugitive fugam.
Quaque venis, lemurum ſe clamat cedere turba:
Dæmonas ire jubes exul in exilium.
Expeteris cunctis, nec te capit ambitus ullus,
Eſt tibi delatus plus oneroſus honor.
Romuleos refugis Byzantinoſque fragores,
Atque ſagittifero mœnia fracta Tito.
Murus Alexandri te non tenet, Antiochique:
Spernis Eliſſeæ Byrſica tecta domus.
Rura paludicolæ temnis populoſa Ravennæ,
Et quæ lanigero de ſue nomen habent.
Angulus iſte placet, pauperrinuſque receſſus,
Et caſa cui culmo culmina preſſa forent.
Ædificans hic ipſe Deo venerabile templum,
Ipſe Dei templum corpore facte prius.
Finiti curſus iſtic vitæque viæque,
Sudori ſupereſt dupla corona tuo.
Jam te circumſtant paradiſi millia ſacri,
Abraham jam te comperegrinus habet.
Jam patriam ingrederis, ſed de qua decidit Adam,
Jam potes ad fontem fluminis ire tui.

LIB. VIII. EPIST. IX.

QUid Cyrrham vel Hyanthias camœnas,
Quid doctos Heliconidum liquores
Scalptos alitis hinnientis ictu,
Nunc in carmina commovere tentas,
Noſtræ, o Lampridius, decus Thaliæ?
Et me ſcribere qui ſubinde cogis,
Ac ſi Delphica Delio tuliſſem
Inſtrumenta tuo? novuſque Apollo
Cortinam, tripodas, chelym, pharetras,
Arcus, gryphas agam, duplæque frontis
Hinc baccas quatiam, vel hinc corymbos?
Tu jam, o Tityre, rura poſt recepta,
Myrtos, & Platanona pervagatus
Pulſas barbiton, atque concinentes
Ora & plectra tibi modos reſultant,
Chorda, voce, metro ſtupende pſaltes.
Nos iſtic poſitos, ſemelque viſos,
Bis jam menſtrua luna conſpicatur,
Nec multum domino vacat vel ipſi,
Dum reſponſa petit ſubactus orbis:
Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum ante ſalo, ſolum timere:
Cujus verticis extimas per oras
Non contenta ſuos tenere morſus,
Altat lamina marginem comarum.
Et ſic crinibus ad cutem reciſis
Decreſcit caput, additurque vultus.
Hic tonſo occipiti, ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.
Hic glaucis Herulus genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus
Algoſo prope concolor profundo.
Hic Burgundio ſeptipes frequenter
Flexo poplite ſupplicat quietem.
Iſtis Oſtrogothus viget patronis,
Vicinoſque premens ſubinde Chunos
His quod ſubditur, hinc ſuperbit illis.
Hinc Romane tibi petis ſalutem,
Et contra Scythicæ plagæ catervas,
Si quos Parrhaſis urſa fert tumultus,
Theudorice, tuæ manus rogantur:
Ut Martem validus per inquilinum
Defenſet tenuem Garumna Tybrim.
Ipſe hic Parthicus Arſaces precatur,
Aulæ Suſidis ut tenere culmen
Poſſit, tædere ſub ſtipendiali.
Nam quod partibus arma Boſphoranis
Grandi hinc ſurgere ſentit apparatu,

Mœſtam Perſida jam ſonum ad duelli
Ripa Euphratide vix putat tuendam:
Qui, cognata licet ſibi aſtra fingens,
Phœbæa tumeat propinquitate,
Mortalem hic tamen implet obſecrando.
Hæc inter, terimus moras inanes,
Sed tu, o Tityre, parce provocare.
Nam non invideo, magiſque miror,
Qui, dum nil mereor, preceſque fruſtra
Impendo, Melibœus eſſe cœpi.

EPIST. XI.

DIlectæ nimis & peculiari
Phœbus commonitorium Thaliæ.
Paulum depoſitis, alumna, plectris
Sparſam ſtringe comam virente vitta,
Et rugas tibi ſyrmatis profundi
Succingant hederæ expeditiores.
Soccos ferre cave, nec (ut ſolebat)
Laxo pes natet altus in cothurno.
Sed tales crepidas ligare cura,
Quales Harpalice, vel illa vinxit,
Quæ victos gladio procos cecidit.
Perges ſic melius volante ſaltu,
Si veſtigia faſceata nudi
Per ſummum digiti regant, citatis
Firmi ingreſſibus, atque vinculorum
Concurrentibus anſulis reflexa
Ad crus per cameram catena ſurgat.
Hoc pernix habitu meum memento
Orpheum viſere, qui cotidiana
Saxa, & robora, corneaſque fibras
Mollit dulciloqua canorus arte:
Arpinas modo quem tonante lingua
Ditat, nunc ſtylus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas Horati,
Alcæo melior lyriſtes ipſo.
Et nunc inflat epos tragœdiarum,
Nunc comœdia temperat jocoſa,
Nunc flammant ſatyræ, & tyrannicarum
Declamatio controverſiarum.
Dic, Phœbus venit, atque poſt veredos
Remis velivolum quatit Garumnam.
Occurras jubet; ante ſed parato
Actutum hoſpitio, Leontioque
Priſco Livia quem dat e ſenatu.
Dic, jam nunc aderit ſatis facetum &
Solo nomine Ruſticum videto.
Sed ſi tecta negant ut occupata,
Perge ad limina mox epiſcoporum,
Sancti & Galiicini manu oſculata,
Tecti poſce brevis vacationem:
Ne, ſi deſtituor domo negata,
Mœrens ad madidas eam tabernas:
Et claudens geminas ſubinde nares,
Propter fumificas gemam culinas:
Qua ſerpylliferis olet catenis
Baccas per geminas ruber botellus,
Ollarum aut nebulæ vapore juncto
Fumant cum crepitantibus patellis.
Hic cum feſta dies ciere ravos
Cantus cœperit, & voluptuoſam
Scurrarum querimoniam crepare,
Tunc tunc carmina digniora vobis,
Vinoſi hoſpitis excitus camœna
Plus illis ego barbarus ſuſurrem.

LIB. IX. EPIST. XIII.

JAmdudum teretes hendecaſyllabos
Attrito calamis pollice luſimus,
Quos cantare magis pro Choriambicis
Excuſſo poteras mobilius pede.
Sed tu per Calabri tramitis aggerem
Vis ut noſtra dehinc curſitet orbita,
Qua Flaccus Lyricos Pindaricum ad melos
Frænis flexit equos plectripotentibus,
Dum metro quatitur chorda Glyconio,
Necnon Alcaico, vel Pherecratio
Juncto Lesbiaco, ſive anapæſtico,
Vernans per varii carminis eclogas,
Verborum violis multicoloribus.
Iſtud (da veniam) fingere vatibus
Priſcis difficile eſt, difficile & mihi,
Ut diverſa ſonans os epigrammata,
Nil crebras titubet propter epiſtolas,
Quas cantu ac modulis luxuriantibus
Laſcivire vetat maſcula dictio.
Illud vix Leo, rex Caſtalii chori,
Vix, hunc qui ſequitur, Lampridius queat,
Declamans gemini pondere ſub ſtyli
Coram diſcipulis Burdegalenſibus.
Hoc me teque decet, parce precor jocis,
Quæſo pollicitam ſervet ad extimum
Oratoris opus cura modeſtiam:
Quo nil deterius, ſi fuerit ſimul
In primis rigidus, mollis in ultimis.

AGe convocata pubes,
Locus, hora, menſa, cauſa
Jubet, ut volumen iſtud,
Quod & aure & ore diſcis,
Studiis in aſtra tollas.
Petrus eſt tibi legendus,
In utraque diſciplina
Satis inſtitutus auctor.
Celebremus ergo fratres
Pia feſta literarum.
Peragat diem cadentem
Dape, poculis, choreis
Genialis apparatus.
Rutilum toreuma byſſo,
Rutilaſque ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat unda,
Opulentet ut meraco
Bibulum colore vellus.
Peregrina det ſupellex
Tiſiphontis ac Niphatis
Juga texta, belluaſque
Rapidas, vacante panno,
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco,
Jaculoque ſeu forante
Cruor incruentus exit.
Ubi torvus, & per artem
Reſupina flexus ora
It equo, reditque, telo
Simulacra beſtiarum
Fugiens, fuganſque Parthus.
Nive pulchriora lina
Gerat orbis, atque lauris,
Hederiſque, pampiniſque

Viri-

Viridantibus tegatur.
Cytiſos, crocos, amellos,
Caſias, liguſtra, calthas
Calathi ferant capaces:
Redolentibuſque ſertis
Abacum, thoroſque pingant.
Manus uncta ſucco amomi
Domet hiſpidos capillos:
Arabumque meſſe pinguis
Petat alta tecta fumus.
Veniente nocte necnon
Numeroſus erigatur
Laquearibus coruſcis
Cameræ in ſuperna lychnus.
Oleumque neſcientes,
Adipeſque glutinoſos,
Utero tumente fundant
Opobalſamum lucernæ.
Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo
Epulas ſuperbiores
Humeris ferant onuſtis.
Pateræ, ſcyphi, lebetes,
Socient falerna nardo.
Tripodaſque, cantharoſque
Roſa futilis coronet.
Juvat ire per corollas
Alabaſtra ventilantes:
Juvat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo:
Simulare vel trementes
Pede, veſte, voce Bacchas.
Bimari remittat urbe
Thymelen, Palenque doctas
Tepidas ad officinas
Cithariſtrias Corinthus:
Digiti quibus canentes
Pariter ſonante lingua,
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulſu.
Date & æra fiſtulata
Satyris amica nudis.
Date ravulos choraulas,
Quibus antra per palati
Crepulis reflanda buccis
Gemit aura tibialis.
Date carminata ſocco,
Date dicta ſub cothurno,
Date quidquid advocati,
Date quidquid & Poetæ
Vario ſtrepunt in actu.
Petrus hæc & illa tranſit.
Opus editum tenemus,
Dimetra quod arte texens,
Iter aſperum, viaſque
Labyrinthicas cucurrit.
Sed in omnibus laborans
Et ab omnibus probatus,
Rapit hinc & inde palmam,
Per & ora docta fertur.
Procul hinc & Hippocrenen,
Aganippicoſque fontes,
Et Apollinem canorum,
Comitantibus Camœnis,
Abigamus & Minervam
Quaſi præſulem canendi.
Removete ficta fatu:
Deus iſta præſtat unus.
Stupuit virum loquentem
Diadematis poteſtas,
Toga, miles, ordo equeſter;
Populuſque Romularis:
Et adhuc ſophos volutant
Fora, templa, rura, caſtra.
Super hæc, fragorem alumno,
Padus atque civitatum
Dat amor Liguſticarum.
Similis favor reſultat
Rhodanitidas per urbes:
Imitabiturque Gallos
Feritas Ibericorum.
Nec in hoc moratus axe
Cito ad arva perget Duri,
Aquilonibuſque, & Auſtris,
Zephyriſque perferetur.

EPIST. XIV.

Carmina recurrentia.

Sic eſt illud antiquum:
Roma tibi ſubito, motibus ibit amor.
Et illud:
Sole medere pede, ede perede melos.
Tali jocatus Epigrammate, his pedibus per turbulenti terga torrentis inceſſi.
Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen,
Tempore conſumptum jam cito deficiet.
Hos ſi recurras, ita legitur.
Deficiet cito jam conſumptum tempore flumen,
Tramite decurrit quod modo præcipiti.
Et, Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo.

EPIST. XV.

Jubes, amice, noſtra per volumina
Modis reſultet incitatioribus
Ferox Iambus, & Trochæus hactenus,
Pigraſque bigas, & quaterna tempora
Spondæus addat, ut moram volucripes
Habeat parumper inſita trimetria,
Reſonetque mixtus ille pes celerrimus.
Bene nuncupatus quondam ab arte Pyrricha
Loco locandus undecumque in ultimo,
Spondam daturus & ſubinde verſui
Modo in priore parte, nunc in extima,
Anapæſtus, ipſe quamquam & abſolutius
Pronuntietur, cum ſecuta tertia
Geminæ brevique longa adhæret ſyllaba,
Quæ temperare vix valet gregarius
Poeta, ut ipſe cernis eſſe Sollium.
In pectine errat, nec per ora concava
Vaga lingua flexum competenter explicat
Epos, ſed iſtud aptius paraverit
Leo, Leonis aut ſequutus orbitas
Cantu in Latino, cum prior ſit Attico,
Conſentiorum qui ſuperſtes eſt patri,
Fide, voce, metris, ad fluenta Pegaſi
Ceciniſſe dictus omniforme canticum,
Quotieſque verba Graia carminaverit,
Tenuiſſe celſa junctus aſtra Pindaro,
Montemque victor iſſe per biverticem,

Nulli

Nulli ſecundus inter aſtra Delphica.
At uterque vatum ſi lyræ Poeticæ
Latiare carmen aptet abſque Dorico,
Venuſina Flacce plectra ineptus exeras.
Iapygiſque verna cycnus Aufidi,
Atacem tonare cum ſuis oloribus,
Cana & canora colla victus ingemas.
Nec iſta ſola ſunt perita pectora,
Licet & peritis hæc peritiora ſint.
Severianus iſta Rhetor altius,
Afer vaterque Dumnulus politius,
Scholaſticuſque ſub rotundioribus
Petrus camœnis dictiraſſet acrius;
Epiſtularis uſquequaque nec ſtylus
Virum vetaret, ut ſtupenda pangeret.
Potuiſſet iſta ſemper efficacius,
Humo atque gente cretus in Liguſtide
Proculus, melodis inſonare pulſibus
Limans faceta quæque ſic poemata,
Venetam laceſſat ut favore Mantuam:
Homericæque par & ipſe gloriæ
Rotas Maronis arte ſectans compari.
Ego corde, & ore, jure deſpicabilis
Quid inter hoſce te rogante garriam,
Loquacitatis impudentiam probans,
Animique vota deſtituta literis?
Sed quid negabo, nec pudore territus?
Amor timere neſcit: inde parui.

EPIST. XVI.

Jam per alternum pelagus loquendi
Egit audacem mea cymba curſum;
Nec bipartito timuit fluento
Flectere clavum.
Solvit antennas, legit alta vela;
Palmulam ponit manus, atque tranſtris
Littori junctis petit oſculandam
Saltus arenam.
Muſſitans quamquam chorus invidorum
Prodat hirritu rabiem canino,
Nil palam ſane loquitur, pavetque
Publica puncta.
Verberant puppem, quatiunt carinam,
Ventilant ſpondas laterum rotundas,
Arborem circa volitant ſiniſtræ
Sibila linguæ.
Nos tamen rectam comite arte proram,
Nil tumeſcentes veriti procellas,
Siſtimus portu, geminæ potiti
Fronde coronæ:
Quam mihi indulſit populus Quirini,
Blattifer vel quam tribuit ſenatus,
Quam petitorum dedit ordo conſors
Judiciorum.
Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret;
Inter autores utriuſque fixam
Bibliothecæ.
Quamque poſt viſus, prope poſt biluſtre
Tempus, accepi capiens honorem,
Qui patrum ac plebis ſimul unus olim
Jura gubernat.
Præter heroos joca multa multis
Texui pannis, elegos frequenter
Subditos ſenis pedibus rotavi
Commate bino.
Nunc per undenas equitare ſuetus
Syllabas, luſi celer: atque metro
Sapphico creber cecini citato
Rarus iambo.
Nec recordari queo quanta quondam
Scripſerim primo juvenis calore,
Unde pars major utinam taceri,
Poſſit & abdi.
Nam ſenectutis propiore meta
Quicquid extremis ſociamur annis,
Plus pudet ſi quid leve luſit ætas,
Nunc reminiſci.
Quod perhorreſcens ad epiſtolarum
Tranſtuli cultum genus omne curæ,
Ne reus cantu petulantiore,
Sim reus actu.
Neu puter ſolvi per amœna dicta,
Schema ſic artis phaleraſque jungam:
Clerici ne quid maculet rigorem
Fama poetæ.
Denique ad quodvis epigramma poſthac
Non ferar pronus, teneroque metro
Vel gravi nullum cito cogar exhinc
Promere carmen.
Perſequutorum niſi quæſtiones
Forſitan dicam, meritoſque cœlum
Martyres, mortis pretio paraſſe
Præmia vitæ.
E quibus primum mihi pſallat hymnus
Qui Toloſatum tenuit cathedram,
De gradu ſummo capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et crucis Chriſti bona confitentem
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.
Ut per abruptum bove concitato
Spargeret curſus lacerum cadaver,
Cautibus tinctis calida ſoluti
Pulte cerebri.
Poſt Saturninum, volo plectra cantent,
Quos patronorum reliquos probavi
Anxio duros mihi per labores
Auxiliatos.
Singulos quos nunc pia nuncupatim
Non valent verſu cohibere verba.
Quos tamen chordæ nequeunt ſonare,
Corda ſonabunt.

CAR.

C A R M I N A.

PRÆFATIO in PANEGYRICUM dictum Anthemio Auguſto bis Conſuli.

CARMEN I.

CUM juvenem ſuper aſtra Jovem natura locaret,
Suſciperetque novus regna vetuſta Deus,
Certavere ſuum venerari numina numen,
Diſparibuſque modis par cecinere ſophos.
Mars clangente tuba patris præconia dixit,
Laudavitque ſono fulmina fulmineo.
Arcas, & Arcitenens fidibus ſtrepuere ſonoris,
Doctior hic citharæ pulſibus, ille lyræ.
Caſtalidumque chorus vario modulamine plauſit,
Carminibus, cannis, pollice, voce, pede.
Sed poſt cælicolas etiam mediocria fertur
Cantica ſemideum ſuſtinuiſſe Deus.
Tunc Faunis Dryades, Satyriſque Mimallones aptæ,
Fuderunt lepidum ruſtica turba melos.
Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes,
Poſtque chelym, piacuit fiſtula rauca Jovi:
Hos inter Chiron ad plectra ſonantia ſaltans,
Flexit inepta ſui membra facetus equi:
Semivir audiri meruit, meruitque placere,
Quamvis hinnitum, dum canit, ille daret.
Ergo ſacrum dives & pauper lingua litabat,
Summaque tunc voti victima cantus erat.
Sic nos, o Cæſar, noſtri ſpes maxima ſecli,
Poſt magnos proceres parvula thura damus,
Audacter docto coram victore canentes,
Aut Phœbi, aut veſtro qui ſolet ore loqui.
Qui licet æterna ſit vobis quæſtor in aula,
Æternum nobis ille magiſter erit.
Ergo colat variæ te, princeps, hoſtia linguæ,
Nam nova templa tibi pectora noſtra facis.

CARMEN II.

Panegyricus, quem Romæ Sidonius dixit Anthemio Auguſto bis Conſuli.

AUſpicio & numero faſces, Auguſte, ſecundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum, conſul vetus, ac ſine faſtu
Scribere bis faſtis: quamquam diademate crinem
Fatigatus eas, humeroſque ex more priorum
Includat Sarrana chlamys, te picta togarum
Purpura plus capiat, quia res eſt ſemper ab ævo
Rara, frequens conſul. Tuque, o cui laurea Jane
Annua debetur, religa torpore ſoluto
Quavis fronde comas, ſubita nec luce paveſcas
Principis, aut rerum credas elementa moveri.
Nil natura novat, ſol hic quoque venit ab ortu.
Hic eſt, o proceres, petiit quem Romula virtus,
Et quem veſter amor. cui ſe ceu victa procellis,
Atque, carens rectore ratis, reſpublica fractam
Intulit, ut digno melius flectenda magiſtro,
Nec tempeſtates, nec te, pirata, timeret.
Te prece turicola expetiit, te fœdere junctus
Aſſenſu, te caſtra tubis, te curia plauſu,
Te punctis ſcripſere tribus, collegaque miſit
Te nobis, regnumque tibi. ſuffragia tot ſunt,
Quanta legit mundus. fateor, trepidavimus omnes,
Ne vellet collega pius permittere voto
Publica vota tuo. credet ventura propago
In nos ut poſſint, Princeps, ſic cuncta licere,
De te non totum licuit tibi. Facta priorum
Exuperas, Auguſte Leo: nam regna ſuperſtat
Qui regnare jubet. melius reſpublica veſtra
Nunc erit una magis, quæ ſic eſt facta duorum.
Salve ſceptrorum columen, regina orientis,
Orbis Roma tui, rerum mihi principe miſſo,
Jam non Eoo ſolum veneranda Quiriti
Imperii ſedes, ſed plus pretioſa, quod extas
Imperii genitrix. Rhodopen quæ portat & Hemum,
Thracum terra tua eſt, heroum fertilis ora.
Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo,
Artus infantum molles, nix civica durat.
Pectore vix aliter quiſquam, ſed ab ubere tractus,
Plus potat per vulnus equum; ſic lacte relicto,
Virtutem gens tota bibit: crevere parumper:
Mox pugnam ludunt jaculis; hos ſuggerit illis
Nutrix plaga jocos. pueri venatibus apti
Luſtra feris vacuant: rapto ditata juventus
Jura colit gladii: conſummatamque ſenectam
Non ferro finire pudet. tali ordine vitæ
Cives Martis agunt. at tu circumflua ponto
Europæ atque Aſiæ commiſſam carpis utrimque
Temperiem; nam Biſtonios Aquilonis hiatus
Proxima Chalcidici ſenſim tuba temperat Euri.
Interea te Suſa tremunt, ac ſupplice vultu
Flectit Achæmenius lunatum Perſa tiaram.
Indus odorifero crinem madefactus amomo,
In tua lucra feris exarmat guttur alumnis:
Ut pandum dependat ebur; ſic trunca reportat
Boſphoreis elephas inglorius ora tributis.
Porrigis ingentem ſpatioſis mœnibus urbem,
Quam tamen anguſtam populus facit. itur in æquor
Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarcheæ translatus pulvis arenæ
Intratis ſolidatur aquis: durataque maſſa
Suſtinet advectos peregrino in gurgite campos.
Sic te diſpoſitam, ſpectantemque undique portus,
Vallatam pelago terrarum commoda cingunt,
Fortunata ſatis, Romæ partita triumphos.
Et jam non querimur, valeat diviſio regni.
Concordant lancis partes, dum pondera noſtra
Suſcipis, æquaſti. tali tu civis ab urbe
Procopio genitore micas: cui priſca propago
Auguſtis venit a proavis, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec ſi modo ſurgat Averno
Qui cantu flexit ſcopulos, digitiſque canoris
Compulit auritas ad plectrum currere ſilvas:
Cum ſtarent Hebri latices, curſuque ligato
Fluminis attoniti carmen magis unda ſitiret.
Huic quondam juveni reparatio credita pacis
Aſſyriæ. ſtupuit primis ſe Parthus in annis
Conſilium non ferre ſenis. conterritus hæſit
Quiſque ſedet ſub rege Satraps, ita juverat omnes
Legati genius, tremuerunt Medica rura,
Quæque Draconigenæ portas non clauſerat hoſti,

Tum

Tum demum Babylon nimis eſt ſibi viſa patere.
Partibus at poſtquam ſtatuit nova formula fœdus,
Procopio dictante Magis, juratur ab illis
Ignis & unda Deus: necnon rata pacta futura,
Hic divos teſtatur avos. Chaldæus in extis
Pontificum de more ſenex arcana peregit
Murmura; gemmantem pateram rex ipſe retentas,
Fudit thuricremis carcheſia cernuus aris.
Suſcipit hinc reducem duplicati culmen honoris,
Patritius, necnon peditumque equitumque magiſter
Præficitur caſtris, ubi Tauri clauſtra coercens,
Æthiopaſque vagos belli terrore relegans,
Gurgite pacato famulum ſpectaret Orontem.
Huic ſocer Anthemius præfectus, conſul & idem,
Judiciis populos, atque annum nomine rexit.
Purpureos fortuna viros cum murice ſemper
Proſequitur, ſolum hoc tantum mutatur in illis,
Ut regnet qui conſul erat. ſed omittimus omnes.
Jam tu ad plectra veni, tritus cui caſſide crinis
Ad diadema venit, rutilum cui Cæſaris oſtrum
Depoſito thorace datur, ſceptroque replenda
Mucrone eſt vacuata manus: cunabula veſtra
Imperii fulſere notis, & præſcia tellus
Aurea converſo promiſit ſæcula fœtu.
Te naſcente, ferunt exorto flumina melle
Dulcaris cunctata vadis, oleique liquores
Iſſe per attonitas bacca pendente trapetas.
Protulit undantem ſegetem ſine ſemine campus:
Et ſine ſe natis invidit pampinus uvis,
Hybernæ rubuere roſæ, ſpretoque rigore
Lilia permixtis inſultavere pruinis.
Tale puerperium quotiens Lucina reſolvit,
Mos elementorum cedit, regnique futuri
Fit rerum novitate fides: veniſſe beatos
Sic loquitur natura Deos. cunctantis Iuli
Lambebant teneros incendia blanda capillos.
Aſtyages Cyro pellendus ſorte nepoti,
Inguinis expavit diffuſum vite racemum.
Præbuit intrepidos mammas lupa fœta Quirino.
Julius in lucem venit, dum laurea fragrat.
Magnus Alexander, necnon Auguſtus, habentur
Concepti ſerpente Deo: Phœbumque, Jovemque
Diviſere ſibi: namque horum quæſiit unus
Cyniphia ſub Syrte patrem: maculis genitricis
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi,
Pœonii jactans Epidauria ſigna draconis.
Multos cinxerunt aquilæ, ſubitumque per orbem
Luſit venturas famulatrix penna coronas.
Aſt hunc, egregii proceres, ad ſceptra vocari
Jam tum noſſe datum eſt, laribus cum ſorte paternis
Protulit excíſus jam non ſua germina palmes.
Imperii ver illud erat; ſub imagine frondis,
Dextra per arentem florebant omina virgam.
At poſtquam primos infans exegerat annos,
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina cervicem, gemina complexus ab ulna,
Livida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtina tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere nervos.
Nunc tremulum tenero jaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inventas agitare feras, & fronde latentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis,
Nunc totto penetrare veru, tum ſæpe fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.
Conde Pelethronios alacer puer & venator
Æacidæ titulos; quamquam ſubjecta magiſtri
Terga premens, & ob hoc ſecurus luſtra pererrans,
Tu potius regereris equo. non principe noſtro
Spicula direxit melius Pythona ſuperſtans
Pæan, cum vacua turbatus pene pharetra,
Figeret innumeris numeroſa volumina telis.
Nec minus hæc inter veteres audire ſophiſtas;
Mileto quod crete Thales vadimonia culpas:
Lindie quod Cleobule canis, modus optimus eſto:
Ex Ephyra totum meditaris quod Periander;
Attice quodve Solon finem bene reſpicis ævi:
Priennæe Bia, quod plus tibi turba malorum eſt:
Noſcere quod tempus Lesbo ſate Pittace ſuades:
Quod ſe noſſe omnes vis ex Lacedæmone Chilon.
Præterea didicit varias nova dogmata ſectas,
Quidquid laudatum eſt Scythicis Anacharſis in arvis,
Quidquid legifero profecit Sparta Lycurgo,
Quidquid Erechthæis Cynicorum turba volutat
Gymnaſiis imitata tuos, Epicure, ſodales:
Quidquid nil verum ſtatuens Academia duplex
Perſonat, arroſo quidquid ſapit ungue Cleanthes:
Quidquid Pythagoras, Democritus, Heraclitus
Deflevit, riſit, tacuit: quodcumque Platonis
Ingenium, quod in arce fuit, docet: ordine terno
Quæ vel Ariſtoteles partitus membra loquendi,
Argumentoſis dat retia ſyllogiſmis:
Quidquid Anaximenes, Euclides, Archita, Zenon,
Arceſilas, Chryſippus, Anaxagoraſque dederunt,
Socraticuſque animus poſt fatum in Phædone vivus,
Deſpiciens vaſtas tenuato crure catenas,
Cum tremeret mors ipſa reum, ferretque venenum
Pallida ſecuro lictoris dextra magiſtro.
Præterea quidquid Latialibus indere libris
Priſca ætas ſtuduit, totum percurrere ſuetus:
Mantua quas acies pelagique pericula luſit,
Smyrnæas imitata tubas, quamcumque loquendi
Arpinas dat conſul opem ſine fine locutus:
Fabro progenitus, ſpreto cui patre polita
Eloquiis plus lingua fuit: vel quidquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis:
Qua Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo fulmine Quintilianus:
Qua pompa Tacitus nunquam ſine laude loquendus.
His hunc formatum ſtudiis, natalibus ortum,
Moribus imbutum, Princeps, cui mundus ab Euro
Ad Zephyrum tunc ſceptra dabat, cui nubilis atque
Unica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum: ſed non ut deſide luxu
Fortuna ſoceri contentus, & otia captans,
Nil ſibi deberet: Comitis ſed jure recepto
Danubii ripas, & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, diſponit, diſcutit, armat.
Sic ſub patre Pius moderatus caſtra parentis,
Sic Marcus vivente Pio, poſt jura daturi
Innumerabilibus legionibus imperitabant.
Hinc reduci datur omnis honor, & utrique magiſter
Militiæ: conſulque micat: conjuncta poteſtas
Patricii, celerique gradu privata cucurrit
Culmina, conſcenditque ſenum puer ipſe curulem,
Sedit & emerito juvenis veteranus in auro.
Jamque parens divos; ſed vobis nulla cupido
Imperii. longam diademata paſſa repulſam
Inſignem legere virum: quem deinde legentem

Spernere non poſſes. ſoli tibi contulit uni
Hoc fortuna decus, quamquam te poſceret ordo,
Ut lectus princeps mage, quam videare relictus.
Poſt ſocerum Auguſtum regnas, ſed non tibi venit
Purpura per thalamos, & conjunx regia regno
Laus potius quam cauſa fuit: nam juris habenis
Non generum legit reſpublica, ſed generoſum.
Fallor, bis gemino niſi cardine rem probat orbis.
Ambit te Zephyrus, rectorem deſtinat Eurus,
Ad Boream pugnas, & formidaris ad Auſtrum.
Ante tamen quam te ſocium collega crearet,
Perſtrinxiſſe libet, quos Illyris ora triumphos
Viderit, exciſam quæ ſe Valameris ab armis
(Forte ducis noſtri vitio) deſerta gemebat.
Haud aliter, cæſus quondam eum Cæpio robur
Dedidit Auſonium, ſubita cogente ruina,
Electura ducem poſt guttura fracta Jugurthæ,
Ultum Arpinatem Calpurnia fœdera lixam
Oppoſuit rabido reſpublica territa Cimbro.
Hic primum ut veſtras aquilas provincia vidit,
Deſiit hoſtiles confeſtim horrere dracones.
Ilicet edomiti bello prædaque carentes,
Mox ipſi tua præda jacent. ſed omittimus iſtos
Ut populatores: belli magis acta revolvo.
Quod bellum non parva manus, neque carcere fracto
Ad gladiaturam tu Spartace vincte paraſti:
Sed Scythicæ vaga turba plagæ, feritatis abundans,
Dira, rapax, vehemens, ipſis quoque gentibus illic
Barbara barbaricis, cujus dux Hormidac atque
Civis erat, queis tale ſolum eſt, murique, genuſque.
Albus Hyperboreis Tanais qua vallibus actus,
Riphæa de caute cadit, jacet axe ſub urſæ
Gens animis membriſque minax; ita vultibus ipſis
Infantum ſuus horror ineſt: conſurgit in arctum
Maſſa rotunda caput, geminis ſub fronte cavernis
Viſus adeſt oculis abſentibus, acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux pervenit orbes,
Non tamen & clauſos. nam fornice non ſpatioſo,
Magna vident ſpatia, & majoris luminis uſu,
Perſpicua in puteis compenſant puncta profundis.
Tum ne per malas excreſcat fiſtula duplex,
Obtundit teneras circumdata faſcia nares,
Ut galeis cedant. ſic propter prælia natos
Maternus deformat amor, quia tenſa genarum
Non interjecto fit latior area naſo:
Cetera pars eſt pulchra viris. ſtant pectora vaſta,
Inſignes humeri, ſuccincta ſub ilibus alvus.
Forma quidem pediti media eſt, procera ſed extat,
Si cernas equites, ſic longi ſæpe putantur,
Si ſedeant. vix matre carens ut conſtitit infans,
Mox præbet dorſum ſonipes, cognata reare
Membra viris, ita ſemper equo ceu fixus adhæret
Rector. cornipedum tergo gens altera fertur,
Hæc habitat. teretes arcus, & ſpicula cordi;
Terribiles certæque manus, jaculiſque ferendæ
Mortis fixa fides: & non peccante ſub ictu,
Edoctus peccare furor. gens iſta repente
Erumpens, ſolidumque rotis tranſvecta per Iſtrum
Venerat, & ſectas inciderat orbita lymphas.
Hanc tu directus per Dacica rura vagantem
Contrahis, aggrederis, ſuperas, includis: & ut te
Metato ſpatio caſtrorum Serdica vidit,
Obſidione premis; quæ te ſic tempore multo
In vallo poſitum ſtupuit, quod miles in agros
Nec licitis, nec furtivis excurſibus ibat:
Cui deeſſet cum ſæpe Ceres, ſemperque Lyæus,
Diſciplina tamen non defuit. inde propinquo
Hoſte, magis timuere ducem. ſic denique factum eſt,
Ut ſocius tum forte tuus, mox proditor, illis
Fruſtra terga daret, commiſſæ tempore pugnæ;
Qui jam cum fugeret, flexo pede cornua nudans,
Tu ſtabas acie ſolus, te ſparſa fugaci
Expetiit ductore manus, te Marte pedeſtri
Sudantem repetebat eques: tua ſigna ſequutus
Non ſe deſertum ſenſit certamine miles.
I nunc, & veteris proſer præconia Tulli
Ætas cana patrum, quod pulchro hortamine mendax
Occuluit refugi nutantia fœdera Meti.
Nil ſimile eſt, fallique tuum tibi non placet hoſtem,
Tunc vicit miles, dum ſe putat eſſe juvandum.
Hic vicit, poſtquam ſe comperit eſſe relictum.
Dux fugit, inſequeris: renovat certamina, vincis:
Clauditur, expugnas. elabitur, obruis: atque
Sarmaticæ paci pretium ſua funera ponis.
Paretur, juſſum ſubiit jam transfuga lethum,
Atque peregrino cecidit tua victima ferro.
Ecce iterum, ſi forte placet, conflige vetuſtas;
Hannibal ille ferox ad pœnam forte petitus,
Etſi non habuit jus vitæ, ſine ſupremo
Certe habuit mortis: quem cæcus carcer, & uncus,
Et quem ſpectabat fracturus guttura lictor,
Hauſit Bebrycio conſtantior hoſpite virus.
Nam te qui fugit, mandata morte peremptus,
Non tam victoris periit, quam judicis ore.
Nunc ades, o Pæan, lauro cui gryphas obuncos
Docta lupata ligant, quotiens per frondea lora
Flectis penniferos hederis bicoloribus armos:
Huc converte chelym: non eſt modo dicere tempus
Pythona extinctum, nec bis ſeptena ſonare
Vulnera Tantalidum, quorum tibi funera ſervat
Cantus, & æterno vivunt in carmine mortes.
Vos quoque, Caſtalides, paucis, quo numine nobis
Venerit Anthemius gemini cum fœdere regni,
Pandite; pax rerum miſit, qui bella gubernet.
Auxerat Auguſtus naturæ lege Severus
Divorum numerum, quem mox Oenotria caſum
Vidit ut aerei de rupibus Apennini,
Pergit cærulei vitreas ad Tybridis ædes,
Non galea concluſa genas, nec futilis illi
Circulus impactis loricam texuit hamis,
Sed nudata caput; pro crine racemifer exit
Plurima per frontem conſtringens oppida palmes,
Perque humeros teretes, rutilantes perque lacertos
Pendula gemmiferæ mordebant ſuppara bullæ.
Segnior incedit ſenio, venerandaque membra
Viticomam retinens baculi vice flectit ad ulmum:
Sed tamen ubertas ſequitur: quacumque propinquat,
Inceſſu fœcundat iter, comitataque greſſum
Læta per impreſſas rorat vindemia plantas.
Ilicet ingreditur Tyberini gurgitis antrum:
Currebat fluvius reſidens, & arundinis altæ
Concolor in viridi fluitabat ſilva capillo.
Dat ſonitum mento unda cadens, licet hiſpida ſetis
Suppoſitis multum ſedaret barba fragorem.
Pectore ructabat latices, lapſuque citato,
Sulcabat madidam jam torrens alveus alvum:
Terretur veniente Dea, manibuſque remiſſis
Remus, & urna cadunt; veniæ tum verba paranti,
Illa prior, venio viduatam præſule noſtro
Per te ſi placeat lacrimis inflectere Romam,
Expetat auroræ partes, faſtuque remoto
Hoc unum præſtet, jam plus dignetur amari.

Inſtrue quas quærat vires, orbique jacenti
Quo poſcat dic orbe caput; quemcumque creavit
Axe meo natum, confeſtim fregit in illo
Imperii fortuna rotas; hinc Vandalus hoſtis
Urget, & in noſtrum numeroſa claſſe quotannis
Militat excidium: converſoque ordine fati
Torrida Caucaſeos infert mihi Byrſa furores.
Præterea invictus Ricimer, quem publica fata
Reſpiciunt, proprio ſolus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum, qui prælia vitans,
Victorem fugitivus agit. quis ſufferat hoſtem,
Qui pacem pugnamque negat? nam fœdera nulla
Cum Recimere jacit; quem cur nimis oderit, audi.
Incertum crepat ille patrem, cum ſerva ſit illi
Certa parens; nunc ut regis ſit filius, effert
Matris adulterium. tum livet, quod Ricimerem
In regnum duo regna vocant: nam patre Suevus,
A genitrice Getes; ſimul & reminiſcitur illud,
Quod Tarteſſiacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, & juncti Martis Alanos
Stravit, & occiduam texere cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
Agrigentini recolit diſpendia campi.
Inde furit quod ſe docuit ſatis iſte nepotem
Illius eſſe viri, quo viſo Vandale ſemper
Terga dabas. nam non Siculis illuſtrior arvis
Tu Marcelle redis, per quem tellure, marique
Noſtra Syracuſios prefferunt arma penates:
Nec tu, cui currum curru ſuperare, Metelle,
Contigit, oſtentans nobis elephanta frequentem,
Grex niger albentes tegeret cum mole jugales,
Autoremque ſuum celaret pompa triumphi.
Noricus Oſtrogothum quod continet, iſte timetur.
Gallia quod Rheni Martem ligat, iſte pavori eſt.
Quod conſanguineo me Vandalus hoſtis Alano
Diripuit radente, ſuis hic ultus ab armis.
Sed tamen unus homo eſt, nec tanta pericula ſolus
Tollere, ſed diferre poteſt. modo principe nobis
Eſt opus armato, veterum qui more parentum,
Non mandet, ſed bella gerat: quem ſigna moventem
Terra vel unda tremant, ut tandem jure recepto
Romula deſuetas moderentur claſſica claſſes.
Audiit illa pater, ſimul annuit. itur in urbem
Continuo, videt ipſe deam, ſummiſſus adorat,
Pectus & exertam terigerunt cornua mammam,
Mandatas fert inde preces, quas Diva ſecuta
Apparat ire viam, laxatos torva capillos
Stringit, & incluſæ latuerunt caſſide turres.
Inſula laurus erat, bullis hoſtilibus aſper
Applicat a læva ſurgentem balteus enſem.
Inſeritur clypeo victrix manus. illius orbem
Martigenæ, lupa, Tybris, amor, Mars, Ilia, complent.
Fibula mordaci refugas a pectore veſtes
Dente capit: micat haſta minax, quercuſque tropæis
Curva tremit, placidoque deam ſub faſce fatigat.
Perpetuo ſtat planta ſolo, ſed faſcia primos
Siſtitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adverſum vincto de fornice pollex,
Quæ ſtringant crepidas, & concurrentibus anſis
Vinclorum pandas texant per crura catenas.
Ergo ſicut erat liquidam tranſvecta per æthram,
Naſcentis petiit tepidos Hyperionis ortus.
Eſt locus Oceani, longinquis proximus Indis
Axe ſub Eoo, Nabathæum tenſus in Eurum,
Ver ubi continuum eſt. interpellata nec ullis
Frigoribus palleſcit humus: ſed flore perenni
Picta peregrinos ignorant arva rigores.
Halant rura roſis, indeſcriptoſque per agros
Fragrat odor: violam, cytiſum, ſerpylla, liguſtrum,
Lilia, narciſſos, caſiam, colocaſia, calthas,
Coſtum, malobathrum, myrrhas, opobalſama, thura,
Parturiunt campi: necnon pulſante ſenecta
Hinc rediviva petit vicinus cinnama Phœnix.
Hic domus auroræ, rutilo cruſtante metallo,
Baccarum præfert læves aſprata lapillos.
Diripiunt diverſa oculos, & ab arte magiſtra,
Hoc vincit quodcunque videt. ſed conditur omnis
Sub domina præſente decor, nimioque rubore
Gemmarum varios perdit, quia poſſidet ignes.
Fundebat coma pexa crocos, flexoque lacerto
Lutea depreſſus comebat tempora pecten.
Fundebant oculi radios, color igneus illis,
Non tamen ardor erat: quamvis de nocte recuſſa
Excepti ſoleant ſudorem fingere rores.
Pectora bis cingunt zonæ, parviſque papillis
Invidiam facit ipſe ſinus: pars extima pepli
Perfert puniceas ad crura rubentia rugas.
Sic regina ſedet ſolio, ſceptri vice dextram
Lampadis haſta replet; nox aſtat proxima Divæ,
Jam refugos converſa pedes: ac pone tribunal,
Promit lux ſummum, vix intellecta, cacumen.
Hinc Romam liquido venientem tramite cernens,
Exiluit propere, & blandis prior orſa loquelis.
Quid caput o mundi, dixit, mea regna reviſis?
Quidve jubes? paulum illa ſilens, atque aſpera miſcens
Mitibus, hæc cœpit: Venio (deſiſte moveri,
Nec multum trepida) non ut mihi preſſus Araxes
Impoſito ſub ponte fluat, nec ut ordine priſco,
Indicus Auſonia potetur caſſide Ganges,
Aut ut tigriferi pharetrata per arva Niphatis
Depopuletur ovans Artaxata Caſpia conſul.
Non Pori modo regna precor, nec ut hiſce lacertis
Frangat Hydaſpeas aries impactus Erythras.
Non in Bactra feror, nec committentia pugnas
Noſtra Semiramiæ ſtrident ad claſſica portæ.
Arſacias non quæro domus, nec teſſera caſtris
In Cteſiphonta datur. totum hunc tibi ceſſimus axem,
Et nec ſic mereor noſtram ut tueare ſenectam.
Omne quod Euphratem Tigrimque interjacet, olim
Sola tenes; res empta mihi eſt de ſanguine Craſſi.
Ad Charras pretium ſcripſi, nec inulta remanſi,
Aut periit ſic emptus ager: ſi fallo, probaſti
Ventidio mactate Sapor. nec ſufficit iſtud;
Armenias, Pontumque dedi, quo Marte petitum,
Dicat Sylla tibi; forſan non creditur uni,
Conſule Lucullum. taceo jam Cycladas omnes.
Adquiſita meo ſervit tibi Creta Metello.
Tranſcripſi Cilicas, hos Magnus ſuderat olim.
Adjeci Syriæ, quos nunc moderaris, Iſauros:
Hos quoque ſub noſtris domuit Servilius armis.
Conceſſi Ætolos veteres, Acheloiaque arva.
Transfudi Attalicum male credula teſtamentum.
Epirum retines; tu ſcis cui debeat illam
Pyrrhus. in Illyricum ſpecto te mittere jura,
Ac Macetum terras: & habes tu Paule nepotes.
Ægypti frumenta dedi; mihi vicerat olim
Leucadiis Agrippa fretis. Judæa tenetur
Sub ditione tua, tamquam tu miſeris illuc
Inſignem cum patre Titum. tibi Cypria merces
Fertur: pugnaces ego pauper laudo Catones.
Dorica te tellus & Achaica jura tremiſcunt:
Tendis & in bimarem felicia regna Corinthon.

Dic, Byzantinus quis rem tibi Mummius egit?
Sed ſi forte placet veteres ſopire querelas,
Anthemium concede mihi; ſit partibus illis
Auguſtus, longumque Leo; mea jura gubernet,
Quem petii: patrio veſtiri murice natam
Gaudeat Euphemiam ſidus divale parentis.
Adjice præterea privatum ad publica fœdus.
Sit ſocer Auguſtus genero Ricimere beatus,
Nobilitate micant; eſt vobis regia virgo,
Regius ille mihi; ſi concors annuis iſtud,
Mox Libyam ſperare dabis; circumſpice tædas
Antiquas: par nulla tibi ſic copula præſto eſt.
Proferat hic veterum thalamos diſcrimine partos
Græcia, ni pudor eſt: reparatis Piſa quadrigis
Suſcitet Oenomaum: natæ quem fraude cadentem
Cerea deſtituit reſolutis axibus obex.
Procedat Colchis prius agnita virgo marito
Crimine, quam ſexu: ſpectet de carcere circi
Pallentes Atalanta procos, & poma decori
Hippomenis jam non pro ſolo colligat auro.
Dejanira, tuas Achelous gymnade pinguis
Illuſtret tædas, & ab Hercule preſſus anhelo
Lilatum foveat rivis rivalibus hoſtem.
Quantumvis repetam veteris connubia ſecli,
Tranſcendunt hic Heroas, Heroidas illa.
Hos thalamos, Ricimer, virtus tibi pronuba poſcit,
Atque Dionæam dat Martia laurea myrtum.
Ergo age, trade virum non otia pigra foventem,
Deliciiſque gravem: ſed quem modo nauticus urit
Æſtus, Abydenique ſinus, & Seſtias ora
Helleſpontiacis circumclamata procellis:
Quas pelagi fauces non ſic tenuiſſe vel illum
Crediderim, cui ruptus Athos, cui remige Medo
Turgida ſilvoſam currebant vela per Alpem.
Nec Lucullanis ſic hæc freta cincta carinis,
Segnis ad inſignem ſedit cum Cyzicon hoſtis,
Qui cogente fame, cognata cadavera mandens,
Vixit morte ſua: ſed quid mea vota retardo?
Trade magis. tum pauca refert Titonia conjunx.
  Duc, age, ſancta parens, quamquam mihi maximus uſus
Invicti ſummique ducis, dum mitior extes,
Et non disjunctas melius moderemur habenas.
Nam ſi forte placet veterum meminiſſe laborum,
Et qui pro patria veſtri pugnarit Iuli,
Ut nil plus dicam, prior hinc ego Memnona miſi.
  Finierat. geminas junxit concordia partes,
Electo tandem potitur quod principe Roma.
Nunc aliquos voto ſimili, vel amore, vetuſtas
Te legiſſe crepa, numquam non invida ſummis
Emeritiſque viris. Brenni contra arma Camillum
Profer ab exilio: Cincinnatoque ſecures
Expulſo Cæſone refer, flentemque parentem
A raſtris ad roſtra roga: miſeroque tumultu
Pelle prius, quos victa petas. ſi ruperit Alpes
Pœnus, ad afflictos condemnatoſque recurre.
Improbus ut rubeat Barcbina clade Metaurus,
Multatus tibi Conſul agat: qui millia fundens
Haſdrubalis, rutilum ſibi cum fabricaverit enſem,
Concretum gerat ipſe caput. longe altera noſtri
Gratia judicii eſt. ſcit ſe non laſus amari.
  At mea jam nimii propellunt carbaſa flatus.
Siſte, camœna, modos tenues, portumque petenti
Jam placido ſedeat mihi carminis anchora fundo.
Attamen, o Princeps, quæ nunc tibi claſſis & arma
Tractentur, quam magna geras, quam tempore parvo,
Si mea vota Deus produxerit, ordine recto,
Aut genero bis, mox aut te ter Conſule dicam.
Nam modo nos jam feſta vocant, & ad Ulpia poſcunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
Perge pater patriæ felix, atque omine fauſto
Captivos vincture novos, abſolve vetuſtos.

CARMEN III.

Panegyrici Editio ad Petrum.

QUid faceret lætas ſegetes, quod tempus amandum
  Meſſibus, & gregibus, vitibus, atque apibus,
Ad Mæcenatis quondam ſunt edita nomen:
  Hinc, Maro, poſt audes arma virumque loqui.
At mihi Petrus erit Mæcenas temporis hujus,
  Nam famæ pelagus ſidere curro ſuo.
Si probat, emittit; ſi damnat, carmina celat.
  Nec nos ronchiſono rhinocerote notat.
I liber, hic noſtrum tutatur, crede, pudorem.
  Hoc cenſore etiam diſplicuiſſe placet.

CARMEN IV.

Præfatio Panegyrici dicti Cæſar. Jul. Val. Majoriano Aug.

TItyrus ut quondam patulæ ſub tegmine fagi
  Volveret inflatos murmura per calamos,
Præſtitit afflicto jus vitæ Cæſar & agri,
  Nec ſtetit ad tenuem celſior ira reum;
Sed rus conceſſum dum largo in principe laudat,
  Cælum pro terris ruſtica Muſa dedit.
Nec fuit inferius Phœbeia dona referre,
  Fecerat hic dominum, fecit & ille deum.
Et tibi, Flacce, acies Bruti Caſſique ſequuto,
  Carminis eſt autor, qui fuit & veniæ.
Sic mihi diverſo nuper ſub Marte cadenti,
  Juſſiſti placido victor ut eſſem animo.
Serviat ergo tibi ſervati lingua poetæ,
  Atque meæ vitæ laus tua ſit pretium.
Non ego mordaci fodiam modo dente Maronem,
  Nec civem carpam, terra Sabella, tuum.
Res minor ingenio nobis, ſed Cæſare major:
  Vincant eloquio, dummodo nos domino.

CARMEN V.

Panegyricus Julio Valerio Majoriano Auguſto dictus.

COncipe præteritos, reſpublica, mente triumphos:
  Imperium jam Conſul habet quem purpura non plus
Quam lorica operit, cujus diademata frontem
Non luxu, ſed lege tegunt, meritiſque laborum
Poſt palmam palmata venit: decora omnia regni
Accumulant faſces, & princeps Conſule creſcit,
Perſonat ergo tuum cælo, rure, urbibus, undis,
Exultans Europa ſophos, quod rector haberis,
Victor qui fueras; fateor, trepidaverat orbis,
Dum non vis viciſſe tibi, nimioque pudore
Quod regnum mereare doles, triſtique repulſa
Non moderanda ſubis, quæ defendenda putaſti.
  Sederat exerto bellatrix pectore Roma
Criſtatum turrita caput, cui pone capaci
Caſſide prolapſus perfundit terga capillus.
Lætitiam cenſura manet, terrorque pudore
Creſcit, & invita ſuperat virtute venuſtas.

Oſte-

Oſtricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat: tum quidquid mammia refundit
Tegminis, hoc patulo concludit gemina receſſu.
Hinc fulcit rutilus ſpatioſo circite lævum
Umbo latus; videas hic craſſo fuſa metallo
Antra Rheæ, fœtamque lupam, quam fauce retecta
Blandiri quoque terror erat, quamquam illa vorare
Martigenas & picta timet; pars proxima Tybrim
Exprimit; hic ſcabri fuſus ſub pumice tophi,
Proflabat madidum per guttura glauca ſoporem.
Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjunx,
Liquenti quæ juncta toro vult murmura lymphis
Tollere, & undoſi ſomnum ſervare mariti.
Iſta micant clypeo; cuſpis trabe ſurgit eburna,
Ebria cæde virum. propter Bellona tropæum
Exſtruit, & quercum captivo pondere curvat.
Conſurgit ſolium ſaxis, quæ cæſa rubenti
Æthiopum de monte cadunt, ubi ſole propinquo
Nativa exuſtas afflavit purpura rupes.
Jungitur hic Sinnas, Numadum lapis additur iſthic
Antiquum mentitus ebur: poſt caute Laconum
Marmoris herboſi radians intervirет ordo.
Ergo ut ſe mediam ſolio dedit, advolat omnis
Terra ſimul. tum quæque ſuos provincia fructus
Expoſuit; fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Aſſyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Atthis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivum,
Arcas equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naves Hiſpania defert,
Fulminis & lapidem; ſcopulos jaculabile fulgur
Fucat, & accenſam ſilicem fœcunda maritat
Ira Deum. quoties cælum ſe commovet illic,
Plus ibi terra valet. ſubito flens Africa nigras
Procubuit lacerata genas, & cernua frontem
Jam male fœcundas in vertice fregit ariſtas.
Ac ſic orſa loqui eſt; Venio pars tertia mundi,
Infelix felice uno; famula ſatus olim
Hic prædo, & dominis extinctis, barbara dudum
Sceptra tenet tellure mea, penituſque fugata
Nobilitate furens, quod non eſt, non amat hoſpes.
O Latii ſopite vigor, tua mœnia ridet
Inſidiis ceſſiſſe ſuis. non concutis haſtam?
Non pro me vel capta doles? tua nempe putantur
Surgere fata malis, & celſior eſſe ruina.
Sed melius quod terror abit. jam vincere reſtat
Si pugnas, ut victa ſoles. Porſenna Superbum
Tarquinium impingens complevit milite Thuſco
Janiculum quondam: ſed dum perrumpere portas
Obſidione parat, totam te pertulit uno
Coclitis in clypeo; preſſerunt millia ſolum
Multa virum, pendente via: nec ponte ſoluto,
Cum caderet, cecidit. Rex idem denique morte
Admonitus ſcribæ didicit ſibi bella moveri,
Non ſolum cum bella forent. mox pace petita,
In regnum rediit, non tam feriente fugatus,
Quam flagrante viro: ſteterat nam corde gelato
Scævola, & appoſito dextram damnaverat igni,
Plus felix peccante manu, cum forte ſatelles
Palleret conſtante reo, tormentaque capti
Is fugeret, qui tortor erat. Brennum tremuiſti
Poſt melior. quodcumque tuum eſt, quodcumque vocaris,
Jam ſolus Tarpeius erat; ſed reppulit unus
Tum quoque totam aciem, Senones dum garrulus anſer
Nuntiat, & vigilat veſtrum ſine milite fatum.
Me quoque (da veniam, quod bellum geſſimus olim)
Poſt Trebiam, Cannaſque dumas, Romanaque tecta
Hannibal ante meus, quam noſtra Scipio vidit.
Quid merui? fatis cogor tibi bella movere,
Cum volo, cum nolo; trepidus te territat hoſtis,
Sed tutus claudente freto, velut hiſpidus alta
Sus prope teſqua jacet, clauſulque cacuminat albis
Os nigrum telis gravidum, circumlatrat ingens
Turba canum, ſi forte velit concurrere campo:
Ille per objectos vepres timet, atque ſuperbit,
Vi tenuis, fortiſque loco, dum proximus Eia
Venator de colle ſonet; vox nota magiſtri
Laſſatam reparat rabiem: tum vulnera cæcus
Faſtidit ſentire furor. quid prælia differs?
Quid mare formidas? pro cujus ſæpe triumphis
Et cœlum pugnare ſolet? quid quod tibi princeps
Eſt nunc eximius, quem præſcia ſæcula clamant
Venturum excidio Libyæ, qui tertius ex me
Accipiet nomen? debent hoc fata labori,
Majoriane, tuo, quem cur conſcendere claſſem,
Ac portus intrare meos, urbemque ſubire
Si jubeas, cupiam, paucis ex ordine ſabor.

Fertur Pannoniæ qua Martia pollet Acincus,
Illyricum rexiſſe ſolum cum tractibus Iſtri
Hujus avus. nam Theudoſius, quo tempore Sirmi
Auguſtum ſumpſit nomen, per utramque magiſtrum
Militiam ad partes regni venturus Eoas
Majorianum habuit. Latiis ſunt condita faſtis
Facta ducis: quotiens Scythicis illata colonis
Claſſica preſſerunt Hypanim? Peucemque rigentem
Monte ſalutatis irriſit lixa pruinis?
Hunc ſocerum pater hujus habet vir clarus, & uno
Culmine militiæ ſemper contentus, ut unum
Caſibus in dubiis junctus ſequeretur amicum.
Non ſemel oblatis tentavit faſcibus illum
Aetio rapere aula ſuo, ſed perſtitit ille,
Major honoratis: cœpit pretioſior eſſe,
Sic precio non capta fides. erat ille quod olim
Quæſtor conſulibus, tractabat publica jure
Æra ſuo: tantumque modum ſervabat, ut illum
Narraret rumor jam rebus parcere nati.
Senſerat hoc, ſed forte ducis jam livida conjunx
Augeri famam pueri, ſuffuſaque bili,
Coxerat internum per barbara corda venenum.
Ilicet explorat cœlum, totamque volutis
Percurrit matheſim numeris, interrogat umbras,
Fulmina rimatur, fibras videt, undique gaudens
Secretum rapuiſſe Deo. ſic torva Pelaſgum
Colchis in apluſtri ſteterat trepidante marito,
Abſyrtum ſparſura patri, facturaque cæſi
Germani plus morte nefas, dum funere pugnat,
Et fratrem ſibi tela facit: vel cum obruit ignem
Taurorum, plus ipſa calens, texitque trementem
Frigida flamma virum, quem defendente veneno
Inter flagrantes perhibent alſiſſe juvencos.
Ergo animi dudum impatiens, poſtquam audiit iſti
Imperium & longum ſtatui, laniata lacertos
Ingreditur qua ſtrata viri, vocemque furentem
His rupit. Secure jaces oblite tuorum,
O piger, & mundo princeps (ſic ſecula poſcunt)
Majorianus erit; clamant hoc ſidera ſignis,
Hoc homines votis; iſti quid ſidera quæro,
Fatum aliud cui fecit amor? nil fortius illo.
Et puer eſt cupidus numquam, ſed parcus habendi.
Pauper adhuc jam ſpargit opes, ingentia ſuadet

Con-

Conſilia, & ſequitur. totum quod cogitat, altum eſt.
Urget, quod ſperat. ludum ſi forte retexam,
Conſumpſit, quidquid jaculis feciſſe putaris,
Iſtius una dies. tribus hunc tremuere ſagittis
Anguis, cervus, aper. non ſic libravit in hoſtem
Spicula, qui nato ſerpentis corpore cincto
Plus timuit, dum ſuccurrit, dum jactibus iiſdem
Interitum vitamque daret, ſtabilemque teneret
Corde tremente manum, totamque exiret in artem
Spe propiore metus, dans inter membra duorum
Unius mortem. libeat decernere cæſto,
Ceſſit Eryx Siculus, ſimili nec floruit arte
Sparta, Therapnæa pugilem cum gymnade pinguem
Stratum Bebryciis Amycum ſuſpexit arenis.
Qui vigor in pedibus? fruſtra ſibi natus Ophelte.
Sicaniam tribuit palmam, plantaſque ſuperbas
Haud ita per ſiccam Nemeen citus extulit Arcas,
Cujus in Ætolo volitantem pulvere matrem
Horruit Hippomenes, multo qui ceſpite circi
Contempto præmiſſus erat, cum carceris ante
Emicuit pernix populo trepidante virago,
Nil torto tactura gradu, cum pallidus ille
Reſpiceret medium poſt ſe decreſcere campum,
Et longas ad ſigna vias, flatuque propinquo
Preſſus in hoſtili jam curreret anxius umbra,
Donec ad anfractum metæ jamjamque relictus
Concita ter ſparſo fregit veſtigia pomo.
Qui videt hunc equitem, Ledæum ſpernit alumnum,
Ac juvenem, Sthenobæa, tuum, cui terga vetuſtas
Pennati largitur equi, Lyciamque Chimæram
Quem ſuperaſſe refert, vulnus cum ſuſtulit unum
Tres animas. vitam tum ſi tibi fata dediſſent,
Majoriane ferox, vetuiſſes Caſtora frænos,
Pollucem cæſtus, Alconem ſpicula noſſe,
Bellerophonteis inſultaturus opimis.
Si clypeum capiat, vincit Telamone creatum,
Qui puppes inter Graias contra Hectoris ignem
Ipſam etiam infidi claſſem defendit Ulyxis.
Miſſile ſi quanto jaculetur pondere quæris,
Segnius inſertæ trepidans pro faſce Camillæ
Excuſſit telum Metabus, nec turbine tanto
Stridula Pelidæ per Troilon exiit ornus;
Nec ſic Heroum tardantem buſta Creontem
Atticus Ægides rupit Marathonide quercu:
Nec ſic intortum violatæ Phœbados ultrix
In Danaos fulmen jecit, cum Græcia Trojæ
Noctem habuit ſimilemque facem, fixuſque Capharei
Cautibus inter aquas flammam ructabat Oileus.
Parva loquor. quid quod quotiens tibi bella geruntur,
Diſcipulus non miles adeſt, & fingit alumnum,
Æmulus econtra ſpectat? quod viceris odit,
Et quos vincis amat. totus dormitat ad illum
Magnus Alexander, patris quem gloria torſit.
Quid faciam infelix? nato quæ regna parabo,
Excluſa ſceptris Geticis, reſpublica ſi me
Præterit, & parvus ſuper hoc Gaudentius hujus
Calcatur fatis? iſtum jam Gallia laudat,
Quodque per Europam eſt, rigidis hunc abluit undis,
Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matruna, Sequana, Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vacalis, Ligerimque bipenni
Exciſum per fruſta bibit; cum bella timentes
Defendit Turonos, aberas. poſt tempore parvo
Pugnaſtis pariter, Francus qua Cloio patentes
Atrebatum terras pervaſerat: hic coeuntes
Claudebant anguſta vias, arcuque ſubactum
Vicum Helenam, flumenque ſimul ſub tramite longo
Arctos ſuppoſitis trabibus tranſmiſerat agger.
Illic te poſito pugnabat ponte ſub ipſo
Majorianus eques. fors ripæ colle propinquo
Barbaricus reſonabat hymen: Scythiciſque choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, ſtravit. crepitabat ad ictus
Caſſis, & oppoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquamis, donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit. plauſtris rutilare videres
Barbarici vaga feſta tori, conjectaque paſſim
Fercula, captivaſque dapes, cirroque madente
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetas.
Ilicet increſcit Mavors, thalamique refringit
Plus ardens Bellona faces. rapit eſſeda victor
Nubentemque nurum. non ſic Pholoetica monſtra
Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Evan
Miſcuit, Æmonias dum flammant Orgia matres,
Et Venerem Martemque cient, ac prima cruentos
Conſumunt ad bella cibos, Bacchoque rotato
Pocula tela putant, cum crudeſcente tumultu
Polluit Æmathium ſanguis Centauricus Othrym.
Nec plus nubigenum celebrentur jurgia fratrum.
Hic quoque monſtra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis,
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictius aſſutæ veſtes procera coercent
Membra virum, patet his alato tegmine poples,
Latus & anguſtam ſuſpendit balteus alvum.
Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
Inque hoſtem veniſſe prius. puerilibus annis
Eſt belli maturus amor. ſi forte premantur
Seu numero, ſeu ſorte loci, mors obruit illos,
Non timor: invicti perſtant, animoque ſuperſunt
Jam prope poſt animam. tales te teſte fugavit,
Et laudante viros. quiſnam ferat? omnia tecum,
Te ſine multa facit. pugnant pro principe multi,
Quam timeo, ne jam iſte ſibi. ſi regna tenebit,
Huic vincis quodcumque domas. nil fata relinquunt
Hic medium. percuſſor enim ſi reſpuis eſſe,
Servus eris. certe recto ſi tramite ſervat
Sidera Chaldæus, novit ſi gramina Colchus,
Fulgura ſi Thuſcus, ſi Theſſalus elicit umbras,
Si Lyciæ fortes ſapiunt, ſi noſtra volatu
Fata loquuntur aves, doctis balatibus Hammon
Si ſanctum ſub Syrte gemit, ſi denique verum
Phœbe, Themis, Dodona canis, poſt tempora noſtra
Julius hic Auguſtus erit: conjunctus amore
Præterea eſt juveni, grandis quem ſpiritus armat
Regis avi. quo te vertas? ad culmina mundi
Hic fatum fert, ambo animum. conſurge, ſimulque
Aggredere ignaros. neutrum mactare valebis,
Si jubeas utrumque mori: ſed necte doloſas
Blanditias uni, ferro tamen iſte petatur.
Quid loquor incaſſum? nihil eſt quod tanta cavemus;
Ut regnet, victurus erit. commotus in iras
Aetius, ſic pauca refert: Compeſce furentis
Impia vota animi. mortem mandare valebo
Inſontis, taceam noſtri? quiſquamne precatur
Ut ſine criminibus crimen fiat bene naſci?
Ad pœnam quis fata vocet? tua viſcera ferro
Majoriane petam? Phœbus ſi nocte refulget,
Luna die, duplex ponto ſi plauſtra novatur

Parrhaſis,

Parrhaſis, Atlantem Tanais, ſi Bagrada cernit
Caucaſon, Hercinii nemoris ſi ſtipite lintris
Texta Nabathæum pro Rheno ſulcat Hydaſpem,
Si bibit Hiſpanus Gangem, tepidiſque ab Erythris
Ad Tarteſſiacum venit Indus aquator Iberum:
Si ſe Pollucis perfudit ſanguine Caſtor:
Theſea Pirithoi, Pyladem ſi ſtravit Oreſte
Vel furibunda manus, raperet cum Taurica ſacra
Matricida pius. ſed ne ſpreviſſe dolorem
Forte tuum videar, vivat, careatque parumper
Militia. heu nobis potuit, niſi triſte putaſſes,
Fortunam debere ſuam. Sic fatur, & illum
Rure jubet patrio ſuetos mutare labores,
Fatorum currente rota, quo diſceret agro,
Quid poſſeſſorem maneat, quos denique mores
Jus civile paret, ne ſolam militis artem
Ferret ad imperium, ſuſpenderat ilicet arma
Emeritus juvenis, ſterilis jejunia terræ
Vomere fœcundans. ſic quondam conſule curvo
Vertebas campos, paulum ſi pace ſequeſtra
Claſſica laxaſſes, fortis cui læva regebat
Stivam poſt aquilas, humili dum juncta camino
Victoris fumum biberet palmata bubulci.
Principis interea gladio lacrimabile fatum
Clauſerat Aetius, cujus quo tutius ille
Magna Palatinis conjungeret agmina turmis,
Evocat hunc precibus: ſed non ſe pœna moratur
Sanguinis effuſi: numerum collegerat ergo,
Non animum populi. ferri mala crimina ferro
Solvit, & in noſtram plus concidit ille ruinam.
Jam tunc imperium præſentis principis aurea
Volvebant bona fata colu: ſed publica damna
Invidiam fugere viri. quicumque fuerunt
Nomen in Auguſtum lecti, tenuere relictum
Cæſaribus ſolium. poſtquam tu capta laboras,
Hic quod habet fecit. Trajanum Nerva vocavit,
Cum pignus jam victor erat; Germanicus eſſet
Ut titulis, meritis fuerat: res ordine currit.
Hanc ambit famam, quiſquis ſic incipit: olim
Poſt Capreas Tiberi, poſt turpia numina Caji,
Cenſuram Claudi, citharam thalamoſque Neronis,
Poſt ſpeculi immanis pompam, quo ſe ille videbat
Hinc turpis, quod pulcher Otho: poſt quina Vitelli
Millia famoſi ventris damnata baratro,
His titulis princeps lectus, ſimilique labore
Veſpaſianus erat. ſed ne fortaſſe latronis
Me clauſam virtute putes, conſumpſit in illo
Vim gentis vitæ vitium: Scythicam feritatem
Non vires ſed vota tenent, ſpoliiſque potitus
Immenſis, robur luxu jam perdidit omne,
Quo valuit, dum pauper erat. mea viſcera pro ſe
In me nunc armat. laceror tot capta per annos
Jure ſuo, virtute mea: fœcundaque pœnis
Quos patiar pario. propriis nil conficit armis,
Getulis, Numidis, Garamantibus, Autololiſque,
Arzuge, Marmarida, Pſyllo, Naſamone timetur
Segnis: & ingenti ferrum jam neſcit ab auro.
Ipſi autem color exanguis, quem crapula vexat,
Et pallens pinguedo tenet, ganeaque perenni
Preſſus aceſcentem ſtomachus non explicat auram.
Par eſt vita ſuis: non ſic Barchæus opimam
Hannibal ad Capuam periit, cum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Baiæ,
Et, ſe Lucrinas qua vergit Gaurus in undas,
Brachia Maſſylus jactaret nigra natator.
Atque ideo hunc dominum ſaltem poſt ſecula tanta
Ultorem mihi redde, precor, ne dimicet ultra
Carrhago Italiam contra. Sic fata dolore
Ingemuit, lacrimiſque preces adjuvit obortis.
His hæc Roma refert. Longas ſuccinge querelas,
O devota mihi vindex, tibi nomine divum
Majorianus erit; ſed paucis pauca retexam.
Ex quo Theudoſius communia jura fugato
Reddidit autoris fratri, cui guttura fregit
Poſt in ſe vertenda manus, mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis, ignaraque ſervit.
Ex illo multum periit, quia principe clauſo,
Quidquid erat miſeri diverſis partibus orbis,
Vaſtari ſolenne fuit: quæ vita placeret,
Cum rector moderandus erat? contempta tot annos
Nobilitas jacuit. pretium reſpublica forti
Rettulit invidiam: princeps hæc omnia noſter
Corrigit, atque tuum vires ex gentibus addens
Ad bellum per bella venit. nam maximus iſte eſt,
Non pugnaſſe labor. terimus cur tempora verbis?
Pervenit, & vincit. Tali ſermone peractum
Concilium eſt, verbiſque Deæ famulante metallo,
Aurea concordes traxerunt fila ſorores.
Hos me, quos cecini, Romæ Libyæque labores,
Vota hominum docuere loqui. jam tempus ad illa
Ferre pedem, quæ fanda mihi vel Apolline muto.
Pro Muſis Mars veſter erit. conſcenderat Alpes,
Rhœtorumque jugo per longa ſilentia ductus,
Romano exierat populato trux Alamannus,
Perque cani quondam dictos de nomine campos
In prædam centum novies dimiſerat hoſtes.
Jamque Magiſter eras, Burconem dirigis illo
Exigua comitante manu. ſed ſufficit iſtud,
Cum pugnare jubes, certa eſt victoria noſtris
Te mandaſſe acies. peragit fortuna triumphum
Non populo, ſed amore tuo. nolo agmina campo
Quo mittis paucos: felix te reſpicit iſte
Eventus belli. certatum eſt jure Magiſtri,
Auguſti fato. nuper poſt hoſtis aperto
Errabat lentus pelago: poſtquam ordine vobis
Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et collega ſimul. Campanam flantibus auſtris
Ingrediens terram, ſecurum milite Mauro
Agricolam aggreditur; pinguis per tranſtra ſedebat
Vandalus, opperiens prædam, quam juſſerat illuc
Captivo capiente trahi; ſed veſtra repente
Inter utrumque hoſtem dederant ſeſe agmina planis,
Quæ pelagus collemque ſecant, portumque reducto
Efficiunt flexu fluvii. perterrita primum
Montes turba petit, trabibus quæ clauſa relictis
Prædæ præda fuit; tum concitus agmine toto,
In pugnam pirata coit. pars lintre cavata
Jam dociles exponit equos: pars ferrea texta
Concolor induitur, teretes pars explicat arcus,
Spiculaque infuſum ferro latura venenum,
Quæ feriant bis, miſſa ſemel. jam textilis anguis
Diſcurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit zephyris: patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem: pannoque furorem
Aura facit, quotiens craſſatur vertile tergum
Flatibus, & nimium jam non capit alvus inane.
At tuba terriſono ſtrepuit grave rauca fragore,
Reſponſat clamor lituis, virtuſque repente
Ignavis vel parva furit. cadit undique ferrum,
Huic tamen in jugulos. hunc torta falarica jactu
Præterit ad mortem vix ceſſatura ſecundam.
Hunc conti rotat ictus equo, ruit aclide foſſus

Ille,

Ille, veruque alius. jacet hic ſimul alite telo,
Abſentem paſſus dextram. pars poplite ſecto
Mortis ad invidiam vivit, partemque celebri
Hic galeæ cum parte rapit, fortique lacerto
Diſſicit ancipiti miſerabile ſinciput enſe.
Ut primum verſis dat tergum Vandalus armis,
Succedit cædes pugnæ. diſcrimine nullo
Sternuntur paſſim campis, & fortia quæque
Fecit iners trepidante fuga; mare pallidus intrat,
Et naves pertranſit eques, turpique natatu
De pelago ad cymbam rediit. ſic tertia Pyrrhi
Quondam pugna fuit: cæſis cum millibus illum
Dentatus premeret, laceræ vix fragmina claſſis
Traxit in Epirum, qui Chaonas atque Moloſſos,
Qui Thracum Macetumque manus per littora veſtra
Sparſerat, & cujus vires Oenotria pallens,
Ipſaque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.
Hoſtibus expulſis, campum qui maximus extat
Jam luſtrare vacat. videas hic ſtrage ſub illa,
Utrorumque animos. nullus non pectore cæſus
Quiſquis veſter erat. nullus non terga foratus
Illorum quiſquis. clamant hoc vulnera primi
Prædonum tum ſorte ducis, cui regis avari
Narratur nupſiſſe ſoror, qui pulvere cæco
Clauſus, & eliſus pilis, veſtigia turpis
Geſtat adhuc probroſa fugæ. ſic agmina veſtra
Cum ſpoliis campum retinent, & Marte fruuntur.
Interea duplici texis dum littore claſſem
Inferno ſuperoque mari, cadit omnis in æquor
Silva tibi, nimiumque diu per utrumque recliſus
Apennine latus, navalique arbore dives,
Non minus in pelagus nemorum, quam mittis aquarum.
Gallia continuis quamquam ſit laſſa tributis,
Hoc cenſu placuiſſe cupit, nec pondera ſenſit,
Quæ prodeſſe probat: non tantis major Atrides
Carpathium texit ratibus, cum Doricus hoſtis
Sigæas rapturus opes, Rhæteia clauſit
Pergama: nec tantæ Seſton juncturus Abydo
Xerxes claſſis erat, tumidas cum ſterneret undas,
Et pontum ſub ponte daret, cum flagra ſuperbo
Irrupit temerata gradu, turmæque frequentes
Helleſpontiaco perſultavere profundo.
Nec ſic Leucadio claſſis Mareotica portu
Actiacas abſcondit aquas, in bella mariti
Dum venit a Phario dotalis turba Canopo:
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata ſiſtro
Milite vel piceo fulvas onerata carinas,
Dorida diffuſam premeret Ptolemaide gaza.
Hoc tu non cultu pugnas, ſed more priorum,
Dite magis ferro, merito cui ſubjacet aurum
Divitis ignavi. tales ne ſperne rebelles;
Etſi non acies, decorant tamen iſta triumphos.
Nec me Legæam ſtirpem memoraſſe pigebit
Hoſtis ad exemplum veſtri. namque auguror iiſdem
Regnis fortunam ſimilem, cum luxus in illa
Parte ſit æqualis, nec pejor Cæſar in iſta.
Ilicet aggrederis quod nullus tempore noſtro
Auguſtus potuit; rigidum ſeptemplicis Iſtri
Agmen in arma rapis. nam quidquid languidus axis
Cardine Sithonio ſub Parrhaſe parturit urſa,
Hoc totum tua ſigna pavet. Baſtarna, Suevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites,
Biſalta, Oſtrogothus, Procruſtes, Sarmata, Moſchus,
Poſt aquilas venere tuas. tibi militat omnis
Caucaſus, & Scythicæ potor Tanaiticus undæ.
Quid faciat fortuna viri? quaſcumque minatur
Has tremuit jam Roma manus: modo principe ſub te
Ne metuat, prope parva putat. niſi ſerviat illi
Quod timuit regnante alio. jam caſtra movebas,
Et te diverſis ſtipabant millia ſignis.
Obſequium gens una negat, quæ nuper ab Iſtro
Retulit indomitum ſolito truculentior agmen,
Quod dominis per bella caret, populoque ſuperbo
Tuldila plectendas in prælia ſuggerit iras.
Hic tu vix armis poſitis, iterum arma retractas.
Biſtonides veluti Ciconum cum forte pruinas
Ogygiis complent Thyaſis, ſeu Strimonos arvis,
Seu ſe per Rhodopen, ſeu qua nimboſus in æquor
Volvit Hyperboreis in cautibus Iſmarus Hebrum,
Dat ſomno vaga turba, ſimul laſſata quieſcunt
Orgia, & ab biforem reboat nec tibia flatum,
Vix requies. jam ponte ligant, rotat enthea thyrſum
Baſſaris, & maculis Erythrææ Nebridos horrens
Excitat Odryſios ad marcida tympana miſtas.
Tu tamen hanc differs pœnam, ſed ſanguinis autor
Majoris, dum parcis, eras. non pertulit ultra
Hoc pro te plus cauta manus, veſtrumque pudorem
Sprevit pro vobis. primi cadit hoſtia belli,
Quiſque rebellis erat. prædam quoque dividis illis,
Mens devota quibus fuerat, quæ territa ſervit
Exemplo, gaudet pretio. Pharſalica Cæſar
Arva petens, ſubitas ferro compeſcuit iras:
Sed ſua membra ſecans, & cauſæ mole coactus,
Flevit quos perimit. veſtris hæc proficit armis
Seditio. quodcumque jubes, niſi barbarus audit,
Hic cadit, ut miles timeat. jam tempore brumæ
Alpes marmoreas, atque occurrentia juncto
Saxa polo, rupeſque vitri, ſiccamque minantes
Per ſcopulos pluviam, primus pede carpis, & idem
Lubrica præmiſſo firmas veſtigia conto.
Cœperat ad rupis medium, quæ maxima turba eſt,
Interno ſqualere gelu, quod colle ſupino
Arctatis concluſa viis, reptare rigenti
Non poterat revoluta ſolo. fors unus ab illo
Agmine, canentem cujus rota triverat Iſtrum,
Exclamat, gladios malo, & ſolenne quieta
Quod frigus de morte venit; mea torpor inerti
Membra rigore ligat. quondam mihi corpus aduſtum
Frigoris igne perit. ſequimur ſine fine labori
Inſtantem juvenem. quiſquis fortiſſimus ille eſt,
Aut rex, aut populus, caſtris modo clauſus, aprica
Vel ſub pelle jacet. nos anni vertimus uſum.
Quod jubet hic, lex rebus erit. non flectitur umquam
A cœptis, damnumque putat, ſi temporis iras
Vel per damna timet. qua dicam gente creatum,
Quem Scytha non patior? cujus lac Tigridis infans
Hyrcana ſub rupe bibit? quæ ſuſtulit iſtum
Axe meo gravior tellus? en vertice ſummo
Algentes cogit turmas, ac frigora ridet,
Dum ſolus plus mente calet. cum claſſica regis
Arctoi ſequerer. Romani principis arma,
Cæſareumque larem luxu torpere perenni
Audieram. dominos nil prodeſt iſſe priores,
Si rex hic quoque fortis erat. majora parantem
Dicere de ſcopulo verbis accendis amaris.
Quiſquis es oppoſiti metuis qui lubrica clivi,
Frange cutem pendentis aquæ, ſcalptoque fluento
Sit tibi lympha gradus, turpes depone querelas,
Otia frigus habent. numquid mihi membra biformis
Hylæi natura dedit? num Pegaſus alis
Adjuvit quidquid gradior? pennaque vehenti

Dat

Dat Calais Zetuſque mihi, quem ninguida cernis
Calcantem jam dorſa jugi? vos frigora frangunt,
Vos Alpes. jam jam ſtudeam penſare pruinas,
Æſtatem ſub Syrte dabo. Sic agmina voce
Erigis, exemploque levas, primuſque labores
Aggrederis quoſcumque jubes; tum cætera paret
Turba libens, ſervit propriis cum legibus autor.
Qui tibi præterea comites, quantuſque Magiſter
Militiæ, veſtrum poſt vos qui compulit agmen,
Sed non invitum? dignus cui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus.
Si Præfecturæ quantus moderetur honorem
Vir quæras, tendit patulos qua Gallia fines;
Vix habuit mores ſimiles, cui, teſte ſenatu,
In ſe etiam tractum commiſerat Ulpius enſem:
Qui dictat modo jura Getis, ſub judice veſtro
Pellitus raucum præconem ſuſpicit hoſtis.
Quid loquar hic illum, qui ſcrinia ſacra gubernat?
Qui quum civilis diſpenſet partis habenas,
Suſtinet armati curas, interprete ſub quo
Flectitur ad veſtras gens effera conditiones.
Quid laudare Petrum parvis temeraria Clio
Viribus aggrederis? cujus dignatur ab ore
Cæſar in orbe loqui? licet & quæſtore diſerto
Polleat, attamen hic nuper, placidiſſime princeps,
Obſide percepto, noſtræ de mœnibus urbis,
Viſceribus miſeris inſertum depulit hoſtem.
Et quia laſſatis nimium ſpes unica rebus
Veniſti, noſtris petimus ſuccurre ruinis:
Lugdunumque tuam, dum præteris, aſpice victor:
Ocia poſt nimios poſcit te fracta labores.
Cui pacem das, redde animum, laſſata juvenci
Cervix depoſito melius poſt ſulcat aratro
Telluris glebam ſolidæ. bove, fruge, colono,
Civibus exhauſta eſt. ſtantis fortuna latebat,
Dum capitur, væ quanta fuit! poſt gaudia, Princeps,
Delectat meminiſſe mali. populatibus, igni
Etſi concidimus, veniens tamen omnia tecum
Reſtituis: fuimus veſtri quia cauſa triumphi,
Ipſa ruina placet. cum victor ſcandere currum
Incipies, crinemque ſacrum tibi more priorum
Nectet muralis, vallaris, civica laurus,
Et regum aſpicient Capitolia fulva catenas:
Cum veſties Romam ſpoliis, cum divite cera
Finges Cinyphii captiva mapalia Bocchi:
Ipſe per obſtantes populos raucoſque fragores
Præcedam, & tenui (ſicut nunc) carmine dicam,
Te geminas Alpes, te Syrtes, te mare magnum,
Te freta, te Libycas pariter domuiſſe catervas.
Ante tamen viciſſe mihi. quod lumina flectis,
Quodque ſerenato miſeros jam reſpicis ore,
Exultare libet. memini, cum parcere velles,
Hic tibi vultus erat. mitis dat ſigna venuſtas:
Annue, ſic veſtris reſpiret Byrſa tropæis,
Sic Parthus rectum fugiat, Mauruſque timore
Albus eat: ſic Suſa tremant, poſitiſque pharetris
Exarmata tuum circumſtent Bactra tribunal.

CARMEN VI.

In Panegyricum, quem dixit Avito Auguſto ſocero ſuo, Romæ, Præfatio.

PAllados armiſonæ feſtum dum cantibus ortum
 Perſonat Iſmario Thracia vate Chelys:
Et dum Mopſopium ſtipantur per Marathonem,
 Qui ſteterant fluvii, quæque cucurrit humus:
Dulciſonum quatitur fidibus dum pectine murmur,
 Has perhibent laudes laude probaſſe Deam.
Diva, Gigantei fudit quam tempore belli
 Armatus partus vertice dividuo:
Quam neque Deliacis peperit Latona ſub antris,
 Fixura errantem Cyclada pignoribus.
Nec quæ Cadmeis pariens Alciden in oris,
 Suſpendit triplici nocte puerperium.
Nec cujus pluvio turris madefacta metallo eſt,
 Cum matrem impleret filius aurigena.
Sed te, cum trepidum ſpectaret Phlegra Tonantem.
 Impulit excuſſam vertice ruptus apex.
Cumque deos ſolæ traherent in prælia vires,
 Confuſum valido te ſine robur erat.
Protulit ut mox te patrius ſapientia vertex,
 Tum mage vicerunt cum te habuere Dei.
Te propter ceſſit manibus conſtructa tremendis,
 Jam prope per rutilum machina tenſa polum.
Pindus, Othrys, Pholoe, dextris cecidere Gigantum:
 Decidit & Rhœti jam gravis Oſſa manu.
Sternitur Ægeon, Briareus, Ephialta, Mimaſque,
 Arctoas ſueti lambere calce rotas.
Enceladus patri jacuit, fratrique Typhoeus,
 Euboicam hic rupem ſuſtinet, hic Siculam.
Hic ſeſe ad totam genitricem tranſtulit Orpheus,
 Et docuit chordas dicere Calliopem.
Aſſurrexerunt Muſæ ſub laude ſororis;
 Et placuit divæ carmine plus pietas.
Quod ſi maternas laudes cantaſſe favori eſt,
 Nec valeo priſcas æquiparare fides:
Publicus hic pater eſt, vovi cui carmen, Avitus.
 Materia eſt major, ſi mihi Muſa minor.

CARMEN VII.

Panegyricus Avito Auguſto ſocero dictus.

PHœbe peragrato tandem viſurus in orbe,
 Quem poſſis proferre parem, da lumina cælo.
Sufficit hic terris, nec ſe jam ſignifer aſtris
Jactet, Marmaricus quem vertice conterit Atlas.
Sidera ſunt iſti, quæ ſicut merſa niteſcunt,
Adverſis ſic Roma micat; cui fixus ab ortu
Ordo fuit creviſſe malis, modo principe ſurget
Conſule: nempe, Patres, collatos cernere faſces
Vos juvat, & ſociam ſceptris mandaſſe curulem.
Credite, plus dabitis currus. jam necte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauro.
Principis anterior, jam Conſulis iſte coruſcat
Annus, & emerita trabeis diademata creſcunt.
Incaſſum jam Muſa paves, quod propulit Auſter
Vela ratis noſtræ, pelago quia currere famæ
Cœpimus. en ſidus, quod nos per cærula ſervet.
Forte pater Superum proſpexit ab æthere terras,
Ecce viget quodcumque videt. mundum reparaſſe
Aſpexiſſe fuit. ſolus ſovet omnia nutus.
Jamque ut conveniant Superi, Tegeaticus Arcas

Nunc plantis, nunc fronte volat. vix contigit arva,
Et toto deſcendit avo. mare, terra, vel aer,
Indigenas miſere Deos: Germane Tonantis
Prime venis, viridi qui Dorida findere curſu
Suetus, in attonita ſpargis cito terga ſerenum.
Humentes Nymphas Phorcus comitatur: ibique
Glaucus Glauce venis: vatum & certiſſime Proteu
Certus eras. longo veniunt poſt ordine Divi:
Pampineus Liber, Mars trux, Tirynthius hirtus,
Nuda Venus, fœcunda Ceres, pharetrata Diana,
Juno gravis, prudens Pallas, turrita Cybele,
Saturnus profugus, vaga Cynthia, Phœbus ephebus,
Pan pavidus, Fauni rigidi, Satyri petulantes.
Convenere etiam cœlum virtute tenentes,
Caſtor equo, Pollux cæſtu, Perſeius harpe,
Fulmine Volcanus, Tiphys rate, gente Quirinus.
Quis canat hic aulam cœli, rutilantia cujus
Ipſa pavimentum ſunt ſidera? jam pater aureo
Tranquillus ſeſe ſolio locat. inde priores
Conſedere dei. fluviis quoque contigit illo
Sed ſenibus reſidere loco. tibi maxime fluctu
Eridane, & flavis in pocula fracte Sicambris
Rhene tumens, Scythiæque vagis equitate catervis
Iſter, & ignotum plus notus Nile per ortum;
Cum procul erecta cæli de parte trahebat
Pigros Roma gradus, curvato cernua collo
Ora ferens. pendent crines de vertice tecti
Pulvere, non galea: clypeuſque impingitur ægris
Greſſibus, & pondus non terror fertur in haſta:
Utque pii genibus primum eſt affuſa Tonantis,
Teſtor, ſancte parens, inquit, te, numen & illud
Quidquid Roma fui, ſummo ſatis obruta fato,
Invideo abjectis, pondus non ſuſtinet ampli
Culminis arcta domus, nec fulmen vallibus inſtat.
Quid (rogo) bis ſeno mihi vulture Thuſcus aruſpex
Portendit? jaciens primæ cur mœnia genti
Ominibus jam celſa fui, dum collis Hetruſci
Fundamenta jugis aperis mihi, Romule pauper?
Plus gladio ſecura fui, cum turbine juncto
Me Rutulus, Vejens, pariterque Auruncus, & Æquus,
Hernicus, & Volſcus premerent. ſat magna videbar
Et tibi, dum rumpit vitiatum femina ferro
Corpus, & ad caſtum remeas pudor erute vulnus:
Jam cum vallatam ſocio me clauſit Hetruſco
Tarquinius, proh Muti ignes? proh Coclitis undæ!
Proh dolor! hic quinam eſt, qui ſub mea jura redegit
Samnitem Gurges? Volſci qui terga cecidit
Martius, & Senones fundens Dictator & exul?
Fabritii vitam vellem, mortes Deciorum:
Vel ſic vincentem, vel ſic victos. mea redde
Principia. heu quo nunc pompæ diteſque triumphi,
Et pauper conſul? Libycum mea terruit axem
Cuſpis, & infido poſui juga tertia Pœno.
Indorum Ganges, Colchorum Phaſis, Araxes
Armeniæ, Ger Æthiopum, Tanaiſque Getarum,
Tibrinum tremuere meum. me Teutone juncto
Quondam fracte ſubis Cimber, gladiiſque gravatas
Ante manus ſolas juſſi portare catenas.
Væ mihi qualis eram, cum per mea juſſa juberent,
Sylla, Aſiagenes, Curius, Paulus, Pompeius,
Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Perſæ, Mithridati,
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum?
Sauromatem taceo, ac Moſchum, ſolitoſque cruentum
Lac potare Getas, ac pocula tingere venis:
Vel cum diffugiunt, fugiendos tum mage Perſas.
Nec terras dixiſſe ſat eſt. fulgentibus auris
Tot maria intravi duce te, longeque remotas
Sole ſub occiduo gentes. victricia Cæſar
Signa Caledonios tranſvexit aduſque Britannos.
Fuderit & quamquam Scotum, & cum Saxone Pictum,
Hoſtes quæſivit, quem jam natura vetabat
Quærere plus homines. vidit te frangere Leucas,
Trux Auguſte, Pharon: dum claſſicus Actia miles
Stagna quatit, profugiſque bibax Antonius armis
Inceſtam vacuat patrio Ptolemaida regno.
Cumque prius ſtricto quærerer de cardine mundi,
Sum limes nunc ipſa mihi. plus ſumme Deorum,
Sum juſto tibi viſa potens, quod Parthicus ultro
Reſtituit mea ſigna pavor, poſitoque tiara
Funera Craſſorum flevit, dum purgat. & hinc jam,
Proh dolor! excuſſo populi jure atque ſenatus,
Quod timui incurri. ſum tota in principe, tota
Principis, & fio lacerum de Cæſare regnum,
Quæ quondam regina fui: Capreaſque Tiberi,
Et caligas Cai, Claudi cenſura ſecuta eſt,
Et vir morte Nero. triſti Piſone verendum
Galbam ſternis Otho, ſpeculo qui pulcher haberi
Dum captas, ego turpis eram: mihi fœda Vitelli
Intulit ingluvies ventrem, qui tempore parvo
Regnans ſero perit. laſſam poſt inclytus armis
Veſpaſianus habet: Titus hinc: poſt hunc quoque frater:
Poſt quem tranquillus vix me mihi reddere Nerva
Cœpit adoptivo factus de Cæſare major.
Ulpius inde venit, quo formidata Sicambris
Agrippina fuit, fortis, pius, integer, acer.
Talem capta precor. Trajanum neſcio ſi quis
Æquiparet, ni fors iterum tu, Gallia, mittas,
Qui vincat. Lacrimæ vocem clauſere precantis.
Et quidquid ſupereſt luctus rogat. undique cæli
Aſſurgunt proceres, Mars, Cypris, Romulus, & qui
Autores tibi Roma Dei. jam mitior ipſa
Flectitur, atque iras veteres Saturnia donat.
Jupiter iſta refert: Fatum, quo cuncta reguntur,
Quoque ego, non licuit frangi. ſat celſa laborant
Semper, & elatas noſtro de munere vires
Invidit natura ſibi: ſed concipe magnos
Quamquam fracta animos. ſi te, Porſenna, ſoluto
Plus timuit de ponte tremens, ſi mœnia capta
Mox Brenni videre fugam, ſi denique dirum
Hannibalem juncto terræ cælique tumultu
Reppulimus, cum caſtra tuis jam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit,
Atque illic iterum timuit natura paventem
Poſt Phlegram pugnare Jovem. torpentia tolle
Lumina, deterſam mentem caligo relinquat.
Te mirum eſt vinci; incipies cum vincere, mirum
Non erit. utque tibi pateat quo ſurgere tandem
Feſſa modo poſſis, paucis cognoſce, docebo.

Eſt mihi, quæ Latio ſe ſanguine tollit alumnam,
Tellus clara viris, cui non dedit optima quondam
Rerum opifex natura parem. fœcundus ab urbe
Pollet ager, primo qui vix proſciſſus aratro,
Semina tarda ſitit, vel luxuriante juvenco,
Arcana exponit piceam pinguedine glebam.
Aſſurrexit huic, cogit quod torridus Auſter,
Niliacum, Libycumque ſolum: collataque ſemper
Arida Mygdoniæ damnarunt Gargara falces.
Apulus & Calaber ceſſit. ſpes unica rerum,
Hanc Arverne colens; nulli pede cedis in armis,
Quovis vincis equo. teſtis mihi Cæſaris eſto
Hic nimium fortuna pavens, cum colle repulſus
Gergoviæ, caſtris miles vix reſtitit ipſis.

Hos

Hos ego tam fortes volui, ſed cedere Avitum
Dum tibi, Roma, paro, rutilat cui maxima dudum
Stemmata complexum germen: palmata cucurrit
Per proavos, gentiſque ſuæ, te teſte, Philagri,
Patritius reſplendet apex. ſed portio quanta eſt
Hæc laudum, laudare patres, quos quippe curules
Et præfecturas conſtat debere nepoti?
Sunt alii, per quos ſe poſtuma jactet origo,
Et priſcum titulis numeret genus alter, Avite,
Nobilitas tu ſolus avos. libet edere tanti
Geſta viri, & primam paucis percurrere vitam.
Solverat in partum generoſa puerpera caſti
Ventris onus, manifeſta dedi mox ſigna futuri
Principis, ac totam fauſto trepidi patris aulam
Implevi augurio: licet idem grandia nati
Culparet fata, & pueri jam regna videret.
Sed ſibi commiſſum tanto ſub pignore cernens
Mundi depoſitum, ne quid tibi, Roma, periret,
Juvit fortunam ſtudio. lactentia primum
Membra dedit nivibus, glaciemque irrumpere plantis
Juſſit, & attritas parvum ridere pruinas.
Surgentes animi Muſis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas: didicit quoque facta tuorum
Ante ducum. didicit pugnas, libroque relegit
Quæ gereret campo. primus vix cœperat eſſe
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque eſcas jejuna fauce parantem,
Plus catulis ſtravit (fuerant nam fragmina propter)
Arreptam de caute lupam, fractuſque molari
Diſſiluit vertex, & ſaxum vulnere ſedit.
Sic meus Alcides Nemeæ dum ſaltibus errat,
Occurrit monſtro vacuus, non robora portans,
Non pharetras: ſtetit ira tremens, atque hoſte propinquo
Conſuluit ſolos virtus decepta lacertos.
Parva quidem, dicenda tamen. quis promptior iſto,
Tenſa catenati ſummittere colla moloſſi?
Et luſtris recubare feras, interprete nare
Diſcere, non viſas & in aere quærere plantas?
Jam ſi forte ſuem latratibus improbus Umber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per adverſas venabula cogere prædas.
Quam pulchrum, cum forte domum poſt luſtra revertens
Horrore ſplenderet apri, virtuſque repugnans
Proderet invitum per fortia facta pudorem.
Sic Pandioniis caſtæ Tritonidos arvis,
Hippolytus roſeo ſudum radiabat ab ore,
Sed ſimul a gemino flagrans cum Creſſa furore
Tranſiit affectu matres & fraude novercas.
Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces,
In vulgus prope cognatum? quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerique per æthera plauſu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis:
Nec minus hæc inter, civilia jura ſecutus,
Eligitur primus, juvenis, ſolus, mala fractæ
Alliget ut patriæ, poſcatque informe recidi
Vectigal. procerum tum forte potentior illic,
Poſt etiam princeps, conſtantius omnia præſtat,
Indole defixus tanta, & miratus in annis
Parvis grande bonum, vel in ore precantis ephebi
Verba ſenis. ducis hinc pugnas & fœdera regum
Pandere Roma libet. variis incuſſa procellis
Bellorum, regi Getico tua Gallia pacis
Pignora juſſa dare eſt: inter quæ nobilis obſes
Tu Theodore venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in media pelliti principis aula
Tutus Avite fide. probat hoc jam Theodoris altum
Exemplum officii. res mira & digna relatu,
Quod fueris blandus regi placuiſſe feroci.
Hinc te paulatim prælibat ſenſibus imis,
Atque animis vult eſſe ſuum; ſed ſpernis amicum
Plus quam Romanum gerere; ſtupet ille repulſam,
Et plus inde places. rigidum ſic Pyrrhe videbas
Fabritium, ingeſtas animo cum divite fugit
Pauper opes, regem temnens, dum ſupplice cenſu
Pignus amicitiæ vili mendicat ab auro.
Aetium interea Scythico quia ſæpe duello eſt
Edoctus, ſequeris: qui quamquam celſus in armis,
Nil ſine te geſſit, cum plurima tu ſine illo.
Nam poſt Juthungos & Norica bella, ſubacto
Victor Vindelico, Belgam, Burgundio quem trux
Preſſerat, abſolvit junctus tibi. vincitur illic
Curſu Herulus, Chunus jaculis, Francuſque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus,
Vulnere vel ſi quis plangit, cui fleſſe periſſe eſt,
Ac ferro peraraſſe genas, vultuque minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe.
Illuſtri jam tum donatur celſus honore,
Squameus & rutilis etiam nunc livida criſtis
Ora gerens, vix arma domum ſordentia caſtris
Rettulerat: nova bella iterum, pugnamque ſub ipſis
Jam patriæ muris periturus commovet hoſtis.
Litorius Scythicos equites tum forte ſubacto
Celſus Aremorico Geticum rapiebat in agmen
Per terras, Arverne, tuas; qui proxima quæque
Diſcurſu, flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant, pacis fallentes nomen inane;
Hujus tum famulum quidam truculentior horum
Mox feriende feris. ruit ille, & triſtia fata
Commendat domino abſenti, patremque futuram
Vindictæ moriens Stygium ſpe portat ad amnem.
Et jam fama viro turres portaſque tuenti
Intuitu pavidæ plebis perfert ſcelus actum.
Excutitur, reſtat, pallet, rubet, alget, & ardet,
Ac ſibimet multas vultum variata per unum
Ira facit facies, vel qui mos ſæpe dolenti,
Plus amat extinctum: tandem prorumpit, & arma,
Arma fremit; pinguiſque etiamnum ſanguine fertur
Lorica, obtuſus per barbara vulnera contus,
Atque ſub aſſiduis dentatus cædibus enſis.
Includit ſuras ocreis, capitique micantem
Imponit galeam, fulvus cui creſcit in altum
Conus, & iratam jaculatur vertice lucem.
Et jam ſcandit equum, vulſiſque a cardine portis
Emicat. aſſiſtunt ſocio virtuſque, dolorque,
Et pudor: armatas pilo petit impiger alas,
Pugnando pugnam quærens, pavidumque per agmen
Multorum interitu compenſat, quod latet unus.
Sic Phrygium Æmathia victorem cuſpide poſcens
Æacides, cæſo luctum frænavit amico,
Per mortes tot Troja tuas, jam vilia per ſe
Agmina contentus ruere, ſtrictumque per amplos
Exerere gladium populos. natat obruta tellus
Sanguine, dumque hebetat turba grave cædua telum,
Abſens in cuncto ſibi vulnere jam cadit Hector.
Proditus ut tandem tanti qui cauſa tumultus,
Inquit Avitus: Age, Scythica nutrite ſub Arcto,
Qui furis, & cæſo tantum qui fidis inermi,
Congredere armato. multum tibi præſtitit ira
Jam mea, conceſſi pugnam, jubeoque reſiſtas:
Certantem mactaſſe juvat. Sic fatur, & æquor

Proſilit in medium, nec non ferus advenit hoſtis.
Ut primum pectus vel cominus ora tulere,
Hic ira tremit, ille metu: jam cetera turba
Diverſis trepidat votis, varioſque per ictus
Pendet ab eventu, ſed poſtquam prima, ſecunda,
Tertiaque acta rota eſt, venit ecce, & celſa cruentum
Perforat haſta virum, poſt & confinia dorſi
Cedit transfoſſo ruptus bis pectore thorax:
Et dum per duplicem ſanguis ſingultat hiatum,
Dividua ancipitem carpſerunt vulnera vitam.
Hæc poſt geſta viri, temet, Styx livida, teſtor,
Intemerata mihi Præfectus jura regebat:
Et caput hoc ſibimet ſolitis defeſſa ruinis
Gallia ſuſcipiens, Getica pallebat ab ira.
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aetius: capto terrarum damna patebant
Litorio: in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare Getis: rabidam trux aſperat iram
Victor, quod ſentit Scythicum pro mœnibus hoſtem,
Imputat, & nihil eſt gravius (ſi forſitan umquam
Vincere contingat) trepido. poſtquam undique nullum
Præſidium, ducibuſque tuis nil, Roma, relictum eſt,
Fœdus Avite novas: ſævum tua pagina regem
Lecta domat: juſſiſſe ſat eſt te quod rogat orbis.
Credant hoc umquam gentes, populique futuri?
Litera Romani caſſat quod Barbare vincis.
Jura igitur rexit: namque hoc quoque par fuit, ut cum
Aſſertor fieret legum, qui nunc erit auctor:
Ne dandus populis princeps, caput, induperator,
Cæſar, & Auguſtus ſolum fera prælia noſſet.
Jam Præfecturæ perſunctus culmine tandem
Se dederat ruri: numquam tamen otia, numquam
Deſidia imbellis; ſtudiumque & cura quieto
Armorum ſemper: ſubito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia; pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux ſequitur, Scirum Burgundio cogit,
Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Toringus,
Bructerus, ulvoſa quem vel Nicer alluit unda,
Prorumpit Francus. cecidit cito ſecta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe, Belga, tuos; vix liquerat Alpes
Aetius, tenue & rarum ſine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum male credulus agmen
Incaſſum propriis præſumens adfore caſtris.
Nuntius at poſtquam ductorem perculit, Hunnos
Jam prope contemptum propriis in ſedibus hoſtem
Expectare Getas, verſat vagus omnia ſecum
Conſilia, & mentem curarum fluctibus urget.
Tandem cunctanti ſedit ſententia, celſum
Exorare virum, collectiſque omnibus una
Principibus, coram ſupplex ſic talibus infit:
O bis Avite ſalus, cui non nova gloria nunc eſt,
Quod rogat Aetius; voluiſti, & non nocet hoſtis:
Vis? prodeſt. incluſa tenes tot millia nutu,
Et populis Geticis ſola eſt tua gratia limes.
Infenſi ſemper nobis pacem tibi præſtant.
Victrices, i, prome aquilas, fac optime Chunnos,
Quorum forte prior fuga nos concuſſerat olim,
Bis victos prodeſſe mihi. Sic fatur, & ille
Pollicitus votum, fecit ſpem. protinus inde
Advolat, & ſimulas in prælia concitat iras.
Ibant pellitæ poſt claſſica Romula turmæ,
Ad nomen currente Geta, timet ære vocari
Dirutus; opprobrium, non damnum barbarus horrens.
Hos ad bella trahit jam tum ſpes orbis Avitus,
Vel jam privatus, vel adhuc. ſic cinnama buſto,
Collis Erythræi portans Phœbeius ales,
Concitat omne avium vulgus, famulantia currunt
Agmina, & anguſtus pennas non explicat aer.
Jam prope fata tui biſſenas vulturis alas
Complebant (ſcis namque tuos, ſcis Roma labores)
Aetium Placidus mactavit ſemivir amens,
Vixque tuo impoſitum capiti diadema Petroni;
Illico barbaries: necnon ſibi capta videri
Roma Getis, telluſque ſuo ceſſura furori.
Raptores ceu forte lupi, queis nare ſagaci
Monſtrat odor pinguem clauſis ab ovilibus auram,
Irritant, acuuntque famem, portantque rapinæ
In vultu ſpeciem, patulo jejunia rictu
Fallentes; jam jamque tener ſpe frangitur agnus,
Atque abſens avido crepitat jam præda palato.
Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgamque ſecundum
Sternebat, Rhenumque ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis, & utroque ſuperbus in agro
Vel civis, vel victor eras. ſed perdita cernens
Terrarum ſpatia princeps jam Maximus, unum
Quod fuit in rebus, peditumque equitumque Magiſtrum
Te ſibi Avite legit; collati rumor honoris
Invenit agricolam, flexi dum forte ligonis
Exercet dentes, vel pando pronus aratro
Vertit inexcoctam per pinguia jugera glebam.
Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cum te induit uxor
Ante boves trabeam, dictatoremque ſalignæ
Excepere fores, atque ad ſua tecta ferentem
Quod non perſevit, turpique e faſce gravata
Vile triumphalis portavit purpura ſemen.
Ut primum ingeſti pondus ſuſcepit honoris,
Legas qui veniam poſcant, Alamanne, furori.
Saxonis incurſus ceſſat, Chattumque paluſtri
Alligat Albis aqua: vixque hoc ter menſtrua totum
Luna videt: jamque ad populos ac rura feroci
Tenta Getæ protendit iter, qua pulſus ab æſtu
Oceanus refluum ſpargit per culta Garumnam,
In flumen currente mari; tranſcendit amarus
Blanda fluenta latex, fluviique impacta per alveum
Salſa peregrinum ſibi navigat unda profundum.
Hic jam diſpoſito laxantes fræna duello
Veſorum proceres raptim ſuſpendit ab ira
Rumor ſuccincto referens diplomate Avitum
Jam Geticas intrare domos, poſitaque parumper
Mole magiſterii, legati jura ſubiſſe.
Obſtupuere duces pariter Scythicuſque ſenatus,
Et timuere ſuam pacem ne forte negaret.
Sic rutilus Phaethonta levem cum carperet axis,
Jam pallente die, flagrantique excita mundo
Pax elementorum fureret, vel ſicca propinquus
Sæviret per ſtagna vapor, limuſque ſitiret
Pulvereo ponti fundo, tunc unica Phœbi
Inſuetum clemens extinxit flamma calorem.
Hic aliquis tum forte Getes, dum falce recocta
Ictibus informat, ſaxoque cacuminat enſem,
Jam promptus caluiſſe tubis, jam jamque frequenti
Cæde ſepulturus terram, non hoſte ſepulto,
Claruit ut primum nomen venientis Aviti,
Exclamat, Periit bellum, date rurſus aratra.

Otia

Otia ſi replico priſcæ bene nota quietis,
Non ſemel iſte mihi ferrum tulit. o pudor! o Di!
Tantum poſſe fidem? quid fœdera lenta minaris,
In damnum mihi fide meum? compendia pacis
Et præſtare jubes nos, & debere. quis umquam
Crederet? en Getici reges parere volentes
Inferius regnaſſe putant: nec dicere ſaltim
Deſidiæ obtentu poſſum te prælia nolle.
Pacem fortis amas: jam partes ſternit Avitus;
Inſuper & Geticas præmiſſus continet iras
Meſſianus: adhuc mandaſti, & ponimus arma.
Quid reſtat, quod poſſe velis? quod non ſumus hoſtes,
Parva reor: priſco tu ſi mihi notus in actu es,
Auxiliaris ero; vel ſic pugnare licebit.
Hæc ſecum rigido Veſus dum corde volutat,
Ventum in conſpectum fuerat. rex atque Magiſter,
Propter conſtiterant; hic vultu erectus, at ille
Lætitia erubuit, veniamque rubore popoſcit.
Poſt hinc germano regis, hinc rege retento,
Palladiam implicitis manibus ſubiere Toloſam.
Haud ſecus inſertis ad pulvinaria palmis
Romulus & Tatius fœdus jecere, parentum
Cum ferro & rabidis cognato in Marte maritis
Herſilia inſeruit palantes colle Sabinas.
Interea incautam furtivis Vandalus armis
Te capit, infidoque tibi Burgundio ductu
Extorquet trepidas mactandi principis iras,
Heu facinus! in bella iterum, quartoſque labores
Perfida Eliſſeæ crudeſcunt claſſica Byrſæ.
Nutritis quod fata malum? conſcenderat arces
Evandri Maſſyla phalanx, monteſque Quirini
Marmarici preſſere pedes, rurſuſque revexit
Quæ captiva dedit quondam ſtipendia Barche.
Exilium patrum, plebis mala, principe cæſo
Captivum imperium ad Geticas rumor tulit aures.
Luce nova veterum cœtus de more Getarum
Contrahitur; ſtat priſca annis, viridiſque ſenectus
Conſiliis; ſqualent veſtes, ac ſordida macro
Lintea pingueſcunt tergo, nec tangere poſſunt
Altatæ ſuram pelles, ac poplite nudo
Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.
Poſtquam in concilium ſeniorum venit honora
Pauperies, paciſque ſimul rex verba popoſcit:
Dux ait: Optaſſem patriis ſecurus in arvis,
Emeritam fateor ſemper foviſſe quietem,
Ex quo militiæ poſt munia trina, ſuperbum
Præfecturæ apicem quarto jam culmine rexi.
Sed dum me noſtri princeps modo Maximus orbis
Ignarum, abſentem, procerum poſt mille repulſas
Ad lituos poſt jura vocat, voluitque ſonoris
Præconem mutare tubis, promptiſſimus iſtud
Arripui officium, vos quo legatus adirem.
Fœdera priſca precor, quæ nunc meus ille teneret,
Juſſiſſem ſi forte, ſenex, cui ſemper Avitum
Sectari creviſſe fuit; tractare ſolebam
Res Geticas olim; ſcis te neſciſſe frequenter
Quæ ſuaſi niſi facta. tamen fortuna priorem
Arripuit genium: periit quodcumque merebar,
Cum genitore tuo. Narbonem tabe ſolutum
Ambierat (tu parvus eras) trepidantia cingens
Millia, in infames jam jamque coegerat eſcas.
Jam triſtis propriæ credebat deſore prædæ,
Si clauſus fortaſſe perit: cum noſtra probavit
Conſilia, & refugo laxavit mœnia bello.
Teque ipſum (ſunt ecce ſenes) hoc pectore fotum
Hæ flentem tenuere manus, ſi forſitan altrix
Te mihi, cum nolles, lactandum tolleret. ecce
Advenio, & priſci repeto modo pignus amoris.
Si tibi nulla fides, nulla eſt reverentia patris,
I durus, pacemque nega. Prorumpit ab omni
Murmur conſilio fremituſque, & prælia damnans
Seditioſa ciet concordem turba tumultum.
Tum rex effatur: Dudum, Dux inclyte, culpo
Poſcere te pacem noſtram, cum cogere poſſis
Servitium, trahere ac populos in bella ſequaces.
Ne quæſo invidiam patrio mihi nomine inuras,
Quid mereor, ſi nulla jubes? ſuadere ſub illo
Quod poteras, modo velle ſat eſt, ſolumque moratur,
Quod cupias neſciſſe Getas. mihi Romula dudum
Per te jura placent: parvumque ediſcere juſſit
Ad tua verba pater, docili quo priſca Maronis
Carmine molliret Scythicos mihi pagina mores.
Jam pacem tum velle doces; ſed percipe, quæ ſit
Conditio obſequii, forſan rata pacta probabis.
Teſtor, Roma, tuum nobis venerabile numen,
Et ſocium de Marte genus, vel quidquid ab ævo,
(Nil te mundus habet melius, nil ipſa ſenatu)
Me pacem ſervare tibi, vel velle abulere
Quæ noſter peccavit avus, quem fuſcat id unum,
Quod te, Roma, capit; ſed Di ſi vota ſecundant,
Excidii veteris crimen purgare valebit
Ultio præſentis: ſi tu, Dux inclyte, ſolum
Auguſti ſubeas nomen. quid lumina flectis?
Invitum plus eſſe decet: non cogimus iſtud,
Sed conteſtamur. Romæ ſum te duce amicus,
Principe te miles: regnum non præripis ulli:
Nec quiſquam Latias Auguſtus poſſidet arces.
Qua vacat, aula tua eſt. teſtor, non ſufficit iſtud,
Ne noceam; atque tuo hoc utinam diademate fiat,
Ut proſim: ſuadere meum eſt; nam Gallia ſi te
Compulerit, quæ jure poteſt, tibi pareat orbis,
Ne pereat. Dixit, pariterque in verba petita
Dat ſanctam cum fratre fidem: diſcedis, Avite,
Mœſtus, qui Gallos ſcires non poſſe latere
Quid poſſint ſervire Getæ te principe; namque
Civibus ut patuit trepidis te fœdera ferre,
Occurrunt alacres, ignaroque ante tribunal
Sternunt; utque ſatis ſibimet numeroſa coiſſe
Nobilitas viſa eſt, quam ſaxa nivalia Cotti
Deſpectant, variis nec non quam partibus ambit
Tyrrheni, Rhenique liquor, vel longa Pyrenei
Quam juga ab Hiſpano ſecluſam jure coercent,
Aggreditur nimio curarum pondere triſtem
Gaudens turba virum; procerum tum maximus unus,
Dignus qui patriæ perſonam ſumeret, infit:
Quam nos per varios dudum fortuna labores
Principe ſub puero laceris terat aſpera rebus,
Fors longum, Dux magne, queri, cum quippe dolentum
Maxima pars fueris, patriæ dum vulnera lugens
Sollicitudinibus vehementibus exagitaris.
Has nobis inter clades ac funera mundi,
Mors vixiſſe fuit; ſed dum per verba parentum
Ignavas colimus leges, ſanctumque putamus
Rem veterem per damna ſequi, portavimus umbram
Imperii, generis contenti ferre vetuſti
Et vitia, ac ſolitam veſtiri murice gentem
More magis quam jure pati: promptiſſima nuper
Fulſit conditio, proprias qua Gallia vires
Exereret, trepidam dum Maximus occupat urbem:
Imo orbem potuit, ſi re ſibi tota Magiſtro
Regna reformaſſet. quis noſtrum Belgica rura,
Littus Aremorici, Geticas quis moverit iras,

Non latet: his tantis tibi ceſſimus, inclyte, bellis.
Nunc jam ſumma vocant; dubio ſub tempore regnum
Non regit ignavus: poſtponitur ambitus omnis,
Ultima cum claros quærunt. poſt damna Ticini,
Ac Trebiæ, trepidans raptim reſpublica venit
Ad Fabium. Cannas celebres Varrone fugato,
Scipiadumque etiam turgentem funere Pœnum
Livius electus fregit: captivus (ut aiunt)
Orbis, in urbe jacet, princeps perit, hic caput omne
Nunc habet imperium. perimus, conſcende tribunal,
Erige collapſos: non hoc modo tempora poſcunt,
Ut Romam plus alter amet: ne forte reare
Te regno non eſſe parem: cum Brennica ſigna
Tarpeium premerent, ſcis, tum reſpublica noſtra
Tota Camillus erat, patriæ qui debitus ultor
Texit fumantes hoſtili ſtrage favillas.
Non tibi centurias auſum populare paravit,
Nec modo venales numeroſoque aſſe redemptæ
Concurrunt ad puncta tribus; ſuffragia mundi
Nullus emit; pauper legeris, quod ſufficit unum.
Es meritis dives; patriæ cur vota moraris,
Quæ jubet, ut jubeas? hæc eſt ſententia cunctis.
Si dominus ſis, liber ero. Fragor atria complet
Ugerni, quo forte loco pia turba, ſenatus
Detulerat vim, vota, preces. locus, hora, dieſque
Dicitur imperio felix: ac protinus illic
Nobilium excubias gaudens ſolertia mandat.
Tertia lux refugis Hyperiona fuderat aſtris:
Concurrunt proceres, ac milite circumfuſo
Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant
Caſtrenſi mœſtum, donantque inſignia regni.
Jam prius induerat ſolas de principe curas.
Haud alio quondam vultu Tirynthius heros
Pondera ſuſcepit cœli, ſimul atque novercæ,
Cum Libyca ſe rupe Gigas ſubduceret, & cum
Tutior Herculeo ſediſſet machina dorſo.
Hunc tibi Roma dedi, patulis dum Gallia campis
Intonat Auguſtum plauſu, fauſtumque fragorem
Portat in exanguem Boreas jam fortior Auſtrum.
Hic tibi reſtituet Libyen per vincula quarta;
Et cujus ſolum amiſſas poſt ſecula multa
Pannonias revocavit iter, jam credere promptum eſt,
Quid faciet bellis. o quas tibi ſæpe jugabit
Invictis gentes aquilis! qui maxima regni
Omina privatus fugit, cum forte vianti
Excuteret præpes plebejum motus amictum:
Lætior at tanto modo principe priſca deorum
Roma parens attolle genas; ac turpe veternum
Depone: en princeps faciet juveneſcere major,
Quam pueri fecere ſenem. Finem pater ore
Vix dederat, plauſere Dii, fremituſque cucurrit
Concilio; felix tempus nevere ſorores
Imperiis, Auguſte, tuis, & Conſulis anno
Fulva volubilibus duxerunt ſecula penſis.

CARMEN VIII.

Ad Priſcum Valerianum virum præfectorium, editio Panegyrici.

PRiſce, decus ſemper noſtrum, cui principe Avito
Cognatum ſociat purpura celſa genus,
Ad tua cum noſtræ currant examina nugæ,
Dico. State vagæ, quo properatis? amat.
Diſtrictus ſemper cenſor, qui diligit, extat:
Dura fronte legit mollis amicitia.
Nil votum prodeſt adjectum laudibus illud,
Ulpia quod rutilat porticus ære meo:
Vel quod adhuc populo ſimul & plaudente ſenatu
Ad noſtrum reboat concava Roma ſophos.
Reſpondent illæ, properabimus, ibimus: & nos
Non retines, tanto judice culpa placet.
Cognitor hoc nullus melior, bene carmina penſat,
Contemptu tardo, judicio celeri.
Et quia non potui temeraria ſiſtere verba,
Hæc rogo ne dubites lecta, dicare rogo.

CARMEN IX.

Excuſatorium ad V. C. Felicem.

Largam SOLLIUS hanc APOLLINARIS,
FELICI Domino, pioque fratri
Dicit SIDONIUS ſuus ſalutem.

DIc, dic, quod peto, Magne, dic amabo
Felix nomine, mente, honore, forma,
Natis, conjuge, fratribus, parente,
Germanis genitoris atque matris,
Et ſummo patruelium Camillo,
Quid nugas temerarias amici,
Quas ſparſit teneræ jocus juventæ,
In formam redigi jubes libelli,
Ingentem ſimul & repente faſcem
Conflari invidiæ & perire chartam?
Mandatis famulor, ſed ante teſtor,
Lector, quas patieris hic ſalebras.
Non nos currimus aggerem vetuſtum,
Nec quidquam invenies, ubi priorum
Antiquas terat orbitas Thalia.
Non hic antipodas ſalumque rubrum,
Non hic Memnonios canemus Indos,
Auroræ face civica peruſtos,
Non Artaxata, Suſa, Bactra, Carrhas,
Non coctam Babylona perſonabo,
Quæ largum fluvio patens alumno,
Incluſum bibit hinc & inde Tigrim.
Non hic Aſſyriis Ninum priorem,
Non Medis caput Arbacem profabor;
Nec quam divite, cum refugit hoſtem,
Arſit Sardanapalus in favilla;
Non Cyrum Aſtyagis loquar nepotem,
Nutritum ubere quem ferunt canino,
Cujus non valuit rapacitatem
Vel Lydi ſatiare gaza Crœſi:
Cujus nec feritas ſubacta tunc eſt,
Cæſis millibus ante cum ducentis
In vallis Scythicæ coactus arctum,
Orbatæ ad Tomyris veniret utrem.
Non hic Cecropios leges triumphos,
Vel ſi quo Marathon ruber duello,
Aut cum millia mille concitarent
Inflatum numeroſitate Xerxem,
Atque hunc fluminibus ſatis profundis
Confeſtim ebibitis adhuc ſitiſſe:
Nec non Thermopylas & Hellis undas,
Spretis obicibus ſoli ſalique,
Inſanis equitaſſe cum catervis;
Admiſſoque in Athon tumente ponto
Juxta frondiferæ cacumen Alpis
Scalptas claſſibus iſſe per cavernas.
Non prolem Garamantici Tonantis,

Regnis principibuſque principantem,
Porrectas Aſiæ loquar paterno
Actum fulmine pervolaſſe terras,
Et primum Darii tumultuantes
Præfectos, ſatrapaſque perculiſſe:
Mox ipſum ſolio patrum ſuperbum
Cognatoſque ſibi Deos crepantem,
Captis conjuge, liberis, parente,
In caſus hominis redire juſſum:
Qui cum maxima bella concitaſſet,
Tota & Perſidis undique gregatæ
Uno conſtituiſſet arma campo,
Hoc ſolum perhibetur aſſecutus,
Dormire ut melius liberet hoſti.
Nec vectos Minyas loquente ſilva
Dicam Phaſiaco ſtetiſſe portu,
Forma percita cum Ducis Pelaſgi
Molliret rabidos virago tauros,
Nec dum territa, cum ſuus colonus,
Poſt anguis domiti ſatos molares,
Armatas tremebundus inter herbas
Florere in ſegetem ſtuperet hoſtem,
Et pugnantibus hinc & hinc ariſtis
Supra belliferas madere glebas,
Culmoſos viridi cruore fratres.
Non hic terrigenam loquar cohortem
Admixto mage vividam veneno,
Cui præter ſpeciem modo carentem
Angues corporibus voluminoſis
Alte ſquamea crura porrigentes
In veſtigia fauce deſinebant.
Sic formæ triplicis procax juventus
Tellurem pede proterens voraci
Currebat, capitum ſtupenda greſſu:
Et cum claſſica numinum ſonabant,
Mox contra tonitrus reſibilante
Audebat ſuperos ciere planta.
Nec Phlegræ legis ampliata rura,
Miſſi dum volitant per aſtra montes,
Pindus, Pelion, Oſſa, Olympus, Othrys,
Cum ſilvis, gregibus, feris, pruinis,
Saxis, fontibus, oppidis, levati
Vibrantum ſpatioſiore dextra.
Non hic Herculis excolam labores,
Cui ſus, cerva, leo, Gigas, Amazon,
Hoſpes, taurus, Eryx, aves, Lycus, fur,
Neſſus, Libs, juga, poma, virgo, ſerpens,
Oeta, Thraces equi, boves Iberæ,
Luctator fluvius, canis triformis,
Portatuſque polus polum dederunt.
Non hic Elida nobilem quadrigis,
Nec notam minus amnis ex amore
Verſu proſequar, ut per ima ponti
Alpheus fluat, atque tranſmarina
In fluctus cadat unda conjugales.
Non hic Tantaleam domum retexam,
Qua mixtum Pelopea per parentem eſt
Prolis facta ſoror, novoque monſtro
Infamem genuit pater nepotem.
Nil mœſtum hic canitur: nec eſculentam
Fletus pangimus ad dapem Thyeſtæ,
Fratris crimine qui miſer voratis
Vivum pignoribus fuit ſepulcrum:
Cum poſt has epulas repente flexis
Titan curribus occidens ad ortum
Convivam fugeret, diem fugaret.
Nec Phryx paſtor erit tibi legendus
Decreſcens cui Dindymon reciſo
Fertur vertice texuiſſe claſſem:
Cum juſſu Veneris patrocinantis
Terras Oebalias, & hoſpitales
Raptor depopulatus eſt Amyclas,
Prædam trans pelagus petens ſequacem.
Sed nec Pergama, nec decenne bellum,
Nec ſævas Agamemnonis phalangas:
Nec perjuria perſequar Sinonis,
Arx quo Palladio dicata ſigno,
Pellaci reſerata proditore,
Portantem pedites equum recepit.
Non hic Mæoniæ ſtilo Camœnæ,
Civis Dulichiique Theſſalique
Virtutem ſapientiamque narro:
Quorum hic Peliaco putatur antro
Venatu, fidibus, palæſtra, & herbis,
Sub Saturnigena ſene inſtitutus:
Dum nunc luſtra terens puer ferarum
Paſſim per Pholoen jacet nivoſam,
Nunc præſepibus accubans amatis,
Dormit mollius in juba magiſtri:
Inde Scyriadum datus parenti
Falſæ nomina pertuliſſe Pyrrhæ,
Atque inter tetricæ choros Minervæ
Occultos Veneri rotaſſe thyrſos:
Poſtremo ad Phrygiæ ſonum rapinæ
Tractus laudibus Hectoris trahendi.
Aſt illum, cui contigit paternam
Quartum poſt Ithacam redire luſtrum,
Nec Smyrnæ ſatis explicat volumen.
Nam quis continuare poſſit illos
Quos terra & pelago tulit labores?
Raptum Palladium, repertum Achillem:
Captum præpetibus Dolona plantis,
Et Rheſi niveas prius quadrigas,
Xanthi quam biberent fluenta, tractas?
Ereptam quoque, quam Deus patronus,
Philocteta, tibi dedit, pharetram?
Ajacem Telamonium furentem,
Quod ſeſe ante rates agente cauſam,
Pugnacis tulit eloquens coronam?
Vitatum hinc Polyphemon, atque Circen,
Et Læſtrygonii famem tyranni?
Tum pomaria divitis Calypſo, &
Sirenas pereuntibus placentes,
Vitatas tenebras facemque Naupli,
Et Scyllæ rabidum voracis inguen:
Vel Tauromitana quos Charybdis
Ructatos ſcopulos cavat profundo?
Non Divos ſpecialibus faventes
Agris, urbibus, inſuliſque canto,
Saturnum Latio, Jovemque Cretæ,
Junonemque Samo, Rhodoque Solem,
Ennæ Perſephonem, Minervam Hymetto,
Vulcanum Liparæ, Papho Dionem,
Argis Perſea, Lampſaco Priapum,
Thebis Euhion, Illioque Veſtam:
Thymbræ Delion, Arcadem Lycæo,
Martem Thracibus, ac Scythis Dianam.
Quos fecere Deos dicata templa,
Thus, ſal, far, mola, vel ſuperfluarum
Conſecratio cæremoniarum,
Non cum Triptolemo verendam Eleuſin,
Qui primas populis dedere ariſtas

Paſtis

Paſſis Chaonium per Ilicetum.
Non Apin Mareoticum ſonabo
Ad Memphitica ſiſtra concitari.
Non dicam Lacedæmonis juventam
Unctas Tyndaridis dicaſſe luctas,
Doctos quos patriis palen Therapnis
Gymnas Bebrycii tremit theatri.
Non ſortes Lyciaſque, Cæritumque,
Reſponſa aut Themidis priora Delphis.
Nec quæ fulmine Thuſcus expiato,
Septum numina quærit ad bidental.
Nec quos Euganeum bibens Timavum
Colle Antenoreo videbat augur
Divos Theſſalicam movere pugnam.
Nec quos Amphiaraus, & Melampus
Ex ipſis rapuit Deos favillis,
Per templum male fluctuante flamma,
Gaudens lumine perdito Metellus.
Non hic Cinyphius canetur Ammon
Mitratum caput elevans arenis,
Vix ſe poſt Hecatombion litatum
Suetus promere Syrtium barathro.
Non hic Dindyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam ſonantes:
Non Bacchum Trieterica exerentem
Deſcribam, & tremulas furores feſto
Ire in Baſſaridas, vel infulatos
Aram ad thuricremam rotare myſtas.
Non hic Heſiodea pinguis Aſcræ
Spectes carmina, Pindarique chordas.
Non hic ſocciferi jocos Menandri:
Non læſi Archilochi feros iambos,
Vel plus Steſichori graves camœnas,
Aut quod compoſuit puella Lesbi.
Non quod Mantua contumax Homero,
Adjecit latialibus loquelis,
Æquari ſibimet ſubinde livens
Buſto Parthenopem Maroniano.
Non quod per ſatyras epiſtolarum
Sermonumque ſales novumque epodon,
Libros carminis, ac poeticam artem,
Phœbi laudibus & vagæ Dianæ
Conſcriptis voluit ſonare Flaccus.
Non quod Papinius tuus meuſque
Inter Labdacios ſonat furores:
Aut cum forte pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata ſilvularum.
Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum:
Quorum unus colit hiſpidum Platona,
Incaſſumque ſuum monet Neronem.
Orcheſtram quatit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Æſchylon ſecutus,
Aut plauſtris ſolitum ſonare Theſpin,
Qui poſt pulpita trita ſub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæſaris, ut gener ſocerque
Cognata impulerint in arma Romam:
Tantum dans lacrimas ſuis Philippis,
Ut credat Cremeræ levem ruinam,
Infra & cenſeat Alliam dolendam,
Ac Brenni in trutina Jovem redemptum;
Poſtponat Trebiam graveſque Cannas,
Stragem nec Thraſimenicam loquatur:
Fratres Scipiadas putet ſilendos
Quos Tarteſſiacus retentat orbis:
Euphratem taceat male apperitum,
Craſſorum & madidas cruore Carrhas,
Vel quos Spartace conſulum ſolebas
Victrici gladios fugare ſica.
Ipſum nec fleat ille plus duellum,
Quod poſt Cimbrica turbidus tropæa,
Et vinctum Naſamonium Jugurtham,
Dum quærit Mithridaticum triumphum,
Arpinas voluit movere Syllæ.
Non Gætulicus hic tibi legetur,
Non Marſus, Pedo, Silius, Tibullus.
Non quod Sulpiciæ jocus Thaliæ
Scripſit blandiloquum ſuo Caleno.
Non Perſi rigor, aut lepos Properti:
Sed nec centimeter Terentianus.
Non Lucilius hic, Lucretiuſque eſt.
Non Turnus, Memor, Ennius, Catullus,
Stella, & Septimius, Petroniuſque,
Aut mordax ſine fine Martialis.
Non qui tempore Cæſaris ſecundi
Æterno incoluit Tomos reatu.
Nec qui conſimili deinde caſu
Ad vulgi tenuem ſtrepentis auram
Irati fuit hiſtrionis exul.
Non Peluſiaco ſatus Canopo,
Qui ferruginei toros mariti
Et Muſa canit inferos ſuperna.
Nec qui jam patribus fuere noſtris
Primo tempore maximi ſodales.
Quorum unus Bonifacium ſequutus,
Necnon præcipitem Sebaſtianum,
Natales puer horruit Cadurcos,
Plus Pandionias amans Athenas:
Cujus ſi varium legas poema,
Tum Phœbum vel Hyantias puellas
Potato madidas ab Hippocrene,
Tunc Amphiona, filiumque Maiæ,
Tunc vatem Rhodopeium ſonare
Collato modulamine arbitreris.
Non tu hic nunc legeris, tuumque fulmen,
O digniſſime Quintianus alter,
Spernens qui Ligurum ſolum & penates
Mutato lare Gallias amaſti.
Inter claſſica ſigna, pila, turmas,
Laudans Aetium, vacanſque libro,
In caſtris hedera ter aureatus.
Sed nec tertius ille non legetur,
Bætin qui patrium ſolum relinquens,
Undoſæ petiit ſitim Ravennæ.
Ploſores cui fulgidam Quirites
Et charus popularitate princeps
Trajano ſtatuam foro locarunt.
Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multo minor ipſe plus adoro,
Paulinum, Ampeliumque, Symmachumque,
Meſſalam ingenii ſatis profundi,
Et nulli modo Martium ſecundum,
Dicendi arte nova parem vetuſtis,
Petrum & cum loquitur nimis ſtupendum,
Vel quem municipalibus poetis
Præponit bene Villicum ſenatus.
Noſtrum aut quos retinet ſolum diſertos
Dulcem Anthedion, & mihi magiſtri
Muſas ſat venerabiles Hoeni:
Acrem Lampridium, catum Leonem,

Præ-

Præſtantemque tuba Severianum,
Et ſic ſcribere non minus valentem,
Marcus Quintilianus ut ſolebat,
Nos valde ſterilis modo camœnæ
Raræ credimus hos, brevique chartæ,
Quæ ſcombros merito piperque portet.
Nam quiſnam Deus hoc dabit rejectæ,
Ut vel ſuſcipiens bonos odores,
Nardum ac pinguia nicerotianis
Quæ flagrant alabaſtra tincta ſuccis,
Indo cinnamon ex rogo petitum,
Quo Phœnix juveneſcit occidendo,
Coſtum, malobathrum, roſas, amomum,
Myrrham, thus, opobalſamumque ſervet?
Quapropter facinus meum tuere,
Et condiſcipuli tibi obſequentis
Incautum precor afferas pudorem.
Germanum tamen ante ſed memento
Doctrinæ columen Probum advocare:
Iſti qui valet exarationi
Diſtrictum bonus applicare theta.
Novi ſed bene, non refello culpam,
Nec doctis placet impudens poeta.
Sed nec turgida contumelioſi
Lectoris nimium verebor ora.
Si tamquam gravior ſeveriorque
Noſtræ Terpſichores jocum refutans,
Rugato Cato tertius labello
Narem Rhinoceroticam minetur.
Non te terreat hic nimis peritus;
Verum ſi cupias probare, tanta
Nullus ſcit (mihi crede) quanta neſcit.

CARMEN X.

Epithalamii dicti Ruricio & Iberiæ, Præfatio.

Fluctìcolæ cum feſta nurus Pegaſæa per antra
Rupe ſub Æmathia Pelion explicuit;
Anguſtabat humum ſuperum ſatis ampla ſupellex,
Certabant gazis, hinc polus, hinc pelagus.
Ducebatque choros viridi prope tectus amictu,
Cæruleæ pallæ concolor ipſe ſocer.
Nympha quoque in thalamos veniens de gurgitis unda,
Veſtiri cœpit membra timere viri.
Tum divum quicumque aderat terrore remoto,
Quo quis pollebat luſit in officio.
Jupiter emiſit tepidum ſine pondere fulmen,
Et dixit, melius nunc Cytherea calet.
Pollux tum cæſtu laudatus, Caſtor habenis,
Pallas tum criſtis, Delia tum pharetris.
Alcides clava, Mavors tum luſit in haſta,
Arcas tum virga, Nebride tum Bromius.
Huc & Pimpliadas induxerat optimus Orpheus,
Chordis, voce, manu, carminibus, calamis.
Ambitioſus Hymen totas ibi contulit artes,
Qui non ingenio, ſors placuit genio.
Feſcennina tamen non ſunt admiſſa, priuſquam
Intonuit ſolita noſter Apollo lyra.

CARMEN IX.

Epithalamium Ruricio & Iberiæ dictum.

Inter Cyaneas Ephyræa cacumina cautes,
Qua ſuper Idalium levat Orithion in æthram
Exeſi ſale montis apex, ubi forte vagantem
Dum fugit, & fixit trepidus Symplegada Typhis,
Atque recurrentem ructatum ad rauca Maleam,
Exit in Iſthmiacum pelagus claudentibus alis
Saxorum de rupe ſinus; quo ſæpe receſſu,
Sic tamquam toto coeat de lumine cæli,
Arctatur collecta dies, tremulaſque per undas
Inſequitur ſecreta vadi; tranſmittitur alto
Perfuſus ſplendore latex, miroque relatu
Lympha bibit ſolem, tenuique inſerta fluento
Perforat arenti radio lux ſicca liquorem.
Profecit ſtudio ſpatium; nam Lemnius illic
Ceu templum luſit Veneri, fulmenque relinquens,
Hic ferrugineus fumavit ſæpe Pyracmon.
Hic lapis eſt de quinque locis, dans quinque colores,
Æthiops, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculoſus, eburnus & albus.
Poſtes Chryſolithi fulvus diffulgurat ardor,
Myrrhina, Sardoniches, amethyſtus, Iberus, iaſpis,
Indus, Chalcidicus, Scythicus, beryllus, achates,
Attollunt duplices argenti cardine valvas,
Per quas incluſi lucem vomit umbra ſmaragdi.
Limina craſſus onyx cruſtat, propterque hyacinthi
Cærula concordem faciunt in ſtagna colorem.
Exterior non compta ſilex, ſed prominet alte
Aſper ab aſſiduo lympharum verbere pumex.
Interiore loco ſimulavit Mulciber auro
Extantes late ſcopulos, atque arte magiſtra
Ingenti cultu naturæ inculta feſellit,
Huic operi inſiſtens, quod necdum noverat illa,
Quæ poſt Lemniacis damnavit furta catenis.
Squameus huc Triton, duplicis confinia dorſi
Qua coeunt, ſupra ſinuamina tortilis alvi,
Inter aquas calido portabat corde Dionem.
Sed premit adjecto radiantis pondere conchæ
Semiferi Galatea latus, quod pollice fixo
Vellit, & occulto ſpondet connubia tactu.
Tum gaudens torquente joco, ſubridet amator
Vulnere, jamque ſuam parcenti piſtre flagellat.
Pone ſubit turmis flagrantibus agmen Amorum.
Hic cohibet delphina roſis, viridique juvenco
Hic vectus, ſpretis pendet per cornua frænis.
Hi ſtantes motu titubant, plantaque madenti
Labuntur, firmantque pedum veſtigia pinnis.
Illa recurvato dimiſerat ora lacerto
Mollia, marcebant violæ, graviorque ſopore
Cœperat attritu florum deſcendere cervix.
Solus de numero fratrum qui pulchrior ille eſt,
Deerat Amor, dum feſta parat celeberrima Gallis,
Quæ ſocer Ommatius, magnorum major avorum,
Patritiæque nepos gentis, natæ, generoque
Excolit auſpiciis fauſtis; ſed fulſit ut ille
Forte dies, matrem celeri petit ille volatu.
Cujus fax, arcus, corytus pendebat. at ille
Cernuus & lævæ pendens in margine palmæ
Libratos per inane pedes adverberat alis,
Oſcula ſic matris carpens, ſomnoque refuſæ
Semiſopora levi ſcalpebat lumina penna.
Tum prior his alacer cœpit. Nova gaudia porto
Felicis prædæ, genitrix. calet ille ſuperbus
Ruricius noſtris facibus, dulcique veneno
Tactus, votivum ſuſpirat corde dolorem.
Eſſet ſi præſens ætas, impenderet illi
Lemnias imperium, Creſſa ſtamen labyrinthi,
Alceſte vitam, Circe herbas, poma Calypſo,
Scylla comas, Atalanta pedes, Medea furores,

Hippodame ceras, cygno Jove nata coronam.
Huic Dido in ferrum, ſimul in ſuſpendia Phyllis,
Evadne in flammas, & Seſtias iſſet in undas.
His hæc illa refert. Gaudemus, nate, rebellem
Quod vincis, laudaſque virum. ſed forma puellæ eſt,
Quam ſi ſpectaſſet quondam Sthenoboeius heros,
Non pro contemptu domuiſſet monſtra Chimæræ.
Thermodontiaca vel qui genitrice ſuperbus
Sprevit Gnoſiacæ temeraria vota novercæ,
Hac viſa occiderat, fateor, ſed crimine vero.
Et ſi judicio forſan mihi quarta fuiſſet,
Me quoque Rhœtea damnaſſet paſtor in Ida.
Vincere vel ſi optas, iſtam da malo puellam,
Dixerat, hanc dederam formam pro munere formæ,
Tantus honor, geniuſque genis. collata rubori
Pallida blatta latet, depreſſaque lumine vultus
Nigreſcunt victo baccarum vulnera collo.
Te quoque multimodis ambiſſet Iberia ludis,
Axe Pelops, curſu Hippomenes, luctaque Achelous,
Æneas bellis, ſpectatus Gorgone Perſeus.
Nec minor hæc ſpecies, totiens cui Jupiter eſſet
Delia, taurus, olor, ſatyrus, draco, fulmen, & aurum.
Quare age, junganur: nam cenſus, forma, genuſque
Conveniunt. nil hic diſpar tua fixit arundo.
Sed quid vota moror? Dixit, currumque popoſcit,
Cui dederant cryſtalla jugum, quæ frigore primo
Orbis adhuc teneri, glacies ubi Caucaſon auget,
Strinxit Hyperboreis Tanaitica cruſta pruinis,
Naturam ſumens gemmæ, quia perdidit undæ.
Perforat hanc fulvo formatus temo metallo.
Miſerat hoc fluvius, cujus ſub gurgite Nymphæ
Mygdonium fovere Midam, qui pauper in auro
Ditavit verſis Pactoli flumina votis.
Splendet perſpicuo radios rota margine cingens
Marmaricæ de fauce feræ, dum bellua curvis
Dentibus excuſſis gemit exarmarier ora.
Miſit & hoc munus, tepidas qui nudus Erythras
Concolor Æthiopi, vel crinem pinguis amomo
Fluxus odoratis vexat venatibus Indus.
Illa tamen paſci ſueros per Cypron olores
Vittata ſtringit myrto, queis cætera tenſis
Lactea puniceo ſinuantur colla corallo.
Ergo iter aggreſſi. pendens rota ſulcat inanem
Aera, & in liquido non ſolvitur orbita tractu.
Hic triplex uno comitatur Gratia nexu,
Hic redolet patulo fortunæ copia cornu.
Hic ſpargit calathis ſed flores Flora perennes,
Hic Cererem Siculam Pharius comitatur Oſiris,
Hic gravidos Pomona ſinus pro tempore portat,
Hic Pallas madidis venit inter prœla trapetis.
Hic diſtincta latus maculoſa Nebride Thyas
Indica Echionio Bromii rotat orgia thyrſo.
Hic & Sigæis ſpecubus qui Diodyma ludit,
Jam ſectus recalet Corybas, cui gutture rauco
Ignem per bifores regemunt cava buxa cavernas.
Sic ventum ad thalamos. thus, nardus, balſama, myrrhæ
Hic ſunt, hic phœnix buſti dat cinnama vivi.
Proxima quin etiam feſtorum afflata calore,
Jam minus alget hyems, ſpeciemque tenentia vernam
Hoc dant vota loco, quod non dant tempora mundo.
Tum juvenis dextram Paphie, dextramque puellæ
Complectens, paucis cecinit ſolennia dictis,
Ne facerent vel verba moram. Feliciter ævum
Ducite concordes, ſint nati, ſintque nepotes.
Cernat & in proavo ſibimet quod pronepos optet.

CARMEN XII.

Ad Catullinum V. C. quod propter hoſtilitatem barbarorum Epithalamium ſcribere non valuerit.

QUid me, etſi valeam, parare carmen
Feſcenninicolæ jubes Diones,
Inter crinigeras ſitum catervas,
Et Germanica verba ſuſtinentem,
Laudantem tetrico ſubinde vultu,
Quod Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam butyro?
Vis dicam tibi, quid poema frangat?
Ex hoc barbaricis abacta plectris
Spernit ſenipedem ſtylum Thalia,
Ex quo ſeptipedes videt patronos.
Felices oculos tuos & aures,
Felicemque libet vocare naſum,
Cui non allia, ſordidæque cepæ
Ructant mane novo decem apparatus.
Quem non ut vetulum patris parentem,
Nutriciſque virum, die nec orto
Tot tantique petunt ſimul Gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.
Sed jam Muſa tacet, tenetque habenas
Paucis hendecaſyllabis jocata,
Ne quiſquam ſatyram vel hos vocaret.

CARMEN XIII.

Epigramma, quo ab Imperatore Majoriano trium capitum remedium poſtulavit Sidonius.

AMphitryoniaden perhibet veneranda vetuſtas,
Dum relevat terras, promeruiſſe polos.
Et licet in nuda torvus confregerit ulna
Ille Cleoneæ guttura rava feræ:
Et quamquam ardenti gladio vix ſtraverit hydram,
Cum duplices pareret vulnera mors animas:
Captivumque ferens ſylva ex Erymanthide monſtrum
Exarmata feri riſerit ora ſuis:
Collaque flammigenæ diſrumpens fumida furis,
Tandem directas juſſerit ire boves.
Taurus, cerva, gigas, hoſpes, luctator, Amazon,
Cres, canis, Heſperides ſint monimenta viri:
Nulla tamen fuſo prior eſt Geryone pugna,
Uni tergeminum cui tulit ille caput.
Hæc quondam Alcides; at tu Tirynthius alter,
Sed princeps magni maxima cura Dei,
Quem draco, cervus, aper, paribus ſenſere ſagittis,
Cum dens, cum virus, cum fuga nil valuit.
Geryones nos eſſe puta, monſtrumque tributum:
Hic capita, ut vivam, tu mihi tolle tria.

HAs ſupplex famulus preces dicavit,
Reſponſum opperiens pium ac ſalubre,
Ut reddas patriam, ſimulque vitam,
Lugdunum exonerans ſuis ruinis.
Hoc te Sidonius tuus precatur,
Sic te Sidonio recocta fuco,
Multos purpura veſtiat per annos.
Sic luſtro imperii perennis acto,
Quinquennalia faſcibus dicentur.
Sic ripæ duplicis tumore fracto,
Detonſus Vachalim bibat Sicamber.
Quod ſi contuleris tuo poetæ,

Mandem

Mandem perpetuis legenda faſtis,
Quæcumque egregiis geris triumphis.
Nam nunc Muſa loquax tacet tributo,
Quæ pro Virgilio Terentioque,
Sextantes legit unciaſque fiſci,
Marſyæque timet manum ac rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetuſtiore
Nunc ſuſpendia vatibus minatur.

CARMEN XIV.

Præfatio Epithalamii Polemio & Araneolæ dicti.

PRoſper connubio dies coruſcat,
Quem Clotho niveis benigna penſis,
Albus quem picei lapillus Indi,
Quem pacis ſimul arbor & juventæ,
Æternumque virens oliva ſignet.
Eja Calliope nitente palma
Da ſacri laticis loquacitatem,
Quem fodit pede Pegaſus volanti,
Cognato madidus jubam veneno.
Non hic impietas; nec hanc puellam
Donat mortibus ambitus procorum.
Non hic Oenomai cruenta circo
Audit pacta Pelops, nec inſequentem
Pallens Hippomenes ad ima metæ
Tardat Schœnida ter cadente pomo.
Non hic Herculeas videt palæſtras
Ætola Calydon ſtupens ab arce,
Cum cornu fluvii ſuperbientis
Alcides premeret, ſubinde feſſum
Undoſo refovens ab hoſte pectus:
Sed doctus juvenis, decenſque virgo
Ortu culmina Galliæ tenentes
Junguntur. cito Diva necte chordas,
Nec quod detonuit camœna major,
Noſtram pauperiem ſilere cogas.
Ad tædas Thetidis, probante Phœbo,
Et Chiron cecinit minore plectro:
Nec riſit pia turba ruſticantem,
Quamvis ſæpe ſenex biformis illic
Carmen rumperet hinniente cantu.

CARMEN XV.

Epithalamium Polemio & Araneolæ dictum.

FOrte procelloſi remeans ex arce Capharei,
Phœbados Iliacæ raptum ſatis ulta pudorem
Pallas, Erechtheo Xanthum mutabat Hymetto;
Aurato micat ære caput, majuſque ſerenum
De terrore capit; poſito nam fulmine necdum
Cinyphio Tritone truces hilaraverat artus.
Gorgo tenet pectus medium, factura videnti
Et truncata moras; nitet inſidioſa ſuperbum
Effigies, vivitque anima pereunte vetuſtas.
Alta ceraſtarum ſpiris caput aſperat atrum
Congeries; torquet maculoſa volumina mordax
Crinis, & irati dant ſibila tetra capilli.
Squameus ad medium thorax non pervenit alvum,
Poſt chalybem pendente peplo; tegit extima limo
Circite palla pedes, qui cum ſub veſte moventur,
Criſpato rigidæ crepitant in ſyrmate rugæ.
Lævam parma tegit Phlegræi plena tumultus.
Hic rotat excuſſum vibrans in ſidera Pindum
Enceladus, rapido fit miſſilis Oſſa Typhæo.
Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Adamaſtor
Strymonio cum fonte levat, venienſque ſuperne
Intorto calidum reſtinguit flumine fulmen.
Hic Pallas Pallanta petit, cui Gorgone viſa
Invenit ſolidum jam lancea tarda cadaver.
Hic Lemnum pro fratre Mimas contra Ægida torquet,
Impulſumque quatit jaculabilis inſula cælum.
Plurimus hic Briareus populoſo corpore pugnat,
Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno
Cernas ramoſis palmas fruticare lacertis.
Nec ſpecies ſolas monſtris, dedit arte furorem
Mulciber, atque ipſas timuit quas finxerat iras.
Haſtam dextra tenet, nuper quam valle Aracynthi
Ipſa ſibi poſita Pallas protraxit oliva.
Hoc ſteterat genio, ſuper ut veſtigia Divæ
Lambentes teneat Marathonia bacca trapetas.
Hic duo templa micant, quorum ſupereminet unus
Ut meritis, ſic ſede locus, qui continet alta
Scrutantes ratione viros: quid machina cæli,
Quid tellus, quid foſſa maris, quid turbidus aer,
Quid noctis luciſque vices, quid menſtrua lunæ
Incrementa parent, totidem cur damna ſequantur;
Ilicet hic ſummi reſident ſeptem Sapientes,
Innumerabilium primordia philoſophorum.
Thales Mileto genitus vadimonia damnat.
Lyndie tu Cleobule jubes, modus optimus ut ſit.
Tu meditans totum decoras Periandre Corinthon.
Atticus inde Solon, nequid nimis, approbat unum.
Prienæe Bia plures ais eſſe malignos.
Tu Mitylene ſatus cognoſcis Pittace tempus.
Noſcere ſe ipſum Chilon Spartane docebas.
Aſſerit hic Samius poſt docta ſilentia luſtri
Pythagoras, ſolidum princeps quod muſica mundum
Temperet, & certis concentum reddat ab aſtris:
Signaque, zodiacus quæ circulus axe ſupremo
Terna quater retinet, proprio non currere motu,
Æquis inter ſe ſpatiis tamen eſſe locata.
Fixaque ſignifero pariter quoque cernua ferri.
Præcipuumque etiam ſeptem vaga ſidera cantum
Hinc dare, perfectus numerus quod uterque habeatur;
Hoc numero affirmans, hoc ordine cuncta rotari,
Falciferi Cronon ire ſenis per ſumma polorum,
Martis contiguum, medio Jove, pergere ſidus;
Poſt hos, jam quarto ſe flectere tramite Solem,
Sic placidam Paphien ſervare diaſtema quintum,
Arcadium ſexto, Lunam ſic orbe ſupremo,
Ter denas tropico prope currere climate miras.
Si quos ergo chelys, ſi quos lyra, tibia ſi quos
Ediderint cum voce modos, exemplar ad iſtud
Ponderibus poſitis, quantum proportio ſuadet,
Intervalla ſequi ſepteni ſideris edit.
Harmoniam dicens etiam, quod quatuor iſtis
Sic ſedeant elementa modis, ut pondere magnis
Sit locus inferior. media tellure quod autem
Perfecte medium eſt, imum patet eſſe rotundi.
Hinc fieri, ut terram levior ſuperemicet unda:
Altior his quoque ſit, qui purior eminet aer:
Omnia concludat cælum levitate ſupremum,
Pendeat ut totum ſimul hoc ab origine centri.
Thales hic etiam numeris inquirit & aſtris,
Defectum ut Phœbi necnon lunæque laborem
Nuntiet anterius; ſed rebus inutile ponit
Principium, dum credit aquis ſubſiſtere mundum.
Hujus diſcipuli verſa eſt ſententia, dicens
Principiis propriis ſemper res quaſque creari;

Singula qui quoſdam fontes decrevit habere
Æternum irriguos, ac rerum ſemine plenos.
Hunc etiam ſequitur, qui gignere cuncta putabat
Hunc aerem, pariterque Deos ſic autumat ortos.
Quartus Anaxagoras Thalerica dogmata ſervat:
Sed divinum animum ſentit, qui fecerit orbem.
Junior huic junctus reſidet collega, ſed idem
Materiam cunctis creaturis aera credens
Judicat inde Deum, faceret quo cuncta, tuliſſe.
Poſt hos Arceſilas divina mente paratam
Conjicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos vocat ipſe leves. Socratica poſt hunc
Secta micat, quæ de naturæ pondere migrans
Ad mores hominum limandos tranſtulit uſum.
Hanc ſectam perhibent ſummum excoluiſſe Platona,
Sed triplici formaſſe modo, dum primus & unus
Phyſica vel logico, logicum vel jungit ad ethos.
Invenit hinc princeps quid prima eſſentia diſtet
A ſummo ſextoque bono; cum denique ſaxa
Sint tantum, penituſque nihil niſi eſſe probentur;
Proxima ſuccedant, quibus eſſe & vivere promptum eſt,
Addere queis poſſis nil amplius arbore & herba.
Tertia ſit pecorum, quorum eſſe & vivere motu
Non caret & ſenſu: mortales quarta deinde
Reſpiciat factura ſuos, quibus eſſe, moveri,
Vivere, cum ſenſu datur, & ſupereminet illud,
Quod ſapiunt, veroque valent diſcernere falſum:
Quinta creaturas ſuperas ſubſtantia prodat,
Quas quidam dixere Deos, quia corpora ſumant
Contemplanda homini, paulo poſt ipſa relinquant,
Inque ſuam redeant, ſi qua eſt tenuiſſima, formam:
Sic fieri ut pateat ſubſtantia ſumma creator,
Sexta tamen, ſupraque nihil, ſed cuncta ſub ipſo.
Hoc in gymnaſio Polemi ſapientia vitam
Excolit, adjunctumque ſuo fovet ipſa Platoni.
Obviet & quamquam totis Academia ſectis,
Atque neget verum, veris hunc laudibus ornat.
Stoica poſt iſtos, ſed concordantibus ipſis
Chryſippus, Zenonque docent præcepta tenere.
Excluſi prope jam Cynici, ſed limine reſtant.
Aſt Epicureos eliminat undique virtus.
At parte ex alia textrino prima Minervæ
Palla Jovis rutilat, cujus bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.
Ebria nec ſolum ſpirat conchylia ſandix:
Inſertum non fulgur habet, filoque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulguris oſtrum.
Hic viridis patrio Glaucus pandebat amictu:
Undabant hic arte ſinus, fictoque tumore
Merſabat pandas tempeſtas texta carinas.
Amphitryoniadi ſurgebat tertia veſtis:
Parvulus hic gemino cinctus ſerpente novercæ,
Inſcius arridet monſtris, ludumque putando
Inſidias dum neſcit amat, vultuque dolentis
Extingui deflet, quos ipſe interficit angues.
Præterea ſparſis ſunt hæc ſubjecta figuris,
Sus, leo, cerva, gigas, taurus, juga, Cerberus, hydra,
Hoſpes, Neſſus, Eryx, volucres, Thrax, Cacus, Amazon,
Cres, fluvius, Libs, poma, Lycus, virgo, polus, Oete.
Hoc opus, & ſi quid ſupereſt, quod nomina neſcit,
Virgineæ poſuere manus; ſed in agmine toto
Inter Cecropias Ephyreidaſque puellas
Araneola micat. proprias conferre laborat
Ipſa Minerva manus, calathiſque evicta recedens,
Cum tenet hæc telas, vult hæc plus tela tenere.
Hic igitur proavi trabeas imitata rigentes,
Palmatam parat ipſa patri, qua conſul & idem
Agricolam contingat avum, doceatque nepotes,
Non abavi ſolum, ſed avi quoque jungere faſces.
Texuerat tamen & chlamydes, quibus ille magiſter
Per Tarteſiacas conſpectus ſplenduit urbes,
Et quibus ingeſtæ ſub tempore Præfecturæ
Conſpicuus, ſanctas reddit ſe præſule leges.
Attamen in trabea ſegmento luſerat alto,
Quod priſcis illuſtre toris. Ithaceſia primum
Fabula, Dulichiique lares formantur; & ipſam
Penelopen tardas texit diſtexere telas.
Tænaron hic fruſtra, bis rapta conjuge, pulſat
Thrax fidibus, legem poſtquam temeravit Averni,
Et prodeſſe putans, iterum non reſpicit umbram.
Hic vovet Alceſte prælato conjuge vitam
Rumpere; quam cernas Parcarum vellere in ipſo
Nondum pernetam, fato præſtante ſalutem.
Hic nox natarum Danai lucebat in auro,
Quinquaginta enſes genitor, quibus impius aptat,
Et dat concordem diſcordia juſſa furorem.
Solus Hypermneſtræ ſervatus munere Lynceus
Effugit: aſpicias illam ſibi parva paventem,
Et pro dimiſſo tantum pallere marito.
Jamque Jovem in formas mutat, quibus ille tenere
Mnemoſynem, Europam, Semelem, Ledam, Cynoſuram,
Serpens, bos, fulmen, cycnus, Dictynna ſolebat.
Jamque opus in turrem Danaæ, pluviamque metalli
Ibat, & hic alio ſtillabat Jupiter auro.
Cum virgo aſpiciens vidit Tritonida verſo
Lumine, doctiſonas ſpectare libentius artes:
Commutat commota manus, ac pollice docto
Pingere Philoſophi victricem Laida cœpit,
Quæ Cynici per menta feri rugoſaque colla
Rupit odoratam redolenti forpice barbam.
Subriſit Pallas, caſtoque hæc addidit ore:
Non noſtra ulterius ridebis dogmata, virgo,
Philoſopho nuptura meo: mage flammea ſumens,
Hoc mater ſine texat opus: conſurge ſophorum
Egregium Polemi decus, ac nunc Stoica tandem
Pone ſupercilia, & Cynicos imitatus amantes
Incipias iterum parvum mihi ferre Platona.
Hærentem tali compellat voce magiſter:
Perge libens, neu tu damnes fortaſſe jugari
Quod noſter jubet ille ſenex, qui non piger hauſit
Numina condemnans Anyto pallente venenum.
Dixerat, ille ſimul ſurgit, vultuque modeſto
Tetrica nodoſæ commendat pallia clavæ.
Amborum tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat,
Nymphidius quæ cernat avus: probat Atropos omen,
Fulvaque concordes junxerunt fila ſorores.

CARMEN XVI.

Eucharisticum ad Fauſtum Reienſem Epiſcopum.

PHœbum & ter ternas decima cum Pallade Muſas,
Orpheaque & laticem ſimulatum fontis equini,
Ogygiamque chelym, quæ ſaxa ſequacia flectens
Cantibus, auritos erexit carmine muros,
Sperne fidis. magis ille veni nunc ſpiritus oro
Pontificem dictare tuum, qui pectora priſcæ
Intraſti Mariæ, rapiens cum tympana ſiccus
Iſrael appenſi per concava gurgitis iret,
Aggeribus vallatus aquæ, mediaſque per undas
Pulverulenta tuum clamaret turba triumphum.

Quique

Quique manum Judith ferientem colla Holofernis
Juviſti, exciſo jacuit cum gutture truncus,
Et fragilis gravido latuit bene ſexus in ictu.
Expreſſo vel qui complens de vulnere pellem,
Inficienſque dehinc non tacto vellere terram,
Firmaſti Gedeona, tubis inſerte canoris
Spiritus, & ſolo venit victoria cantu.
Quique etiam adſumptum pecoroſi de grege Jeſſe
Afflixti regem, plauſtro cum fœderis arcam
Imponens hoſtis, nullo moderante bubulco,
Proderet obſcœnum turgenti podice morbum.
Quique trium quondam puerorum in fauce ſonaſti,
Quos in Chaldæi poſitos fornace tyranni,
Roſcida combuſto madefecit flamma camino.
Quique volubilibus ſpatiantem tractibus alvi
Compleſti Jonam, reſonant dum viſcera monſtri
Introrſum pſallente cibo, vel pondera ventris
Jejuni, plenique tamen vate intemerato,
Ructat cruda fames; quem ſingultantibus extis
Eſuriens vomuit ſuſpenſo bellua morſu.
Quique duplex quondam veniſti in pectus Eliſei,
Thesbiten cum forte ſenem jam flammeus axis
Tolleret, & ſciſſam linquens pro munere pellem
Hiſpidus ardentes auriga intraret habenas.
Quique etiam Eliam terris miſſure ſecundum,
Zachariæ juſti linguam placare ligaſti,
Dum faceret ſerum rugoſa puerpera patrem,
Edita ſignificans juſſo reticere propheta,
Gratia cum fulſit, noſſet ſe ut lex tacituram.
Quique etiam naſcens ex virgine ſemine nullo,
Ante ullum tempus Deus, atque in tempore Chriſtus,
Ad corpus quantum ſpectat tu te ipſe creaſti.
Qui viſum cæcis, greſſum quoque reddere claudis,
Auditum ſurdis, mutis laxare loquelam
Suetus, ad hoc etiam veniſti, ut mortua membra
Lecto, ſandapila, tumulo conſurgere poſſint.
Quique etiam pœnas ſuſcepta in carne tuliſti,
Suſtentans alapas, ludibria, verbera, vepres,
Sortem, vincla, crucem, clavos, fel, miſſile, acetum:
Poſtremo mortem, ſed ſurrecturus, adiſti,
Eripiens quidquid veteris migraverat hoſtis
In jus per noſtrum facinus, cum femina prima
Præceptum ſolvens culpa nos perpete vinxit:
Qui cum te interitu petiit, nec reperit in te
Quod poſſet proprium convincere, perdidit omne
Quod lapſu dedit Eva ſuo. chirographon illud
Quo pervaſus homo eſt, hæc compenſatio rupit.
Expers peccati, pro peccatoribus amplum
Fis pretium, veteremque novus vice fœnoris Adam
Dum moreris de morte rapis; ſic mortua mors eſt,
Sic ſeſe inſidiis quas fecerat ipſa fefellit.
Nam dum indiſcrete petit inſontemque reoſque,
Egit ut abſolvi poſſent & crimine nexi.
Quique etiam juſtos ad tempus ſurgere tecum
Juſſiſti cineres, cum tectis tempore longo
Irrupit feſtina ſalus, infuſaque raptim
Excuſſit tumulis ſolidatas vita favillas:
Da Fauſtum laudare tuum, da ſolvere grates,
Quas & poſt debere juvat. te, magne Sacerdos,
Barbitus hic noſter, plectro licet impare, cantat.
Hæc igitur prima eſt vel cauſa, vel actio laudum,
Quod mihi germani dum lubrica volvitur ætas,
Servatus tecum domini per dona probatur
Nec fama titubante pudor: te reſpicit iſtud
Quantumcumque bonum, merces debebitur illi,
Ille tibi; ſit laus (ſi labi noluit) ejus:
Nam quod nec potuit, totum ad te jure redundat.
Præterea quod me pridem Reios veniente,
Cum Procyon fureret, cum ſolis torridus ignis
Flexilibus rimis ſitientes ſcriberet agros,
Hoſpite te noſtros excepit protinus æſtus
Pax, domus, umbra, latex, benedictio, menſa, cubile.
Omnibus attamen his ſat præſtat, quod voluiſti
Ut ſanctæ matris ſanctum quoque limen adirem.
Dirigui, fateor, mihi conſcius, atque repente
Tinxit adorantem pavido reverentia vultum:
Nec ſecus intremui, quam ſi me forte Rebeccæ
Iſrael, aut Samuel crinitus duceret Annæ.
Quapropter te vel votis ſine fine colentes,
Affectum magnum per carmina parva fatemur,
Seu te flammatæ Syrtes, & inhoſpita teſqua,
Seu cœno viridante palus, ſeu nigra receſſu
Incultum mage ſaxa tenent, ubi ſole remoto
Concava longævas aſſervant antra tenebras.
Seu te præruptis porrectæ in rupibus Alpis,
Succinctos gelido libantem ceſpite ſomnos,
Anachoreta tremit, quæ quamquam frigora portet,
Conceptum Chriſti numquam domat illa calorem.
Qua nunc Elias, nunc te jubet ire Joannes,
Nunc duo Macarii, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa,
Quam fecit palmæ foliis manus alma magiſtri.
Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus pro magna ſæpe quiete
Diſcipulis ſervire venis, vixque otia ſomni
Vix coctos capture cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis;
Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana
Miſerit in cælum montes: quæ ſancti Capraſi
Vita ſenis, juveniſque Lupi: quæ gratia patrem
Manſit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachoſque antiſtes & abbas
Bis ſucceſſor agis: celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores;
Seu tu ſollicitus curas, qua languidus eſca,
Quave peregrinus vivat, quid paſcat & illum,
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu mage funeribus mentem diſtractus humandis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quidquid agis, quocumque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

CARMEN XVII.

Invitat Ommatium ad natalem diem ſuorum.

Quatuor ante dies quam lux Sextilis aduſti
  Prima ſpiciferum proferat orbe caput:
Natalis noſtris decimus ſextuſque coletur,
  Adventu felix qui petit eſſe tuo.
Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
  Aſſyrius murex nec tibi ſigma dabit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas,
  Argenti nigri pondera defodiam.
Nec ſcyphus hic dabitur, rutilo cui forte metallo

Cru-

Singula qui quoſdam fontes decrevit habere
Æternum irriguos, ac rerum ſemine plenos.
Hunc etiam ſequitur, qui gignere cuncta putabat
Hunc aerem, pariterque Deos ſic autumat ortos.
Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata ſervat:
Sed divinum animum ſentit, qui fecerit orbem.
Junior huic junctus reſidet collega, ſed idem
Materiam cunctis creaturis aera credens
Judicat inde Deum, faceret quo cuncta, tuliſſe.
Poſt hos Arceſilas divina mente paratam
Conjicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos vocat ipſe leves. Socratica poſt hunc
Secta micat, quæ de naturæ pondere migrans
Ad mores hominum limandos tranſtulit uſum.
Hanc ſectam perhibent ſummum excoluiſſe Platona,
Sed triplici formaſſe modo, dum primus & unus
Phyſica vel logico, logicum vel jungit ad ethos.
Invenit hinc princeps quid prima eſſentia diſtet
A ſummo ſextoque bono; cum denique laxa
Sint tantum, penituſque nihil niſi eſſe probentur;
Proxima ſuccedant, quibus eſſe & vivere promptum eſt,
Addere queis poſſis nil amplius arbore & herba.
Tertia ſit pecorum, quorum eſſe & vivere motu
Non caret & ſenſu: mortales quarta deinde
Reſpiciat factura ſuos, quibus eſſe, moveri,
Vivere, cum ſenſu datur, & ſupereminet illud,
Quod ſapiunt, veroque valent diſcernere falſum:
Quinta creaturas ſuperas ſubſtantia prodat,
Quas quidam dixere Deos, quia corpora ſumant
Contemplanda homini, paulo poſt ipſa relinquant,
Inque ſuam redeant, ſi qua eſt tenuiſſima, formam:
Sic fieri ut pateat ſubſtantia ſumma creator,
Sexta tamen, ſupraque nihil, ſed cuncta ſub ipſo.
Hoc in gymnaſio Polemi ſapientia vitam
Excolit, adjunctumque ſuo fovet ipſa Platoni.
Obviet & quamquam totis Academia ſectis,
Atque neget verum, veris hunc laudibus ornat.
Stoica poſt iſtos, ſed concordantibus ipſis
Chryſippus, Zenonque docent præcepta tenere.
Excluſi prope jam Cynici, ſed limine reſtant.
Aſt Epicureos eliminat undique virtus.
At parte ex alia textrino prima Minervæ
Palla Jovis rutilat, cujus bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.
Ebria nec ſolum ſpirat conchylia ſandix:
Inſertum non fulgur habet, filoque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulguris oſtrum.
Hic viridis patriu Glaucus pandebat amictu:
Undabant hic arte ſinus, fictoque tumore
Merſabat pandas tempeſtas texta carinas.
Amphitryoniadi ſurgebat tertia veſtis:
Parvulus hic gemino cinctus ſerpente novercæ,
Inſcius arridet monſtris, ludumque putando
Inſidias dum neſcit amat, vultuque dolentis
Extingui deflet, quos ipſe interficit angues.
Præterea ſparſis ſunt hæc ſubjecta figuris,
Sus, leo, cerva, gigas, taurus, juga, Cerberus, hydra,
Hoſpes, Neſſus, Eryx, volucres, Thrax, Cacus, Amazon,
Cres, fluvius, Libs, poma, Lycus, virgo, polus, Oete.
Hoc opus, & ſi quid ſupereſt, quod nomina neſcit,
Virgineæ poſuere manus; ſed in agmine toto
Inter Cecropias Ephyreidaſque puellas
Araneola micat. proprias conferre laborat
Ipſa Minerva manus, calathiſque evicta recedens,
Cum tenet hæc telas, vult hæc plus tela tenere.
Hic igitur proavi trabeas imitata rigentes,
Palmatam parat ipſa patri, qua conſul & idem
Agricolam contingat avum, doceatque nepotes,
Non abavi ſolum, ſed avi quoque jungere faſces.
Texuerat tamen & chlamydes, quibus ille magiſter
Per Tarteſiacas conſpectus ſplenduit urbes,
Et quibus ingeſtæ ſub tempore Præfecturæ
Conſpicuus, ſanctas reddit ſe præſule leges.
Attamen in trabea ſegmento luſerat alto,
Quod priſcis illuſtre toris. Ithaceſia primum
Fabula, Dulichiique lares formantur; & ipſam
Penelopen tardas texit diſtexere telas.
Tænaron hic fruſtra, bis rapta conjuge, pulſat
Thrax fidibus, legem poſtquam temeravit Averni,
Et prodeſſe putans, iterum non reſpicit umbram.
Hic vovet Alceſte prælato conjuge vitam
Rumpere; quam cernas Parcarum vellere in ipſo
Nondum pernetam, fato præſtante ſalutem.
Hic nox natarum Danai lucebat in auro,
Quinquaginta enſes genitor, quibus impius aptat,
Et dat concordem diſcordia juſſa furorem.
Solus Hypermneſtræ ſervatus munere Lynceus
Effugit: aſpicias illam ſibi parva paventem,
Et pro dimiſſo tantum pallere marito.
Jamque Jovem in formas mutat, quibus ille tenere
Mnemoſynem, Europam, Semelem, Ledam, Cynoſuram,
Serpens, bos, fulmen, cycnus, Dictynna ſolebat.
Jamque opus in turrem Danaæ, pluviamque metalli
Ibat, & hic alio ſtillabat Jupiter auro.
Cum virgo aſpiciens vidit Tritonida verſo
Lumine, doctiſonas ſpectare libentius artes:
Commutat commota manus, ac pollice docto
Pingere Philoſophi victricem Laida cœpit,
Quæ Cynici per menta feri rugoſaque colla
Rupit odoratam redolenti forpice barbam.
Subriſit Pallas, caſtoque hæc addidit ore:
Non noſtra ulterius ridebis dogmata, virgo,
Philoſopho nuptura meo: mage flammea ſumens,
Hoc mater ſine texat opus: conſurge ſophorum
Egregium Polemi decus, ac nunc Stoica tandem
Pone ſupercilia, & Cynicos imitatus amantes
Incipias iterum parvum mihi ferre Platona.
Hærentem tali compellat voce magiſter:
Perge libens, neu tu damnes fortaſſe jugari
Quod noſter jubet ille ſenex, qui non piger hauſit
Numina condemnans Anyto pallente venenum.
Dixerat, ille ſimul ſurgit, vultuque modeſto
Tetrica nodoſæ commendat pallia clavæ.
Amborum tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat,
Nymphidius quæ cernat avus: probat Atropos omen,
Fulvaque concordes junxerunt fila ſorores.

CARMEN XVI.

Euchariſticum ad Fauſtum Reienſem Epiſcopum.

Phœbum & ter ternas decima cum Pallade Muſas,
Orpheaque & laticem ſimulatum fontis equini,
Ogygiamque chelym, quæ ſaxa ſequacia flectens
Cantibus, auritos erexit carmine muros,
Sperne fidis. magis ille veni nunc ſpiritus oro
Pontificem dictare tuum, qui pectora priſcæ
Intraſti Mariæ, rapiens cum tympana ſiccus
Iſrael appenſi per concava gurgitis iret,
Aggeribus vallatus aquæ, mediaſque per undas
Pulverulenta tuum clamaret turba triumphum.

Quique

Quique manum Judith ferientem colla Holofernis
Juviſti, exciſo jacuit cum gutture truncus,
Et fragilis gravido latuit bene ſexus in ictu.
Expreſſo vel qui complens de vulnere pellem,
Inficienſque dehinc non tacto vellere terram,
Firmaſti Gedeona, tubis inferte canoris
Spiritus, & ſolo venit victoria cantu.
Quique etiam adſumptum pecoroſi de grege Jeſſe
Afflaſti regem, plauſtro cum fœderis arcam
Imponens hoſtis, nullo moderante bubulco,
Proderet obſcœnum turgenti podice morbum.
Quique trium quondam puerorum in fauce ſonaſti,
Quos in Chaldæi poſitos fornace tyranni,
Roſcida combuſto madefecit flamma camino.
Quique volubilibus ſpatiantem tractibus alvi
Compleſti Jonam, reſonant dum viſcera monſtri
Introrſum pſallente cibo, vel pondera ventris
Jejuni, plenique tamen vate intemerato,
Ructat cruda fames; quem ſingultantibus extis
Eſuriens vomuit ſuſpenſo bellua morſu.
Quique duplex quondam veniſti in pectus Eliſei,
Thesbiten cum forte ſenem jam flammeus axis
Tolleret, & ſciſſam linquens pro munere pellem
Hiſpidus ardentes auriga intraret habenas.
Quique etiam Eliam terris miſſure ſecundum,
Zachariæ juſti linguam placate ligaſti,
Dum faceret ſerum rugoſa puerpera patrem,
Edita ſignificans juſſo reticere propheta,
Gratia cum fulſit, noſſet ſe ut lex tacituram.
Quique etiam naſcens ex virgine ſemine nullo,
Ante ullum tempus Deus, atque in tempore Chriſtus,
Ad corpus quantum ſpectat tu te ipſe creaſti.
Qui viſum cæcis, greſſum quoque reddere claudis,
Auditum ſurdis, mutis laxare loquelam
Suetus, ad hoc etiam veniſti, ut mortua membra
Lecto, ſandapila, tumulo conſurgere poſſint.
Quique etiam pœnas ſuſcepta in carne tuliſti,
Suſtentans alapas, ludibria, verbera, vepres,
Sortem, vincla, crucem, clavos, fel, miſſile, acetum:
Poſtremo mortem, ſed ſurrecturus, adiſti,
Eripiens quidquid veteris migraverat hoſtis
In jus per noſtrum facinus, cum femina prima
Præceptum ſolvens culpa nos perpete vinxit:
Qui cum te interitu petiit, nec reperit in te
Quod poſſet proprium convincere, perdidit omne
Quod lapſu dedit Eva ſuo. chirographon illud
Quo pervaſus homo eſt, hæc compenſatio rupit.
Expers peccati, pro peccatoribus amplum
Fis pretium, veteremque novus vice fœnoris Adam
Dum moreris de morte rapis; ſic mortua mors eſt,
Sic ſeſe inſidiis quas fecerat ipſa fefellit.
Nam dum indiſcrete petit inſontemque reoſque,
Egit ut abſolvi poſſent & crimine nexi.
Quique etiam juſtos ad tempus ſurgere tecum
Juſſiſti cineres, cum tectis tempore longo
Irrupit feſtina ſalus, infuſaque raptim
Excuſſit tumulis ſolidatas vita favillas:
Da Fauſtum laudare tuum, da ſolvere grates,
Quas & poſt debere juvat. te, magne Sacerdos,
Barbitus hic noſter, plectro licet impare, cantat.
Hæc igitur prima eſt vel cauſa, vel actio laudum,
Quod mihi germani dum lubrica volvitur ætas,
Servatus tecum domini per dona probatur
Nec fama titubante pudor: te reſpicit iſtud
Quantumcumque bonum, merces debebitur illi,
Ille tibi; ſit laus (ſi labi noluit) ejus:
Nam quod nec potuit, totum ad te jure redundat.
Præterea quod me pridem Reios veniente,
Cum Procyon fureret, cum ſolis torridus ignis
Flexilibus rimis ſitientes ſcriberet agros,
Hoſpite te noſtros excepit protinus æſtus
Pax, domus, umbra, latex, benedictio, menſa, cubile.
Omnibus attamen his ſat præſtat, quod voluiſti
Ut ſanctæ matris ſanctum quoque limen adirem.
Dirigui, fateor, mihi conſcius, atque repente
Tinxit adorantem pavido reverentia vultum:
Nec ſecus intremui, quam ſi me forte Rebeccæ
Iſrael, aut Samuel crinitus duceret Annæ.
Quapropter te vel votis ſine fine colentes,
Affectum magnum per carmina parva fatemur,
Seu te flammatæ Syrtes, & inhoſpita teſqua,
Seu cœno viridante palus, ſeu nigra receſſu
Incultum mage ſaxa tenent, ubi ſole remoto
Concava longævas aſſervant antra tenebras.
Seu te præruptis porrectæ in rupibus Alpis,
Succinctos gelido libantem ceſpite ſomnos,
Anachoreta tremit, quæ quamquam frigora portet,
Conceptum Chriſti numquam domat illa calorem.
Qua nunc Elias, nunc te jubet ire Joannes,
Nunc duo Macarii, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa,
Quam fecit palmæ foliis manus alma magiſtri.
Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus pro magna ſæpe quiete
Diſcipulis ſervire venis, vixque otia ſomni
Vix coctos capture cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis;
Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana
Miſerit in cælum montes: quæ ſancti Capraſi
Vita ſenis, juveniſque Lupi: quæ gratia patrem
Manſit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachoſque antiſtes & abbas
Bis ſucceſſor agis: celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores;
Seu tu ſollicitus curas, qua languidus eſca,
Quave peregrinus vivat, quid paſcat & illum,
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu mage funeribus mentem diſtractus humandis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quidquid agis, quocumque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

CARMEN XVII.

Invitat Ommatium ad natalem diem ſuorum.

Quatuor ante dies quam lux Sextilis adulti
  Prima ſpiciferum proferat orbe caput:
Natalis noſtris decimus ſextuſque coletur,
  Adventu felix qui petit eſſe tuo.
Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
  Aſſyrius murex nec tibi ſigma dabit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas,
  Argenti nigri pondera defodiam.
Nec ſcyphus hic dabitur, rutilo cui forte metallo
Cru-

Direſtis curvata viis', ubi margine ſummo
Pendet, & arctatis ſtat ſaxea ſilva columnis.
Alta volubilibus paret hinc cœnatio valvis.
Fuſilis euripus propter. cadit unda ſuperne,
Ante fores pendente lacu, venamque ſecuti
Undoſa inveniunt nantes cœnacula piſces.
Cominus erigitur vel prima, vel extima turris.
Mos erit hic dominis hybernum ſigma locare.
Hujus conſpicuo reſidens in culmine, ſæpe
Dilectum noſtris muſis ſimul atque capellis
Aſpiciam montem lauri. ſpatiabor in iſtis
Frondibus, hic trepidam credam mihi credere Daphnem.
Jam ſi forte gradus geminam convertis ad Arcton,
Ut venias in templa Dei, qui maximus ille eſt:
Deliciis redolent junctis apotheca, penuſque;
Hic multus tu frater eris. jam divide ſedem,
Ceſſurus mihi fonte meo, quem monte fluentem
Umbrat multicavus ſpatioſo circite fornix.
Non eget hic cultu, dedit huic natura decorem.
Nil fictum placuiſſe placet, non pompa per artem
Ulla, reſultanti non comet malleus ictu
Saxa, nec exeſum ſupplebunt marmora tophum.
Hic fons Caſtaliæ nobis vice ſufficit undæ.
Cætera dives habe: colles tua jura tremiſcant.
Captivos hic ſolve tuos, & per juga Burgi
Læta relaxatæ fiant vineta catenæ.
Confirmat vocem jamjam prope ſobrius iſtam
Silenus, pariterque chori cecinere faventes.
Nyſa vale Bromio, Phœbo Parnaſſe bivertex.
Non illum Naxus, non iſtum Cyrrha requirat:
Sed mage perpetuo Burgus placitura petatur.

CARMEN XXIII.

NARBO.

Ad Conſentium Clariſſimum Civem Narbonenſem.

CUm jam pro meritis tuis pararem,
Conſenti, columen decuſque morum,
Veſtræ laudibus hoſpitalitatis
Cantum impendere pauperis cicutæ;
Ultro in carmina tu tubam recludens,
Converſo ordine, verſibus citaſti
Suetum ludere ſic magis ſodalem.
Paret Muſa tibi, ſed impudentem
Multo cautius hinc ſtylum movebit.
Nam cum carmina poſtules diſerte,
Suades ſcribere, ſed facis tacere.
Nuper quadrupedante cum citato
Ires Phocida, Sextiaſque Baias
Illuſtres tituliſque, præliiſque
Urbes, per duo conſulum tropæa:
(Nam Martem tulit illa Julianum,
Et Bruto duce nauticum furorem:
Aſt hæc Teutonicas cruenta pugnas,
Erectum & Marium cadente Cimbro)
Miſiſti mihi multiplex poema,
Doctum, nobile, forte, delicatum.
Ibant hexametri ſuperbientes,
Et veſtigia juncta, ſed minora,
Per quinos elegi pedes ferebant.
Miſiſti & triplicis metrum trochæi,
Spondæo comitante, dactyloque
Dulces hendecaſyllabos, tuumque
Blando ſanore Sollium ligaſti.

Uſuram petimuſque, reddimuſque.
Nam quod carmine pro tuo rependo,
Hoc centeſima laudium tuarum eſt.
Quid primum venerer, colamque pro te?
Ni fallor, patriam, patremque juxta.
Qui quamquam ſibi vindicare ſummum
Poſſit jure locum, tamen neceſſe eſt
Illam vincere, quæ parit parentes.

SAlve Narbo potens ſalubritate,
Urbe & rure ſimul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, inſulis, ſalinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.
Unus qui venerere jure divos,
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
Spicis, palmite, paſcuis, trapetis:
Solis fiſe viris, nec expetito
Naturæ auxilio, procul relictis
Promens montibus altius cacumen.
Non te foſſa patens, nec hiſpidarum
Objectu ſudium coronat agger.
Non tu marmora, bracteam, vitrumque:
Non teſtudinis Indicæ nitorem,
Non ſi quas eboris, trabes, refractis
Roſtris Marmarici dedere barri,
Figis mœnibus, aureaſque portas
Exornas aſaroticis lapillis:
Sed per ſemirutas ſuperbus arces,
Oſtendens veteris decus duelli,
Quaſſatos geris ictibus molares,
Laudandis pretioſior ruinis.
Sint urbes aliæ ſitu minaces,
Quas vires humiles per alta condunt,
Et per præcipites locata criſtas
Numquam mœnia cæſa glorientur.
Tu pulſate places, fidemque fortem
Oppugnatio paſſa publicavit.
Hinc te Martius ille rector, atque
Magno patre prior, decus Getarum,
Romanæ columen ſaluſque gentis,
Theudoricus amat: ſibique fidum
Adverſos probat ante per tumultus.
Sed non hinc videare forte turpis,
Quod te machina crebra perforavit,
Namque in corpore fortium virorum
Laus eſt amplior, amplior cicatrix.
In caſtris Marathoniis merentem
Vulnus non habuiſſe, grande probrum eſt.
Inter Publicolas manu feroces,
Trunco Mutius eminet lacerto.
Vallum Cæſaris opprimente Magno,
Inter tot facies ab hoſte tutas
Luſcus Scæva fuit magis decorus.
Laus eſt ardua dura ſuſtinere.
Ignavis, timidis & improbatis
Multum ringitur otioſa virtus.
Quid quod Cæſaribus ferax creandis,
Felix prole, virum ſimul dediſti,
Natos cum genitore principante?
Nam quis Perſidis expeditionem,
Aut victricia caſtra præteribit
Cari principis, & perambulatum

Romanis

Romanis legionibus Niphatem;
Tum, cum fulmine captus Imperator
Vitam fulminibus parem peregit?
His tu civibus, urbe, rure pollens,
Conſenti mihi gignis alme patrem,
Illum cui nitidi ſales, rigorque
Romanus fuit Attico in lepore.
Hunc Mileſius & Thales ſtupere
Auditum potuit, ſimulque Lindi
Notus qui Cleobulus inter arces,
Et tu qui Periandre de Corintho es,
Et tu quem dederat, Bias, Priene,
Et tu Pittace Leſbius ſophiſtes,
Et tu qui tetricis potans Athenis
Vincis Socraticas Solon palæſtras,
Et tu Tyndareis ſatus Therapnis
Chilon legifero prior Lycurgo.
Non hic ſi voluit, vacante cura,
Quis ſit ſideribus notare curſus,
Diverſas Arato vias cucurrit.
Non hunc, cum geometricas ad artes
Mentem compoſuit, ſequi valebit
Euclides, ſpatium ſciens olympi:
Non hunc, ſi voluit rotare rhythmos,
Quidquam propoſito virum morari
Chryſippus potuiſſet ex acervo.
Hic cum Amphioniæ ſtudebat arti,
Plectro, pollice, voce, tibiaque,
Trax vates, deus Arcas, atque Phœbus,
Omni carmine poſt erant, & ipſas
Muſas non ita muſicas putares.
Hic ſi Syrmate cultus & cothurno
Intraſſet ſemel Atticum theatrum,
Ceſſiſſent Sophocles, & Euripides.
Et ſi pulpita perſonare ſocco
Comœdus voluiſſet, huic levato
Palmam tu digito dares Menander.
Hic cum ſemipedem ſtylum polibat,
Smyrneæ incude doctus officinæ,
Aut cum ſe hiſtoriæ dabat ſeveræ,
Primos vix poterant locos tueri
Torrens Herodotus, tonans Homerus.
Non iſto potior fuiſſet olim,
Qui Pandioniam movebat arte
Orator caveam tumultuoſus,
Seu luſcum raperetur in Philippum,
Cauſam ſeu Cteſiphontis actitaret,
Vir ſemper popularitate creſcens,
Et juſte reſidens in arce fandi,
Qui fabro genitore procreatus,
Oris maluit expolire limam.
Quid vos eloquii canam Latini
Arpinas, Patavine, Mantuane?
Et te comica qui doces, Terenti?
Et te tempore qui ſatus ſevero
Graios Plaute ſales lepore tranſis?
Et te multimoda ſatis verendum
Scriptorum numeroſitate Varro?
Et te qui brevitate Criſpe polles?
Et qui pro ingenio fluente nulli
Corneli Tacite es tacendus ori?
Et te Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis, Arbiter, colonum
Helleſpontiaco parem Priapo?
Et te carmina per libidinoſa
Notum, Naſo tener, Tomoſque miſſum,
Quondam Cæſareæ nimis puellæ
Ficto nomine ſubditum Corinnæ.
Quid celſos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Hibericarum?
Quid quos duplicibus jugata tædis
Argentaria Polla dat poetas?
Quid multos varii ſtyli retexam,
Arguti, teneri, gravis, dicacis?
Si Conſentius affuit, latebant.
Huic ſummi ingenii viro, ſimulque
Summæ nobilitatis atque formæ,
Juncta eſt femina, quæ domum ad mariti
Priſci inſignia transferens Jovini,
Implevit trabeis larem ſophiſtæ.
Sic intra proprios tibi penates,
Conſenti, patriæ decus ſuperbum,
Faſtis vivit avus, paterque libris.
Hæc per ſtemmata te ſatis potentem,
Morum culmine ſed potentiorem
Non poſſim merita ſonare laude:
Nec ſi me Odryſio canens in antro,
Qua late trepidantibus fluentis
Cautes per Ciconum reſultat Hebrus,
Princeps inſtituiſſet ille vatum,
Cum dulces animata ſaxa chordæ
Ferrent per Rhodopen trahente cantu,
Et verſa vice fontibus ligatis
Terras currere cogerent anhelas.
Nec non Iſmara ſolibus paterent,
Aurita chelyn expetente ſilva,
Et nulli reſolubiles calori
Curvata ruerent nives ab Oſſa,
Stantem aut Strymona Biſtones viderent,
Cum carmen rapidus latex ſitiret:
Nec ſi Peliaco datus bimembri
Ad Centaurica plectra conſtitiſſet
Hinnitum duplicis timens magiſtri:
Nec ſi me docuiſſet ille fari
Juſſus paſcere qui gregem eſt clientis
Amphryſi ad fluvium Deus bubulcus,
Qui ferrugineos Cyclopas arcu
Stravit, ſub Liparenſibus caminis,
Vibrans plus grave fulmen in ſagitta.
Jam primo tenero calentem ab ortu
Excepere ſinu novem ſorores.
Et te de genitrice vagientem
Texerunt vitrei vado Hippocrenes:
Tunc hac merſus aqua loquacis undæ,
Pro fluctu mage literas bibiſti,
Tunc tu jam puer aptior magiſtro,
Quidquid rhetoricæ inſtitutionis,
Quidquid grammaticalis aut palæſtræ eſt,
Sicut jam tener hauſeras, voraſti.
Et jam te aula tulit, piuſque princeps
Inter conſpicuos ſtatim locavit,
Conſiſtoria quos habent, tribunos.
Namque & purpureus in arce regni
Præeſſe officiis tuis ſolebat,
Mores nobilitate quod merebant.
Tantum culminis & decus ſtupendum
Scripti annalibus indicant honores.
Hinc tu militiam ſecutus amplam,
Caſtrenſem licet ampliare cenſum
Per ſuffragia juſta debuiſſes,
Solennis tamen abſtinens lucelli,

Fama plus locuples domum rediſti,
Solum quod dederas tuum putando.
Tum ſi forte fuit quod Imperator
Eoas ſoceri venire in aures
Fido interprete vellet & perito,
Te commercia duplicis loquelæ
Doctum ſolvere protinus legebat.
O ſodes, quotiens tibi loquenti
Byzantina ſophos dedere regna?
Et te ſeu Latialiter ſonantem
Tamquam Romulea ſatum ſuburra,
Seu linguæ Argolicæ rotunditate
Undantem, Marathone ceu creatum,
Plaudentes ſtupuere Boſphorani,
Mirati minus Atticos alumnos?
Hinc ſi fœdera ſolverentur orbis,
Pacem te medio darent feroces
Chunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.
Tu Tuncrum, & Vachalim, Viſurgin, Albin,
Francorum & peniti ſſimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.
Tu Mæotida Caſpiaſque portas,
Tu fluxis equitata Bactra Parthis
Conſtans intrepiduſque ſic adires,
Ut faſtu poſito tumentis aulæ,
Qui ſupra ſatrapas ſedet tyrannus,
Ructans ſemideum propinquitates,
Lunatum tibi flecteret tiaram.
Tu, ſi publica fata non vetarent,
Ut Byrſam peteres, vel Africanæ
Telluri Tanaiticum rebellem,
Confeſtim poſito furore Martis,
Poſt Piratica damna deſtinaret
Plenas mercibus inſtitor carinas:
Et per te bene pace reſtituta
Non ultra mihi bella navigarent.
Jam ſi ſeria forte terminantem
Te ſpectacula ceperant theatri,
Pallebat chorus omnis hiſtrionum,
Tamquam ſi Arcitenens novemque Muſæ
Propter pulpita judices ſederent.
Coram te Caramallus aut Phabaton
Clauſis faucibus, & loquente geſtu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in ſchemate vel ſemel latebit.
Sive Æetias & ſuus Iaſon
Inducuntur ibi, feruſque Phaſis,
Qui jactos ſuper arva Colcha dentes
Expavit, fruticante cum duello
Spicis ſpicula mixta fluctuarent:
Sive prandia quis refert Thyeſtæ,
Seu veſtros, Philomela torva, planctus,
Diſcerptum aut puerum, cibumque factum
Jam jam conjugis innocentioris:
Seu raptus Tyrios, Jovemque taurum
Spreto fulmine, fronte plus timendum:
Seu turris Danae refertur illic,
Cum multum pluvio rigata cenſu eſt,
Dans plus aurea furta, quam metalla.
Seu Ledam quis agit; Phrygemque ephebum
Aptans ad cyathos, facit Tonanti
Succo nectaris eſſe dulciorem;
Seu Martem ſimulat modo in catenas
Miſſum Lemniacas, modo aut repulſo
Formam imponit apri, caputque ſetis
Et tergum aſperat, hiſpidiſque malis
Læve incurvat ebur, vel ille fingit
Hirtam dorſa feram, repanda tela
Attritu aſſiduo cacuminantem:
Seu Perſeia virgo vindicata
Illic luditur harpe conjugali:
Seu quod carminis atque fabularum
Clauſa ad Pergama dat biluſtre bellum.
Quid dicam cithariſtrias, choraules,
Mimos, ſchœnobatas, gelaſianos,
Cannas, plectra, jocos, pilen, rudentem,
Coram te trepidanter explicare?
Nam Circenſibus ipſe quanta ludis
Victor geſſeris intonante Roma,
Lætam par fuit exarare Muſam.
  Janus forte ſuas bifrons Calendas,
Anni tempora circinante Phœbo,
Sumendas referebat ad curules.
Mos eſt Cæſaris, hic die bis uno,
(Privatos vocitant) parare ludos.
Tunc cœtus juvenum ſed aulicorum
Elæi ſimulacra torva campi
Exercet ſpatiantibus quadrigis,
Et jam te urna petit, cietque raucæ
Acclamatio ſibilans coronæ.
Tum qua eſt januæ, conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrimque ſenis
Cryptis, carceribuſque fornicatus,
Uno e quatuor axe forte lecto,
Curvas ingrederis premens habenas.
Id collega tuus, ſimulque vobis
Pars adverſa facit. micant colores,
Albus, vel Venetus, virens, rubenſque:
Veſtra inſignia, continent miniſtri
Ora & lora manus, jubaſque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis,
Hortanturque obiter, juvantque blandis
Ultro plauſibus, & voluptuoſum
Dictant quadrupedantibus furorem.
Illi ad clauſtra fremunt, repaguliſque
Incumbunt ſimul, ac per obſeratas
Transfumant tabulas, & ante curſum
Campus flatibus occupatur abſens.
Impellunt, trepidant, trahunt,
Ardeſcunt, ſaliunt, timent, timentur,
Nec greſſum cohibent, ſed inquieto
Duratum pede ſtipitem flagellant.
Tandem murmure buccinæ ſtrepentis,
Suſpenſas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in arva currus.
Non ſic fulminis impetus triſulci,
Non pulſa Scythico ſagitta nervo,
Non ſulcus rapide cadentis aſtri,
Non fundis balearibus rotata
Umquam ſic liquidos poli meatus
Rupit plumbea glandium procella.
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto pulvere ſordidatur aer.
Inſtant verberibus ſimul regentes,
Jamque & pectora prona de covinno
Extenſi rapiuntur, & jugales
Trans armos feriunt, vacante tergo:
Nec cernas cito, cernuos magiſtros
Temones mage ſuſtulerant, an axes.
Jam vos ex oculis velut volantes,
Conſumpto ſpatio patentiore,

Campus

Campus clauſerat arctus arte factus,
Per quem longi humilem duplamque muro
Euripus ſibi machinam tetendit.
Ut meta ulterior remiſit omnes,
Fit collega tuus prior duobus,
Qui te tranſierant. ita ipse quartus
Gyri conditione tum fuiſti.
Curæ eſt id mediis, ut ille primus
Preſſus dexteriore concitatu,
Partem ſi patefecerit ſiniſtram,
Totas ad podium ferens habenas,
Curru prætereatur intus acto.
Tu conamine duplicatus ipſo
Stringis quadrijugos, & arte ſumma
In gyrum bene ſeptimum reſervas.
Inſtabant alii manu atque voce,
Paſſim & deciduis in arva guttis
Rectorum alipedumque ſudor ibat.
Raucus corda ferit fragor faventum,
Atque ipſis pariter viris equiſque
Fit curſu calor, & timore frigus.
Itur ſic ſemel, itur & ſecundo,
Eſt ſic tertius atque quartus orbis:
Quinto circite, non valens ſequentum
Pondus ferre prior, retorquet axem:
Quod velocibus imperans quadrigis,
Exhauſtos ſibi ſenſerat jugales.
Jam ſexto reditu perexplicato,
Jamque & præmia flagitante vulgo,
Pars contraria nil timens tuam vim
Securas prior orbitas terebat;
Tenſis cum ſubito ſinu lupatis,
Tenſis pectoribus, pede ante fixo,
Quantum auriga ſuos ſolebat ille
Raptans Oenomaum tremente Piſa,
Tantum tu rapidos teris jugales.
Hic compendia flexuoſa metæ
Unus dum premit, incitatus a te
Elatas ſemel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro:
Quem tu, quod ſine lege præteriret,
Tranſiſti remanens, ab arte reſtans.
Alter dum popularitate gaudet,
Dexter ſub cuneis nimis cucurrit.
Hunc, dum obliquat iter, diuque lentas
Sero cornipedes citat flagello,
Tortum tramite tranſis ipſe recto.
Hic te incautius aſſecutus hoſtis,
Sperans anticipare jam priorem,
Tranſverſum venit impudens in axem.
Incurvantur equi, proterva crurum
Intrat turba rotas, quaterque terni
Arctantur radii, repleta donec
Intervalla crepent, volubiliſque
Frangat margo pedes. ibi ipſe quintus
Curru præcipitatus obruente,
Montem multiplici facit ruina,
Turpans prociduam cruore frontem.
Miſcet cuncta fragor reſuſcitatus,
Quantum non Cypariſſifer Lycæus,
Quantum non nemoroſa tollit Oſſa,
Crebras inrequieta per procellas;
Quantum nec reboant volutæ ab auſtro
Doris, Trinacris, aut voraginoſo
Quæ vallat ſale Boſphorum Propontis.
Hic mox præcipit æquus Imperator,
Palmis ſerica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari,
Victis ire jubens, ſatis pudendis,
Villis verſicoloribus tapetas.
Jam vero juvenalibus peractis,
Quem te præbueris ſequente in ævo,
Intra aulam ſoceri mei expetitus,
Curam cum moderatus es palati,
Chartis poſterioribus loquemur,
Si plus temporibus vacat futuris.
Nunc quam diximus hoſpitalitatem,
Paucis perſonet obſequens Thalia.
O dulcis domus, o pii penates!
Quos res difficilis ſibique diſcors
Libertas ſimul excolit pudorque.
O convivia, tabulæ, libelli,
Riſus, ſerietas, dicacitates,
Occurſus, comitatus unus idem!
Seu delubra Dei colenda nobis,
Sive ad pontificem gradus ferendi,
Sive ad culmina Martii Myronis,
Tecta illuſtria ſeu videnda Livi.
Sive ad doctiloqui Leonis ædes,
Quo bis ſex tabulas docente juris
Ultro Claudius Appius lateret
Claro obſcurior in decemviratu:
Ac ſi dicat epos, metrumque rhythmis
Flectat commaticis, tonante plectro,
Mordacem faciat ſilere Flaccum;
Quamvis poſt Satyras lyramque tendat
Ille ad Pindaricum volare cycnum.
Seu nos Magne tuus favor tenebat,
Multis prædite dotibus virorum,
Forma, nobilitate, mente, cenſu:
Cujus ſi varios eam per actus,
Centum & ferrea laſſet ora laude:
Conſtans, ingenioſus, efficaxque,
Prudens arbiter, optimus propinquus,
Nil fraudans geni ſibi, vel ulli,
Perſonas, loca, tempus intuendo.
Seu nos atria veſtra continebant,
Marcelline meus, perite legum;
Qui verax nimis & nimis ſeverus,
Aſper crederis eſſe neſcienti.
At ſi te bene quiſpiam probavit,
Noſcit quid velit ipſe judicare;
Nam numquam metuis loqui quod æquum eſt.
Si te Sylla premat, feruſque Carbo,
Si triſtes Marii, truceſque Cinnæ,
Et ſi forte tuum caput, latuſque
Circumſtent gladii triumvirales,
Seu nos Limpidii lares habebant
Civis magnifici, virique ſummi,
Fraternam bene regulam ſequentis.
Seu nos eximii ſimul tenebat
Nectens officioſitas Marini,
Cujus ſedulitas ſodalitaſque
Æterna mihi laude ſunt colendæ.
Seu quoſcumque alios videre fratres
Cordi utrique fuit, quibus vacaſſe
Laudandam reor occupationem.
Horum nomina cum referre verſu
Affectus cupiat, metrum recuſat.
Hinc nos ad propriam domum vocabas
Cum mane exierat novum, & caleſcens
Horam ſol dabat alteram ſecundam.

Hic promens teretes pilas, trochoſque,
Hic talos crepitantibus fritillis,
Nos ad verbera tractuum ſtruentes,
Tamquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem ciere rixam.
Hinc ad balnea non Neroniana,
Nec qua Agrippa dedit, vel ille cujus
Buſtum Dalmaticæ vident Salonæ;
Ad thermas tamen ire ſed libebat,
Privato bene præbitas pudori.
Poſt quas nos tua pocula, & tuarum
Muſarum medius torus tenebat:
Quales nec ſtatuas, imagineſque,
Ære, aut marmoribus, coloribuſque,
Mentor, Praxiteles, Scopas dederunt;
Quantas nec Polycletus ipſe finxit,
Nec fit Phidiaco figura cælo.
Sed jam te veniam loquacitati
Quingenti hendecaſyllabi precantur.
Tantum, & ſi placeat poema, longum eſt.
Jam jam ſufficit, ipſe & impediris,
Multum in carmine perlegens amicum
Dormitantibus otioſiorem.

CARMEN XXIV.

Propempticon ad Libellum.

EGreſſus foribus meis, libelle,
Hanc ſervare viam precor memento,
Quæ noſtros bene ducit ad ſodales,
Quorum nomina ſedulus notavi.
Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per ſpatium ſatis vetuſtis
Nomen Cæſareum viret columnis.
Sed ſenſim gradere, ut moras habendo
Affectum celerem noves amicis.
Ac primum Domiti larem Severi
Intrabis, trepidantibus camœnis;
Tam Cenſorius haud fuit vel ille,
Quem riſiſſe ſemel ferunt in ævo.
Sed gaudere potes rigore docto.
Hic ſi te probat, omnibus placebis.
Hinc te ſuſcipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet oſſa Juliani;
Quæ dum mortua mortuis putantur,
Vivens e tumulo micat poteſtas.
Hinc jam dexteriora carpis arva,
Emenſuſque jugum die ſub uno,
Flavum craſtinus aſpicis Triobrem.
Tum terram Gabalum ſatis nivoſam:
Et quantum indigenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis urbem.
Hinc te temporis ad mei Laconas
Juſtinum rapies, ſuumque fratrem,
Quorum notus amor per orbis oras
Calcat Pirithoumque Theſeumque,
Et fidum rabidi ſodalem Oreſtæ.
Horum cum fueris ſinu receptus,
Ibis Trevidon, & calumnioſis
Vicinum nimis heu jugum Rutenis!
Hic docti invenies patrem Tonantii,
Rectorem columenque Galliarum,
Priſci Ferreolum parem Syagri,
Conjunx Papianilla quem pudico
Curas participans juvat labore.
Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa
Quam tu Tricipitine procreaſti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Veſtæ,
Quæ contra ſatis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.
Hinc te Leſora Caucaſum Scytharum
Vincens aſpiciet, cituſque Tarnis,
Limoſum & ſolido ſapore preſſum,
Piſcem perſpicua gerens in unda.
Hic Zeti & Calais tibi adde pennas:
Nimboſumque jugum fugax caveto:
Namque eſt aſſiduæ ferax procellæ.
Sed quamvis rapido ferare curſu,
Laſſum te Voroangus obtinebit.
Noſtrum hic invenies Apollinarem,
Seu contra rabidi leonis æſtus
Veſtit frigore marmorum penates:
Sive hortis ſpatiatur in repoſtis,
Quales mellifera virent in Hybla,
Quales Coricium ſenem beantes
Fuſcabat picei latex Galeſi:
Sive inter violas, thymum, liguſtrum,
Serpyllum, caſiam, crocum atque caltham,
Narciſſos hyacinthinoſque flores
Spernit, quam pretii petitor ampli
Glebam thurifer advehit Sabæus.
Seu ficto potius ſpecu quieſcit,
Collis margine qua nemus reflexum
Nativam dare porticum laborans,
Non lucum arboribus facit, ſed antrum.
Quis pomaria priſca regis Indi
Hic nunc comparet, aureaſque vites,
Electro viridante pampinatas,
Cum Porus poſuit crepante gaza
Fulvo ex palmite vineam metalli,
Gemmarum fluitantibus racemis?
Hinc tu Cottion ibis, atque Avito
Noſtro dicis, ave: dehinc valeto.
Debes obſequium viro perenne.
Nam dent hinc veniam mei propinqui,
Non nobis prior eſt parens amico.
Hinc jam te Fidulus decus bonorum,
Et nec Tetradio ſatis ſecundus,
Morum dotibus aut tenore recti,
Sancta ſuſcipit hoſpitalitate.
Exin tende gradum, Tribuſque Villis
Thaumaſtum expete, quemlibet duorum:
Quorum junior eſt mihi ſodalis,
Et collega ſimul, graduque frater.
Quod ſi fors ſenior tibi invenitur,
Hunc pronus prope patruum ſaluta.
Hinc ad conſulis ampla tecta Magni,
Felicemque tuum veni, libelle.
Et te bibliotheca quæ paterna eſt,
Qualis nec tetrici fuit Philagri,
Admitti faciet Probus probatum.
Hi ſæpe Eulaliæ meæ legeris,
Cujus Cecropiæ pares Minervæ
Mores, & rigidi ſenes, & ipſe
Quondam purpureas ſocer timebant.
Sed jam ſufficit, ecce, linque portum,
Ne te pondere plus premam ſaburræ,
His in verſibus anchoram levato.

MAR-

MARTIANI MINEI FELICIS CAPELLÆ AFRI CARTHAGINIENSIS,

DE

Nuptiis Philologiæ & Mercurii.

LIBER PRIMUS.

TU, quem pſallentem thalamis, quem matre Camœna
Progenitum perhibent copula ſacra deum:
Semina qui arcanis ſtringens pugnantia vinclis,
Complexuque ſacro diſſona nexa foves:
Namque elementa ligas vicibus, mundumque maritas:
Atque auram mentis corporibus ſocias:
Fœdere complacito, ſub quo natura jugatur
Sexus concilians, & ſub amore fidem.
O Hymenæe decens, Cypridis qui maxima cura es:
Hinc tibi nam flagrans ore cupido micat.
Seu tibi quod Bacchus pater eſt, placuiſſe choreas,
Cantare ad thalamos ſeu genitricis habes;
Comere verniferis florentia limina ſertis,
Seu conſanguineo Gratia trina dedit.
Connubium divum componens Calliopea
Carminis auſpicio te probat annuere.

Orſus eſt Phœbus.

ANxia cum trepidis nutat ſententia rebus,
Fluctuat incertis aut ſors ignota futuris,
Conſultet mortale genus, quodque indaga veri
Cura facit dubium, vel ſpes incerta fatigat.
At præſcire Deis vacuum eſt, cunctatio nulla eſt,
Quod ſuperi voluere, licet de pectore fixis
Præoptare caret, ſi quod placet, atque neceſſe eſt.
Sed tibi quod nondum venit manſura voluntas:
Conſilium vis ferre meum, ſic ſemper ab omni
Velle capis ſocium, faciunt atque addita mentem.
Eſt igitur priſci generis doctiſſima virgo
Conſcia Parnaſo, cui ſulgent ſidera cœtu,
Cui nec tartareos clauſtra occultare receſſus,
Nec Jovis arbitrium rutilantia fulmina poſſunt,
Fluctigena ſpectans quali ſub gurgite Nereus:
Quæque tuos norit fratrum per regna recurſus
Pervigil in modico penetrans arcana labore,
Quæ poſſit docta totum prævertere cura,
Quod ſuperis præſcire datum, quin crebrius in nos
Jus habet illa deos urgens injuſſa coactos.
Et quod nulla queat ſuperum tentare poteſtas:
Invito ſcit poſſe Jove, ut ſient ardua magno.
Alterutrum cumulat parilem meruiſſe jugalem.

Reſpondit Maiugena.

CErtum eſt lauripotens, decuſque divum,
Noſtrum ex contiguis venire pectus,
Et quidquid ſocium ciere numen
Junctus compererim probare rerum.
Sed numquam mage velle diſparamus:
Et ſit collibitum manere juſſis,
Quam cum Deliaco meare fatu
Cura atque arbitrio monemur iſto.
Hunc quippe ambiguum nefas putamus:
Et quæcumque fuit, perit voluntas,
Quocirca officio decentiore
Paret præcluibus libens profatis
Arcas in thalamos venire juſſus.
Sed tu Delie, quo Tonantis extet
Compar propoſitum, volenſque nutus,
Inſtes, nam ſolitus ciere pectus:
Et præverſa vigil monere ſenſa:
Illum contribuas manere juſſis:
Et cœptis ſacra fulſerit voluntas.

Phœbus fatur.

POſſem minore ambigens fiducia
Solum Tonantem pignoris pro fœdere
Pubeda vix dum vel paterna contremens
Præcepta adire, ni jugata cælitum
Omen pararent proſperum conſortia,
Tabenſque divum nunc moveret nexio:
Junone thalamos quis rogare conſcia
Nolet deorum? cum futura pronuba
Eadem profecto quæque ſuffragabitur.
Jugalis ergo blanda nutus præſtrue
Noſtriſque ſuada quo allubeſcat niſibus:
Te nunc parentem, principemque maximum
Fatumque noſtrum, quippe Parcarum chorus
Humana penſat, tuque ſortem cælitum:
Tuumque velle eſt ante præſcientias:
Ac mente geſtas, quidquid inſtabit deis:
Cujuſque nutu gignitur neceſſitas,
Futura cujus illigat decretio:
Inſtatque quidquid velle vel ſerum potes.
Tene igitur illo quo benignus numine es
Depoſco cæli blanda temperatio:
Piumque culmen jure qui divum pater
Concede proli quo nepotum provehat
Numerum ſupernis, aſtra quem vibrant polis.

Maiæ

Maiæ tuumque flagitat pignus ſacrum,
Thalamis jugetur virginis doctiſſimæ:
Sed te parentis cura ſi ſtringit pia:
Par eſt deorum convoces cœtum potens
Connubium ipſa ſanciens cum conjuge:
Quo prolis extent lege ſupera nuptiæ:
Perpeſque vinclum cælitum ſignet decor.
Tunc Jupiter cœpit:
Ni noſtra aſtrigeri nota benignitas
Conferre arbitrium cogeret intimum:
Et quidquid tacito velle fuit ſatis
Id ferre in medium collibitum foret:
Poſſem certa nicis promere ductibus.
Nec quiſquam illicitis tollere niſibus
Concertans cuperet juſſa Deum patris.
Sed triſtis melius cenſio clauditur:
Atque infanda premit ſenſa ſilentium:
Ne vulgata ciant corda doloribus.
At cum læta patrem promere gaudia;
Et certo deceat fœdere pignora
Palam perpetuis jungere nutibus,
Caſſum eſt nolle loqui ſenſa decentia.
Vobiſcum ergo di grata propinquitas
Conferre ſtudium eſt vota propaginis.
Æquum quippe puto fœdere cælitum
Quæ ſectanda forent orſa probarier.
Noſtri Maiugenæm pignoris inclyti
In noſtris merito degere ſenſibus:
Quæ nec fruſtra mihi eſt inſita charitas:
Ut ſuevit patria ſtringere pectora.
Nam noſtra ille, fides, ſermo, benignitas,
Ac verus Genius fida recurſio;
Interpreſque meæ mentis honos ſacer.
Hic ſolus numerum promere cælitum,
Hic vibrata poteſt noſcere ſidera.
Quæ menſura polis, quanta profunditas,
Qualis ſit numerus Marmoris hauſtibus:
Et quantos rapiat margine cardines.
Quæque elementa liget diſſona nexio:
Perque hunc ipſe pater fœdera ſanctio.
Sed forſan pietas ſola recenſeat,
Quæ parens probitas munera penſitet,
Qui Phœbi antevolans ſæpe jugalibus
In ſortem famuli nonne relabitur?
Hic quoque ſic patruis ſervit honoribus:
Ut dubium proprium quis mage vindicet
Illum connubio rite jugarier:
Suadentem meritis ſecla laboribus:
Et rubor thalamo flagitat additum.
At Virgo placuit docta quidem nimis
Et compar ſtudio. ſed cui terreus
Ortus propoſitum in ſidera tendere
Plerumque & rapidis prævolat axibus:
Ac mundi exuperat ſæpe means globum,
Cunæ ergo officiant quo nihil editæ
Cenſendum ſuperi: quique crepundia
Terris recolitis veſtra tenerier
Quæ occultant adytis ſacra latentibus
Jungantur paribus; nam decet auſpicis;
Et noſtris cumulent aſtra nepotibus,

LIBER SECUNDUS.

SEd purum aſtrificis cælum ſcandebat habenis
Nox revocans merſo fulgentia ſidera Phœbo:
Ardua tunc ſenior ſuccendit plauſtra Bootes,
Et ſpiris torvo nituerunt aſtra Draconi.
Auratis etiam flagrans ſplendebat in armis,
Qui trahit æſtivero fulgentem Sirion ortu.
Hoc quoque Nyſiacis quod ſparſum floribus ardet,
Multiplici ambitum redimitur lumine ſertum.
Virginis interea ad trepidas perlabitur aures
Fama Jovis magno dum complet tecta boatu.

ET jam tunc roſeo ſubtexere ſidera peplo
Cœperat Ambroſium promens aurora pudorem:
Cum creperum lux alma micat gemmata decore:
Cum nitet aurato fit & cum Phoſphorus aſtro,
Tunc candens tenero glaciatur rore pruina:
Et matutina greges quatiunt in paſcua caulas,
Languida mordaces cum pulſant pectora curæ:
Et fugit expulſus Lethea ad litora ſomnus.

Muſarum Chorus.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Tunc Urania cæteris paululum reticentibus ſic cœpit.

SIdereos cœtus & culmina ſacra polorum
Nil jam conjiciens numine fiſa vide.
Olim diſquirens nexos quid torqueat orbes:
Nunc præſul cauſas raptibus ipſa dabis.
Quæ circos textura liget, quæ nexio claudat:
Ambiat & quantos orbita curva globos.
Sidereos curſus quid cogat, quidve retardet,
Quis lunam flammet, vel minuat radius.
Qui cælum ſtellet fomes, & quanta revolvat.
Quæ ſit cura dies, vel modus aſpicies.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Tunc Calliope.

SEmper complacitis amica muſis:
Cui Magneſii poculum fluenta,
Et fons Gorgonei tulit caballi.
Vertex Aonidum virens choraulis
Cui frondet violas parante Cyrtha
Tu vatum mela dulcibus camœnis
Et ſcis Pindaream chelim referre.
Te dictante fides ſacrumque plectrum
Movit Threicium ſonare carmen.
O lux noſtra ſacros probare cantus
Sueſce, atque organicis beare circis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac ſic Polyhymnia.

TAndem laboris fructus æthram fulgidam
Divumque ſedes, ac Jovis conſortia.
Provecta carpis inclytoque numine,
Cruenta dudum quæ jugare rhythmica
Ac diſpari mixta ſueta regula.
Mox quid jacente, quid jugata linea
Trigonus recurvet; circuluſque torqueat,
Melos probare, ac tonos & cruſmata.
Arteſque cunctas ſolita, quæque cælitum
Poſſunt parare mente ad alta culmina.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Tunc Melpomene.

SUeta cothurnatos ſcenis depromere cantus,
Soccumque ferre comicum.
Et roboare tua tulimus quæ carmina cura
Mele favente rhythmico:
Nunc tibi Virgo cano ſpes atque aſſertio noſtri,
Tenore verſa carminis.
Nam thalamum redimire juvat, tu ſerta probato
Tuis placere ritibus.
Digna maritali ſemper videaris olympo:
Decentiorque cælitum.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac ſic Clio.

TU quæ Rhetorico clangere ſyrmate:
Atque reum rabido abſolvere pectore
Quæ nunc ſenſa ligans horrida nexibus:
Soritas cumuli acceſſibus aggerans.
Nunc quid grammatica ſtringere regula:
Quid fandi ambiguis conterat ordinem.
Solers docticanis ludere ſenſibus:
Nunc ſtellata poli conſpice limina:
Et candore ſacro ætheris utere:
Quem vero pretium eſt noſcere lumine.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Mox Erato.

CAput artibus inclyta Virgo,
Cui panditur aula Tonantis:
Merito tibi ſubditur Orbis
Rationibus ante repertus:
Sacra fulgura cur rutileſcant:
Fragor intonet unde reſultans:
Quid agat per aperta madorem
Modo nubibus imbrificatis.
Quid euntibus agmine nimbis
Revocet nitidiſſima verna,
Rotet omnia circulus anni
Properantia claudere ſecla.
Quid habent rationis operta
Canimus tibi cognita ſoli.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Ac tunc Terpſichore.

LÆta honoris meritis aſtra Virgo conſpicis,
Hoc tibi ſollers parit ingenium laboſque:
Iſta peritis tribuit cura vigil lucernis.
Perdia pernoxque ſacris namque onerata chartis
Quidquid agentes ſtoaci præſcia dant futuris
Semper anhelis docilis fomitibus tuliſti.
Nam Sabæorum rapidis quid vapor edat aris.
Fumida quid thuricremis aura paret favillis
Omnia vel certa ferant vocibus auguratis.
Intrepidis nec dubitans fatibus antevortis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Dehinc Euterpe.

VIrgo peritæ prævia ſortis:
Quæ potuiſti ſcandere cælum:
Sacraque caſtis dogmata ferre:
Noſcere ſemet quis valuere,
Quique videntes lumine claro
Numina fati & geniorum
Cernere vultus.
Quæque Platonis, Pythagoræque
Eſſe dediſti ſidera mentes:
Tuque caducis mortalibuſque
Nube remota cernere juſti
Numina cæli.
Jure ſenatum ſcande Tonantis:
Quam decet unam Mercuriali
Fœdere jungi.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere:
Te ſocer ſubire celſa
Poſcit aſtra Jupiter.

Deinde Thalia.

BEata Virgo tantis
Quæ ſiderum choreis
Thalamum capis jugalem,
Ac ſic favente mundo
Nurus adderis Tonanti:
At cujus eſſe divi
Tibi contigit maritam?
Ejus meante penna
Qui ſolus aſtra mundi
Prætervolans perrexit
Rapidis vigil procellis:
Qui cum ſuperna tranet
Freta, tartarum recurrit,

Qui ſolus ante currum
Et candidos jugales
Altipotens parentis
Memorem ciere virgam,
Qui fata ſuccidentis
Separat libens Oſiris
Sationibus gravati
Genitalibus repertis,
Quem ſcit pater deorum:
Cui lacteam papillam
Gaudens dedit Noverca:
Cujus vigente virga
Dirum ſtupet venenum:
Cui virus omne ſanti
Orbem facit gemellum.
Eſt doctus ille divum:
Sed doctior puella:
Nunc nunc beantur artes:
Quas ſic ſacratis ambo
Ut dent meare cælo,
Referent caducis aſtra:
Ac lucidam uſque ad æthram
Pia ſubvolare vota:
Per vos vigil decenſque
Nus mentis ima complet:
Per vos probata lingua
Fert glorias per ævum:
Vos diſciplinas omnes
Ac nos ſacrate Muſas.

Philologia Deum deprecatur.

IGnoti vis celſa patris, vel prima propago,
Fomes ſenſificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturæ decus, atque aſſertio Divum:
Mundanuſque oculus, fulgor ſplendentis Olympi,
Ultramundanum fas eſt cui cernere patrem:
Et magnum ſpectare Deum, cui circulus Æthræ
Paret, & immenſis moderaris raptibus orbes.
Nam medium tu curris iter, dans ſolus amicam
Temperiem ſuperis, compellens, atque coercens
Sidera ſacra Deum, cum legem curſibus addis.
Hinc eſt quod quarto jus eſt decurrere circo:
Ut tibi perfecta numerus ratione probetur:
Nonne hac principio geminum tu das tetrachordon?
Solem te Latium vocitat, quod ſolus honore
Poſt patrem ſis lucis apex, radiiſque ſacratum
Bis ſenis perhibent caput aurea lumina ferre:
Quod totidem menſes, totidem quod conficis horas,
Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis.
Quod ſolus domites, quam dant elementa quadrigam:
Nam tenebras prohibens, retegis quod cærula lucet.
Hinc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri.
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſæum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.
Diſſena ſacra Mitram Ditemque ferumque Typhonem,
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.
Salve vera deum facies, vultuſque paterne
Octo & ſexcentis numeris, cui littera trina
Conformat ſacrum nomen, cognomen, & omen.
Da pater æthereos mentis conſcendere cœtus:
Aſtrigerumque ſacro ſub nomine noſcere cælum.
Augeat hæc pater inſignis memorandus ubique.

TRanſcurſa lector parte magna fabula:
Quæ tam moroſis implicata ductibus
Tenui lucernam palpitare lumine
Coegit inſtans innitens crepuſculum:
Ac ni roſetis purpuraret culmina
Aurora primo convenuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſecaret lumine:
Adhuc jugata compararet pagina
Quocumque ducta longiorem circulum.
Nunc ergo mythos terminatur, infiunt
Artes libelli qui ſequentes afferent.
Nam fruge vera omne fictum dimovent:
Et diſciplinas annotabunt ſobrias
Pro parte multa, nec vetabunt ludicra.
Habes quid inſtet, ſi poteſtas cælitum
Faveantque Muſæ, & Chelis Latoia.

LIBER TERTIUS.

DE ARTE GRAMMATICA.

RUrſum camœna parvo
Phaleras parat libello:
Et vult amica fictis
Commenta ferre primum:
Memorans frigente veſo
Nil poſſe comere uſum:
Vitioque dat poetæ,
Infracta ferre certa:
Laſciva dans lepori:
Et paginam venuſtans
Multo illitam colore.
At quin prioris ille
Titulus monet libelli
Mythos ab ore pulſans:
Arteſque vera fantes
Voluminum ſequentium
Præcepta comparare.
Ad hæc jocante rictu:
Nil mentiamur, inquit;
Et veſtiantur artes.
An tu gregem ſororum
Nondum dabis jugandis.
Et ſic petent notandis
In cælitum ſenatum:
Aut ſi tacere cultum
Placet ordo quis probatur,
Certe loquentur illæ,
Quidquid erat docendum:
Habituſque conſequentur
Aſomato in profatu.
Hæc nempe ficta vox eſt,
Et devius promiſſi es:
Cur ergo non fateris
Ni figminis figura
Nil poſſe comparari:
His me camœna vicit:
Fugis, jugabo ludum.

Præſtricta eſt curſim rationis regula prima:
Quæ multis tendi ſueta voluminibus.
In qua juncturis quid nectat litera utriſque:
Quo admittat ſociam, vel faciat latere.

Quæ

Quæ quo tranſiliat converſis legibus uſu,
Et transformatum nomen habere velit.
Quas oris ſonitus, vel quas modulatio linguæ
Gignant, & pulſu rupta labella ſuo.
Nunc jam compactis curſanda eſt ſyllaba formis:
Ut faſtigetur longa, breviſque fuat.
Hæc duo percurram, juncturas litera quippe
Præveniens docuit ſub ratione pari.
Hoc igitur ſubdens nectendum concipit ordo,
Si veſtrum ſuperi comprobat arbitrium.

Expleta curſim ſyllabarum pagina eſt.
Juganda demum verba, nam probabilis
Hic ordo rebus: quique diſgregabitur
In bina demum: prima nam proportio
Dicenda eſt, Graii Analogiam quam vocant:
Ac mox repulſa quæ novantur regula
Vulgo docti quæque Anomala nominant.
Bis quarta fandi queis paratur portio:
Vel vulneratur ductus oris integer.
Quantumque ſolo inditum libellulo,
Poteſt probare ſerium faſtidium.

LIBER IV.

DE DIALECTICA.

HÆc quoque contortis ſtringens effamina nodis,
Qua ſine nil ſequitur, nilque repugnat item.
In cœtum ſuperum veniens primordia fandi
Advenit, & ſcholicum præſtruit Axioma.
Ambiguis memorans vocem conſiſtere verſus,
Nil normale putans, ni fuat aſſocium.
Sed licet ipſe modos demum bis quinque profatus,
Pallens afflictim verſet Ariſtoteles:
Stoica circumeant: ludantque Sophiſmata ſenſus:
Perdita nec umquam cornua fronte ferant.
Chryſippus cumulet, proprium conſumat acervum,
Carneadeſque parem vim gerat helleboro.
Nullus apex tot prole virum par accidit umquam:
Nec tibi tam felix fortis honos cecidit.
Inter templa deum fas eſt Dialectica fari:
Et Jove conſpecto jure docentis agis.

Pallas intervenit.

PErita fandi jam progreſſum comprime:
Ne inflexa tortos ſtringat intimatio:
Et multinodos perpetui anfractus diu
Hymen recuſet; editum eſt compendio
Quidquid decenter docta diſputatio
Multo aſtruendum contulit volumine.
Sat eſt profundæ frons decens ſcientiæ,
Quæ abſtruſa promit, nil moroſum differens,
Prætervolando nilque ignotum deferens:
Nam quæ ſuperſunt fraude multa conſita,
Queis falſa captos circuit deceptio:
Dum ambage ficta præſtruis ſophiſmata
Captenſulilve ludis illigantibus,
Pellex ſoritas cumque ſenſim congeris:
Formaſve mendas comprobat quas veritas:
Nefas tonantis garriat ſub auribus
Facinuſque dirum; quippe ſummi cælites
Odere turpis omne falſum fœminæ:
Nam ſi revolvas, quid cavilla ſævius?
Dudum locuta circulatrix indecens
Fies profecto decipula, ſi aſtruxeris.
Faceſſat ergo verſilis profunditas:
Reliquumque tempus liqueris ſororibus.

Dialectica reſpondit.

VEnerandos mihi fatus, reverendoſque ſecuta
Referam juſſa pedem, atque ilicet exorſa ſilebunt,
Licet unam decuit juſſæ permittere culpam,
Ut honoris pretio cederet inferre relatus,
Populum Cecropidarum bene quo palliatarum
Bromius conciperet contumias noſſe dolore,
Mage quam crediderat vipeream noſcere poſſet.
Et iners Marſica dudum fieret præſtigiatrix:
Neque me conſpiceret ſomnificam vel temulentam
Loca paſſim blaterantem jovialibus ſuborſis,
Tamen uni famulandum eſt tibi Virgo. reticemus.

LIBER V.

DE RETHORICA.

INterea ſonuere tubæ, raucuſque per æthram
Cantus, & ignoto cælum clangore remugit.
Turbati expavere Dei, vulguſque minorum
Cælicolum trepidat, cauſarum & neſcia corda
Hærent, & veteris renovantur crimina Phlegræ.
Tunc Amnes, Faunique, Pales, Ephialta, Napeæ,
Reſpectant proceres, nulloque aſſurgere motu
Cernunt attoniti, vicibuſque alterna profantes,
Mirantur placidam per pectora ſacra quietem.
Tunc primum poſita Sylvanus forte cupreſſo
Percitus, ac trepidans dextram tendebat inermem:
Bellaque compoſcens, arcus, atque Herculis arma,
Portuni trifidam ſuſpirans flagitat haſtam,
Gradivi frameam non auſus poſcere, falcem
Saturni bello ſuetus diſquirit agreſti,
Diffidenſque ſui reſpectat tela Tonantis.

Tandem loquacis terminata paginæ,
Aſſerta curſim, quæ tamen voluminis
Vix umbilicum multa opertum faſcia
Turgore pinguis inſuit rubellulum.
Quod ſi probatur, & caret faſtidio,
Nonnulla promet, quæ novella texuit,
Deditaque fient, quæ vetuſtas præterit.
Sin ſanna typhi naris imum torſeris:
Pigebit arma horruiſſe Cælites:
Formidiniſque tunc locus movebitur,
Sylvane falcem cum petis Saturniam.
At tu reclamans Rhetorum ſacrum tuba
Clangore verſo Tulliana percrepans
In caſtra abibis, quo nec oſor invidens,
Nec livor ater te ſequatur præcluem.

LIBER VI.

DE GEOMETRIA

Virgo armata, decens rerum ſapientia, Pallas,
Ætherius fomes, mens, & ſollertia Fati,
Ingenium mundi, prudentia ſacra Tonantis:
Ardor doctiſius, noſtræque induſtria fortis:
Quæ facis arbitrium ſapientis prævia curæ:
Ac rationis apex, divumque hominumque ſacer νοῦς
Ultra terga means rapidi ac ſplendentis Olympi:
Celſior una Jove, flammantis circulus æthræ,
Ἑπτὰς in numeris, prior igni, tertia luna,
Quam docto aſſimilant habitu, qui agalmata firmant.
Hinc nam tergeminæ rutilant de vertice criſtæ:
Quod dux ſanguineo, præſulque coruſca duello:
Vel tibi quod fulget, rapiturque triangulus ignis.
Hinc tibi dant clypeum, ſapientia quod regat orbem:
Vel rationis opem quod ſpumea prælia poſcant.
Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen:
Lymphaſeum magis eſt, & ſcutum circulus ambit.
Hinc jam vernicomæ frondent tibi muneta olivæ.
Artes cura vigil per te quod diſcat olivo.
Glaucam dant volucrem, quod lumine concolor igni es:
Tuque ignis flos es, cluis & γλαυκῶπις Ἀθήνη.
An mage noctividæ tibi traditur alitis uſus:
Quod vigil inſomnes ducat ſollertia curas.
Pectore ſaxificam dicunt horrere Meduſam:
Quod pavidum ſtupidet ſapiens ſollertia vulgus.
Arcibus urbanis veteres tibi templa dicarunt:
Quod ratio amplificet, quodque eſt elatior, urbes.
Hinc de patre ferunt ſine matris fœdere natam,
Provida conſilia quod neſcit curia matrum.
Conſultiſque virum præſis, hinc dicta virago.
O ſacra doctarum prudentia fontigenarum
Sola novem complens muſis mens omnibus una,
Deprecor ad proprium dignata illabere munus,
Inſpirans nobis Graias latialiter artes.

Conſtitit attonito ſpectans ſtellantia viſu,
  Et decuit crinis, pulvereique pedes.
Ipſa etiam læva ſphæra fulgebat honora,
  Aſſimilis mundo, ſyderibuſque fuit.
Nam globus & circi, zonæque ac fulgida ſigna
  Nexa recurrebant, arte locata pari.
Tellus, quæ rapidum conſiſtens ſuſcipit orbem,
  Puncti inſtar medio hæſerat una loco.
Hanc tenet & vitreis circumvolitabilis auris
  Aer complectens imbrificabat aquis.
Quæ tamen immenſo, quo cingitur illa profundo
  Interrivata marmore tellus erat.
Texerat exterior qui fulget circulus orbis
  Ætheris aſtrifico lumina multa peplo.
Hinc nitidus rutilum Titan ſuccenderat orbem.
  Moxque imitata pium lactea luna diem.
Hic igitur furvæ oculos ſplendeſcere noctis
  Cerneres ex auro, ut ſacra flamma micat.
Sic Cypris oceani perfuſo ſidere lymphis
  Lucifero annuerat lumina tota ſuo.
Omnia compar habet paribus ſub legibus ordo:
  Nec minus hæc mira eſt, quam domus alta Deum.
Hanc mundo aſſimilem ſtupuit Trinacria tellus
  Archimedæa aſtrificante manu.
O felix cura, & mentis prudentia major,
  Corpore ſub noſtro æquiparaſſe Jovem.

Dixerat: at Paphie paulo contractior ore
  Mora intricante læditur.
Nixaque mox famulis marcentia terga reclinat,
  Magis quod laſſa pulchrior.
Hic dudum roſeas inter reſoluta puellas
  Voluptas inquit anxia:
Unde hæc tam duris immitis ruſtica membris
  Peregit orbis circulum,
Et tantos montes, fluvios, freta, compita currens
  Delere venit tedia?
Hanc ego crediderim ſentis ſpineſcere membris:
  Neque hirta crura vellere;
Namque ita pulverea eſt agreſti & robore fortis,
  Jure ut putetur maſcula.

LIBER VII.

DE ARITHMETICA.

Poſtquam conticuit prudens permenſio terræ:
  Innuba ſollertes curam quæ inſtigat in artes:
Sic Abacum perſtare jubet, ſic tegmine glauco
Pandere pulvereum formarum ductibus æquor.
Altera tunc etiam gerularum accire jubetur
Germanam, doctæ mundum quæ admenſa ſororis:
Nec mora digreditur. tunc rurſus dia Voluptas
Ipſius æthereа Cylleni immurmurat aure:
Cum doctas ſuperis admirandaſque puellas
Approbat omnipotens, tu optati lentus amoris
Gaudia longa trahis? captumque eludis honorem?
Seria marcentem ſtupidant commenta maritum.
Talia complacita ſpectat faſtigia Virgo,
Nec te cura tori, nec te puer ambit herilis,
Nec mea mella rapis, quænam hæc hymeneia lex eſt?
In Veneris agro Pallas ſibi vindicat uſum,
Quam melius thalamo dulcis petulantia ſervet.
Caſta maritalem reprimit Tritonia mentem,
Et nuptæ non æqua venit, poſcenda Dione eſt,
Convenienſque tibi potius celebrare Priapum.

Mercurius reſpondit.

Licet urgeas Voluptas
  Thalamos inire ſuadens,
Tamen exeret peritas
Brevis ambitus puellas,
Demumque nec jugalis
Ceſſator intricatus
Tardabo fulcra lecti:
Et ſi quid illa noſtræ
Veneris feret voluptas,
Nec vobis abnegabo:
Furtis modo allubeſcat:
Ut clam roſeta parvæ,
Liliaque det papillæ.
Ne nunc ſexus jugalis
Cura ferale morſum:
Et vulſa pellis acre
Lacerus trahat capillos.

Hos

Hos ſat erit curſim numeros memoraſſe, modoſque,
Cetera Cecropias æquum perhibere catedras:
Si tamen ullus ineſt noſtris ſuper halitus aris,
Aut rite in veterem cultum replicantur abollæ,
Me ſpatium admonuit jam claudere fatibus orſa:
Ne ſuperum noſtri capiant faſtidia cœtus,
Et vetus aſtrigero pellar Numeraria cælo.
Sic ait, ac reticens propiori adjuncta ſorori eſt.

LIBER VIII.

DE ASTRONOMIA.

Tunc vix ſenex recluſis
Creperum videns ocellis
Circumſpicit ridentes,
Ictuque ſuſcitante
Stupidum dolens tuetur,
Frictuque palmulari
Madida detergit ora.
Tunc motus increpante
Baculum rapit Lyæo.
Ac dum movere greſſum
Cupit advocante Lyde,
Tandem recepta luce
Superum videt ſenatum,
Percellitur repente:
Silicerniumque nutans
Tentat celerare curſum;
Tunc motibus negatis
Magis involutus aſtat,
Ceſſimque formidantes
Abeunt pedes tremore,
Titubanſque molienſque,
Hæret, redit, recurrit.
Tunc victa palpitanſque
Turgens cadit ſenectus:
Fit major inde riſus.
Neſcit modum voluptas,
Donec jubente Baccho
Satyrus rapit jacentem,
Scapuliſque dat ſupinum,
Uvidumque hiantimembrem
Colloque complicatum,
Utribus parem reportat.

Aſtrigeræ jam ſedis iter, curſumque polorum,
Et ſacra multivagos qua tollunt ſidera flexus,
Dicere tempus adeſt; video ſplendeſcere pulſu
Icta coruſciferi ſubito laquearia cæli.
Illic bis ſeptem ſolitus ſervare Triones
Plauſtro Hyperborea reſplendet luce Bootes.
Hinc qua devexo tellus ſubducitur axe,
Ignoto Canopos ſeſe inſert fulgidus aſtro.
Phœbæos pariter currus, rapidoſque meatus,
Et toties variæ flammantia cornua lunæ.
Quinetiam medios quos nectunt culmina circos,
Oblique & rutilis quo ſe rapit orbita ſignis,
Cernere jam videor, tu fingere ludicra præſtas,
Viliaque aſtriloquæ præfers commenta puellæ.

LIBER IX.

DE MUSICA.

Jam facibus laſſos ſpectans marcentibus ignes
Inſtaurare jubet tunc hymenæa Venus.
Quis modus, inquit, erit? quonam ſollertia fine
Impedient thalamos ludere gymnaſia?
Diriguit comis blandiſque aſſueta voluptas,
Et noſter pallens contrahit ora puer.
Ipſa etiam fulcris redimicula nectere ſueta
Flora decens trina anxia cum Charite eſt.
Nec melicum recinens modulatur tibia carmen,
Nec dulcis tentat pſallere Melpomene,
Omnia quæ tenero moris ferveſcere ludo
In cumulum doctæ vocis honore tacent.
Nec ſuada illecebris ſponſalis pectora mulcet,
Nec ſtimula incenſo allicit aculeo.
Quinetiam interulos gaudens diſſolvere nexus:
Blandificaque libens ſtringere corda face:
Nictantes oculos reprimit ſtupefacta vapore,
Nec perferre valet Gorgonos ora trucis,
Si erudita placent certe ſponſalia Divi,
Saltem docta ferat carmina Calliope.
Nam ſimul oblectans vocis modulamine mentes
Tædia dulciſonis auferet illa tonis.
Quippe eſt ſcrupoſis, fateor, laſſata puellis
Inſuetis lætor mœſtificata modis.
Pronuba ſic volupe eſt hæc feria carpere Juno:
Nec cura aſtriferi te ſtimulat thalami.
Aſt ego ſuccubui, lepidiſque aſſueta choreis
Non valeo triſtes cernere Cecropidas.

Hymenæus ſic cœpit.

Aurea flammigerum cum Luna ſubegerit orbem,
Roſis jugabo lilia.
Virgo Deuſque ſacro ſociabunt fœdera lecto,
Fulcris parate cinnama.
Heſperus intactam ſervet licet uſque puellam,
Nuptam videbis Phoſphore.
Nec matris lacrimæ, preſſi nec viribus ungues
Nexus valebunt rumpere.
Ne thalamos metuas, eris hoc, quod Juno Tonanti eſt,
Quæ nunc ſorore dulcior.
Si placuit docti Sollertia ſacra mariti:
Magis placebunt oſcula.
Aurora exoriens roſeis ſpectabit ocellis
Floris refecti præmia.
Ipſe ego pſallentem ſpeculabor luce puellam
Seſe occulentem viſibus.
Conſcia jam Veneris nova ſerta parate Napææ,
Crocumque lecto ſpargite.
Inque thorum violas certatim fundite conchis,
Pulvinar almum comite.
Crinale ſpicum pharetris deprome Cupido
Libens capillum ſolvere.
Flammea virgineum quæ obnubere ſueta pudorem,
Regina deme pronuba.
Te blandum teneri quæ conſcia ſola doloris
Venus decens ſolabitur:
Quæ nunc dura novo neſcis committere amori,
Parabit illa pectora.
Tu modo quæ mundo oculos delecta decoros
Reconde mentis intimo.
Doctiloquum charis juvenem complexa lacertis
Fœcunda redde pignora.

Muſicorum concentus.

NAm Trax quo duri rumpere regna Erebi,
Quoque ſuam meruit immemor Eurydicen,
Quo cantu ſtupidæ tigridis ira ruit,
Quo fertur rabidas perdomuiſſe feras,
Quo vidit rigidas glandibus ire comas
Iſmaros, & ſilvas currere monte ſuas:
Carmine quo Strymon continuit latices,
It Tanais verſis ſæpe reflatus aquis,
Quo impune accubuit rictibus agna lupi,
Et lepus immiti contulit ora cani:
Hoc nunc permulſit, inſonuitque melo,
Accumulanſque magis carmina ſacra Jovi,
Amphion rigido in corpore mentis iter,
Quoque dedit montes ſumere poſſe animas,
Quo ſenſus duris cautibus inſeruit,
Et docuit rupes carmina velle ſequi:
Nam muros Thebis dulciſonis fidibus,
Præſidiumque dedit carminis arbitrio.
Sed nec Arioniam marmora ſurda chelyn
Tempſere, extremam cum flagitaret opem:
Et licet indomiti dira procella noti
Spumea Scyllæi verteret ima maris;
Delphinas totis ſollicitavit aquis,
Et melicos cantus bellua grata tulit.
O vere antiſtans numina magna deum,
Quæ iſtorum laudes protulit harmonia:
Quæ domitat Erebum, marmora, ſaxa, feras,
Hæc potuit rupes ſenſificare tonis.

Harmonia ſic cœpit.

TE nunc aſtriſonum carmine Jupiter,
Quo gemmata poli volvere ſidera
Suevit lege rata ſacra recurſio,
Præfandum veneror: quippe potiſſimo
Nectis ſceptrifero ſub diademate
Omnigenum genitor regna movens deum,
Mundum perpetuo dum rotat ambitu
Mens, quam ſidereo ſufficis impete,
Te nam flammigeri ſemina ſomitis
Spargentem referunt aſtra micantia:
Te foveant ſacro munere lumina:
Terris purpureum dum renovant jubar,
Teſtata ambroſium ſplendificant diem:
Sic tua noctis honos lampade menſtrua
Auratis crevit præmia cornibus:
Sub te plauſtrilucis luminat ignibus
Anguis Parrhaſias diſſiciens feras.
Sic ſolidi tenerum corporis ambitum
Tellus non prohibens axibus inditur:
Alterniſque regit, & regitur polis.
Sic Nerea freti noſcere limitem,
Sicque ignem ſuperum lambere pabula,
Ut nullis ſcateant diſſona litibus:
Atque ita perpes ament diſſita vinculum,
Ut ſemper metuant fœdifragum chaos;
Tu rector ſuperum, tu pater optumus:
Complexuque pio ſidera colligans:
Natos perpetuo corpore vividas:
Salve, noſtra cui perficitur chelys:
Bis plenum omniſona coi recinunt mela.
Jam vos verenda quæſo cæli germina:
Quæ multiforme ſcitis cire barbiton:
Adfata noſtris ferte corda cantibus:
Miſcilla ſacræ dum feruntur curiæ,
Mulcere veſtrum quæ velim conſortium,
Jam vos viciſſim proque lege numinum,
Poſt has ſonabit diſgregato plaſmate:
Suiſque cunctos allubeſcentes tonis
Deducit, urget, atque debebit locis,
Stimuloſque rurſum lene permulcet melos.
Nunc igitur alma quæ Senatum lumina
Deum verendo culminatis vertice,
Biſſena quamvis vos Hetruſci numina
Ritus frequentent, atque opiment victimis,
Tamen gemellis quæ refulget curſibus,
Natura honoro protulit faſtigio.
Phœbea vero præferens vocabula,
Pallas coruſca ac decens Latoia.
Lunare quippe hac venit conſortium,
Phætontos ardens ſcandet axem Delius:
Nunc vos pudici noſtra fratres culmina
Precabor ipſa, ne verendos contrahant
Vultus jugandis quæ ferenda carmina:
Hymenque noſtrum invehat faſtidium,
Pſallente plectro concinentur nuptiæ:
Fidibuſque lux feſcennina proderit.

Jam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Novit nam tenerum promere carmen
Ipſum ſpumigenæ ſalum Cytheres:
Nerinaque chelys movet camœnam:
Dum conchis Galathea perſonante,
Nantes fluctigenas chorumque Phorci
Flagrans cura trahit, nivalibuſque
Interſtinctus aquis triumphat ardor.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Mænaliæ tulere pinus:
Percuſſaque modis ſonat Lycæis
Sollers Arcadia nemus cicuta
Pernix ſemiferi puella Panos.
Nam verſa in calamos ſonat loquaces:
Quam dum forte Deus premit labellis,
Suſpirat velut oſculis canorem.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.
Puer ipſe verſiformis
Facibus ſtudet Cupido:
Arcuſque dulcinerves
Roſeo ligans ramali
Feriato linquit arcu
Calamos parante muſa:
In carminis leporem
Curam negat ſagittis:
Tenerumque arundinetum
Noſtrum in melos reliquit.
Nunc ergo corda mulcent
Vapor & canor jugati,
Placet ac decet viciſſim
Cantemus, atque amemus.
Jam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Prudens puella pulchræ
Mater fuit Lacænæ,
Illecta ſed canore
Neſcit dolum cavere:
Nam candidus nivoſis
Olor involutus alis

Argen-

Argenteis minorem
Plumis videns decorem,
Nec poſſe purpuratis
Nimium placere ocellis:
Teneros ciere cantus,
Phætontiaſque muſas
Cœpit repente ficta
Fraudem parans ſenecta.
Sic admovetur ori,
Roſeumque circumactæ
Rapit oſculum puellæ:
Gremioque complicatus
Pretium tulit pudoris.
Jam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit Amori.
Carmen Ladmiadeum
Lucis diva ſecundæ
Sacris prætulit aſtris.
Antrum quippe ſecuta,
Linquens culmina cæli,
Paſtoralibus ardens
Palmam dedit cicutis:
Pulſo & luminis auro
Pandit ſepta balantum,
Sordentique adoperta
Pratis gaudet amictu.
Ac tunc conſcia noctu,
Paſcit monte capellas
Spectans ſidera mundi
Mage percrepat flagello,
Nec curare deorum
Penſa, aut ferre ſuſurros
Illex carminis ampli
Ægrum cura coegit.
Temnit noctis honorem,
Præfert antra ſubulci,
Rupe & dura quieſcit:
Et poſt regna Tonantis
Stramen dulcius herbæ eſt.

Tandem ſenilem Martiane fabulam,
Miſcillo luſit quam lucernis flamine
Satyra, Pelaſgos dum docere nititur
Artes creagris vix amicas Atticis:
Sic in novena decidit volumina.
Hæc quippe loquax docta indoctis aggerans,
Fandis tacenda farcinat, immiſcuit
Muſas, deaſque diſciplinas cyclicas:
Garrire agreſti cruda finxit plaſmate
Hæc ipſa nauci rupta conſcientia,
Turgenſque felle ac bile, multa chlamyde
Prodire doctis approbanda cultibus,
Poſſemque comes utque e Martis curia
Fœlicis, inquit, ſed Capellæ flamine,
Indocta rabidum quem videre ſecula
Jurgis caninos blateratus pendere,
Proconſulari vero dantem culmini,
Ipſoque dudum bombinatore floſculo
Decerptum falce jam caneſcenti rota,
Beata alumnum urbs Eliſæ quem videt.
Jugariorum murcidam viciniam
Parvo obſidem, vixque reſperſum lucro,
Nictanti cura ſomnolentum lucibus:
Ob hoc creatum Pegaſeum gurgitem
Decente quando poſſem haurire poculo,
Teſtem ergo noſtrum quæ veternum prodidit
Secute nugis nate ignoſce lectitans.

RUSTICI HELPIDII
VIRI CLARISSIMI
Exinluſtris Exquæſtoris, Hiſtoriæ teſtamenti veteris & novi.

Eva a Diabolo ſeducta.

EVæ viperea, vetitum decerpere pomum,
Invidus arte parat, tantæ quæ neſcia fraudis
Credidit infelix ſocio peritura marito.

Angeli ad Mariam adventus.

Angelus illæſum Mariæ per ſomnia Joſeph
Connubium ſervare monet. hic dote repleta
Spiritus hoc quod ſit flagrans ſalvator honore.

Adam & Eva de Paradiſo pelluntur.

Pellibus accincti, peccati ſigna ferentes,
Pœnarum famuli linquunt felicia regna,
Semper amica piis peccantes reſpuit aula.

Latro in Paradiſum introducitur.

Sacrati nemoris Domino per amœna vireta
Felix latro duce, hoſpitium vitale meretur,
Fortificata fides vincit tot crimina vitæ.

Noe arca præcepto Domini includit omnia.

Hic volucres, armenta, viros, genus omne ferarum,
Ne quid diluvii perdat violentia, Noe
Colligit, atque unam tot condita condit in arcam.

Petro

Petro viſio de Cœlo oſtenditur.

Reptilium pecudumque genus, cunctaſque volucres
Diſcus habet, quæ cuncta jubet pater edere Petrum,
Nil commune putans, quod mundum fecerat Auctor.

Turris confuſionis deſtruitur.

Extruit immenſis opibus veſania turrim,
Sed facit ora Deus ſummus diſcordia rector,
Ne quid ſtulta manus ſupra ſua jura pararet.

Petrus & Apoſtoli variis loquuntur linguis.

Conſona diverſas fundit narratio linguas,
Barbara quæque ſuam cognoſcit natio vocem,
Quam ſacer humano præfatur Spiritus ore.

Joſeph a fratribus venditur.

Hic conjurati germanum vendere fratres,
Cogit livor edax, proſunt contraria juſtis.
Hoc opus eſt divinum: qui modo vendit, adorat.

Chriſtus a Juda venditur.

Nummi dira fames compellit vendere Judam
In pœnam regale caput: commercia tanti
Sanguinis exiguo peragit mens improba lucro.

Abraham filium ad immolandum ducit.

Cædis in expenſas fert hoſtia propria lignum
Nam carum genitor pignus mactare paratus
Ducit Abram: fidei meritum eſt, nec parcere nato.

Chriſtus ducitur crucifigendus.

Geſtis honorandum cunctis manus inclyta lignum,
Quo ſe ſancta ſinit ſuſpendi victima mundi:
Tollitur, ut miſeris reddat mors una ſalutem.

Coturnices & Manna datur Judæis.

Hic avidos carnis miſſa ortygometra refecit,
Immeritoſque replet cæleſtis copia panis:
Nam dignis, quem quiſque velit, dat manna ſaporem.

Septem panibus Chriſtus quatuor millia hominum paſcit.

Panibus hic ſeptem populorum millia paſcit
Quatuor, & pauci ſaturant convivia piſces:
Nam bis ſex ſportas panis fragmenta replerunt.

Moſes aſcendit in montem.

Veridice Moſes pandit penetralia legis,
Quod ſummus cunctis unus ſit rector, & idem,
Nec diviſa regit mundum, ſed ſola poteſtas.

Chriſtus in monte docet.

Montis valle ſedens, grave & immutabile verbum,
Et pia juſtitiæ populis præcepta profatur,
Quaque it, qua pergit, ſeſe ſapientia monſtrat.

Martha & Maria.

Arguit immeritis conſortem Martha querelis,
Quod vacet officio, cui verax arbiter, inquit:
Cura Dei, melior domus, & magis utilis illi.

Centurio ad Chriſtum.

Heu mihi, Salvator, ſalvari ſervus anhelat;
Non ego ſum dignus, cujus tu tecta capeſſas,
Sed verbo ſanare potes, nam ſufficis abſens.

Ex aqua Chriſtus vinum facit.

Inſipidi quondam laticis elementa, ſaporem
Flagrantis ſumſere meri, nam providus Auctor
Munera lætitiæ, virtutum exordia fecit.

Mulier a Chriſto curatur.

Dat dextram miſeris, miſeranſque attollit amice,
Quam longinqua ſui curvarant tormina morbi
Surgit recta fides, credentis mundaque mens eſt.

Mulier a profluvio ſanatur.

Hæc mulier tactu veſtis furata ſalutem eſt,
Siccavitque fides venas, fluviumque pudendum:
Pulchra fides, cui vis cogendi magna Tonantem.

Chriſtus reſuſcitat viduæ filium.

Mœrebat genitrix ignara mente cadaver,
Cui mundique hominumque ſalus, in limine portæ
Obvia cum venit, luctus in gaudia vertit.

Zachæum Chriſtus videt in arbore.

Dulcis honor Domini Zachæo fulſit amico,
Majeſtate ſonans: hodie mihi proficis hoſpes;
Ad majora dehinc ramis deſcende relictis.

Lazarus a morte revocatus.

Lazarus hic iterum projecta morte reſurgit,
Et pariunt animas mutata lege ſepulcra,
Qui vitam functis ſcit verbo reddere, vita eſt.

RUSTICI HELPIDII CARMEN.

De Chriſti Jeſu beneficiis.

Conditor Omnipotens rerum, mens unica ſummi
Et proles æterna Dei: qui gloria patris,
Ac verbi fœcundus honor, quo cœrula ponti
Diffudit, ſolidavit humum, ſuſpendit Olympum,
Quæ loca juſſa tenent: etiam diſcordia fidas
Conſervant elementa vices, paretque recepto
Sole dies, lunamque dies patiuntur in ortus
Atque obitus remeare ſuos, nec cedere luci
Aſtra negant, propriosque ferunt agnoſcere curſus,
Et contenta citæ decreſcere cornua lunæ.

Hoc

Hoc verbo, quo tanta ſator ſibi regna paravit,
Te quoque regnorum ſocium, natumque probavit.
Quem pariter connexa tremunt, ſemperque paratam
Ter celebrat laus noſtra fidem, quia temporis expers
Cum genitore ſedes: quid enim tibi defuit umquam,
Aut patris plus eſſe potes, quibus unica ſemper
Patria majeſtas dominatur, nomina regnant?
Semper enim ſocio cultu celebrandus habetur
Spiritus, imperiumque gerens, viget una poteſtas
Tam cœpto quam fine carens, idemque per omnes
Et communis honos merito, inter triſtia terræ
Geſſiſti cæleſte decus, dignatus utraſque
Oſtentare vices: nil matris corpore major
Nil patris virtute minor, numquam ætheris abſens,
Numquam ſumta ſemel pro nobis membra relinquens,
Semper ubique potens, adſis, precor, & mea ductor
Corda regas, animæque animos, & gaudia dones.
Expugnare luem vitiorum & vincere tandem,
Si quid pravus amor, ſi quid ferus imperat ardor.
Quidquid turpe loqui, quidquid committere ſævum,
Quod mihi vel cuiquam noceat, quod moribus obſtet,
Vinctaque perpetuis captivet pectora pœnis,
Lapſibus indulgens venia, quos primus in omnes
Servandi leges, & vitæ providus auctor,
Indicio miſerante leves, ut mitius angar;
Pœniteat peccaſſe tibi, & tibi corrigar obſes,
Parcendi vindicta reos: cape munera quæſo
Oris egena mei, nil dignum laude canentis,
Vota magis quam dona probes, nec vatibus iſta
Annumeres fandi doctas erroribus artes,
Quas Aganippeæ Permeſſius accola lymphæ,
Hauſto fonte ciens, vana dulcedine captæ
Pabula mentis habet, ſeſeque oblectat inani
Murmure, quo blandi ſit pollens carminis ore.
Hinc etiam noſtro nugata eſt ſchema dolori,
Garrula mendoſis fingens ſatyromata muſis,
Falleret ut trepidos cantatrix pagina queſtus.
At tibi mens confeſſa patet, tibi fundit anhelans
Seria lingua preces, & ſobria verba fatigat.
Tu Dominus, tu verus honos ac gloria perpes,
Atque opifex rerum, tu ſpes manifeſta reducta
Exemplumque capax animæ: tu victor & hæres
Corporis occidui, poſt idem & membra ſuperſtes
Poſt inferna Deus, & poſt mortalia vivus.
Tu divina ſalus, ſtrepitus miſeratus amaros
Ac morbos furiaſque dolens, & crimina læſi
Sanguinis, in noſtros paſſus deſcendere viſus,
Atque hominem miſcere Deo, mox conſcia veri
Exhibuit documenta fides, prædictaque priſcis
Temporibus ſtupuit miracula ſubditus orbis.
Et cui terra jacet, pelagus ſilet, atque coruſcis
Obſequiis ſervire minor vix ſufficit æther,
Calcatiſque celer famulatur nubibus axis:
Hunc gravidante Deo mortalis neſcia fœtus,
Virginitas fœcunda tulit, partuque pudico
Expletum eſt pietatis opus, nec enim ederet ortum
Vulgaris natura novum, coramque pateret
Majeſtatis apex, ſi nil mirabile terris,
Ignotumque daret, nec tanti pignora fœtus
Enituere ſimul, nam claro ſidere mundus
Irradians rutilæ lucis cognovit honorem
Auctorem periiſſe ſuum, qui nobilis ævi
Inchoamenta gerens, fragiles proceſſit in artus.
Protinus aſſumptis tolerans data tempora membris,
Quem nil ante fuit, nec enim extat origo creati
Principii, naſci quod poſt Deus omnia poſſet,
Quæ genuit cum Patre, & cum Spiramine magno.
Et triplex in laude viget ſemperque vigebit,
Excoluit divina piis cunabula ſancta,
Fulgentem ſuper aſtra videns, quem terta levavit.
Gens Chaldæa Deum cum ſanctæ perdita flammæ
Lumine, monſtratumque polis proſecuta nitorem,
Promeruit te noſſe prior, ventura dicatis
Per ſpeciem documenta ferens, dat munera, regi
Divitias, dat thura Deo, myrrhamque ſepulcro.
Illic omniparis ſuccrevit gloria verbi,
Lætaque vina thoris, & fercula reddita menſis:
Obſtupuit populus cumulatis lancibus hoſpes,
Pronuba congeſtis dapibus convivia ducens:
Tu tenui tactu tenebroſæ frontis inanes
Juſſiſti lucere ſinus, ruptiſque latebris
Conceptos gaudere dies, ac nocte fugata
Monſtrifici vultus, feciſti lumina cæco.
Per te, ſumme Pater, vulſis compagibus æger
Vix anima reſidente redit, quin mortua funus
Oſſa trahens verbi ſanum virtute, receptis
Viribus exhibuit: nam jam quia lapſa manere
Non poterat, duro ſubjecit colla grabato.
Tu morbos cohibere potens, pulſiſque ſepulcri
Luctibus atque animis vitæ revocare cadaver,
Confractique trucis calcare repagula leti,
Unius ut vultu redeunte, capeſſeret orbis,
Quid cunctis conferre ſuis tua dextra pararit.
Nec nobis fundaſſe ſolum, gravidare novales,
Effudiſſe comas ſilvis, & gramina pratis,
Subjeciſſe feras, varios renovare liquores,
Alitibus reſerare auras, & piſcibus undas
Contentus, noſtrumque genus ratione ſagaci
Et forti muniſſe manu, perque aſtra levatum
Erexiſſe caput, motus manantibus olim
Subvenis, & primi medicata labe reatus,
Extinctas animas, & corpora functa reducis
In Cælum, legeſque pias: non ſuavibus herbis
Meſſis, & emeritæ, nec mollis veſtis honore,
Fulgida Sidonii quam polluit unda veneni,
Pellibus aut Lybicis redimens, aut mercibus Indis,
Progeniem ſtirpemque tuam, ſed ſanguine ſacro
Et pretio magno donas, qui lubrica mores
Inter membra docens, ut vitam reddere poſſes,
Viciſti culpas meritæ pro crimine carnis,
Laudem carnis agens, per tot contagia purus,
Proque homine exultans hominis perferre dolores,
Et mortem pro morte pati, perſolvere ſignum
Culminis ætherei, pro noſtri funere ligni.
Ex quo pœna prior naturæ jura momordit,
Rumpentis monitus, & juſſa verenda parentis,
Artificiſque ſui, cui jugiter eſſe precandum
Extenſis manibus, mærenti in funere tenſæ
Monſtravere manus, ut vivax gloria terris
Aſſereret, tormenta crucis nec quiſque recuſet
Pro Domino tolerare libens, conſtantibus ulnis,
Quod Dominus pro plebe tulit: nec dicere fas eſt
Senſibus exiguis, quanto celebratur honore
Gratia, quæ ſacri reſerans penetralia fontis,
Provocat ad veniam cunctos, meliuſque renaſci
Poſſe dedit, ſuperaſque fores, & limina pandit,
Ad mundi potioris iter, regnumque perenne
Cæleſtis patriæ; jam non hic arida febris,
Non ſitis, aut violenta fames, non flumina timoris,
Nec bellum, nec morbus erit, nec iniqua poteſtas
Sæviet, aut ferro quisquam exercebit adempto
Jus ſceleris, raptorve nocens dominabitur ullus
San-

Sancta ſede, pii portabunt præmia mores,
Et fidus ſplendebit amor, viridiſque juventus.
Non reptans tacitos infantia conteret annos,
Curva nec exuſto ſulcabitur ore ſenectus.
Sola quies læta in ſtabili lætabitur ævo.
Credimus & placida Domini pietate feremur
Hic quoque juſtitiæ, & ſperantes munera vitæ.

SANCTI ORIENTII
COMMONITORIUM.

LIBER PRIMUS.

QUiſquis ad æternæ feſtinas præmia vitæ,
Perpetuanda magis, quam peritura cupis,
Quæ cælum referet, mortem fuget, aſpera vitet,
Felici currat tramite, diſce viam.
Nam nos & carnis vitiis, & tempore victi,
Terrenum gradimur ſive doloris iter:
Solaque permixtis hæc ſunt modo gaudia votis,
Si quod non facimus, ſaltem aliqui faciant.
Ut quia nunc iſtud, quod protinus effugit, ævum
Inſidis capti degimus illecebris.
Laſcivum, miſerum, fallax, breve, mobile, vanum
Heu mala noxarum origo præcipitat.
Omnibus his raptim, quæ ſunt moritura, relictis,
Tu forti teneas non moritura fide.
Ergo, age, da pronas aures, ſenſumque vacantem,
Vita docenda mihi eſt, vita petenda tibi.
Sed quo ſit melior noſtri doctrina libelli,
Et teneat rectas carminis ordo vias,
Te, Deus omnipotens, & corde, & voce rogare,
Te ſine nec linguam ſolvere, Chriſte, placet:
Demere qui tenebras revocato lumine cæcis,
Auditum ſurdis auribus inſerere,
Corporis, & mentis ſævos depellere morbos,
Solvere mutorum qui pius ora ſoles:
Te penes officium noſtri eſt & cordis, & oris,
Da ſentire mihi, da mihi poſſe loqui:
Nimirum ut noſtram vegetent tua munera linguam,
Ac per te de te ſit tibi ſermo placens.
Mandato cum juſſa tuo ſuperaverit omnem
Naturam, noſtra fruetis aſina,
Et ſtimulis propria ſubigentem terga Bilaam
Terruerit merito quod rupes alloquio:
Qui magno regis trepidi, crebroque rogatu,
Dira ſuper Sanctum verba parans populum,
Non potuit proprie motam ſibi ſubdere linguam
Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam maledicturus nimie benedicere cœpit,
Impendens aliis ora parata aliis.
Ergo niſi eloquium, ſenſum niſi, Chriſte, miniſtres,
Conatus animæ tu niſi, Chriſte, regas;
Ora homines omnes & muta, & bruta tenebunt,
Quodque etiam poſſunt, hoc quoque non poterunt.
Principio geminam debes cognoſcere vitam,
A Domino indultam cum ratione homini:
Ut quoniam brutum terreno eſt pondere corpus,
Eſt anima afflatu vivificata Dei;
Nullum ſentirent animæ diſpendia finem,
Eſſet in hoc fragili corpore vita brevis.
Unam naſcendi ratio prius omnibus affert,
Hanc cura & propriis conſequitur meritis.
Naſci non noſtrum, nec longum vivere noſtrum:
Vitam, quæ ſequitur, vita parare poteſt.
At licet arbitrio Domini ſumamus utramque,
Et neutra obveniat, ni Deus hoc jubeat:
Prima tamen celeri fertur per prona rotatu,
Quæ ſequitur, totis eſt data temporibus:
In primam ignari nulla mercede venimus,
Altera de ſummo parta labore venit.
Naſcimur, ut Dominum Cæli, terræque, mariſque
Quæramus toto pervigiles ſtudio;
Quærimus, ut qui ſit, qualis, vel quantus, agat quid,
Poſſimus vero noſcere judicio.
Noſcimus, ut digna compertum laude colamus,
Ut vitam tribuat perpetuam, colimus.
Et colimus non thure dato, non ſanguine fuſo,
Non vino madidi, non epulis gravidi;
Aurum, veſtis, odor, pecudes, libamina, gemmæ,
Et quæ rara homines, vel pretioſa putant;
Ante Deum ut viles terreno e pondere moles,
Ut cænum, ut ſordes, ſic inhonora jacent.
Omnia ſunt ejus, cujus nos eſſe fatemur:
Nil proprium eſt nobis, ipſe habet, ipſe dedit.
Ecce etenim ſancto proclamat in ore prophetæ:
Nolo tuos hircos, nolo tuos vitulos.
Et ſpecies agri mecum eſt, & gloria Cæli,
Orbis enim meus eſt, & quod in orbe, meum.
Debita ſolvantur ſancto mihi pectore vota,
Hoſtia me laudis, puraque vox celebret.
Ergo nihil noſter poteris prætendere, Lector,
Iſtis quod tibi ſit difficile in monitis.
Non longe poſitum, non eſt aliunde petendum,
Non re, non ſumtu, non opus eſt pretio.

Suffi-

Sufficit, ut Dominum mundi, rerumque Parentem,
Cujus in arbitrio vel bona, vel mala ſunt;
Cenſu majori vincentem verba loquentis,
Unum, incorporeum, perpetuumque ſacrum,
Omnia complexum, vel ſemper in omnibus unum,
Corde pius credas, credulus ore roges.
Sed quid ſic nudis tantum ſermonibus utor,
Tamquam nulla Dei ſint ſuper hoc monita?
Nam primum veteri caſum ſub lege memento,
Quæ dudum in ſolidis ſcripta fuit tabulis,
Quod nunc per Dominum renovat data gratia Chriſtum,
Atque Evangelii vox veneranda ſonat:
Ut quod laxa prius, modo pectora noſtra tenerent,
Eſſet & uberior bis repetita fides,
Affectu toto Dominum, totiſque medullis,
Atque tuum toto dilige corde Deum:
Et recte quid enim poteris tu juſtius umquam
Obſtrictus tantis ſolvere muneribus?
Qui tibi, cum limus terrena in fæce jaceres,
Demſit perpetui temporis eſſe lutum.
Qui, tibi quod membris conſtas, quod mente moveris,
Quod lingua loqueris, quod ratione ſapis;
Quod manibus tangis, graderis pede, lumine cernis,
Aure audis, ſentis naribus, ore probas,
Ante aliquod meritum, propria pietate miniſtrat,
Corporis, ac animæ ſic Pater ut Dominus:
Et non hoc ſolo contentus munere, quo te
Inſtruxit membris, ſenſibus excoluit:
Qui tribuit vitam, largitur commoda vitæ,
Omnibus ut tibi ſit prædita deliciis:
Ecce tibi Cælum pendet, tibi terra recedit,
Aera librantur, fluctuat Oceanus:
Noctibus atque dies ſuccedunt, menſibus anni,
Sol ſplendet, lucent ſidera, luna rubet.
Ver varios blandus perfundit germine flores,
Æſtas jam gravida fructibus arva coquit,
Autumnus muſto madidus. præpinguis oliva eſt,
Ignibus amotis frigora neſcit hiems:
Imbribus arcendis confirmas pendula tecta,
Ignoras ventos ædibus oppoſitos;
Hirtaque lanigeræ depectens terga bidentis
Mollibus involucris algida membra tegis;
Lenia nec deſunt nivei velamina lini,
Sunt etiam Eois pallia velleribus.
Illa ferax jacto reddet tibi ſemine tellus,
Hæc celſis carpent Seres in arboribus.
Denique per totum, qui circumvolvitur, annum,
Quidquid habes totum dat tibi cura Dei.
Campus meſſe viret, veſtitur palmite collis,
Arbore diverſa mitia poma metis,
Et ſtudium impendens fœcundo providus horto
Utile quo libuit tempore ſumis olus.
Accendis pinguem quæcumque in lumina pinum,
Nobilibus menſis cerea flamma micat.
Nec modo terreno tantum ſervire jubetur
Per varios uſus ſubdita terra homini:
Ipſa etiam quidquid fertur prope nubila, quidquid
Alto ſubfluctum volvitur in pelago,
Nunc fallente cibo, nunc texto in retia lino,
Artibus innumeris inde, vel inde petis.
Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piſcis,
Aere nunc ſummo decipiuntur aves.
Agmina venanti prorumpunt denſa ferarum
Icta procul jaculis, vel laqueata plagis.
Prona petis ferro, canibus fugientia ſiſtis,
Contundis frænis ora ferocis equi.
Ad juga panda boves cogis, ad mulctra capellas,
Diſtillant criſpis dulcia mella favis.
De ſaxis gemmas, aurum producis arenis,
Lentaque de terris igne metalla coquis:
Gramina diſcernis triſtes medicantia morbos.
Pellis letiferum ſedulus arte malum.
Quin etiam ut mercem peregrino a litore ſumas,
Et tua des aliis, atque aliena petas,
Flumina remigio percurris, & æquora velo,
Ibis longinquas abſque labore vias:
Aut ſi formidas pelagus, carpenta movebis,
Teque tuis ſternet terra notanda rotis.
Tunc ſi jactatum quærit blanda otia corpus,
Humida pulvereum balnea ſuſcipient,
Atque cavo tota ſpoliatus veſte lavacro
Marcida perdomitis membra fovebis aquis.
Tot, tantiſque bonis Domini tibi munere partis,
Quid tandem dignum reddis amore pio?
Aut quibus hæc opibus, quibus & perſolvere donis,
Vel quanto poteris pendere ſervitio?
Nec tamen hæc Dominus, cujus ſunt omnia, quærit,
Sufficit, ut Dominum ſervus amatus ames.
Hæc quoque mandati ſuccedit forma ſecundi,
Proximus ut tibi ſit ſic, velut ipſe tibi es.
Noſco ſalutiferam manſuro munere legem,
Uno quæ cunctis proſpicit officio.
Nam cum aliena mihi mandatur cura, neceſſe eſt,
Ut mea mandetur ſic quoque cura alii.
Ecce pecus pecudem fœcunda ad pabula ducit,
Admugit proprio bucula læta gregi.
Murmure reſpondent, qua poſſunt voce loquuntur,
Inque vicem docilis lambere lingua ſolet.
Non caret affectu, quod fluctibus occulit æquor,
Et volucris volucri eſt, & fera blanda feræ.
Tum ſi quando venit quocumque ex agmine prædo,
Fortior invalidos ungue vel ore premens;
Seu volucrum res eſt, ſeu res eſt illa ferarum,
Undique collectis tenditur auxiliis,
Captivam comitem curſu, grege, voce, volatu,
Et ſi non poſſunt, eripuiſſe volunt.
Cumque ita ſe ſolo naturæ munere ſervent,
Quæ nec conſilio, nec ratione vigent:
Quo mirum, Domini ſi juſſa verenda ſecutum
Mutua conſtringat cura hominis hominem,
Atque uſu, ingenio, rebus, ratione peritus
Ut, ſua, quæ tua ſunt commoda, frater agat;
Hic venit illa placens merito ſententia, nectens
Humanum parili conditione genus,
Nec facias aliis quidquid fieri tibi non vis,
Idque aliis facias, quod tibi vis fieri.
Quod genus eſt hominum, quis ſexus, ritus, & ætas,
Quis neget hoc rectum, quis neget eſſe probum?
Quid non mandatum late complectitur arctum?
Plenius hac tradi quid brevitate poteſt?
Namque ea, quæ mala ſunt, fieri modo ſic mihi nolim,
Ut rurſum cupiam, quæ bona ſunt, fieri.
Judice non opus eſt, doctor nec quæritur ullus:
De nobis ſcimus quæ bona, quæ mala ſunt.
Gaudebis certe, ſi quis de nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hoſpitium:
Tu quoque ſollicitus proviſis excipe tectis
Illum, qui fera nocte viator erit.
Veſte tegi nudus, ſitiens ab pocla vocari,
Eſuriens optas ut ſatiere cibis:
Te quoque permoveat proprii par cauſa laboris,
Divide cum miſeris pallia, pocla, cibos.

Ecce manum poſcis lapſus, ſolatia mœſtus,
Auxilium trepidus, conſilium dubius:
Id mœſtis, dubiis, trepidis, labentibus offers:
In ſimili cauſa fac ut ameris amans:
Certe incuſari falſo te crimine non vis,
Crimine falſo alios inſimulare noli:
Odiſti furem, furtum cave: perdere non vis
Per vim, quæ tua ſunt, nil violenter agas.
Pacta tibi dubio non vis mutare paratu:
Promiſſam certo pectore redde fidem.
Quæ tibi detraxit velles ſuccidere linguam:
Cura ſit ut nullum livida verba notent.
Mutua cumque petas, vis ſumere protinus æra,
Mutua poſcentem dextera prompta juvet.
Inflatos faſtu damnas: depone tumorem,
Quod fugis in celſis neſciat inferior.
Certe ſi ſoror eſt, vel mater, carave conjunx,
Quarum ne vitam fama gravis maculet,
Perpetui curam cauta pietate pudoris
Filius, aut Frater, ſive maritus agis:
Hæc veneranda tibi ſi nomine tentat adulter,
Ferrum in vindictam non ſatis eſſe putas.
Nonne eadem pœna reus es, ſi tu quoque furtim
Aggrederis caſtos ſollicitare toros?
Hinc fuit, ut Dominus prima ſub lege juberet
Penſari paribus crimina ſuppliciis.
Pro damno damnum, vulnus pro vulnere, dentem
Dente lui raptum, lumina luminibus.
Nec minus ut propriam ſub judice redderet audax,
Alterius cuperet qui rapuiſſe animam:
Judiciumque reus non poſſet dicere pravum,
Pravis decreta eſt ultio criminibus.
Et licet hæc melius mutarit gratia Chriſti,
Mitia quæ potius, quam violenta docet:
Aſt tamen eſt rectum quidquid jubet iſta, vel illa,
Seu cito reſtituas, ſeu patienter agas.
Hoc tamen eſt melior, qui Chriſto vindice gaudet:
Servet ſe Domino, quod dedit ille ſibi.
Ergo piis votis, & ſanctis perfice rebus,
Vita quod hæc præſens, quodque futura probet.
Ut te, quem raptim fugiens commendat honeſtas,
Perpes poſt obitum gloria ſuſcipiat.
Nam noſtris certus monitis, manſura memento
Omnia, nunc ſtulti quæ peritura putant:
Atque animas, iiſdem membris redeuntibus, ipſum
Crede recepturas corporis involuctum.
Ora, color, ſanguis, venæ, cutis, oſſa, capilli,
Ut nunc labuntur, ſic iterum venient;
Non modo quæ tumulis bene condita ſaxa reſervant,
Aut Arabum ſolidans pulvis, odorque tegit:
Sed dicto citius firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis:
Quod ventus flatu minuit, quod beſtia morſu,
Flamma quod exuſſit, quodque ruina premit,
Totum aderit, totum diverſa ex parte coibit,
Pars volucri, aut piſci, pars laniata feris:
Et quod nunc ætas ſenſim longæva reſolvit,
Id raptim Domini buccina reſtituet.
Ut pro factorum meritis, in corpore eodem,
In quo geſſerunt ſeu bona, ſive mala;
Scilicet ad motus animorum carne reverſa,
Pœna reos, juſtos gloria ſuſcipiat.
Cur autem dubites, cùm præcedentia monſtrent,
Ut tibi venturi ſit manifeſta fides?
Reſpice nudatas brumali frigore ſilvas,
Jam deſperatis luxuriare comis:
Quæ ſtabat mærens decuſſo palmite vitis,
Veſtitur foliis, fructibus induitur.
Spicæus denſis calamus flaveſcit ariſtis,
In terra granum quod modo putre fuit.
Et quæ nunc triſti ſquallebant arva veterno,
Læta novo rident germine, flore rubent.
Ipſe etiam, variis concluſus menſibus, annus
Tempore mutato mortis habet ſpeciem:
Cur ver autumno, frigus depellitur æſtu,
Utque hominum res eſt, hoc venit, illud abit.
Hoc tamen æterno, donec Deus annuit, uſu,
Inque vicem alterno volvitur officio,
Et dum ſe longi ſequitur rota mobilis anni,
Naſcitur, & moritur, ſuccidit, atque redit.
Nam finis noſter finem non accipit, & mors
Qua primo morimur, perpetuo moritur:
Victuro ſemper motu, ſenſuque manente,
Omnis perpetuo tempore vivit homo.
Vivet homo, fletus aſt hic mea verba ſequuntur:
Nam puto ſic hominis ſors melior fuerat
Cum ſenſu vitæ ſenſum deponere pœnæ,
Et natum innatis conſimilem fieri:
Quam nunc, peccatis toto dominantibus ævo,
Extingui vitæ, vivere ſuppliciis.
Nam rogo, ne credas diræ ad compendia pœnæ
Quod raptim ſontes debita flamma voret.
Ignibus æternis immerſos reſpice colles
Jugiter amburi, non tamen imminui:
Et gelidos fontes, & cærula flumina cerne
Fundere ſemper aquas, ſemper habere tamen.
Sic miſeros vindex ſemper populabitur ignis,
Ut ſemper ſervet pabula læta ſibi.
Hæc ſi falſa putes, merito poſt vera probabis:
At falſa effugies, ſi modo vera times.
Quare poſt mortem ſequitur ſi vita perennis,
Lætificans juſtos, diſcrucianſque reos;
Viribus & totis, & totis nitere votis,
Quæ rectum ducunt continuare vias:
Contere calcatum cum mundi Principe mundum,
Et fuge laſcivis credere deliciis.
Præcipue ſemper famoſos reſpice vultus,
Judiciumque tuis eripe luminibus.
Nemo feret rutilos intactis veſtibus ignes,
Nemo inter lituos non trahet aure ſonum.
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus aſſiduam non metet ungue rotam.
Nemo diu ſitiens, & multo ſole perultus,
Incumbet gelidis, nec potietur, aquis.
Nemo, vias pedibus brumali tempore carpens,
Conſperſus pluvia, nec madefactus erit.
Nemo, licet mediis muris, ſub tempore belli
Aut bene ſecurus, aut bene tutus agit.
Congreſſus præſtat viſum, mox lumina viſu
Concipiunt flammas, parturiuntque nefas.
Dum veluti jacto piſcantis fraudibus hamo,
Primo animus capitur, poſt etiam moritur.
Prima mali labes, heu! femina, te dolus anguis,
Ac hominem per te reppulit a Domino.
Erepti tu cauſa boni, tu janua mortis,
Tu decepta cito, tu cito decipiens.
Ergo age, qui nullo maculaſti pectora ſævo,
Et purus puro niteris eſſe animo;
Ut laqueos ignis validos, & acuta venena,
Cernere laudatam ſic fugies faciem.
Non ego nunc repetam per tot jam ſæcula quantos
Feminei vultus perdiderint populos.

Præ-

Prætereo clades Spartanas, Troica bella,
Et raptim excidium quam prope Roma tuum:
Cum gentes nulla Domini ſub lege, nec ullis
Sanctorum ad vitam perdomitas monitis,
Qua furor impulerat, laſcivus duceret error,
Eſſet & hoc licitum quod fuerat libitum.
De ſacris, inquam, de ſacris percipe libris,
Opprobrio quantis turpis amor fuerit.
Te Dinæ ſpecies nimio ſub amore ruentem
Extinxit, Sichem, cum patre, cum patria.
Nam male compreſſam fratrum pia cura ſororem
Permittit thalamo, vindicat in gladio.
Hunc quoque laudatum pſalmorum carmine David
Forma placens celſo depoſuit ſolio;
Cum male laſcivum comperto crimine corpus
Sacco contegeret, contereret cinere.
Thamar forma duos ſub eodem tempore fratres
Inceſti, & ferri perpulit in facinus:
Unus corrumpit, corruptam ulciſcitur alter,
Ultio quæ juſta eſt, deſinit eſſe pia.
Ipſe etiam Salomon, cujus ſapientia priſco
Tempore, & in toto nobilis orbe fuit;
Ducitur in facinus vetito laqueatus amore,
Femineo ſubdens turpia colla jugo:
Et Domini immemorem merito præconia laudum,
Quæ juvenem ornarant, deſtituere ſenem.
Forma placens regi leto te tradidit Aman:
Forma tuum rapuit dux Oloferne caput.
Illum mirifico famoſum robore Samſon
Forma decens ſævis tradidit Allophylis.
Sanctuſque, & victor per tot modo prælia miles,
Heu! male femineis ſubditur arte choris,
Ut jam pollutus; pariunt quia crimina pœnam;
Oſcula virginibus, terga daret gladiis.
Tu quoque Levitis tantum dilecta, nec uxor,
Inſano juvenum ſubdita nocte toro,
Vindictæ ſtudio totas in bella dediſti,
Perdere contentas ſive perire Tribus.
Ut membris lacero diſperſis funere Gabaat
Efficeret diris ignibus uſta rogum.
Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Expediam, quantum forma placens noceat.
Laſcivo clamat benedictus Apoſtolus orbi,
Dans etiam licitis jura ſevera toris;
Conjuge poſſeſſus, contemta conjuge liber,
Non ſimilem cauſam relligionis habent.
Conjugis implicitum detentat cura maritum:
Solum vult cælebs emeruiſſe Deum.
Sed quia nonnumquam ſuccumbunt lumina formæ,
Ancipiti rectus labitur in bivio.
Si purum maculare animum parat impius hoſtis,
Semper ovans caſtam ſollicitare fidem:
Accipe tela quibus cordis pia mœnia ſerves.
Crux tibi ſit clypeus, crux tibi ſit gladius.
Supplicibus lacrimis, gemitu, prece, pectore tunſo,
Quære ſaluttiferum nocte, dieque Deum.
Ac ne paulatim facilem ſpes palpet amorem,
Lapſum a præcipiti perge referre pedem.
Non ignarus enim miſeris ſuccurrere quæro,
Omnia perpeſſus, quæ fugienda loquor.
Reſpicis ad formam? ſed ſævas reſpice pœnas,
Reſpice quid laudes, reſpice quid timeas:
Interniſque oculis, & vero lumine cerne,
De terra ad Cælum, deque homine ad Dominum.
Hic brevis eſt fine exiguo claudenda voluptas.
Illic perpetuo ſulfure flamma vorax.
Audi clamantem magna cum voce propheten,
Seu mandata legas priſtina, ſive nova:
Quæ laus in vultu eſt; fœnum omnem credite carnem,
Quippe ut flos fœni gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit æſtus,
Contundunt imbres, fortior aura rapit:
Sic vultum, quicumque placet, conſumere tempus,
Et tumor, & livor deſpoliare poteſt.
Atque ipſam ut taceam, quæ conterit omnia, mortem,
Quanta licent morbis, febribus, ulceribus?
Hi modo, qui canent albo ſordente capillo,
Collatas olim non timuere pices:
Pendula, quæ mærent rugis deformibus, ora
Protulerant vanum conſpicienda decus.
Qui nunc in laxa tremulus pes pelle vacillat,
Vix dederat tenui ſigna notata ſolo.
Cervix, colla, manus, & quod nunc omnibus horret,
Heu miſeris quondam cauſa furoris erant.
Lumina, quæ madidus deformia ſubluit humor,
Stellarum rutilæ ceu micuere faces.
Reſpice quod paucis floret, nec permanet, annis,
Et tamen æternis culpa manet lacrimis.
Ergo puellares vultus, formaſque decentes,
Aut verſo, aut merſo deſpicies capite.
Atque ut ſis penitus ſic corde ut corpore purus,
Ut nullum facias ſuſpicione reum;
Da ſtudium, curas, & ſemper providus opta,
Ut tibi ſit nulla ſemina juncta nimis.
Amittet vires, ſi non ſint obvia, ventus.
Pabula ſi deſint, irritus ignis erit.
Ac ne mandatis tantum pars una putetur
Ad vitæ rectas ſollicitata vias:
Si qua viri diſcunt, credat ſibi femina dici,
Et meritum, & pœnas hic quoque ſexus habet.
Oderit ignotos audax attendere vultus,
Seque tamen notis addere luminibus.
Nam male permixto ludentia lumina viſu,
Blande ſæpe ſolent ore tacente loqui.
Atque amor, ut lacrimæ, quas fandi injuria cogit,
Ex oculis ſurgit, pectoris ima petit.
Ergo ea, qua juvenes præcepti lege monentur,
Hac fugiat cunctos femina caſta viros.
Jam ſi corporeas calcaris corpore caſto
Illecebras, reliquum decute cordis onus.

De Invidia.

NAmque ſubire ſolet nigri de felle veneni,
Multiplicis mater criminis Invidia.
Invidia infelix mortem moritura paravit:
Angelus hac celſi decidit arce poli;
Dumque hominem properat cæleſti pellere regno,
Detrudi in tenebras ipſe prior meruit.
Hinc Domini in cunctos vindex ſententia venit:
Omnibus hæc reliquis mortibus una rea eſt.
Hæc belli rabies, hæc eſt diſcordia pacis,
Plus ſibi, quam cui vult ſæva nocere, nocens.
Hæc Joſeph nimio fratrum ſub crimine cauſa
Primum ſervitii, mox fuit imperii.
Hæc juſti fratris maculavit ſanguine Cain:
Hæc David mortis quam prope cauſa fuit.
Cum jam confecto ſolius robore bello,
Extolli nollet laude ſocer generum.
Hac primæ cogente gemens operarius horæ,
Vincere ſoſſorem nititur undecimæ.
Hæc poſtrema dedit Crucis in ludibria Chriſtum,

 Dum

Dum peragit livor crudelitatis opus,
Et præceps populus ſigna, & miracula rerum
Obtutu cernit, pectore non recipit.
In tantum ſtudiis furialibus improba cunctos
Ah! verum in facinus verterat invidia:
Ut non neſcirent, ſed nollent credere, quod tunc
Eſſet per Dominum glorificandus homo.

De Avaritia.

NEc cura leviore dehinc vitare memento
Unius innumerum crimen Avaritiæ.
Omnibus in terris, quas ſol videt, æquora claudunt,
Quaſque dies adeunt, quaſque tegunt tenebræ.
Ignoto nobis quidquid diffunditur orbe,
Omnibus in regnis, omnibus in populis,
Infectis morbo multorum mentibus, hæc eſt
Radix, cauſa, caput, fons, & origo mali.
Innocuos quidquid Dominus formarat in uſus,
Hæc male mutatis perdidit officiis.
Quid quereris diros portus, ventoſque furentes,
Triſtia famoſis æquora naufragiis?
Tu cæſam ſilvis annoſo robore quercum,
Si lignis non eſt utilis, adde focis.
Contentuſque tuo, ſubmotum ſi qua per orbem
Naſcuntur, patiens crede negata tibi.
Et pelagi motus, & ſævas flare procellas
Securus tuto litore perſpicies.
Uſum naturæ vitium feciſtis avari,
Nata bona, & pravis uſibus eſſe mala.
E terra genitum terrena in munera ferrum,
Falcibus incurvum, vomeribus rigidum,
In cædem, & diras, bellorum crimina, mortes
Armamus contis, miſſilibus, gladiis;
Pelleret ut frigus, violentum accepimus ignem,
Pelleret ut tenebras, diſcoqueretque dapes.
Cœpimus inſani flammas immittere tectis,
Atque exurendis ſubdere corporibus,
Tamquam eſſet parvum prædandi in crimine crimen,
Ni ferret ſparſas ſanguine raptor opes;
Et miſeros pœnis variis vis ultima cogat,
Cum quod habent perdant, dicere ſi qua latent.
Fratribus inviſos fratres, vitamque parentum
Exoſam natis fecit avaritia.
De vero falſum, de falſo fingere verum
Sæva per innumeras hæc docet inſidias.
Hac faciente reus dum partem ſubtrahit auri,
In mortem totus tranſiit Ananias,
Nec ſolus, ſociam nam fœdi in crimine falſi
Conjunxit miſero par quoque pœna viro.
Hæc miſeros homines mortis ſub tempore fecit
Non bene poſtremis fidere judiciis:
Subduntur tabulæ, conquiritur undique teſtis,
Ore ferens falſum, pectore vera premens:
Scalpuntur gemmæ ſimiles, manus improba diſcit
Heu! male mentitas aſſimilare manus:
Ut Pater alterius factus credatur, & hæres
Non poſſit proprii filius eſſe Patris.
Hac duce cuſtodes inter ſecurus adulter
Pervenit ad caſtos muneribus thalamos.
Itur in omne nefas animis, manibuſque paratis,
Aurum ſi pretium conſtituas ſceleris.
Dic rogo, quid miſerum tantus furor laxat habenas,
Ut tibi ſat non ſit, quod tibi jam ſatis eſt?
Immenſis properas terris conjungere terras
Claudendus parvi marmore ſarcofagi?
Alterius damno fieri locupletior ambis?
Quod rapis ex aliis, mox erit alterius.
Et curſu celeri ſic poſt amiſſa dolebis,
Ut doluere illi, qui tenuere prius.
Ceu non caſuras immenſas conſtruis arces,
Ipſe tamen raptim qui moriturus eris?
Cum itur in ſomnos, tenuato lucida vitro
Marmoribus variis lubrica cella tibi:
Tamquam non adeat lignis coeuntia tecta
In bene ſecuro pectore tuta quies.
Certe non aliter ſitientia proluit ora,
Quem palmæ obtulerint, quem cara gemma, liquor:
Et ſic ſuſcipient rabidi jejunia ventris,
Quos cryſtalla dabunt, quoſque patella cibos.
An non pellendo glacialis frigore brumæ
Hirta tibi melius pallia præbet ovis;
Quam quæ, lentato per lubrica fila metallo,
Alternos frangit veſtis onuſta gradus?
Quo tibi perlucens habitus, qui tegmine raro
Ofterat ignotis membra tegenda oculis?
Argentum, atque auri moles, & gemma coruſcans,
E mundo, & mundi eſt, hinc venit, hic reſidet.
Veniſti in mundum nudus, nuduſque redibis:
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.
Ferre tamen poteris contemta hic munera mundi,
Mitte ſecuturus, quæ duplicentur, opes.
Nam ſervata nimis, quæ mox bona, non tua fient,
Si tibi non ſerves, ſic erit ut tua ſint.
Munera quæ donat moriens, hæc munera non ſunt,
Donat enim quod jam deſinit eſſe ſuum.
Qui ſanus, metuenſque nihil, qui mente quieta,
Qui ſibi dum vivit dempſerit, ille dedit:
Quodque ſibi dempſit, melius reparabitur illi:
Integra mox capiet, qui peritura dabit.
Condita nam Cælo non fur, non auferet hoſtis,
Non tinea, aut pluviæ, flammaque carpet edax:
Cælo autem condes quidquid pro nomine Chriſti,
Chriſtum reſpiciens pauperibus tribues.
Qui poſt aſſumtæ carnis myſteria dicit:
Veſtior in nudis, ſublevor in miſeris,
Viſitor in clauſis, curor conſotus in ægris,
Adiuvor in parvis, protegor in viduis,
Et quodcumque facis miſeris, vel non facis, illud
Crede mihi fieri, vel mihi non fieri.
Ac ne pauperiem pauper prætendere poſſis,
Ut color injuſtæ detur avaritiæ;
Si tibi non fuerint ſumtus, quos quærit egenus,
Non cibus, aut calida eſt, qua foveatur, aqua;
Cum poſcit gelidus ſitiens ſub nomine Chriſti,
Oblatus poterit præmia ferre calix.
Hoc, quo quiſque potes, miſerum ſolare rogantem,
Et ſi defuerint munera, vota dabis.
Ipſa etenim ante Deum non eſt peritura voluntas,
Si bene non poterit, qui bene vel cupiet.
Hinc fuit, ut Dominus monitis felicibus omnes
Conjungi vellet pacis amore homines.
Et quæ per ſanctos prædixerat ante prophetas,
Diſcipulis proprio traderet ore ſuis:
Dum nihil injuſtum, nil durum, nil violentum,
Nil leve, nil cupidum, nil grave, nil varium,
Vel facere in rebus, vel verbis dicere poſſet
Caſto ſervatus pectore pacis amor.
Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cum ratione datur;
Et cum flammiferis frigentia, mollia duris,
Siccis cum pugnent humida, lenta citis;
Omne per ignotas tacito moderamine cauſas
Uno conſociat fœdere pacis opus.

SS

Sic modo, ſi parvis cupias componere magna,
Corporeum frænat pacis amor populum,
Ut ſub terreno ſociatus principe diſcat
Regi Cælorum ſolvere vota ſimul.
Ergo mei ſimilis peccator, me minor immo,
Omnes criminibus namque ego vinco meis,
Pacem placatus, pacem quoque læſus amato,
Pax in viſceribus, pax ſit in ore tuo.
Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,
Offenſam teneant tempora nulla tuam:
Ut te ſol blandæ ſervantem vincula pacis
Deſerat abſcedens, inveniat rediens.

LIBER SECUNDUS.

SI monitis gradiare meis, fidiſſime lector,
Cærula ſecurus colla premes colubri
Cumque aderit Chriſtus iudex, mox obvius ibis
Per tenerum blandis aera recte notis.
Tantum ut mandatis quovis ſub tempore iu iſtis
Prætereat curam portio nulla tuam.
At ſi ventoſæ moveat te gloria linguæ,
Quam ſuadet vano Tullius eloquio:
Sin fugienda, jocus, convivia, ſermo, voluptas,
Sique etiam æquævis diſſociande tuis;
Quo ſtudio noſtri ſervabis verba libelli,
Ut vitæ meritis conſociande Deo?

De vana Laude.

PRæcipuus labor eſt blandam contemnere laudem,
Quæ trahit in præceps ambitioſa homines,
Et ſemper tacito feſtinat ad intima motu,
Viſceribuſque ipſis peſtis acerba ſedet.
Omnia dum volumus, facimus quæcumque probari,
Utque ſuis nullus non faveat vitiis.
Lenito titulo parcum ſe dicit avarus,
Acris velatur nomine ſævitia,
Ac ſtudiis totis, & tota nitimur arte,
Ut quidquid loquimur, vel facimus, placeat.
At tu ſi Chriſto ſoli vis eſſe probatus,
Gloria quæratur nulla tibi ex homine.
Nam cum dejectus, mox exaltabere, eriſque
Pro Domino parvus, magnus apud Dominum.
Contemtum vexet quæcumque injuria, nulli,
Si male pertuleris, par quoque redde malum.
Ecce Patrem Chriſtus pro ſe lacerantibus orat:
Supplicat & Stephanus, ſupplicat & Jacobus.
Dum mici, magnoque animo licet ultima paſſi
Pœnarum nulli cauſa volunt fieri.
Nullum læva reum faciat ſententia, nullum
Auſtero properes plectere judicio.
Feſtucam tenuem fraterno in lumine cernis,
Luminibuſque tuis neſcis ineſſe trabem.
Injuſte alterius cupiet deſcribere vitam,
Aſſertor vitæ qui neſcit eſſe ſuæ.
Sed nos damnati vitiis inſiſtimus, & quæ
Ipſi perſequimur, mox etiam facimus.

De cavendo mendacio.

FAllere crede nefas, durat ſententia dicens:
Os, quod mentitur, morte animum premit.
Et quod verax eſt, ſemper dixiſſe memento,
Et non quod non eſt ſermo tuus reſonet.

De gula.

DUlci præterea frænos impone palato,
Ne ſapor antiquus ſæviat illecebris.
Illos cælorum donis, regniſque potitos
Fecit mortales ambitioſa gula.
Dum magis in vetitum ruimus, cupimuſque negata,
Et quod difficile eſt, hoc potius volumus.

De Ebrietate.

PRæcipue largo venas perfundere vino
Reſpue, ne raptim vina venena fiant.
Ut nimiis quoties ſitit æſtibus arida tellus,
Solers in fructus quam parat agricola;
Si prius evulſas quam Sol internecet herbas,
Irrorent madidos nubila denſa dies.
Protinus & ſentes, & gramina noxia meſſi
Seminibus victis, heu male læta feret.
Corpora ſic multo fuerint quæ dedita vino,
Conſiliis pereunt, luxuriant vitiis.
Et quid ſordidius, quid erit deformius umquam
Quam ſi te tibimet ſubtrahat ebrietas?
Cum caput huc illuc vergat, greſſuſque vacillet,
Menſque neget ſenſum, lingua tenere ſonum,
Claudantur gravido vergentia lumina ſomno,
Quid facis ignores tu quoque, cum facias.
Quid loquar oblatum, vultu fumante, calorem,
Et male compoſitis verba ſoluta modis?
Labentes manibus calices, menſaſque per ipſas
Immixtos vino ſæpe redire cibos,
Teque per innumeros, cum vult mens ſaucia, motus,
Vel gaudere nimis, vel modo flere nimis,
Et nunc ſaltatu vergentia membra rotare,
Nunc dare laſcivis brachia mota choris.
Exclamare libet vino, dapibuſque ſepultum,
Forte etiam proprii nominis immemorem,
Ejus, qui donet largus tibi talia, quando
Orandi ſubeat tunc pia cura Dei.
Paſcere tam magno ſumtu quot poſſet egenos?
Quotque dies lætos hæc daret una dies?
At te nunc ſaturo pauper jejunus oberrat:
Tu vinum revomis, vix habet alter aquam:
Et ſi forte cibum vox poſcit egena, negabis
Ollis, queis nihil eſt hoc tibi quod ſupereſt.
Sentio jamdudum tacitum te dicere, lector,
Vera quidem, ſed ſunt ardua, quæ ſtatuis.
Ardua præcipimur de terra ſcandere cælum.
Non eſt quod parvo ſtare labore putes.
Magnus enim labor eſt, ſed merces magna labori:
Præmia qui ſperat, deſidiam fugiat.
Palmam nemo feret, niſi qui certaverit ante:
Non niſi Victori blanda corona datur.
An tibi perfragiles mundi quærantur honores
Munere quos ſperes emeruiſſe hominem?
Quidquid id eſt variis quod vexat corpora curis,
Dum celeri vitam currimus in ſtadio:
Contemtum, pluvias, frigus, jejunia, rixas
Contento poteris ſuſtinuiſſe animo.
Diſcurrens urbem totis luſtrare diebus,
Vix media feſſus nocte redire domum.
Continuoque iterum prima conſurgere luce
Et clauſas poſſis primus adire fores.
Et cum te tenuis per dura ſedilia ſomnus
Compulerit feſſum depoſuiſſe caput,
Ille prior forſan qui ſerior adſuit ibi
Atria pulſabit, ſtulta querela notus.
Aut ſi lictorem tanget vox clarior, opta
Ut bene ſubmotus, nec male cæſus eas.

Sed

Sed fac, quod rarum eſt, ut victus Janitor auro,
Ac precibus tandem dicat, adire potes.
Ingrederis lingua blandus, vultuque modeſtus,
Corpore ſubjectus, nil tamen iſta juvant.
Omnis honor pretii eſt: ibi pro pondere nummi:
Carta ſeu foliis, ſive potens tabulis.
Nam ſi ceſſarit dives manus, irrita res eſt.
Et ſi verba dabit, tu quoque verba feres.
An honor arriſit, quem ſemper in ordine mos eſt
Sumere ſero quidem, ſed potuiſſe cito?
Nam quod tu dederas, mox conferet alter, & alter:
Quod multi cupiunt, nemo diu tenuit.
Fac tamen ut longum durans honor inflet, agat te,
Numquidnam finem non habiturus erit?
Finge, age, manſuri ſignent tua nomina faſtus,
Atque tuo felix annus eat titulo.
Quid tandem prodeſt, cum deſinit eſſe poteſtas?
In quo ſentitur quod fuit, atque abiit?
Et quod paulatim ſuccedens neſciet ætas,
Et quod ſi ſcierit, quid tibi merces erit?
Sed qui terreno tantum dependis honori,
Tantaque nunc homines ambitione colis,
Ut Domino placeas, cujus ſunt omnia Chriſto;
Inſuper & regnûm promereare Dei,
Antefereos verum falſis, ingentia parvis,
Vilia magnificis, perdita perpetuis,
Devotum vincet quæ tandem injuria pectus?
Et quid erit celſum? quid tibi difficile eſt?
Namque nihil durum eſt, cum ſpes ſuccedit, & omnis
Pervenit ad fructum victus honore labor.
Et fructum, toto qui duret tempore, quem non
Auferat ambitor, prodigus, impatiens?
Audis ſpondentem Dominum nova præmia juſtis,
Promiſſis ſemper qui meliora dabit.
Non conſpecta oculis, non auribus inſinuata,
Ipſo non ſenſu præmeditata prius.
Non tibi diſtillant pretioſo cortice myrrhæ,
Thuris odorato ceſpite terra tumet.
Adde thymum, violas, caſias, melilota, crocumque,
Candida puniceis lilia junge roſis.
Cum tot in his terris peccator munera ſumas,
In Cælis ſanctus quæ bona percipies?
Finge, age, quid clarum? quid pulchrum? quid pretioſum?
Et totum magnum quidquid in orbe putas.
Hoc meritis dandum felicibus, aurea tecta
Gemmatos poſtes, purpureumque ſolum,
Ruraque vernanti ſemper redolentia flore,
Lacte, & melle ſimul flumina plena trahi.
Nec, quia conſcedunt animos, & mente videntur,
Inferiora illis crede futura bonis.
Nec vereare tamen longo ne tempore victus,
Impar mandatis repperiare Dei.
Nil habet hæc longum, longo licet acta rotatu,
Quo nunc perfruimur tempore, vita brevis.
Laſſa ſeneſcentem deſpectant omnia finem,
Et jam poſtremo volvitur hora die.
Reſpice, quam raptim totum mors preſſerit orbem,
Quantos vis belli perculerit populos.
Condenſi nemoris, celſi non aſpera montis,
Flumina non rapidis fortia gurgitibus,
Nec caſtella locis, non tutæ mœnibus urbes,
Invia non pelago, triſtia non heremo,
Non cava, non etiam metuendis rupibus antra
Ludere barbaricas prævaluere manus.
Multis ficta fides, multis perjuria, multis
Cauſa fuit mortis civica proditio.
Inſidiæ multum, multum vis publica fecit.
Robore quæ non ſunt, ſunt ſuperata fame.
Concidit infelix cum prole & conjuge mater,
Cum ſervis Dominus ſervitium ſubiit.
Hic canibus jacuere cibus, flagrantia multis
Quæ rapuere animam tecta dedere rogo.
Per vicos, villas, per rura, & compita, & omnes
Per pagos, totis inde, vel inde viis,
Mors, dolor, excidium, ſtrages, incendia, luctus,
Uno fumavit Gallia tota rogo.
Cur tamen enumerem labentis funera mundi,
Quæ per conſuetum ſemper aguntur iter?
Quid repetam quanti toto moriantur in orbe,
Ipſe tuam videas cum properare diem?
Prætereo gladiis quantum, quantumque ruinis,
Igni, graminibus, fluminibus liceat.
Quantos bella, fames perimant, morbique furentes,
Et quæ per varias mors ruit una vias.
Quantos & mediæ pacis ſub tempore, ut eſſe
Pax poſſit, cruciat debita pœna reos.
Omnis paulatim leto nos applicat hora,
Hoc quoque quod loquimur, tempore præmorimur.
Et per labentes tacito molimine curſus
Urget ſupremos ultima vita dies.
Cum cibus, & ſomnus, dum verba, & pocula mulcent,
Sive domo ſedeas, ſeu peregrina petas,
Dumque geris quodcumque geris, vel non geris ultro,
Mors movet alternum nil remorata pedem.
Cereus ut cæcæ poſitus ſub tempore noctis
Compenſare diem luminis officio,
Dum non ſentimus, lento conſumitur igne:
Semper & ad finem flamma vorax properat:
Sic hominum res eſt, pereunt quæcumque geruntur,
Proficit & moritur quod tibi vita trahit.
Sed fac vivacis ſpatia hæc tam longa ſenectæ,
Orbis ut immunis funera reſpicias.
Sero licet veniat, veniat tamen ille neceſſe eſt,
Qui non in totum finis abeſſe poteſt.
Jam quæ naſcuntur, creſcunt poſt, atque ſeneſcunt,
Et ſenio feſſis nil niſi mors ſupereſt.
Intereunt decies qui ternos vixerit annos,
Atque illum vixit quomodo milleſimus.
Poſtquam poſtremus finis retinebit utrumque,
Certe ſupremo tempore mortis idem eſt.
Quid vitam traxiſſe juvat, ſi vivere ceſſas?
Quæve bonis merces, ſi teneare malis?
Cum, niſi dum frueris, fructu tangere fruendi,
Et vita hæc vitæ vivat in officio.
Jam quod jam fuerat nihil eſt, ſi deſinit eſſe,
Et quod non ſentis, non juvat, an fuerit.
Quid tandem prodeſt, ſi te jejunia vexent,
Heſternis large membra oneraſſe cibis.
Cumque tua hodie ſtringit aſſidua ſitis,
Ante diem nimio præmaduiſſe cibo?
Cum mediis celeri quæ ſunt decurſa rotatu
Eripiat ſenſum non reditura dies?
Sed nos decurſæ primævo flore juventæ
Jam dubii greſſu, lumine, voce, manu,
Cum quidquid fuimus dolor eſt meminiſſe, fidemque
Omnibus eripiant proxima præteritis;
Incurvos, querulos conſumpto corpore numquam,
Hæc quoque, quæ gravis eſt, vita ſatis ſatiat.
Hinc eſt quod toto penitus velut orbe remoti
Spectamus toto quidquid in orbe perit.
Nec miſeros alio tamquam ſub Sole manentes
Mortis nos propriæ mors aliena monet.

Ante

Ante oculos, longeque ſimul fraudamur amicis,
Luminibuſque illinc, hinc venit aure dolor.
Intereunt dulces ævo vergente parentes,
Eque ipſo conjux eripitur gremio.
Et fratris fratrem mors e complexibus aufert,
Et natu forſan junior ille fuit.
Ordine nec vitæ ſenior ſubducitur ætas,
Cum videat nati funera ſæva pater.
Nemo tamen cautus credit, quod cernit, & illum
Quod non vult cernit ſe quoque poſſe pati.
Hoc tamen inde venit, factis quia ſemper iniquis
Mortem perpetuum ducimus eſſe malum.
Et quas criminibus pœnas lex ſancta minatur,
Serius excipere credimus eſſe lucrum.
Felix qui licitum finem putat eſſe laborum,
Quid pœnæ timeat caveat ante timens.
Felix qui magnum, magnaque indage movendum
Urbibus, & populis nobile judicium,
Conſtanti ſperare animo, vultuque ſereno
Securus vitæ de probitate poteſt:
Quem faciat certis bene mens ſibi conſcia cauſis
Sub tanta intrepidum mole tenere caput.
Illic imperio quondam, regnoque potentes,
Illic conſpicui faſcibus, & trabeis,
Queis aurum lectis dapibus, criſtalla Falerno,
Subſtratoque oſtro mos onerare toros:
Robore famoſi, laudati munere formæ,
Ac male fidentes corporeis opibus:
Quorum venter erat Dominus, laſcivia votum,
Spes in præſenti, gloria divitiæ.
Qui neglexerunt miſeri vel morte ſub ipſa
Claudendis Dominum quærere luminibus.
Pœnam expectabunt clauſi. nunc quære doceri,
Quam pœnam: factis congrua pœna manet.
Hos tenebræ juges cœca ſub nocte manebunt,
His lumen tenue flamma ſevera dabit.
Iſti ſulfureo flagrantes igne caminos
Coguntur laceris ſcandere corporibus.
Illos conſtringet violento infuſa rigore
Flatibus hibernis dura gelu glacies.
Et cum tam diſcors pugnet natura gehennæ,
Nominis unius vis tamen eſt varia.
Nec tam diverſa poſſis dignoſcere pœna,
Igne ſit, an gravius frigore ſupplicium.
Non quot nos iſtic terrena morte peremtis,
Excipient unam crimina multa necem.
Cum quamvis ſævus pro rerum pondere judex
Non aliud poſſit, quam rapuiſſe animam.
Et quodam ſcelerum lucro ſi plurima reſtent
Vindictam reliquis ultio prima neget.
Aſt iſtic omnis perſolvet in ordine noxas,
Succedens factis congrua pœna ſuis.
Atque unum corpus per ſingula membra patebit
Quot patuit vitiis, tot quoque ſuppliciis.
Altera crudeles, lex altera plectet avaros,
Facta aliter ſolvent, & meditata aliter.
Eſt ſua perjuris, eſt & ſua pœna ſuperbis,
Atque alia effuſi cauſa cruoris erit.
Invidus, impatiens, mollis, falſator, adulter,
Et vini totus, totus & illecebræ.
Dextera cæde nocens, lingua in convitia promta,
Pervaſor, jactans, impius, indocilis,
Judicii ante diem pœnas dabit, ut neque parvum
Supplicii ſpatium det mora judicii.
Ambibunt alios ſinuoſis flexibus angues,
Aſt alios candens igne catena teret.

Omnia plena illic lacrimis, terrore, dolore,
Et vox nulla, niſi quam dederit gemitus.
Et quidnam ulterius per ſingula crimina curram
Vexabunt diris quæ miſeros crucibus,
Quando etiam incauto ſi quid nunc ore loquaris,
Sermonis ratio eſt diſcutienda tibi?
Hos inter verum Dominum quicumque negarit
Summittens laxis, ſtipitibuſque caput,
Ille miſer vere, nec erit miſerabilis ulli,
Excipiet ſolus quidquid ubique nocet.
Innumeri vermes morituro in corpore vivent,
Nec finis fumo, quem dabit ignis, erit.
At parte ex alia blandorum verba piorum,
Qui nec vexati reſtituere malum,
Auxilium miſeris, victum tribuere petenti,
Affectum notis, ſervitium patribus,
Inſtar flammantis fulgebunt lumina Solis,
Velati niveis ſplendida membra togis.
Præcipueque illi, quos Chriſti in lege paratos
Excipiunt noctes, inveniuntque dies,
Queiſque fuit votum niveam baptiſmate veſtem
Numquam femineis commaculare toris,
Corpore nec ſolo, ſed toto & pectore cauti,
Et qualem lector te meus eſſe velim.
Vel jam felices, quæ prima eſt gloria, victis
Lucis & infidi corporis illecebris,
Veram quærentes vitam, pro nomine Chriſti
Fundere devotas non timuere animas,
Atque Sacerdotes hoc ſanctum agmen habebit,
Secretoſque hominum turbinibus monachos,
Qui nunc ſpernentes blandæ oblectamina famæ,
Venturi ſperant præmia judicii.
Mollia ſecuris ducentes otia rebus
Pro merito vivunt nunc bene, poſt melius.
Namque ipſi denſo ſtipabunt agmine regem.
Cum terris Judex inſtiterit Dominus,
Atque omnes, Agnus quoquo ſe verterit, ibunt,
Perfuſi vero lumine, luce Dei.
Et tantum ipſorum capient vegetata decoris
Cernentum ut non ſint ora videnda oculis.
Ergo ubi terribilem dederit cava buccina cantum,
Adventum tandem teſtificanda Dei;
Mox longis tellus rimis divulſa patebit,
Ac paſſim flammæ, fulgura, grando ruent.
Imis concuſſo penitus de ſedibus orbe,
Dum totæ fervent inde, vel inde viæ,
Hinc triſtis gemitus, illinc pia gaudia vitæ,
Una in diverſis vox erit agminibus.
Atque omnis raptim celeratis greſſibus ibit,
Deducens ſobolem, proſapiamque pater.
Cunctaque contento ducetur linea tractu,
Cum fuerit medius progenitor genitis.
Nec tibi famoſas urbes, genteſque remotas,
Regnaque, quæ nunc ſunt, quæve fuere, loquar.
Frigore non ſegnes populos, non ſole peruſtos,
Quoſque habuit naſcens, occiduuſque dies.
Sed fuit a primi genitum quod tempore mundi,
Uſque diem mundo qui modo finis erit.
Omnibus e terris animas, juſtaſque, reaſque
Uno conſtituet juſſio prima loco.
Nec tamen ulla illinc tanta inter millia perget,
Quæ non ſit Domino dinumerata ſuo.
Mox rutilum ſcandens eadem cum carne tribunal,
Quem cælo intulerat, glorificans hominem.
Omnia, quæ reliquis labantur in ordine ſeclis,
Quæ tunc, quæve dehinc lege manente fiant,

Ore ſacer, celſus ſolio, terrore videndus,
Conſpicuus, ſed vix conſpiciendus aget:
Atque inter flammæ tractus, ſonituſque tubarum,
Angelicoſque choros, militiamque ſacram,
Inter & infantum, matrum, juvenumque, ſenumque
Pallores, fletus, gaudia, vota, metus;
Ultima ſuſpenſæ dabitur ſententia turbæ,
Quæ ſacro ſancti judicis ore ſonet.
In requiem, & laudem juſtorum perge caterva,
A regno numquam diſſocianda meo,
Quæ vobis gnarus meriti, vitæque futuræ
Dat modo, ſed dudum dona parata Pater.
At tu mandatis ſemper contraria noſtris,
Impia tartareis claudere turba locis.
Illic ſtridorem dentes, & lumina fletum,
Ignibus immodicis diſcrucianda dabunt.
Et tamen, ut vere maneant quæcumque jubentur,
Hæc erit æterni formula judicii.
Gloria, quæ juſtum, ſummota morte, tenebit:
Atque reus pœnæ non moriturus erit.
Hæc ego debueram factis tibi tradere, lector,
Ut pondus verbis vita probata daret.
Sed quia negligimus miſeri quæcumque monemur,
Et ſatis eſt levius diſcere, quam facere;
Tu ſi commendes animo demiſſa per aurem
Omnia, quæ ſcriptis ſunt numerata meis:
Conſtanter dicam, cæli ſtatione receptus,
Diſcuties ſævæ vincula dura necis,
Atque etiam fueras qui filius ante gehennæ,
Incipies ſummi filius eſſe Dei:
His illud ſupereſt, ſine quo nihil omnia proſunt,
Ut Chriſtum credas de Patre, cumque Patre.
Spiritus & Sanctus nullo diſcrimine junctus,
Unum conſumment nomina trina Deum.
At tu cum legis noſtrum quicumque libellum,
Noſtri, ſeu malus eſt, ſeu bonus, eſto memor.
Et quoties Dominum perlecto carmine Chriſtum
Orabis; ſimus ſemper in ore tuo.
Quod non me primis credas injungere labris,
Neque iſtud tuto diſſimulare putes.
Sic te nulla dies curis compungat amaris:
Sic Chriſto totum quidquid agis placeat:
Sic ſumas ſanctam dono tradente coronam:
Nominis abſcedat ne tibi cura mei.
Ut peccatores vincens *Orientius* omnes
Sanctorum veniam promereat precibus.

De Nativitate Domini.

SPlendidior lux luce micat, majorque diei,
Fulget clara dies, toto feſtivior anno:
Natalis quæ lecta Deo, qua naſcitur ille,
Cum Patre qui ſemper cæli in conſortia regnat.
Virtus magna Patris carnis primordia noſtræ
Mox hominem in cælum revehens, ſic morte peracta
Sumere qui carnem voluit, nec carne ſeneſcit.

De Epithetis Salvatoris Noſtri.

JAnua, virgo, Leo, Virtus, Sapientia, Verbum,
Rex, Baculus, Princeps, Dux, Petra, Paſtor, Homo,
Retia, Sol, Sponſus, Semen, Mons, Stella, Magiſter,
Margarita, Dies, Agnus, Ovis, Vitulus,
Theſaurus, Fons, Vita, Manus, Caput, Ignis, Aratrum,
Flos, Lapis angularis, Dextra, Columna, Luer,
Mitis Adam, Digitus, Speculum, Via, Botruo, Panis,
Hoſtia, Lex, Ratio, Virga, Piſcis, Aquila,
Juſtus, Progenies Regis, Regiſque Sacerdos,
Nomina magna Deo; Major at ipſe Deus.

Item plus de Trinitate.

QUod fuit a ſeclis, quodque eſt in ſecula ſeculorum,
Semper erit, quia ſemper erat, ſine fine manendus.
Et ſuper omne, quod eſt, ſine quo nihil, omnia cui
Omnipatens Verbum, Verbum Deus omnipotens eſt,
Cum Patre qui ſolus, cum quo Pater, & Deus unus
Hoc erat, & nondum natum acceperat ortum,
Semen enim Chriſtus, Chriſtus primordia rerum,
Chriſtus honor terræ, tremor orbis, gloria Cæli,
Ex dominante Deo Rex, & Dominator in altis,
Unicus ante omnes genitus, genitore ſed illo,
Quem genuit nullus, per quem gignentia cuncta:
Quæſumus, optamus, tremimus, veneramur, amamus.
Ex toto totus totum diffuſus in orbem.
Non idem, ſed prorſus idem, ſimiliſque, ſimulque,
Tantumdem & pariter, ſic Filius & Pater unum.
Nomine diviſum nomen ſubſtantia mixta eſt
Conſummans ſacri myſteria ſancta profundi.
Plenitudo potens, ſibi dedita, nexa viciſſim
Trina poteſtatum concluſio parificatur.
Spiritus & volitans perfectio tota ſupernæ.
Ergo honor in Chriſto eſt, laus eſt Patris, in Patre Chriſti eſt:
Ipſe Patris mens eſt, & ſermo, & teſtis, & hæres.
Ipſe recognoſcit quantum Pater audet in ipſo,
Ipſe caput noſtrum, ſapientia, gratia, vita,
Ipſe hominum cuſtos, ſpeculator, & arbiter ipſe,
Ipſe ſalutis iter, luxque immutabilis, ipſe
De vero verus ſplendor, de lumine lumen,
De bonitate bonus, de pleno, & divite plenus,
Providus, indulgens, clemens, miſerator, abundans,
Perfectus, patiens, juſtus, bonus, immaculatus.
Æternum Æterni donum, tutela piorum.
Firmamentum animæ, fuga Dæmonis, arma fidei,
Perpetuum regnans, cenſor, judexque futuri.
Tempore non clauſus, clauſurus tempora juſſu,
Principium, ac finis, vegetator & intus & extra.
Velle tenens, & poſſe potens, & mite ſeverus,
Pax mundi & gaudium, pravique bonique director.
Dum mortale quod eſt Deus immortale probavit,
O felix Domini dominatio, nobile letum!
O miſeræ Gentis cor durum, & perfidus error!
Impie damnator, tua mors hoc ſtipite pendet,
Credule Confeſſor, tua vita hoc ſanguine vivit.
Flecteris judicante Deo, qui plectere viſus,
Salvavit populos, populus, quem odit iniquus.
Hic eſt ille ſuis reprobus prius, & maledictum,
Sputamenta hominum, petituri opprobria vulgi.
Hic, cui ſæva manus fel mixtum fudit aceto,
Palmea quem cæco violarunt verbera pulſu.
Aſpice, percuſſor demens, venerabile lignum,
Cerne prophanati victricia ſigna cruoris.
Eſt ne Deus vivus, Deus inſuperabilis hoſti,
Ultio, profugium, requies, lux, vita, fides, ſpes?
A Patre noſcendus quod ſit ſator, atque animator:
A Cruce quod vindex, propulſatorque gehennæ,
Errorum ablutor, pax fida, remiſſio larga,
Natus an ore hominis, paſſus ratione ſalutis,
Functus lege obitus, redivivus in æthera celſus,
Sede ſedens patria, ſuper omne ſalutifer ævo,
Unde humilem dignatus humum, remeabilis illo.
Peccati pretium, peccandi neſcius ipſe,

Par-

Participans ſamulos, conformans glorificatos.
En tibi quam pulcrum per limina noſtra tropæum,
Chriſte, micat; quam clara patri vexilla reportans,
Sanguinolentus adhuc, etiam quod & antea ſemper
In virtute potens, in majeſtate perennis.
Cur tamen hanc ſpeciem teneat crucis edita forma
Monſtrat adorandum tota ratione caracter,
Quod diviſa nota eſt in partes quatuor exſtans,
Dat mundi Dominum cognoſci, & Archangelos omnes.
Tot regis ipſe plagas, cæli quot crux videt oras.
Crux imitata pias orantis imagine palmas,
Crux teſtata Dei pacem depingit, & eſt pax
Quæ data per lignum eſt, pax ligno ſcripta tenetur.
Vis gratas mirator item ſpectare figuras?
Aſpice perfectum ſigni locupletis enigma,
P Græcum videas, caput eſt, vel brachia fixi.
Jota quod erectum eſt ſuſpenſio corporis hic eſt.
Littera proſequitur pœnam, fert pœna ſalutem,
Alpha dehinc juncta eſt, atque altera comminus eſt Ω.
Prima quod hic primus, poſtrema noviſſimus hic eſt.
Hæc elementa apicum, Deus hic ſuper omne elementum,
Omnia conveniunt cæleſti inſignia ſigno,
Cum ſubit in ligno, lignum Deus indicat eſſe
Materiem fructus; cum ramum extendere in altum,
Altior excelſis Dominus ſupereminet omnes.
Fixorum eſt medius, numerus dat trinus honorem.
Percutitur, cruor exit, aqua de vulnere facto
Exit, & ex ipſo mox ſanguis vulnere, nempe
Martyrium ſanguis, ſibi vindicat unda lavacrum.
Sic ope divina mors arbore, vitaque venit.
Per pomum, Protoplaſte, cadis: cruce Chriſte mederis.
Illic mortiferam draco peſtifer obtulit eſcam.
Nec mirum vix digna Deo ſi nomina mille
Laus numeroſa trahit, laus tot virtutibus impar,
Quot titulus peperere pii miracula Chriſti.

Explanatio Nominum Domini.

Janua, quod reſidet Cælo, ſecretaque pandat.
Virgo incorruptæ matris, cui partus origo eſt.
Et leo Rex hic eſt regum, rex ille ferarum
Dicitur & virtus, nihil hoc quoque fortior uno.
Unde autem dictus ſapientia? regula vitæ eſt.
Quomodo ſit verbum? patrio quia fluxit ab ore.
Cur modo Rex idem, modo Regis Filius idem?
Cum Patre quod ſolium cæli commune retentet.
Cur Baculus? lapſos quod ſublevet, erigat ægros.
Cur Princeps? ſubjecta throno quia cuncta gubernet.
Cur Dux militiæ cæleſtis? ab agmine ſancto.
Cur Petra? quod valido ſtatuat fundamine firmum.
Unde Bonus Paſtor? maculam quod ovilibus obſtet.
Nunc Homo: natus enim eſt, & carnem a Virgine ſumpſit.
Retia cur? ſparſas quod colligat undique gentes.
Cur Sol juſtitiæ? quia juſtum illuminat omnem.
Cur ſponſus? deſponſa Deo quod Ecleſia Virgo eſt.
Cur ſanctum? quod regna ferat felicia verbo.
Mons, quod in aſcenſum non omnibus ardua cedat.
Stella, quod incertos duce lumine diligat itus.
Unde Magiſter? amat famulantia corda docere.
Margarita: quid hoc pretioſius inveniatur?
Unde Dies? quod luce magis reſplendeat ipſe.
Tunc quia ſit ſanctus, innoxius Agnus habetur,
Qui potuit ſolus peccatum tollere mundi.
Et modo fertur Ovis, quod ſe jugulantibus aptet.
Dicitur & vitulus: contenta hoc paſſio monſtrat.
Fons quia purificat vitium baptiſmate largo.
Vita, quod æternum dat vivere vivificatis.
Eſt manus, occurrit virtutum operatio dives.
Eſt caput, in promtu eſt, quo noſtro auctore creemur.
Ignis in hoc, quod adhuc probatio noſtra ſuperſit.
Unde Aratrum? ſubigat quod pectora fructificetque.
Flos, quia Confeſſores, Martyres ipſe coronat.
Cur Lapis angularis? populum quia nectit utrumque.
Dextera, qua patrium latus aſſidet, ornat, honorat.
Sæpe Columba; dolum quia neſcit, ac ſine felle eſt.
Unde Puer? quod purus eat Genitricis ad Arcem.
Vitis, adoptivo quod ſe hærede propaget.
Unde ſecundus Adam? quia ſit caput ipſe renatis.
Eſt Digitus, Stilus iſte, Dei eſt Lex ſcripta per ipſum.
Nunc Speculum: quod imago Patris perlucet in illo.
Nunc Via; quod Sanctis ſit prævius in Paradiſo.
Botrio; quod ſuccis cæleſtibus irriget orbem.
Panis, in hoc noſtræ quod ſint alimenta Fidei.
Hoſtia viva Deo, ſummus cur ipſe Sacerdos?
Se quia ſacrificans patriis altaribus offert.
Nunc ratio: hæc ratio eſt, per quam ſtat fabrica Mundi.
Virga, quod errantes ut verbere corrigat actus.
Piſcis natus aquis, auctor baptiſmatis ipſe eſt.
Sæpe Aquila, e terris quoniam revolavit ut ales.

Laudatio.

Denique ne multis tam multa, & magna moremur,
Eſt oculus, cognoſco Deum, videt omne Deus cor.
Unde Propheta? brevi quoniam futura revelat.
Angelus unde? ſui quia nuncius extitit ipſe.
Brachium, ab amplexu, quo continet omnia, dictus.
Quidquid id eſt, agnoſce, tuum eſt quod ſancte vocaris.
Magnitudo operum tot rerum nomina celat;
Sed propriis meritis tanti cenſentur honores.
Cauſa facit titulos, dat ſcire vocabula virtus.
Tu ſublime ſedens; Agios, benedictio noſtra;
Tu Deus Emmanuel, nobiſcum habitabile numen.
Tu Dominus Sabaoth pugno tegis omne quod uſquam eſt.
Te Domus Iſrael, confeſſoreſque beati,
Te Patriarchæ omnes, teque Angelus omnis adorat,
Tu ſuper ignitum Cherubim, ſuper aſtra coruſcas;
Qui promiſſus Abræ fueras, de ſemine David,
Glorificum in Cælo oſanna laudabilis audis.
Reſpice nos tantum, Crucifixe, Paraclite, Chriſte,
Nazarene; Deus, quem credimus, & Galilæe,
Et Deus Abraham ſancti Patris & Deus Iſaac,
Et Deus alme Iacob, ſpes unde eſt noſtra, fideſque.
Reſpice, Chriſte, tuos, longumque ruere redemptos.
Supplico ego indignus, & tu dignare rogantem:
Omnipotens miſerere mei, miſerere meorum:
Da, dolor abſiſtat, cura, & formido faceſſat,
Et ſocier ſanctis famulis tuis, & timeam te;
Et placeam dum vivo tibi, nec ſim reus illo
Tempore, cum ſtetero meriti memor ante tribunal,
Chriſte, tuum, vereque colam, quod prædico nomen.
Crux tua fronte, manu, labiis, crux intima ſidat.
Crux clypeata domus Crux ſit lorica ſalutis,
Hoc melius ſigno fulgebit lucida Turris,
Quam cum ſacrilego polluta cruore maderet.

ORATIONES ORIENTII.

I.

Orationes XXIV. compoſuerat Orientius ex titulis. At primam tantum, & ultimam exhibet Codex MS. Martenii, unde depromptæ.

Ubique, Domine, celſum Cherubim dicatum eſt,
Et illa moles quadriformis machinæ,
Te ſempiterno confitentur carmine,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Te ſeptem primi deprecantur Angeli,
Seu Civitatis ſeptem Principes Viri,
Solio propinqui, Janitores proximi,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Te ſolis aſtrum cum ſorore menſtrua,
Vergiliæ, Jugula, Veſperugo, Lucifer,
Omneſque guttæ præmicantes invocant,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Aer aquoſus, ſive ſudus invicem,
Simulque venti, pluviæ, grando, flumina
Ritu ſuomet conditorem concinunt,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Solum ſtativum cum fertura mobili,
Quæ patet homini, quæque capta de una,
Tibi cantat uni, conticeſcit ceteris,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Oceani qui cinctam coerces aream,
Et inteſtini foſſa media gurgites
Deum ſonantes cum marinis belluis,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.
Infernæ ſedis flamma, fulva tartara,
Truceſque præſidentes, pariter Angeli,
Amen minaci decantantes carmine,
Et nos imago conſonantis cantici
Amen ſonamus, alleluja dicimus.

XXIV.

Poſtremo dico decrepandi canticum,
Id facio quantum per XX. cantica,
Sed ne quis audax interpellet quippiam,
Anguem magiſtrum falſitatis increpo,
Ut non adjiciat, ſive demat litteram.
Quod ſi quem lædit ſpiritalis lectio,
Ei licebit lectionem ſpernere,
Non commutare lectionis formulam,
Anguem magiſtrum falſitatis increpo,
Ut non adjiciat, ſive demat litteram.
Si ſcriptor errat in mutanda littera,
Ignarus errat, venia Chriſto. ſi præſto eſt;
Nam non voluntas, verum dextra labitur.
Anguem magiſtrum falſitatis increpo,
Ut non adjiciat, ſive demat litteram.
Ad illos homines interdictum pertinet,
Qui voce vera nominantur Phyſici,
Si non probatis, præterire liberum eſt.
Anguem magiſtrum falſitatis increpo,
Ut non adjiciat, ſive demat litteram.
Et nos a fece ethnicorum emerſimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum ſpiritales exaudimus Angelos
Anguem malignum . . . . .
De ſigno ſextum præcavendam ſpiritu
Mortis Dei prophetas inſtrumenta Dæmonum
Numa & mortis ſemper in ſæculum.
Deus Sancte, te rogamus, Patrem Unigeniti.
Chriſte Deus, te precamur vivum Dei Filium,
Sancte Chriſte, te obſecramus Judicem verum Deum.

MA-

MAGNI FELICIS ENNODII
EPISCOPI TICINENSIS
CARMINUM LIBER PRIMUS.

I.

Itinerarium Brigantionis.

Celſior aſtrigerum Titan conſcenderat axem,
Lampade cum plena totus in orbe patet.
Flammiger ardenti ſorbebat flumina Cancro,
Cum ſegetem meſſor falce domat propriam.
Siccatur dum fonte bibens, dum mundus anhelat:
Juſſus in occurſum Gallica luſtra ſequi.
Torrida non timui quæ vincunt arva Syenem.
Pulvis, flamma, ſitis, dos fuit obſequio.
Quid jubar, & validos renovas mihi, muſa, vapores?
Plus erit algentes me ſuperaſſe vias.
Quidquid plana calent, quidquid ſublimia rigent
Frigoribus, paſſam dic ſine lege poli.
Bellum naturæ quod diſcors fecerat annus,
Æſtatem atque hiemem detulit una dies.
Indutum nebulis canas ſuperare pruinas
Edocuit vates fervidus imperio.
Preſſerat æſtivo corpus ſub faſce lacerna,
Veſtitus tenui tegmine nudus eram.
Cum fugit ex oculis conſtanti tempore tempus,
Lampade nam Phœbi dux fuit ad glaciem.
Optanti brumam devoto contigit horror,
Quæſituſque calor nil dedit indicii.
Matronas taceo, ſcopulos atque invia dictas,
In fontibus blandas, cætera difficiles.
Illexit miſeros facies depicta viantes,
Calcatæ diras mox peperere neces.
Nominibus propriis nil fallit ſacra vetuſtas,
Tot leti formas ſic vocitare volens.
Scrupea deſciſſis pendebat ſemita plantis,
Nec viſu facilis, credite callis erat.
Quid labyrinthæos priſcorum fama receſſus
Involvis linguis, quod timeat relegens?
Illic artificis laudandus conſtitit error,
Cum tollit rectum Dædalus ingenio.
Hic natura homines per ſummum portat Olympi,
Quo liquidum tranans ire columba valet.
Parcite, Pierides, pelagus fluviale ſilendo,
Ne reparet ſermo, ſuis bona quod pepulit.
Duria nam, Seſſis, torrens vel Stura, vel Orgus,
Marmoris Ionii ſævitiam ſuperant.
Dulcia cum variis ſuccedunt læta periclis,
Effectus rerum cor ſolidare ſolet.
Nil mihi cum dubiis, proſunt oblivia triſti:
Ebria Lethæo pectora fonte fero.
Limina ſanctorum præſtat luſtraſſe trementem,
Martyribus lacrimas exhibuiſſe meas.
Ecce Saturninus, Criſpinus, Daria, Maurus,
Euſebius, Quintus gaudia magna parant.
Octavi meritis da adventor, redde ſolutor,
Candida ne pullis vita cadat maculis.
Hoſtiles laqueos ſcindat mens conſcia recti:
Hoc ſemper placeat quod decet, hoc liceat.

II

Dictio data Deuterio V. S. Grammatico nomine ipſius Eugeneti V. I. mittenda.

Gaudia tranſcendunt vires, vox læta ſuperbit,
Ingenii maciem proſpera non metuunt.
Dulcia temporibus famulantur fila ſecundis:
Quod felix meruit, nobile carmen erit.
Vox juſti Quæſtor, legum ſubſtantia, nobis
Ceu Phœbus mittet tympana, plectra, lyram,
Docta Camœnarum coeat pia turba ſororum.
Offerat arguto pollice quod loquitur.
Turgida fatidici vix poſſint pectora vatis
Virtutum ſpecies enumerare tuas.
Tu decus Italiæ, ſpes tu fidiſſima recti,
Fax, tuba cauſarum, purpura noſtra vale.
Luminibus locuples ſolem te Roma vocavit
Celſa Quirinali ſuſcipiens gremio.
Eloquio lyncem, tu ſubdes voce leonem,
Melle tuo ſerpens gutturis arma premet.
Fœtibus orbatæ ferrent tibi munera tigres,
Quæ dolor & feritas aure pavente daret.
Te pene demeſſum ceu florem dextera fati
Dum lacerat, Chriſtus perculit exitium.
Reddita ſe melius nunc vincit vita beati,
Actibus aſſeritur quod venit a ſuperis.
His fretus, non legatos, nec verba precantum
Callida fucatis artibus elicui.
Ipſe ego, mendicæ tranſmittens verba Thaliæ,
Donum more Dei, te precor, ut tribuas.
Hortulus exigua ſociatus parte retardat
Spem ſolidam, fieri ne merear Dominus.
Hanc mihi largiri non ſpernas lumen honorum,
Sic voti compos ſecula noſtra colas.
Sic te regnantis ſublimet celſa poteſtas,
Si currant meritis aurea fata tuis.
Amphion Dircæus tetigit quod pectine, vixit;
Nulla mori rerum tunc animata poteſt.
Commoda de muſis numquam fluxere tot annis,
Affectu pretii quas mihi concilias.

III.

Præfatio Nepotibus Proculi dicta ſub die 15. *Kal. Maji.*

Exprimit in ſpicam tellus jam fœta papillas,
Lacte maritatis turgida ceſpitibus.
Stringitur in prolem ſparſus per gramina ſuccus,
De guttis faciens progeniem ſolidam.
Veſtitus gemmis protendit brachia palmes,
De gremio ligni pampinus ecce viret.

Juſſa per augmentum nunc ſilvam perdere vires,
Frugibus ut creſcat, vulnera conciliant.
Evocat, inquirit gaudens infantia mundi
Nutricem, tepidi quam dedit aura poli.
Ludit per faciem camporum ruſtica pubes,
Reſpiciens dum dulce laboris onus.
Annus reptat ovans tractus per murmura veris,
Fracta locuturis mella ferens labiis.
Cum rebus noſter balbutit carmina ſenſus,
Aurea principiis dextera portet opem.
Blandior ad faciem meſſor perducit ariſtas,
Si raſtris ſegetem pectore continuet.
Nunc ſtirpem Proculi dans vernum ſuſcipe, doctor;
Ne fervor teneros decoquat immodicus.
Serventur leges; ceu cenſus littera currat.
Horum Pindareus flumina vicit avus.
Docta Camœnali cecinit qui carmina plectro:
Cujus Apollinei nil tacuere chori.
Phœbus in auxilio repetat mox fortior illum,
Artis nobilitas Marſia ſi veniat.

IV.

Epithalamium dictum Maximo V. S.

PRÆFATIO.

Annus ſole novo teneras dum format ariſtas,
Natura in thalamis orbe repente ſedet.
Pingitur & vario mundus diſcrimine florum;
Una ſoli facies, gratia, cultus, amor.
Arbuta vitali coaleſcunt uda vapore;
Ignea concretus ſemina ſuccus alit.
Erigitur genio tellus tumefacta marito;
Torrida laſcivis ſilva viret ſpoliis.
Lactans ceſpitibus in nodum truditur herba,
Vitea gemmatos brachia dant digitos.
In rerum cultu lex jungit pronuba tædas;
Aura poli ut ſponſum germina cuncta facit.
Ergo pari voto lux, Cælum, flumina, Nereus,
Montes, prata, feræ gaudia concipiunt.
De te quod vernat ſortitur, maxime, mundus;
Et naturalem dos tua comit opem.
Cui ſanguis, cenſus, genius, mens, vota ſuperſtant,
Muſarum primo fulta ſupercilio.
Secula te fidei monimentum noſtra dederunt,
Corporis & cordis Virginitate parem.
Vincentem meritis ſponſam dat candida vita:
Quæ cum te ſuperat, ſic tibi palma venit.
Huic niveis concors arridet flamma labellis,
Alba verecundas ſpargit in ora notas.

Adſit oro fons loquelæ voce, mente, pectine;
Ars, natura, muſa, Phœbus qua tumet facundia.
Vile nil decet ſonare in Maximorum laudibus:
Conterunt Phœbeia celſum ſæpe dicta verticem.

Orbe captivo Venus alma fuſis
Dotibus florum per amœna ludens,
Dum facit vernum pretio & micantis
Sidere formæ;
Sprevit aurati decus omne pepli,
Advenæ pompam noluit metalli,
Ditior cultu ſtetit effugato,
Sparſa capillos.
Nobilis ſi quod bibit arte virus
Lana, mentito potior colore,
Dic & algentis pelagi lapillos,
Nuda ſuperſtat.
Fulſerant raro ſub hiante filo
Pectoris gemmæ in roſeis papillis.
Invidum membris abigens amictum
Altera lux eſt.
Proditum riſit ſine nube corpus,
Carcere irrupto nituit ſerenum:
Quodque ſervabat male tuta veſtis
Proditur arte.
Aliger laxo remeabat arcu,
Marcidam damnans otii pharetram,
Sanguine in nullo madefacta lætus
Spicula geſtans.

Tunc ſic alloquitur matrem fluitantibus armis.
Perdidimus, genitrix, virtutis præmia noſtræ.
Jam nuſquam Cytherea ſonat, videtur Amorum
Fabula, nec proles naſcenti ſufficit ævo,
Frigida conſumens multorum poſſidet artus
Virginitas fervore novo: ſublimia carnem
Vota domant: mundus tenui vix nomine conſtat.
Primævi tremulos factis imitantur ephebis
Rara per immenſos ſeclorum, reſpice campos
Conjugii meſſis: per flores ſola vetuſtas
Exerit albentes jejuna & pallida canos.
Vana fides rerum nulla dulcedine flecti,
Et ſi quid teneros potuit transducere mores,
Præceptis calcare malis: ſervatur ubique
Juſtitium: culpa eſt thalamos nominaſſe pudico.
Tu remiſſa jaces, & tanti neſcia juris
Nuda per effuſos reſpectas membra capillos.
Surge, age, & obſtantem properantem diſcute ſomnum,
Nec te, quod turpe eſt, captivum numen habere
Jura pudicitiæ, vel lex maleſuada putetur.
Talibus arſiſſent dictis & viſcera ponto.
Colligit in nodum paſſos lux aurea crines,
Et naturalem concludens veſte decorem,
Mutavit formam. tunc quidquid fulget iaſpis;
Quæ viret in pretio paſturæ ficta ſmaragdus,
Et latet in conchis melior cuſtode veneno,
Alba venit, niveum ſumptura ex corpore lumen:
Palla per accinctos decreſcit ſplendida lumbos,
Et zona teneras compreſſit dura papillas.
Afflatur natum: quem, ſpes mea, fingere tentas?
Quem ſequimur, quove ire jubes? poſt otia major
Flamma decet. diſcant populi tunc creſcere Divam,
Cum neglecta jacet. ſuperos nil perdere ſomno
Oſtendant geminis reparata incendia curis.
Maximus ecce, vides, generis ſpes unica ſummi,
Dulcibus illudit prolonga oblivia tædis.
Sectatur matrem, quæ Cælo purior ipſo eſt
Femina, quam ſcimus mulierem vincere mente.
Hic domuit puerum, mores ſortitur avorum,
Quod pudet. heu longo nobis neſcitus in ævo eſt!
Hujus ad aſtruſas veniat mea lampada fibras.
Suſpiret, cupiat, diſcurrat, ferveat, oret.
Hæc ait, & ſobolem fotu complexa benigno,
Mollia mellitis attavit ad oſcula labris.
Ille volat celeri tranans per nubila vento,
Omnia laſcivo ſocians elementa furore.
Ut ſtetit, & juvenem formæ conſpexit in oſtro,
Tu ne Dionæum tumefactus deſpicis? inquit,
Huc Venerem culture veni: qui tardius arſit,
In multum calet ille rogus, celereſque ſavillas
Reſtituet quæcumque pyræ ſubducitur arbor.

De-

Depromſit jaculum, quo Divos fixerat omnes.
Tum pulcher teretem fluxuram perculit arcus:
Singula diverſo traxerunt brachia calle.
Pennigeri vultus præſentet dextera fatum,
Moxque ferit, læto factum clamore ſalutans.
Ille ego, qui trepide ſemper contemptus adhæſi
Viſceribus fugitive tuis, hac victima matri
Litamus, multis quam tu non ſuſcipis annis.
Ecce iterum magno rimatus ſanguine cretam
Quam thalamis jungat, cernit ſublime puellæ
Sidus, & attonitus ad matrem lumina flexit,
Germanam credens: collaudat nobile furtum,
Sed teneram leviore ferit puer ille ſagitta,
Inque virum totos contorſit fortior ictus,
Poſt hæc digrediens permulcet pectora dictis.
Noſtra tuas, juvenis, conſortent vulnera vires,
Nam quicumque mea eſt percuſſus cuſpide creſcit.
Hæc faciunt multos, ſi credis, bella nepotes.
Sis felix, ſemperque feras mea vulnera tecum.
Nunc me Pierio favore jutum
In læta, proceres, locate fronte.
Suſtentent gracilem per omne carmen,
Qui doctum faciunt benignitate.
Quod nunc ingenium premunt pruinæ,
Diſtendat refovens decore vernum.

V.

Itinerarium Padi.

INgenii cultor, fons oris, copia linguæ,
Humor Caſtalius veniat, quo Thracius Orpheus
Naufraga diffuſo ſuccendat pectora fluxu.
Adſit; & arentis conjungat cordis hiatus.
Eridani dicturus aquas niſi flumine largo
Sicca Pegaſeo perfundam membra liquore,
Torrida jejuno vix ſtillent verba relatu.
Undarum cumulos ut narrem, ſuggere lympha.
Quam bene pandit aquas, cui blandus murmurat amnis?
Anni tempus erat, quo vernat mitibus uvis
Palmes, & Autumni proponit dotes in orbe.
Imbribus externis madida cum veſte Lyæus
Diſtendit tunicas uvarum carcere muſti.
Uberibus pluviis petrarum lege ſubacta
Tunc ſibi forte Padus captivos texerat agros,
Canebant ſpumis & turgida dorſa minaci.
Currebant ſtantes per fluctus culmina villæ.
Servavit raptum pelagus tunc littore tectum,
Et mutans terras manſit fortuna caſarum.
Reſpiceres ſilvas ſtationem perdere juſſas
Ad flammas properare Pado ducente voraces.
Tunc ego ferventi germanæ tractus amore,
Cui natum Parcæ demeſſum pollice diro
Suſtulerant, viduamque domum conſtante marito
Reddebant, urbis peperit quæ ſemper averni.
Hanc ut ſolarer vel vitam prodere legi.
Regnator Ligurum fluviorum maximus ille
Sub juga transmiſſus gemuit ſub pondere cymbæ.
Intumuit, rurſuſque minas, flatuſque remiſit,
Quique polos vicit, ſoli mihi credere juſſus.
Sic pietas elementa domat, ſic cuncta coercet,
Cujus grata Deo tenuit miſeratio mentem.
Ecce iterum madidis contectus nubibus æther
Hauſit aquas, quibus omne ruens ſubmergeret arvum.
Non cæli faciem conſpexit naufraga tellus,
Et ſtellis viduæ micuerunt dira tenebræ.
Erravit piſcis ſed non captivus in ædes,
Et populus fluvii per menſas lambuit eſcam.
Evomuit pelagus hominum penetrale profundum,
Humida pulveribus clauſerunt æquora campos.
Perſunctus primis recidiva pericula vidi.
Ille triumphator tyro ad certamina Nerei
Frigida per liquidas geſtabam pectora lymphas,
Nec ſiccis oculis reſpexi marmoris iras.
Cum ſubito abſortum vidit vetus accola pontum,
Riſit & objecti reſtantia ſigna pavoris.
Ditia permixto fulgebant arva metallo:
Eridanus claris radiabat comptus arenis.
Navita me lætus ſuſcepit protinus alno,
Sarcina cui felix dudum conceſſerat omen.
Indoctus clavum rexit de pondere tutus,
Et me feſtivis, Chriſto duce, pertulit oris.
Poſt canas hiemes, gelidi poſt damna profundi,
Tranquillum quotiens navita carpit iter:
Mœret & infidi deſperat proſpera ponti,
Quamque videt faciem non putat eſſe ſalis.
Sibilat aura levis, validas timet ille procellas,
Fluctibus & blandas æſtimat eſſe minas.
Lintea ſi criſpant Zephyri pendentia malo,
Et dulci ludit ſpiritus obſequio;
Confuſam ventis naturam perdere leges
Jurat, & antiquum credit adeſſe chaos.
Gaudia ſic tollunt placidis diſcrimina rebus:
Nulla fides lætis integra, nec dubiis.
Non aliter variis tenuit quos Roma periclis,
Littoris optati reddidit ad gremium.
Permulcent pelagi numen venerabile cantu,
Ancora quod proprium mordet obunca ſolum,
Flamina ſed laſſis tenerum factura ſoporem
Perturbant mentem militis æquorei.
Arma ratis ſubigit, remos & lintea vibrat:
Sic mens naufragium ſuſpicionis habet.
Adveniat ſiccis qui preſſit cærula plantis:
Nam portus felix ille ſalutis erit.
Qui latices vinxit fundens in pocula ſaxum,
Qui lapides ſolvit, qui ſolidavit aquas.
Quem genitrix fudit ſeclis ſine ſemine fœta,
Ad matrem jungens Virginitatis onus.
Qui mortem propriæ ſuperavit munere mortis,
Dans vitam mundo, funere quem peperit.
Ille per excelſum videat me dexter Olympum.
Tunc patriam teneam, tunc ſtationis opem.
Nubila laxati verrant licet æquora venti,
Rimoſam puppim nil nocitura petunt.
Dulcia compoſitis quatiam tunc tympana cordis;
Floribus & pingam carmina noſtra novis.
Ut fatear, dictis conſtat bene dicere Cælum;
Triſtia nil capiunt pectora verſiloqui.
Sed redeat vernum. ceſſet jam bruma timoris:
Stringite quæ nectant frondea ſerta comas.
Cantem quæ ſolitus, dum plebem paſceret ore,
Ambroſius vates carmina pulcra loqui.

VII.

Ad Fauſtum de carminibus ejus.

FLuminis in medio ſuccendis viſcera, Fauſte,
Cujus alit magnam carminis unda ſitim.
Quis ferat ardorem laticum flammaſque fluentis
Cognatas ſicco ſorbeat ore potans?
Fonte vaporiferum pariunt tua verba calorem:
Æſtuat unde jecur, pocula proſpiciunt.
Ingenii quiſquis feſtinus tendit ad amnem,
Non putet ambiguum, ſic bibet, ut ſitiat.

Nobilis occultum condivit lympha ſaporem,
   Computat & damnum, ſi minus inde feram.
Lubrica Cecropio confidens lingua cothurno
   Nil jactet priſcos nobilitate ſenes.
In veterum morem pangit nova carmina Fauſtus,
   Qui per membra ſuum deſecat arte melos.
Doctus ad incudem verba fabricata referre:
   Quoſque facit verſus, terque quaterque probat.
Ætas cana refert digitis animaſſe Maronem,
   Quod fingebat opus vivificante manu.
Tu verbis faciem tribuis, modulamine membra,
   Quod natura Deo, huc tibi dant ſtudia.
In vetulum dexter ſi vertas plectra cadaver,
   Primævum facias ædificante lyra.
Si flores ſimules gelidi per plauſtra Bootis,
   Mox Helicem vernis ſibilat aura modis.
Ninguida luſtra roſas, ſundant tibi frigora muſtum,
   Ferventi Pallas ſidere dona ferat.
Piſcis in æthereo quem portas vertice tranet:
   Si jubeas verſu, marmora cervus amat.
Faucibus e mediis impaſto viſcere prædam
   Ore potens tollas, quam tenet ore leo.
Jam ſcio Caſtalii quo me traxiſtis amores;
   Accedunt culpis munera veſtra meis.
Sutilis ad tumidas rapitur mea cymba procellas,
   Hibernos paſſura notos: quam navita pauper
Rimoſam tenui fingens de cortice puppim
Compoſuit, nomenque dedit ſine laude phaſeli.
Illa nec Ægæum pelagus, nec littora Phryxi,
Nec quæcunque valet trux æquora vertere fundo
Æolus, agnovit: placidos ſed gurgitis alti
Prælegit bene cauta ſinus, ubi ſerviat auſter,
Non ubi regna petat: quotiens ibi remige lento
Sibilat in tremula diſcurrens aura carina.
Lintea nam ſummis dum criſpant nexa ceruchis,
Quæ portant mortes, præſtant mihi flamina ſomnos.
Huc vertam puppim, certis mea carbaſa ventis
   Commendans, curſus artis opiſque meæ.
Flecte viam velis, clavumque ad littora, Phœbe;
   Ancora proſciſſum mordeat unca ſolum.

Muſa dictorum caput optimorum,
Herbidam fingens hederis coronam,
Quam per exactos numeras poetas,
   Necte capillos.
Sulcat immenſum pelagus carina,
Neſcit ad clavum manus apta ferri,
Quo vocat dextrum regimen per undas
   Artis amicus.
Pergis ad Fauſtum trutinam loquelæ,
Ore qui vaſtum valet ut profundum,
Luce quem mundus veneratur ipſa
   Dexteriorem.
Aurium libram tenet in Camœnis:
Illius ferrum ſecat omne vulnus,
Quodquod internis latet in medullis
   Carminis ægri.
Si meos vellet modicos thyrambos
Mente qua cunctum moderatur orbem,
Inter infantum triviale murmur
   Pendere, laus eſt.

Lux mea, Fauſte,	Germina Chriſtus
Speſque, Saluſque,	Lucida ſervet.
Litterularum	Porrige dextram
Munera parva	Nominis almi.
Suſcipe lætus.	Grata Tonanti
Sic tua ſummus	Farra piorum.

VIII.

Ad Olybrium, de ejus eloquentia.

FAma refert, veterum quæ neſcit perdere geſta,
   Quæ loquitur ſemper quidquid in orbe fuit:
Germina dum lucis Titan diſpergit in axem,
   Et ditat mundum nobilibus radiis:
Uda vapor feras cohibent dum lora quadrigas,
   Et nitidum gurges mittit ubique diem:
Undantes doctis manibus ſol flexit habenas,
   Artificem Dominum lux bene nota tulit.
Sed Phaerontæo poſtquam dare regna precatu
   Non exploratis viribus inſtituit,
Degenerem primis rectorem motibus aſtrum
   Senſit, & excuſſis currere cœpit equis.
Tunc totam ſonipes lucem de naribus efflans
   Non tenuit legis tempora certa ſuæ.
In flammam ceſſit ſplendor, quod luminat, uſſit,
   Quodque animat terras exitium peperit.
Tunc & Hyperboreas dum frangit lampade cruſtas,
   Epotis Tanais ſiccus abibat aquis.
Cryſtallum fluxit, ſed curſus fluminis arſit:
   Quod lapides ſolvit, nexuit Eridanum.
Sic ego Rhetoricum tentans tranſcurrere callem,
   Aggredior currus ſolis, & imperium.
Neſcio quid variis impendam ſideris oris,
   Neſcio quid teneam, cuncta calor ſuperat.
Curia te pollens teretem formavit ad unguem,
   Et patribus juſſit lumina ferre tuis.
Tu Phœbum reddis: fumat tibi victima pinguis,
   Pro qua ceſſiſſent fulmine Cælicolæ.
Aſt mihi vix illud tranſmittunt pauperes horti
   Rubra quod acceptum teſta refutat olus.
Sum fateor, cujus diſtillent verba rela u.
   Quæ maciem monſtrent pauperis ingenii.
Carmina nulla cano, nec me modulante Camœnas
   Manſurum dabitur pollicis ore ſophos.
Quidquid Apollineo loquebamur pectine, ceſſi
   Oblitus linguæ, quam mihi fila dabant.
Ruſtica per teneras errat mihi dextera chordas,
   Confringunt dulces barbara plectra modos.
Ah quotiens vitreis Helicon mihi fluxit in herbis,
   Arridens labiis quæ facit unda ſitim!
Ah quotiens hederis redimitus tempora duxi
   Aonium mulcens carmine concilium!
At nunc per ſilvas, inter ſpelæa ferarum,
   Agreſtem certo ducere militiam,
Grandia per validos commendo ſemina ſulcos,
   Ut germen vitæ deſtituant lolia.
Lactea ne mentem denudent verba ſolutam,
   Et dictis mollis dicar & ingenio.
Non mihi per campos diſcurrat lingua patentes,
   Maſcula nec lituis dicta feram gravibus.
Ne mea grandiſono flammentur corda cothurno,
   Et tumidus ſcriptis moribus eſſe puter.
Qui mihi tunc portus famam petit undique, lector.
   Sed ſtabilis pudor eſt, ſi taceam, proprius.
Tu Cælum teneas, me terris linque quietum,
   Qui ſolum novi, quod bene nil didici.

I X.

Dictio, quæ habita eſt in Natali Sancti & beatiſſimi Papæ Epiphanii, in annum XXX. Sacerdotii.

P R Æ F A T I O.

Vatibus antiquis dicendi maxima virtus
Illa fuit. doctis ſi ſcirent fallere verbis,
Laus erat in laudem mentitum pangere carmen,
Tunc operi fraus apta fuit, nam more poetæ
Servantes quod crimen habet, vetuere pudore
Vera loqui, carmenque fides deſpexit ubique,
Ars placuit, quam culpa decet: nam doctior error
Extorſit certis metuenda poemata linguis.
Lex docuit ſine lege loqui, cum vindicat arte
Quidquid jura negant fandum: retinacula morum
Numina fallaci finxerunt ſordida cantu.
Phœbum, & ter ternas dixerunt eſſe ſorores,
Caſtalium laticem. varias quoque Palladis artes.
Tum laurus, tripodas, cortinam, tympana, plectrum
Narrabant: illos a veri tramite fugit
Senſus, & errantes viſus deluſit imago.
Nunc linguam citharæ, quæ cantat pollicis ore,
Sperne fides, magis ille veni nunc Spiritus, oro,
Cujus inexhauſto reviviſcit ſemper in anno
Quidquid terra creat, gignit mare, parturit æther,
Qui freta diffundit, ſolidum dat corpus in arvis,
Saxa ciet juſſu, metuit quem cautibus horrens
Caucaſus; aurito famuli cum ſorria ſenſu
Corda domat: qui cuncta videt, quem cuncta tremiſcunt.
Fons, via, dextra, lapis, vitulus, leo, lucifer, agnus,
Janua, ſpes, virtus, verbum, ſapientia, vates,
Hoſtia, virgultum, paſtor, mons. rete, columba.
Flamma, gigas, aquila, ſponſus, patientia, vermis,
Filius excelſus, Dominus, Deus, omnia Chriſtus.
Nunc precor, ut dictis adſit, qui pectora priſci
Vatis ut ingreſſus, Pharaonis tempore regis,
Adjuvit gracili locuturum voce prophetam.
Si ſtupuit tunc ipſe, reor, bene conſcius oris,
Murmuris & ſoliti, complentem Principis aures
Pondere, voce, ſono, ſenſu, probitate, pudore;
Tu famulum, tu, ſancte mone: da ſolvere grates,
Quas debere juvat: ſanctum complectimur omnes
Ecce diem, voluit quo ſe jubar indere terris
Promptius, & radiis animas animare propinquis,
Quo gaudet mundus, cum non ſint gaudia mundi.
Cernis adorantem pavidos ſubmittere vultus
Vatis in obſequium? natalis tempora ſentit
Feſta, nec admiſſis contemnit triſtis alumnis.
Iſte dies cunctis vitæ cunctiſque ſalutis
Cauſa fuit, veteris diſſolvens vincula noxæ.
Chriſtus in hoc tribuit decus & tutamen in arvis
Auſoniis, parili populos qui mente gubernet,
Et gentes pietate regat; quibus auctor Olympi
Pollicitus ſimili regem probitate paravit,
Dexter & ipſe Deus ſolio dat jura coruſco.
Proximus hic Cælo, cui recti conſcia mens eſt,
Semper erit, quem juſta probant quem judice mundo
Publica vota legunt. fateor, ſuffragia magna
Contulit, ut ſedis gremio frueretur inemptæ.
Libera te Dominum poſuit ſibi turba perennem,
Servitio laudanda ſuo. proh quantus ubique
Fervor erat! ſancto mundi plaudente tumultu,
Omnibus idem animus, turbis vox omnibus una,
Sic tamen alterutrum certabant vincere votis,
Ceu ſibi cum diro bellandi cominus hoſte
Cauſa foret: vulgus proprio tunc ſanguine vicit,
Pollicitum quotiens fuerit ſufferre pericla.
Caſpia non aliter cum tigris fœta Niphatem
Circuit, aut catulos rapiendi format ad uſus,
Ardet in abſentes, ſævis mortalia mandat
Membra animis, hominumque necem petit ore cruento.
Alter in hoc ſenium teneris miratus in annis,
Alter in antiqua jactabat ſtirpe parentes:
Alterius contenta parum de ſanguine mens eſt,
Digna referre viri virtutum ſtemmata mille
Commemorat. quanta tituli tunc laude ſuperſtant,
Vincuntur quotiens, & morum gloria victis
Parturit inſignem per ſecula longa triumphum?
Ille pudicitiam, quæ pulcro in corpore vernat
Pulcrior, & caſta ridentem luce figuram
Laudibus ad cælum portat: decus illa profecto
Attulit huic facies, quæ multis cauſa pericli
Sæpe fuit: pulcrum ſatis eſt manſiſſe pudicum.
Hæc niſi de ſummo non dantur culmine Olympi,
Sicubi contingant, vel forma commoda ſanctis
Mentibus accreſcant, bello ſe vincere certant
Tunc homines, funditque decus vel munera terræ
Dextra animæ, vivitque ſibi dum deperit illi.
Hæc cum multiplici populus narraret ab ore,
Una fuit cunctis ſententia fixa catervis.
Turba ſacerdotum, venerandaque curia ſeclis
Elegit, voluit, meruit, ſuſcepit, amavit.
Ecce aliud dictuque novum, mirabile cunctis
Tranſieram, quod quiſque pavet, quod ſuſcipit orbis.
Vix primævus erat, tremulis cum limina lucis
Calcantur plantis, cum matris ab ubere raptis
Blandior a tenero ſuccus ſubducitur hauſtu:
Callida mentitum genitrix cum ſorte ſaporem
Herbarum querulis infundit dura labellis,
Neſciat ut natus guſtu cognoſcere matrem.
Unde ſobornatum ſorbetur, lacte negato,
Faucibus inſuetis ridenda fraude venenum.
Iſtius illa fuit, cum ſignum contigit ætas.
Nam fulſiſſe ferunt hujus cunabula magno
Lumine, cum tantus micuiſſet ſplendor in illo,
Quantus in obſequium potuit tum fungier æther:
Cum juſſus ſervire viro mortalia raptim
Membra levat, lapſu gradiens celer ignis Olympi,
Cornipedum pernix curſus imitatus equorum.
Proſpera non aliter puerum tunc flamina perennans
Circuit, illuſtrat, veneratur, ſuſpicit, ambit.
Tum pavidus genitor ſubmiſſo lumine fatur.
Summe Deum, ſancti cuſtos qui culmine cæli
Omnia dextra facis, quæ cernis lumine dextro.
Hunc tibi de primis & adhuc reptantibus annis,
Sancte pater, voveo, quem necdum caſibus arctis
Lubrica terrenis innectunt ſecula culpis.
Nec faciant: ſit, ſumme Deus, tibi munus opimum.
Hæc ait, & lacrimas, quas promunt gaudia, fundit.
Criſpinum petit inde libens, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec ſi modo ſurgat averno,
Qui potuit rigidas de rupibus appennini,
Flumina cum ſtarent, ad plectrum ducere ſilvas.
Helias fuit hic mage; nam quis Heliſæum
Linqueret in terris: duplicato munere palmæ
Nutrivit quem lacte pio, quod ab ubere Paulus
Preſſit, Evangelicis plena eſt cui dextra papillis.
Salve, Sancte parens, ſemper ſalvete recepti
Criſpini cineres, ad cujus jura redundat
Quidquid in hoc Chriſti miramur dogmate dignum.

Ta

Tu bene transmiſſum tibi cenſum poſſides hæres.
Res non parva docet triplicatis juncta talentis:
Monſtrat ab occidui revocatum partibus orbis,
Quod ſupplex captum transmiſit Gallia vulgus,
Effera te viſo didicerunt pectora flecti,
Armatum precibus ſuperaſti, maxime, regem.
Sic pugnax gladios obtundit verbere lingua,
Sic ferrum expugnat verborum lamina fortis.
Nam ſi fanda ferunt, ſociant qui maxima parvis,
Sic Dominum expectat domitatis villicus arvis,
Cum bene mollitos in curvi dente ligonis
Scribit agros, faciemque ſoli ſic pectit aratris,
Ut ſpumet plenis currens vindemia labris.
Inſerit externas peregrino in ceſpite plantas,
Advena conjunctis ſociatur nexibus arbor.
Truncantur ſtirpes, dein eſſum falce maritat
Virgultum, tenero lignum mordetur hiatu.
Germine nobilitas conjungit non ſua parvo,
Surculus ignoto coaleſcit munere dives,
Dum madefacta novo jungit plantaria libro.
Paſtanis pariter depingit terga roſetis,
Regius agreſti veſtitur murice campus.
Lilia pro nitidæ ſubduntur lumine calcis:
Tunc pingit violas, cythiſos, colocaſia, calthas,
Cinnama, ſerpillum, narciſſos, balſama, coſtos,
Tunc rediviva ſerit quæ portat germina phœnix.
Hunc jubet adveniens Dominus diſcumbere ſervum:
Surgit, & ipſe ſuis manibus dat fercula menſæ.
Sic tua ter denis, animarum cultor, in annis
Halant rura roſas, interpellata nec ullis
Frigoribus marceſcit humus, quam vere perenni
Servat odorato meritorum ceſpite doctor.
Arbuta ſiccantur quotiens tua rore negato,
Infundis lacrimis. cophinum quoque congeris illic
Stercoris immundi: tunc ramis ſurgit opimis
Tum fœcunda Deo, naſcendi jura ſuperſtat.
Suſcipe nunc dexter, vitæ lux aurea noſtræ,
Gaudia, quæ faciunt modicum tibi promere carmen.
Cum mea vota Deus produxerit ordine cœpto,
Fulſerit & docilis quem plantat dextera palmes;
Debita poſt centum reddam tibi fortius annos.
En ſtatui quodcumque tibi nunc ſcalpere carmen,
Nodoſo ſub jure, Pater, quod nexuit arctis
Diverſa ſub fronte modis lex proxima pœnæ,
Uſquam ne fallax mutarem, ſyllaba dixit.

X.

Hymnus Veſpertinus.

Nigrante tectam pallio
Jam terra noctem ſuſcipit.
Ut viva dulci funere
Reconvaleſcant corpora.
Mortis figura blandior
Buſtum ſoporis admovet.
Anhela lucis æſtibus
Dum mens tepeſcit otio.
Lux, Chriſte, vita, veritas,
Ne fuſca ſomni tempora,
Terris parata umbraculis,
Nos ad tenebras evocent.
Nox nulla nos ſubdat ſibi
In noctis atræ tegmine.
Sed nec caloris ebrii
Mentita pingat corpora,
Verum reatum neſciis
Falſi miniſtrans criminis.
Tu per quietis munera
Adſiſte cuſtos pervigil.
Hoſtis procul ſit callidus:
Quod lædit, illud dormiat.
Qui dente ſævo mandere
Certat cubantes lectulis,
Hic membra victus lugeat
Pulſare ſeſe quos foves.
Madente carne ſpiritus
Non enecetur naufragus.
Ornet cubile caſtitas,
Quæ prima virtutum micat:
Vivat fides in pectore,
Quæ luce vernat perpeti.

XI.

Hymnus II.

In tempore triſtitiæ,
Deus perenne gaudium,
Pax, Chriſte, cordis auxii,
Portuſque fluctuantium.
Quem nec procella, turbidis
Si verrat ima motibus,
Poteſt fugare a pectore.
Qui merſa ponto ſublevas,
Qui ſubjugata ſarcinis.
Qui dux prophetæ naufragi,
Dum vivit eſca belluæ,
Dum neſcit æquor, quod tenet,
Tutum ferino gutture
Exactor abrumpis cibum.
Diro reductus remige,
Cuſtode ſalvus peſſimo,
Vates locutus re Deum
Tunc juſſa geſſit fortior.
Immunda lymphis ſobrius
Per buſta terris vixerat,
Vivens ſepulcra pertulit,
Viventis ornet prandium.
Secreta ceti prodidit
Teſtis verendus intimi.
Sic nos precamur, Rex Deus,
Mærore fractos ut cibum
De ventre curarum rape.
Vivit medullis quod necat;
Turbantur alta viſcerum,
In fonte carnis ardor eſt,
Qui mergit, urit, afficit:
Sed ſi ſerenus adſpicis,
Preſſura gignet gaudium.

XII.

Hymnus III. de S. Cypriano.

Vatis Cypriani & martyris
Cor, lingua, ſenſus, dignitas
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum nex dedit,
Mucrone parta lux micat.
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore dives unico,

Torrentis unda gurgitis
Impacta cornu ſpicula
Sermone vincens promulo,
Opes verendi pectoris
Qui jure Chriſto reddidit.
Nunc munus implet priſtinum,
Orator orat, obtinet.
Et dura cauſis temperat.
Facit beatos ex reis,
Peccata rumpens carmine,
Non flamma, carcer, vinculum
Poteſt nocere, quod juvat.
Mactare juſſus hoſtias,
Lugenda riſit numina.
Inſtante mox periculo,
Fugit pericla funere.
Parvas loquendi ſchemate
Moras remiſit ictibus.
Accivit enſes lætior,
Currente læto plus celer.
Proconſul eſſe ſævior
Nequivit ille Maximus,
Dum quod minatur munus eſt.
Nec tardat ira lenior
Chriſtum volentes viſere.

XIII.

Hymnus de Pentecoſte.

ET hoc ſupernum munus eſt,
Quod linguis lingua militat.
Quis non Tonantis præmia
Per dona ejuſdem proferat?
Facit loquendo qui ſapit
Dignum loquatur ut Deo.
Infundit ecce Spiritus,
Et ora rurſus inſtruit.
Intrat veterno pectora
Eviſcerata nubilo:
In hoc Apoſtolis die
Dum verba verbum dividit,
Sermone mundi præpotens
Et corda mundi contulit.
Summis feratur laudibus,
Homo habet ora gentium.
Thrax. Gallus, Indus unus eſt,
Quod blanda ludit Græcia,
Quod ſævit atrox barbarum
Stridor Canopi murmuris,
Quod lingua latrat Parthica
Pectus replevit hoſpitum.
Mundi ad ſalutem curritur
Nolente mundo tot viis.
Quod ſacra nunc ten iſſio
Paſchalis inſtar gratiæ,
Dum myſticam ſeptemplici
Ornat coronam munere.
Augmenta plenitudinis
Opes miniſtrant diviti.
Nunc mente, voce, pſallite,
Hoc noſtra vox & mens Deo.

XIV.

Hymnus V. de S. Stephano.

QUid Stephano potentius?
Dicas coronam, martyr eſt.
Hoc eſt homo, quod præmium
Fructus laboris nomen eſt.
Laus hæc brevis prolixa ſit:
Sic evocantur inclyti.
Necis miniſter, aſpice,
De morte vitam conferens.
Hoc dat ſalutem, quod necat:
Felix ſub iſtis ictibus
Fit ſempiternus exitu.
Cruore lucem præparat,
Cælum ſepulcri munere,
Hoſtem ut triumphus effugat,
Ceu palma ſic congreditur.
Hic primus intravit viam,
Nullis ſubactam greſſibus.
Secreta luſtravit poli,
In veſte carnis abditus
Clamavit, ecce Filius
Conſiſtit in dextra Patris.
Dum ſaxa terrent impii,
Dum mille leti machinas,
Solus bonorum conſcius,
Orabat & fide loquens,
Ne neſcientes noxios
Cæleſtis ira perderet.
Inſons erat veſania,
Reum furor provexerat,
Per vota currebat labor:
Crucem gemebat carnifex
Creſcentem quam ſubegerat.

XV.

Hymnus VI. de S. Ambroſio.

CÆlo ferunt Ambroſium
Numen, honor, vel actio.
Nihil debet hic facundiæ,
Dos omnis eſt a moribus.
Fortis juvantem non cupit
Umbone munitus ſuo.
In carne carnis nil agit
Regina mens in corpore.
Confregit omne lubricum.
Sic vixit ille non ſibi,
Sed totus auctori Deo.
Adjectus hinc Apoſtolis,
Reduxit expulſam fidem,
Dixit triumphos martyrum
Linguæ virentis laureis.
Hic ore prædam ſuſtulit
De fauce ſerpentis feri.
Qui bella Chriſti militat,
Nudus timetur enſibus.
Vivit ſepultus & juvat,
Clavum tenens eccleſiæ.
Juſtina vires perdidit,
Dat pœna vati præmium.
Sedis memento lux tuæ,
Exorna, Sancte, poſteros.

Auſtore fultus nobili,
Ne dux ſereni culminis
In nube tectus horreat.
Qui paſtor eſt antiſtitum
Quod ſucat, omne ſubmovet:
Gregem gubernat Principum,
Magiſter eſt docentium.

XVI.

Hymnus VII. de Aſcenſione Domini.

JAm Chriſtus aſcendit polum,
Necavit ante funera,
Letum ſepultus expulit,
Mors mortis impulſu ruit.
Cantate factum ſecula,
Funus ſubegit Tartarum,
Vicit peremptus exitum,
Mors inde luget pallida,
Præſumpſit unde gaudium.
Eſcis vorator captus eſt,
Eſt præda raptor omnium.
Jam rete vinctum ducitur,
Jacet catena in nexibus.
Serpens venena protulit,
Mitis terit ſuperbiam,
Agnus leonem eviſcerat.
Plus iſtud eſt potentiæ,
Quod noſtra, Chriſte, ſuſcipis,
Et veſte ſervi abſconditus
Nos ad triumphum provehis:
Quam ſi e coruſcis ſedibus
Fulgore terreres reos.
Deus patet per omnia,
Nullo remotus tegmine.
Sed ut jacentes erigat
Dignatus eſſe quod ſumus,
Redemit ipſe jus ſuum,
Ovem revexit perditam
Paſtoris ad cuſtodiam.
Levate portas, Angeli,
Intrat tremendus arbiter,
Major trophæis hoſtium.

XVII.

Hymnus VIII. de S. Euphemia.

QUæ lingua poſſit, quis valeat ſtylus
Tantæ triumphos virginis eloqui?
Nunc mente molles diſcite maſculi:
Exempla præſtat, ſumite deſides,
Puella fortis cum ſuperat viros.
Virtus teneri neſcia ſemper eſt,
Nec jura ſexus, fractaque mens ei,
Quæ corde Chriſtum conciperet ſemel.
Solvunt caducis pectora vinculis,
Quibus repoſtus mentibus eſt Deus.
Tormenta torſit fortia corpore:
Laſſante pœna crevit amor Crucis.
Si ſcire poſſes vincere martyrem,
Veſane tortor, parcere diſceres
Flammas, flagellum, carnifices, rotas:
Cui crux ſequenda eſt, non metuit minis.
Hanc cum caminis igne crepantibus
Juſſiſſe fertur præcipitem dari
Priſcus veneni ſonte nocentior.
Nam ſic feralem tempore ſordido
Dixere ſanctæ virginis arbitrum.
Hujus miniſtri dum cuperent nimis
Fornacis eſcæ tradere martyrem,
Lux tunc Olympi luce ſerenior
Opus removit ſæva volentium:
Cum voce monſtrant qui gladium ſimul
Nos hinc precamur dirige Tartaro,
Nam noſtra ſanctam non violat manus.
Turgeſcit ille felle jecur calens;
Mox ſaxa, foſſas, verbera, beſtias,
Majus venenum blanditias parat,
Quibus virago fortiter obſtitit.

XVIII.

Hymnus IX. de S. Nazario.

ANguſta vitæ tempora,
Parvis coacta terminis,
Mors ſancta donat creſcere,
Æterna fines præparat,
De fruge caſuum venit,
Quo ſurgat humanum genus:
In ſtirpe Nazarius bona
De morte lumen addidit.
Nerone felix principe
Diverſa perpeſſus mala,
Luſtravit orbem non gravi
Pavore cordis algidus,
Sed ut profanis inderet
Quo calle conſcendant polos.
Verus magiſter actibus
Exempla, non verbis, dedit.
Nam ductor ille fortis eſt,
Qui bella viribus docet.
Quem dicta militem trahunt,
Si dux gerendis abſtinet?
Ventoſa linguæ hortatio,
Quod turma præſtat, non habet.
Sed magna poſtquam ſemina
Scribente terram ſarculo,
Glebis refudit optimis,
Mediolanum mox perit,
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam reppulit.
Qui cæde non digna jacens,
Vatem tremendus mox monet,
Ut clara rurſus munera
Mundo refuſus adderet.

XIX.

Hymnus X. de S. Maria.

UT virginem fœtam loquar,
Quid laude dignum Mariæ?
Det partus, ornet, exigat
Quod clauſa porta quod patens
Expoſcit, ipſa ſuggerat.
Sint verba ceu miraculum.
Quid mens requiras ordinem?
Natura totum perdidit.
Hoc eſt ſalus, quod vincimur.

Cum

Cum ſola virgo degeret,
Concepit aure filium:
Stupente factum corpore
Turgeſcit alvus Spiritu.
Quod lingua jecit, ſemen eſt,
In carne verbum ſtringitur.
De matre cunctus noſter eſt
De patre nil diſtans Deus,
Utriſque partus integer,
Quæ gignit, & qui præcipit.
Nil major ille ſervulis,
Sed nec minor creante fit.
Fons dicta clauſus accipit,
Fons membra clauſus egerit:
Nec rima ceſſit arctior,
Et vera proles emicat.
Dic, mater & Virgo, precor,
Quiſquamne claudit exiens?
Arctantur exta fœtibus,
Vinclum pudoris natus eſt.

XX.

Hymnus XI. De S. Martino.

CUm geſta Martini loquor,
Nil laude dignum tranſeo:
Diviſa virtus omnibus
Unum coacta prætulit.
Labore magno martyr eſt,
Victore carnis ſpiritu:
Hoc eſt triumphis proximum,
Si bella calcent intima.
Perdente vires corpore,
Res fixa conſtat laureis:
Sublimat hoſtem mentium,
Qui vota membrorum facit.
Hic fontis ignem neſciens,
Calore fervebat Dei:
Undis vapore junctus eſt,
Chriſto dicatus actibus.
Qua veſte nudum texerat,
Hac rex nitebat ætheris.
Sordente panno acquiritur,
Quo fulget aſtrorum globus.
Quam juſta commutatio?
Aſtrum rependit indigens:
Et regna mendicus parat,
Mox ſacra vitæ contigit,
De plebe luſit Dæmonum,
Juſſit favillis ſurgere:
Vixere tactu funera,
Flagella paſſus eſt libens,
Quibus coronam nexuit.
Compulſus ad antiſtitem
Votum repugnans induit,
Quod ſancta complevit fides.

XXI.

Hymnus XII. de S. Dionyſio.

DIonyſio Chriſtus dedit
Quot bella, tot victorias.
Exul piorum civis eſt,
Urbis ſupernæ particeps.
Conſtantius vatem loco
Quondam tyrannus expulit.
Non ceſſit iſte turbido,
Crevit periculis fides.
Hoc ſancta dic profeſſio,
Te pœna tradit proſperis:
Optata mercaris malo.
Perſiſte tortor adjuvans,
Lux hæc negando ceditur.
O quam beata adverſitas,
Si ſic triumphant exules!
Nihil verendo martyre
Confeſſor ille deſtitit.
Diſperſa mors quos afficit,
Ad vota mortis evolant.
Nil lenta perdit coctio:
Intrat latenter abdita.
Vitale funus mœror eſt,
Velox medela tranſitus.
Riſit furorem Principis,
Fide manente curſitans:
Fixus per orbem ducitur,
Qua ſol coruſcat acrior,
Negans bibendi copiam.
A te, tremende, ſumimus
Ceu noſtra quæ remuneras.
Tu mitte ſanctum poſcere,
Quod ipſe nobis conferas.

EJUSDEM EPIGRAMMATA.

Epitaphium hominis boni. I.

MEnte bonus, probitate nitens, & nominis auctor,
Sic jacet anguſto dic dolos in tumulo?
Spes domus immenſæ modico contecta ſepulcro eſt;
Artantur parvis culmina ceſpitibus.
Quid decus in pueris, quid præſtant limina vitæ.
Non expectatis mors venit ordinibus.
Quid juvat hunc, teneris ſenium quod prætulit annis,
Funeribus junxit funera multa ſuis.
Occidit heu juvenis, qui rexit crimina vitæ,
Tempore culparum vivificante Deo.
Aſpice, primævos metuis qui forſitan annos,
Ætas vincentem non tenuit puerum.
Exemplum terris linquens, ad ſidera raptus
Confeſſis rectum quam bene monſtrat iter!
Bis denas hiemes, totidem tranſcendit ariſtas,
Quem ſubito ex oculis ſors inimica tulit.

Epitaphium Habundantii V. I. II.

NUmquam morte perit meritis poſt buſta ſuperſtes,
Funera ſublimem non capiunt animum.
Sanguis, honor, genius, probitas, conſtantia, cenſus
Interimunt multis dotibus exitium.
In commune bonus non ſentit damna ſepulcri,
Fila legunt Parcæ, quæ dederant miſeris.
Pendula laſſantur quæ plebem ſtamina portant,
Fortia contingunt licia nobilibus.
Cana venerandi renovabant ſecula mores:
Inque vicem templi pectora munda tulit.

De Epigrammatis per armaria domui Fauſti factis III.

COnſona diverſis finxiſti carmina libris,
Suſcipiat gaudens littora quod tribuit.
Neſcio qui tantum non laudet, Fauſte, pudorem,
Cum reddis ſi quid lecta dedere tibi.
Depoſitum perdit mens recti neſcia ſemper,
Ad mores redeunt hæc documenta probos.
Si tamen admittis dexter mea verba, fatebor,
Qui pollet magnis parvula jure fugat.
Laudentur tereti quos pingis carmine vates,
Maſcula rhetorico ſchemate lingua tonet.
Ceu Paulus Chriſtum docuit hominemque Deumque
Quo præſtat cunctis gaudeat eloquio.
Attica per Grajos ditentur dogmata ſenſus,
Et noſtrum ſtupeat Græcia docta decus.
Moralis ſtrictis, narretur Phyſica certis,
Hiſtoriam monſtrans indicet hiſtoria.
Comica per limam numerentur, fortia plauſu,
Conveniunt operi lucida dicta tuo.
Non valet hæc alter: ſed Fauſtum dicere ſumma
Ludus erit ſemper, ſi bene nota loquor.

De plauſtro, quod Epiſcopus donarat IV.

ANtiſtes ſummus plauſtro te nobile donat.
Pandit iter magnis, omnia dextra facit.

Epitaphium ruſticæ V.

RUſtica, perpetuæ non te ſors pallida vitæ
Suſtulit, interitum nec tibi morte dedit.
Purior ætherias graderis ſine carne per arces:
Sic vitam caſtæ funera nobilitant.
Quid mirum, viduata tibi ſat conſtitit ætas,
Conjugis ad natum cum bene ductus amor.

Epitaphium Meliſſæ VI.

COrpore devicto moritur quicumque, ſuperſtat:
Dant leti legem crimina ſola homini.
Nil tibi, virgo, perit; carnem mens pura refudit,
Quæ numquam mundi vixit in obſequiis.
Funera, buſta, rogi ſcelerum ſtipendia ceſſent:
De vita ad vitam tranſitus iſte placet.

Serpens æneus in cruce VII.

OCciſor mortis, dux vitæ, planta ſalutis,
Aſpice, nunc ſerpens ecce venena fugat.
Et quod ſupplicii ſpecies, & mortis imago
Jam fuerat miſeris, eſt mihi certa ſalus.

Verſus in Baſilica S. Xyſti Epiſcopi facti & ſcripti, quam Laurentius Epiſcopus fecit. VIII.

ANtiſtes genio pollens, probitate, pudore,
Ornavit domum meritis, & lumina vitæ
Ad pretium jungens operis, hæc templa locavit.
Lapſa per incertos non ſpargit fama receſſus;
Sed veteris facti vivit lex facta per ævum,
Quam dexter capiat Laurenti munere Xyſtus.
Sic manet officium, quod ſanctis contigit olim.
Obtulit hic templum, veniens quod conſecrat ille.

Item in Baſilica SS. quia arſerant ædificia, quæ prius ibi fuerant, & ſic facta eſt. IX.

VIlia tecta prius facibus ceſſare beatis,
Sic ſplendor per damna venit, ſic culmina flammis
Conſurgunt habitura Deum. ſi perdita creſcunt
Ignibus innocuis, ſi dant diſpendia cultum,
Qualis erit reparans crepitantibus aucta ruinis?
Laurenti tua bella gerens incendia vince.
Sordida marcenti latuiſſent antra vetuſta.
Sed poſtquam ſuperi flammas miſere ſecundas,
Ad lumen cineres traxerunt iſta colendum.
Huc oculos converte pios, qui cuncta vapore
Prædicis mundana, pater, rebuſque docendos
Inſtrue, ne verbis titubet mens neſcia recti.

In domo Mediolani X.

ÆDibus ad genium duo ſunt conceſſa per ævum,
Si niteant cruſtis, aut domini merito.
Herbida paſturam ſimulantia ſaxa virentem
Illiciant oculos nobiliore dolo.
Pellat opus tamen arte, regat natura figuras,
Viſcera dum lapidum fingit imaginibus.
Candorem roſeo perfundat doctor ab ore,
Depingat ſparſis congrua membra notis.
Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas
Non datur humanis plus rutilare bonis.
In pretio cautis ſors & ſine lege locatur.
Moribus ut conſtes, crede, laboris erit.

In Baſilica Apoſtolorum Novariæ.

ANtiquum ecce nitet templum, quod ſorduit ante,
Cui faciem veterem lux nova compoſuit.
Perdidit antiquum quis relligione ſacellum,
Numinibus pulſis quod bene numen habet?
Di, quibus hoc patuit, poſſeſſas linquere ſedes.
Quod fecit victor, victor ubique tenet.
Addidit ad cultum merito ſucceſſor, & actis,
Qui morum nomen hinc, Honorate, geris.
Nubila viperei qui geſtat corda veneni,
Non datur, ut faciat culmina pulcra Deo.

Item in domo Mediolani. XII.

ASpice de cujus biberit domus ardua fluentis,
Atria quod ſuperat porticibus modicis.
Pontificis ſummi ſtudio con[illegible] renidet,
Laurenti proprium [illegible] diem.
Splendida per c[illegible] con[illegible] ruinam,
Occaſum neſcit quod venit a Domino.
Vix caries ſenium [illegible] deterit umquam,
Gloria factoris quod bene condiderit.
Fabula de magnis numquam tacitura reſervat,
Quod vincens ævum nomen ad aſtra ferat.

XIII.

ILle fuit rigidi ſemper ſervator honeſti,
Terribilis culpis, ſupplicibuſque pius.
Quem numquam flexit vitium, miſeratio ſemper,
Judicium facie certus ubique dedit.
Crimina corripuit vultu, compunctis reſovit,
Conſcia ſecreti detulit ora tui.
Hunc utero genitrix cæleſtem fudit in aulam,

Ube

Ubera ſubducens tradidit uberibus.
Gana venerandum ſtupuerunt ſecula vatem:
Moribus ante fuit, quod gerit officio.

XIV.

Qui poſſeſſa diu felix habitacula liquit,
Quæ crevit Domino ſic viduata domus.
Aulica ſuſcipiens moderamina raptus inemptum
Quod pretio mentis quæritur obtinuit.
Nunc locus irriguo retinet quod ſorbuit hauſtu,
Proſpera cuſtodiens faucibus acta ſemel.
Extemplo quiſquis ſucceſſit manſor & hæres
Ingreſſo dextrum contulit iſta pedem.
Quid præſtet conſors ad ſanctam diſcite vitam,
Si reddunt mundos tecta dicata viros.

XV.

Da pater Omnipotens per ſecula longa, precamur,
Spes & certa piis hoſpitibus veniat.
Candida ne meritis fuſcentur ſtamina noſtris,
Neu metis ſiſtat palma parata meis.
Surgat qui propriæ genitricis fotus in alvo
Ad guſtum vitæ per tua dona venit.
Tu mea vel tenui perfundis corde ſapore,
Tu teſtem linguam ſanguinis eſſe facis.
Celſa tenebroſo frondeſcunt arbuta luxu,
Quæ nullis ſtrinxit falcibus agricola.

XVI.

Eloquium certus naturæ conſtitit index,
Perfecti fontem quærere qui ſitiat.
Libertas ſemper ſtudiis reſeratur honeſtis,
Infabricata latet nobilitas ſtudiis.
Captivum venis ſervaſſet terra metallum,
Ni daret inventor quod vocat in medium.
Scrutator fulvum conceſſit pallidus aurum,
Qui polit, ingenium ſic facit eſſe ſuum.
Hactenus Ionium perluſtrans remige pauco
Ad portum cymbam flecte, Thalia, meam.

Super regiam triclinii in domo. XVII.

Navita per poſtes ſuſpendit munera ponti,
In foribus propriis flumina parta gerens.
Venator portis apponit miſſile ferrum,
Veſtibulum galea comitur armigeri.
Diſcitur in valvis ars, virtus, nomen, origo.
Non frontis ſigno credimur eſſe Dei.
Sic noſtrum pande ſtudium dux littera recti,
Ut domus ingenium non taceat domini.
Qui geſtas Latium ſatiatus pectore rorem,
Aſpice ſerpentes hic Heliconis aquas:

In miſſorio, quod habet loricatum juvenem ſuper equum, tenentem victoriam in manu. XVIII.

Ecce tenet victrix pennatum dextera numen:
Venit, & ad reditum non habet arma viæ.
Pugnacem geſtans ſonipes per terga minatur,
Advena cui terror ridet in arte bonus.
Diſcat hyperboreis famoſum germen in arvis
Naturæ genium, cum ſimulacra videt.

De leone marmoreo, qui aquam mittit in domo. XIX.

Aſpice depoſita blandum feritate leonem:
Ore vomit lymphas pectoris obſequio.
Unda fluit roſtro, dens mortis pocula mandit,
Naturam perdens bellua nos ſatiat.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Dira ſalutiferis corda lavantur aquis.

In baptiſterio Agello, ubi picti ſunt Martyres, quorum reliquiæ conditæ ſunt ibi. XX.

Conditor Armenius, ſupero qui dignus honore eſt,
Hic peperit fontem vivificantis aquæ.
Plena ſalutiferis geſtemus viſcera lymphis,
Ne ſitiat potans, contulit unda ſemel.
Rapta ſepulturis animavit corpora pictor:
Funera viva videns mors eat in tumulos.
Illorum tamen iſte locus complectitur artus,
Quos pariles facie mens tenet alma fide.

De ſcutellis ſeptem habentibus feras, vel Dianam. XXI.

Delia, cervus, aper, tigris, leo, bucula, pardus,
Apportat menſis fercula, docte, tuis.

De compoſtile habente ſeptem gravatas. XXII.

Diverſis dapibus confinia proxima ſervat,
Dum claudit variis fercula muta viis,
Limitibus certis quod junctus dividit ordo,
Unus in argento quam bene ventor habet?

De eo, qui ut filium matri reconciliaret, furtum fecit XXIII.

Quis rogo per facinus crimen compeſcuit umquam?
Amplector Sanctas, quæ dant bona ſemina, fraudes,
Augmento rumpunt dum jurgia ſæva perito.
Qui natum matris per culpam reddit amori,
Hunc odiis conſtat miſſurum ſemina pacis,
Ordine perverſo fallax concordia pugna eſt,
Cum belli facies tribuat mentita quietem.

De eo, qui dicebatur meretricis filius & Aſelionis eſſe XXIV.

Di prohibete minas, quas partus nuntiat horrens,
Quem lupa ſordenti conceptum fudit aſello,
Conjugis illicibus ſatiavit viſcera prole,
Edidit & pecori ſobolem fera prodiga legis.
Quid faciat rumpens naturam convena diſcors?
Unde ſequenda petat natus, quis dicere poſſit?
Quem ſtultum genitor, furem dedit improba mater,
Nobile degenerans tenuiſſet culmen ab iſtis.
Sed vitiis proprium te norunt, crede, parentes,
Elinguem, trepidum, jactantem, fraudibus aptum,
Gutturis immenſi ſorbentem quidquid ubique eſt.
Qui ſemel aſſuetas humano ſanguine fauces
Pandit, & ad viles non vertit terga juvencos.

De cauco cujuſdam habente Paſiphaea, & taurum. Ex tempore. XXV.

Paſiphae nipheum linques nec in arte juvencum,
Diffuſis collo manibus petis oſcula ſupplex.
Pul-

Pulchrior & certis illudis ficta puellis:
Candidus argentum ſuperat bos luce coloris,
Vivit amor, taurus, mulier, ſine corpore vero.

De eo, qui numquam niſi in depoſitione filii pavit. XXVI.

PRæparat in fletu qui fercula lauta vocaris,
Annua per lacrimas celebret ſolemnia magnas.

Aliter XXVII.

NUmquam ſtante domo paſcit, mihi credite, tantos,
Qui tumulos natis, & menſas complet amicis.

Aliter XXVIII.

COnvivæ miſeri luctus depoſcire multos:
Prandia tot venient, funera quot fuerint.

Item de cauco habente Paſiphaen, & Taurum XXIX.

BLanditur mulier, ſentit bos, membra moventur.
Attulit has formas, quis dedit hic animas?

Aliter XXX.

ET fictus rigidam ſervat, Venus improba, mentem
Taurus, ut admotis ſuſpendat roſtra labellis.

Aliter XXXI.

SI tibi ſunt animæ, pictor, quibus inſeris artem,
Mollior in tauri claudatur ſpiritus ore,
Fortia ſi miseræ non dantur corda puellæ.

De eo, quod Meſſala Conſul Ennodius in cognomine dictus eſt XXXII.

COnſulis ad genium nomen pro ſtemmate junxi,
Dans lucem faſtis, ſum trabeis potior.
Quid palmata tuo tantum de murice vernas?
Plus ſucante dedit purpura noſtra tibi.

De obloquente ſibi advocato XXXIII.

IMprobe, quid fractis confundis ſingula verbis?
Depingit mores obruta lingua tuos.
Accipis, expoſcis, premis, renuis, ardes.
Triſtia, blanda ſimul, fortia, fluxa facis.
Ira, pavor, rabies, patientia tempore in uno,
Tot facies geſtas pectoribus vacuis.

Verſus ſcripti Agello, ubi filium Armenii Angeli Chriſto obtulerunt, qui pœnitentiam egit. XXXIV.

SUſcipit oblatum, veniam cui contulit, Ieſus.
Poſt culpas animæ ſunt holocauſta Dei.
Perge, puer, tenero ſuperans bene conſcius annos.
Victores juvit candida vita pios.

De eo, qui Gallis ipſo præſente oblocutus eſt, cum eſſet detractor Venetus XXXV.

ILludis Gallis, Veneti male tincta propago.
Nil candoris habes, mens tibi quod genus eſt.
Deſpicis inſontes maculatæ vernula terræ:
Sed natos Rhodani nix probitatis habet.

Epigramma in ſubſcripto XXXVI.

QUod tibi naturæ dederit lex germen amice,
Hoc mihi fons tradat vivificantis aquæ.

In domo ante oratorium. XXXVII.

COmmoda de damnis mercaris, gaudia planctu,
Si tibi de Chriſto eſt indubitata fides.

Ante olearium. XXXVIII.

HOc eſt, quod nitido membrum completur olivo:
Nil potius ſanctas convenit ante fores.

Ante horreum. XXXIX.

HOrrea parva licet ſed mens eſt largior illis.
Non parcens opibus divitias merui.

Ante ſcalas. XL.

ADveniant animum referantes teſte figura,
Quo ſemper votum proditur indicio.

Ante cellarium. XLI.

NUlla penum laxat mentis preſſura ſiniſtræ:
Effluit expenſis quod ſpatiis latitat.

Ante coquinam XLII.

NOn mihi diſſuſæ dant prandia cella coquinæ:
Nec plures venter concutit artifices.
Fercula pauca damus numerum vincentia cultu,
Gloria nec menſæ damna ſalutis habet.

Ante Canavam XLIII.

SObria cella cadis vinum quod ſervat onuſtis,
Corpora confirmat greſſibus acta ſuis.
Infundunt multis iratum pocula flammas:
Miteſcunt noſtro bellica corda mero.

In ingreſſu horti. XLIV.

REſpice qui greſſum ſinuas per amœna vireta,
Ut diſcas cultis lucem præferre diſerti.
Arridet germen, quod lingua pingitur oſtro,
Ver habet in bruma, quod flores carmine gignit.

Per

Per glaciem Zephyros exhalant verba tepentes,
Ebria fulgenti maduerunt murice dicta,
Omnibus in rebus ſermonum purpura regnat,
Oris ad imperium ſubmittunt colla chelydri.
Algida cum roſeo juveneſcunt ſanguine corda,
Primævos gelidis oſtendit littera membris.
Vertit ad obſequium naturæ munera doctus,
Ætates, ſpecies, menſuras, tempora, formas.

Intra hortum ſupra limen. XLV.

COllaudet ſpatiis hortorum commoda lautis,
  Plurima cui ſatiant jugera culta famem.
Ditior extentos ſuperat dos larga minorum:
  Nobilitas vera eſt, quæ nitet in modicis.
Venit ad incluſum poſtponens gratia campos,
  Prodidit anguſtis quid faciat ſtudium.
Vernat in ingreſſu viridanti porticus umbra,
  Cui ſudit genium vitifer ipſe Deus.
Exornans magnis foliorum texta racemis
  Æſtivis junget commoda frigoribus.
Lilia nam, laurus, oleas, commiſta roſetis.
  De cultu proprium fecit avere diem.
Serta triumphantis frondem quæ monſtret amicam,
  Contulit affectus aurea terra ſuos.
Largus opum poſcat majoris præmia voti:
  Hoc ſatis eſt nobis, quod ſine fraude libet.

De Murena in L. F. quæ in Septicio clauditur ita tenuis eſt. XLVI.

SPiritus exhauſto volitat prælubricus auro,
  Candida laſſatum vix tangit membra metallum,
Afflixit pondus pretium fornacis anhelæ.

Aliter XLVII.

AUrea per nebulas diſſolvit fila magiſter,
  Luſerunt dociles flamina fulva manus.

Aliter XLVIII.

COntulit hic ventus pretioſi membra metalli.
  Quod finxere timent, nec capiunt oculi.

Aliter XLIX.

ESt nihil, & teneo, convincit dextera viſum.
  Stringitur arctatis digitorum nexibus aura.

De eo, qui ficus munere & teſſeram ſimul miſit. L.

DAmnati fructus mittit tua dextera ligni.
  Hæc hominem dira ſpoliarunt pabula primum,
Et nudis, ſerpens, poſt fraudem ſorte minaris.
Parce precor donis, caſus & damna reſerva.
Quid nocitura putas inſontis poma ſaluti?
Ante verax leti tunc mortem depulit arbor,
Fixa triumphigeris cum ramis vita pependit.

De adultero & molle. LI.

OMnia Memphitis retinentur ſecula textis.
  Servivit numquam Laurentius ante Neroni,
Nec timuit validas vicit qui corpore flammas.

Aliter LII.

VIr facie, mulier geſtu, ſed crure quod ambo,
  Jurgia naturæ nullo diſcrimine ſolvens,
Es lepus, & tanti conculcas colla leonis.

Aliter LIII.

EXige mendaces populorum uxorcula barbas,
  Ne minuant quæſtum maſcula labra tuum.

Aliter LIV.

REſpice portentum permixto jure creatum,
  Communis generis, ſatius ſed dicitur omnis.

Aliter LV.

LUdus in ancipiti conſtans fallacia ſexu:
  Femina, cum patitur, peragit cum turpia, mas eſt.

In baptiſterio Mediolanenſi LVI.

MUndior excocti fulgeſcat luce metalli,
  Munera diſponit qui dare digna Deo.
Ante vaporatis Laurenti vita caminis
  Conſtitit, ut blandum nobilitaret opus.
Marmora, picturas, tabulas, ſublime lacunar
  Ipſe dedit templo, qui probitate nitet.
Ædibus ad pretium ſic mores conditor addit,
  Vellera ceu Serum murice tincta feras.
Qualiter incluſas comit lux hoſpita gemmas,
  Nix lapidis quotiens pulcrior arte rubet.

De Joviano, qui cum haberet Barbam Gothicam, lacerna veſtitus proceſſit. Ex tempore LVII.

BArbaricam faciem Romanos ſumere cultus
  Miror, & in modico diſtinctas corpore gentes.

Aliter LVIII.

ROmuleam ſegetem nox oris nubila fuſcat:
  Oppreſſit veſtes tenebroſo tegmine vultus.

Aliter LIX.

NObilibus tollis genium, male compte, lacernis,
  Diſcordes miſcens inimico fœdere proles.

In Baſilica S. Calemeri, quando reparata eſt. LX.

LIbera captivum meruerunt culmina lumen;
  Arridet facies nubila nulla gerens.
Hic nuper aſtrigeri dns proxima venit Olympi,
  Laurenti vatis ducta miniſterio.

Ædi-

Ædibus & vitæ cujus nunc una figura eſt;
Ceu ſolis radiis forma, color ſimilis.
Euge vetuſtorum reparator, perge novorum
Conditor, & vultu clarus & ingenio.
Abjurant priſcam, te præſule, tecta figuram,
Advena caſuris porrigitur genius.

De quodam veteri inimico ſtulto & bene paſcente. LXI.

PRandia lauta paras, ſed linguæ ſordibus horres,
Si deſis paſtor, fercula concilias.
Ambitioſa fames, laſſato prodiga cenſu,
Cornibus inſultat, ſi taceat Dominus.

De eo, qui pauperum opes vorabat. LXII.

VIſceribus miſerorum, & ſanguine pauperis auctæ
Sanctorum mortes cur tibi ſunt epulæ;
Tubera, perdices, grus, turdus, turtur, echinus,
Non explent uterum corpora mille tuum.
Infauſtus multis, tibi felix diceris uni,
Hæres quod miſero venter erit proprius.

De eodem. LXIII.

ARtubus humanis Polyphemus vixit, & atro
Sanguine diſtentus delicias habuit.
Tu reddis ſimilem, ſcena redeunte, furorem;
Cui paſtem tribuunt agmina debilium.

De eo, qui ut amicos ejus ad ſe tolleret paſcebat. LXIV.

MErgeret ut divos in mortem, pabula ſerpens
Contulit, & vitam munere dira tulit.
Sic quicumque in eos Paradiſi vere labores
Demulcet, caſſes convivii patitur.
Illic diſcedis quem pectore geſſit amicus:
Fit dominum cari gutturis hoſpitium.

De defenſore callido. LXV.

NEſciris votis, & cordis nube recedis,
Ex oculis præſens quæreris in facie.
Tuque per ambages nulli ſpectabilis eſſe
Calles, mellifluis toxica dans labiis.
Hoc volo quod non vis, jurans te nolle quod optas,
Concutis & variis pectora ſæva modis.
Hydram verticibus, formis ſuperare Prometheum
Doctus, ut ad priſcos fabula non redeat.
Bella cies, ſpoliis creſcis defenſor ademptis.
Ad nomen currit præda ſuperba tuum.

Præfatio totius operis Poetici quod fecit LXVI.

DUm mea multiplices mens anxia ſuſtinet æſtus,
Et reddor vitrei mancipium pelagi.
Cumque procelloſus refluentis portitor undæ,
Africus ut captas me rotat exuvias.
Pierius menti calor incidit: indiga ſerti
Tempora mox cinxit laurus Apollinea.
Tunc hederæ viridis rubuerunt fronte corymbi,
Caſtalii mellis murmura blanda bibi.
Continuo ponens marcentes pectore curas
Complector laudem, carmina, lætitiam.

De eo, quod vindemiarum tempore ſcripſit. LXVII.

MUſta cadis famuli dum condunt noſtra fideles,
Et ludunt prælo calcibus intrepidis.
Dum tingunt roſei plantas de ſanguine Bacchi,
Scinditur & teneras uva gerens tunicas.
Otia Niliacis non paſſus carmina biblis
Sulcavi, tumulo ne tenear moriens.
Ebria lapſantis confeſſus verba Thaliæ,
Sum vacuus culpa, ſi pedibus titubet.
Jejunos deceat lex artis, ſyllaba, rhythmus,
Nulla Camœnarum jungitur ad Bromium.

De quodam glutone, qui opus ejus imperitus carpebat. LXVIII.

NEſcio cur ſancto non parcas, ſtulte, labori,
Dum morem ſervas dentibus inſiliens.
Mandere nos pergis: ſed venter commoda neſcit.
Flamina nam vacuis ſtringis imaginibus.
Eſcarum gurges nil ruptis murmure buccis
Suſcipit, aut caſtis motibus exuberat.
Phaſiacam volucrem, piſces, vel ſumina captans,
Uda vaporatis guttura paſce cibis.
Me jejuna juvat ſine ructu pangere dicta:
Regifico luxu fercula te ſatient.

De Eunucho tribuno nomine Peregrino omnia perambulante. LXIX.

TEſtibus aſſeritur gens, cenſus, vita, Tribune,
Antiquum quoties linquimus hoſpitium.
Tu, quem luſtratis tranſmiſit gentibus error,
Nulla domus pleno nec tenet ampla die
Vis dici locuples, ſublimis, pulcher, amicus,
Æſtibus ignoti miſſus ab Oceani.
Irrita dicta volant, aſſertor non venit ullus,
Nulla fides ſexum detegit aut patriam.
Mendicus, vetulus, timidus, confuſus, anhelus,
His verum perdens utere nominibus.

De eodem LXX.

TUtus falſa loqui poteris ſine teſte, Tribune,
Ventus habet linguam ponderibus vacui.

Aliter de ipſo, quia nuſquam ſtat. LXXI.

INſtabilem faciunt naturæ damna Tribunum:
Avolat hinc rurſus, vincula ni teneant.
Tolle miſer modicam Zephyro veniente, ſuburram:
Radix nulla tuo eſt utilis auxilio.

Aliter de ipſo. LXXII.

EUnuchus terram poſcit per compita victum:
Semina tellus non habet unde ferat.
Grandia proſciſſis rus ſervat germina membris,
Fœtibus & meſſis multiplicata redit.
In caſſum ſectus proſcindit vomere terga,
Ni fundens ſpargat triticeam ſobolem.

D-

De eo, quod cum ipſe Gallos parentes haberet, anſeres amabat comedere. LXXIII.

Hic volucrum pugna eſt, ubi gallo cæditur anſer:
Dat pœnas veteris proditionis avis.
Mactatus quondam vocis capis, improbe, queſtum.
Romanis vitam qui dederit, moritur.

De varietate Clericorum. LXXIV.

Qui ponti facies, numerum qui novit arenæ,
Femina quem jurans fallere nulla poteſt.
Aſtrorum plebem, qui calles ſpectat amantum,
Cynthia cui certis cornibus innotuit.
Non valet hic vultus retinere & nomina mores,
Quos mutat Clerus tempus in exiguum.

De malo homine, qui equos amabat. LXXVI.

Gaudet equis recti diſſuaſor & indigus æqui,
Nomina qui dignis ſtudio ſuperante caballis
Subtrahit opponens ad ſancta vocabula clunem.
Sed procul eſt pecudis quod cenſet mentis iniquæ,
Propoſitum perſtat generis quod ſtemmata fundunt.

De Callido, qui defenſor dicebatur. LXXVI.

Aſpidas ut capiat tectis fraus hoſpita technis,
Sub ludi ſpecie mortis imago latet.
Umbra laceſſitas producit callida peſtes,
Et bellum blandis principiis geritur.
Credite, non aliter defenſor prælia tractat,
Qui accuſat ridens, qui perimit placidus.

De vita & actibus S. Ambroſii Epiſcopi. LXXVII.

Egit quod docuit meritis & honore ſuperſtes,
Ambroſius vates moribus, ingenio.
Roſcida regifico cui fulſit murice lingua,
Vere ſuo pingens germina quæ voluit.
Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis ore parabat opus.
Inſtituit populos geſtu, probitate, pudore,
Fovit reſpiciens, perculit, admonuit.
Vocis ut officium poſtrema pericula poſcunt,
Sic teneras culpas qui tacet inſequitur.
Succinctus gladiis, clypei de pondere tutus,
Pectora claudebat textilibus chalybis.
Enſis habet vires vitiorum ſector & hoſtis,
Vipera non tangit ſquamea terga viri.

De S. Simpliciano Epiſcopo ſucceſſore ejus. LXXVIII.

Ambroſius linquens viduatæ munia plebis
Tranſtulit ad curam, Simpliciane, tuam.
Succeſſoris opes ſpoliati viſcera regni
Creverunt merito temporis alterius.
Ac velut annoſam Zephyris parcentibus ornum,
Ne metuat bellum, longa quies ſolidat,
Tiro tamen felix cana ad rudimenta vocatus
Non flexit priſcum degenerans apicem.
Nil timuit gelidis anima fervente medullis.
Pontificis virtus floris habet ſenium.
Æquora qui tecto preſſit terrena patenti,
Moribus & cultu ſidera cum tetigit.

De B. Venerio ſequente. LXXIX.

Forma pudicitiæ juvenis ſectanda Veneri
Venit, nominibus nil famulata ſuis.
Fortia marcebant vetulo ſub judice membra,
Ætas præſentem perdiderat puerum.
Sublimis poſtquam conſcendit pulcra cathedræ,
Cana tener populis dogmata diſſeruit.
Aurea fluxerunt locupletis ſchemata linguæ,
Sol vitæ nitidum reddidit eloquium.
Alvus ut eccleſiæ tumuiſſet ſemine verbi,
Non deerat paſtus lactis Apoſtolici.

De Venerabilis Maroli ſucceſſione. LXXX.

Marolus extremæ potator Tigridis ore,
Qui jubar in madidis viderat hoſpitiis.
Quem labor in proprio Syriæ ſolidaverat axe,
Orditur vatem dotibus innumeris.
Pervigil, intentus, jejunus, providus, ardens;
Quod morem tenuit ſat fuit officio.
Os tenerum quotiens guſtus contingit honeſti,
Tranſit ad affectum quod fuit imperii.
Terra potens olim patribus fundata beatis
Nobilibus mundum partubus irradiat.

De cultore Dei Martiniano Epiſcopo. LXXXI.

Mens nivei lactis, ſpecies manifeſta columbæ,
Aſtutia ſerpens, Martiniane, vale.
Lubrica te dubii dum poſcunt flumina vulgi,
Inveniunt pavidum ne mereare legi.
Unus erat mundo contraria judice narrans,
Qui ut caperet regnum vincere non meruit.
Protinus ad magni perductus limen honoris
Exul Cælorum civibus inſeritur.
Poſt geminas ſanctis conſtruxit mundior ædes,
Lumine quas clauſo juſſit habere diem.

De Venerabili Glycerio Epiſcopo. LXXXII.

Suffuſus minio, perque omnia facta rubeſcens
Virginei vultus Glycerius ſequitur.
Puram ſanguineo maculat dum rore figuram,
Picta genas facies ſimpliciter placuit.
Candentem crocea geſtans aſpergine frontem
Læta verecundis tinxerat ora notis.
Indeptus ſceptrum, tribuit quod teſtis imago,
Purpura quem mentis prodidit imperio.
Hunc habuit populus parvo vix tempore felix,
Sed rurſus magni miſſus ad obſequium.

De S. Lazaro Antiſtite. XXCIII.

LAzarus ut diri premeret pede culmina mundi,
Vocibus accitus trux venit in medium.
Quem frons læta parum vitiis depinxerat hoſtem,
Mulcantem culpas luminibus tacitis.
Reſpiciens lapſus deterſit nubila vitæ:
Curam ſæpe dedit vulneris obſequio.
Non latuit tectis facinus qui geſſit in antris,
Abſens criminibus torror ubique fuit.
Innocuis placida vernabat luce ſerenus,
Ceu ſpeculum noxis injiciens faciem.

De amico Dei Euſebio Pontifice. XXCIV.

EUſebius Ligurum ſucceſſit finibus hoſpes,
Ignotæ tractus plebis amicitia.
Gravis erat, ſocio Titan quos reſpicit ortu
Flammigero lymphas vertice decutiens.
Mitis, compoſitus, largus, pius, integer, audax,
Crederet ut damnum non dare perpetuum.
Flevit pauperiem miſerans, arriſit habenti,
Gaudia cum cunctis triſtitiamque gerens.
Hunc index operis locuturo nuntiat orbi
Fama virum, gentes de ſtatione trahens.

De Gerontio Epiſcopo. XXCV.

ECcleſiæ poſtquam parta eſt tibi ſella, Geronti,
Funera deceſſor non timuit moriens.
Te reparante redit, patitur ſors pallida letum,
Vivit poſt obitum diſcipuli pretio.
Agricolis junctus coluiſti germina vitæ,
Nec ſerpens lolium pabula læta tulit.
Qui dedit in medium quem lex jubet optima victum,
Emit terrenis fructibus ille polum.
Errorem mentis preſſiſti lege laborum:
Otia non paſſus virtutibus veheris.

De Venerabili Benigno Epiſcopo. XXCVI.

EXere quæ poſuit mens nomina certa, Benigne,
Quem quiſquis vocitat teſtis erit meriti.
Cana fides hominem dum narrat, detegit actus.
Nil loquitur caſu pignoris attonitus.
Præſcia venturi non erant vota parentum,
In veram vertunt blanditias ſobolem.
Ante patres cenſens ſedit plaudente ſenatu,
Prælatum ſanctis extulit ille caput.
Pollice ſed diro ceu flos ſucciſus aratro eſt.
Spes, decus, & genius de foribus cecidit.

De Beatiſſimo viro Senatore Epiſcopo. XXCVII.

QUi vincit trabeas, ſolium, cinctumque Gabinum,
Conſulibus præſtans ecce Senator adeſt.
Ingenium velox, ſermonis cura rotundi,
Virtutum pretium, formæ pudicitiæ.
Abdita librorum myſteria clauſa prophetæ
Qui dedit in lucem ſchemate quo valuit.
Orbis ad extremi miſſas ſecreta verendi
Curavit ſtudiis quod fuerat lacerum.
Tunc Oriens victum peregrino lumine faſſus,
Hæſit ad aſpectum lampadis alterius.

De domno Theodoro virtutum omnium Epiſcopo. XXCVIII.

TU lux certa tuis, ſpes tu fidiſſima rerum,
Vatis Apoſtolici tu, Theodore, vigor.
Virtutum cumulus, ſubſtantia lucida veri,
Monſtrat acervatis quam labor in ſtudiis.
Præſcius, accinctus, fortis, tranquillus, amicus,
Compoſitus, ſimplex, tu bonus, & ſapiens.
Fatidicus ſemper tu conſcia corda futuri.
Deprenſum fluxit te reſerante malum.
Quem timuere feri calcantes culmina mundi,
Dilexit ſpernens dura ſupercilii.

XXCIX.

REſtat, quem longo ſervet Rex inclytus ævo.

(*Ad Deuterium*) XC.

IMperii cuſtos vocali pollice chordas
Per numeros animans, tibi fila loquentia carmen
Verberibus plectri, Doctor, ſervire coegi.
Cyrrha potens Phœbo, laticis pia turba ſereni
Tu mihi ſemper eris, qui pectora clauſa remotis
Inſeris officiis, & dextro numine comples.
Deprecor, exactam fauturus ſuſcipe vocem,
Extortis pretium donans te judice dictis.

De marmoribus opere Sarſorio. XCI.

VIſceribus lapidum permixta lege coactis
Naturam faciunt artificum ſtudia.
Inſolidum fractis riguerunt marmora membris,
Partibus in cruſtam colligitur genius.
Unam de variis ſpeciem componere fruſtis
Qui potuit, ſaxum duxit in obſequium.

De Miſſario, ubi imago ipſius eſt. XCII.

DIvitibus pretium eſt Ennodi forma metallis.

In concha ipſius. XCIII.

PArturit unda ſitim, quam ſplendens concha miniſtrat.

De equo, quem accepit Hunifco. XCIV.

BElliger algenti ſonipes nutrire ſub axe,
Per Tanais medium pectora ſicca ferens.
Cana pruinoſis mandentem gramina luſtris
Virtus lege poli quem ſibi percoluit.
Poſt domitas gentes, poſt flumina tanta cruoris,
Alter te Dominus, ſed manet ipſe labor.
Linque, precor, lituum, cantus paſſure beatos,
Captivus pacis mitteris obſequiis.
Nil tibi cum bellis, commendant buccina letum,
Quid juvat expertas ſemper amare neces?

Epitaphium S. Victoris Epiſcopi Novarienſis. XCV.

NOmine propoſito, meritis, certamine, victor,
Deſpicis oppreſſas maculato ſemine terras.

Tu carnis vitiis poſſeſſor, corporis expers,
Lubrica ſubjectis domuiſti ſecula membris,
Tranquillus, patiens, correptor, providus, acer,
Hic reddens tumulis cineres, ad celſa vocatus
Spiritus ætherea congaudet lucidus arce,
Buſta ſupercilio miſeratus cernit Olympi.
Unde triumphati reſpectans funera mundi,
Caſſibus exutis concedes præmia membris.

De quodam Romano qui voluit magiſter eſſe XCVI.

Index naturæ, ſtudium tibi non venit illum,
Littera nulla colit brutæ commercia linguæ,
Numquam diſcipulus valeas, dic unde magiſter?

De anu quadam XCVII.

Algidus in vivo moritur cum corpore ſanguis,
Annorum glacies cum ſiccat pabula vulvæ,
Seminis & cuſtos refugit cruor utilis inguen,
Marcida cur juveni ſociarit. Galla, marito:
Pignoris in thalamis parit fiducia juncto.
Nam ſobolem laxis mendacem vivere rugis
Inſimulans, epulis das prolem ſacta cloacæ.
Attulit hoc venter, quod conjunx jungat ad ora.

De anulo Firminæ in L. feminæ XCVIII.

Nil fallit ſimulans, quod finxit dextera verum eſt.
Immobilis ſtantem fugitat lepus arte moloſſum,
Inſertus rabidis ridet furor aureus urſis,
Geſtandus manibus ſævit leo blandior ira.
Cognoſcit dominam genius famulante metallo.
Mitigat illa feras, dum plebem paſcit egentum.

(*De Albino*) XCIX.

Aſpicis Albinum titulos poſt buſta dediſse,
Funera qui meritis vivacibus jugulat.
Inclyte cui Princeps dum ſubdis jura magiſtri,
Vere ſepulturæ contigit ille locus.

(*De Cane Venatico & agna*)

Creticus hic ſolers quidam vocitatur homullus,
Naribus argutus, greſsu celer, ore timendus,
Impavidus preſso ſignans veſtigia roſtro,
Quo cervus, capreæ, lepores, lupus, urſa vagatur,
Invenit, & tepido capitur fera provida lecto.
Luditur agnellæ poſt prælia tanta volatu,
Molle pecus volucrem prævertit fraude moloſsum.

De Scutellis CI.

Tot Jovis illecebras, tot crimina viva figuris
Dum bene depingit, vitioſa eſt dextera fabri.
Argenti pretium eſt facinus retinere vetuſtum,
Ne purum ſuperet quod furtis Jupiter egit.
Nil licet atati, ſcelerum monimenta reſurgunt.
Admonet exemplis, qui culpas format avitas.

Aliud CII.

Si tantas facies tunc ſumpſit divus adulter,
Si primum falſis luſit imaginibus.
Quid non mentito violaſſet corpore numen,
Cujus forma ſuo gaudet adulterio?

(*De Paſiphae Minotauro*) CIII.

Læſa Venus non eſt, naturæ vincula conſtant,
Bucula Dædalei ceſſat mentita laboris.
Ingenio vivens nil mugit vacca biformis,
Fictaque nec verum coitum dant ligna juvencæ.
Ecce iterum tauro mulier ſubmittitur uxor,
Humanas pecudum ſuſpirant pectora flammas:
Vaſta jugum cervix, curſus capit area colli,
Qualiter adſtricto ſudavit marcida loro.

De Deuterio Grammatico CIV.

Forma, caput, facies, Deuteri cuncta magiſter,
Innumeris doctor dotibus ille cluit.
Excuſſit linguam genius perfectus ubique.
Quod fari neſcit, diſplicet inde malis.
Grammaticam jactant artem neſcire magiſtrum:
Hoc melius ſimplex moribus inſtituit.
Oratoris opus, lapidoſaque culmina Tulli
Non retigit, celſum rhetora nullus amat.
Diſcipulis ſatis eſt vultus, tacitique verendæ
Calvities, Phœbes lumina plena vident.

In natalem Infantis Aratoris. Ex tempore CV.

Jure colis proprium natalem, pulcher Arator.
Qui ſi non coleres, numquam Arator eras.

De quodam incerti propoſiti & vitæ turpis. CVI.

Tot rebus fallax quid garris pica biformis,
Semivir & tremulo qui vexas turpia lumbo?
Quod tibi propoſitum, qui ſexus contigit umquam?
Quid non mentiris vir, femina, ſancte, profane?

Verſus miſſi Agnello viro ſublimi. Ex tempore CVII.

Lucidum tinxit maculante fuco
Quiſquis affectum, ferat inde linguam
Judicis Chriſti facibus peruſtam
Ore ſepultus.
Scindit urgens fœdus omne fraude vivax perpeti.
Ægre portans quidquid ordo flagitat ſerenior.
Linque, quæſo, amice, mores plebe dignos ultima,
Sanguinis callem ſecutus ſerva quod depectus es.

CVIII.

Vincula ſolvit amor, quæ quondam nexuit alter:
Non niſi per legem cecidit lex priſca ſequentem.

(De verſibus ſuis.) CIX.

NUmquam frugiferis per ſecula longa tyrambis
In me fluxerunt commoda Caſtalii.
Triſtia jejunis ſpargentem carmina labris
Spes nova quid ſtimulas gurgitis Aonii?
Sed ſi mutato Parcarum ſtamine gaudes,
Exhibe cornipedem nunc Pegaſæa mihi.
Qui ferat aligerum per gramina roſcida corpus,
Nec teneras flectat veſtigiis ſegetes.
Sublimem, validum, formoſum, paſſibus aptum,
Qui ſi contingat, mox mihi, muſa, places.
Mitteris ad largum locupletem poſcere parva:
Ni gaudens redeas, dic mihi, muſa, vale.

De Caſtello Honorati Epiſcopi CX.

POntificis caſtrum ſpes eſt fidiſſima vitæ.
Cui tutor ſanctus, quæ nocitura petant?
Hic clypeus votum eſt, procul hinc Bellona recede.
Quod meritis conſtat, prælia nulla gravant.
Conditor hic muros ſolidat, munimina factor.
Nil metuat quiſquis huc properat metuens.

De Horto regis. CXI.

DExtera bellipotens vulgatis plena triumphis,
Qua cecidit quidquid fugit ab obſequio:
Diſperſo celſam ſolidas qui ſanguine famam,
Cui pepetit laudem mitis & arma tenens.
Poſtquam prælargo rubuiſti ſchemate campi,
Arva colis pingens germine purpureo.
Virgultis proprio diſpenſas murice poma,
Das plantis fructum nobilitate tua.
Vilior en ceſpes jactat ſe divite ramo,
Dum ligni morſus ſemina clara fovet.
Demeſſus ferro floret tibi ſurculus alter:
Nuda maritatis dos nitet arboribus.
Gramina cultorem præsnoſcunt, muta loquuntur,
Quod tetigit Princeps ver habet in glacie.
Geſtu terra potens monſtrat cui crevererit arbor:
Fœtibus & genio panditur hic Dominus.
Pervigil Heſperidum quæ ſervas jugera ſerpens,
Aurea jejunis munera dans epulis.
Quis ſilvæ ſobolem carpat cuſtode veneno?
Morte nemus tutum, credite, nullus adit.
Hic commune facis, pietas, quod ſola paraſti.
Viſceribus plenis neſcit abire fames.

De cæco quodam luxurioſo. CXII.

ORbe pereſſoſſo fluidum de lumine vulnus
Peſtifer oſtentans ora ſepulta geris.
Cœca per innumeros facies portatur amicos,
Qui te conſpiciunt jure dolent oculis.
Ebria marcenti locupletas flumine menta,
Circumfers craſſo ſordida labra fimo.
Oſcula nulla petas, madidam ſuſpende Mephitim:
Te propter cupiam perdere quod video.
Quis putet ex oculis flammas coaleſcere turpes?
Nil videt, & rectum ſervat iter ſcelerum.

De equo ſuo ſene. CXIII.

FLexior annoſo ſonipes moderamine noſter
Nunc juvenem blando ſuſtinet obſequio.
Mollia grandævus ſummittit terga ſedenti;
Ætas conſtantem greſſibus eſſe facit.

De flagello infantis Aratoris. CXIV.

QUæ capiunt mundum, junxit mens docta flagello,
Exornans cenſu nobilitante plagas.

Aliter. CXV.

ARgenti atque auri vapulat quicumque metallis,
Gaudia cum fletu miſcet avara ſuo.

Aliter. CXVI.

DEntibus argenti ſulvum concluditur aurum,
Contemnat nullus verbera pulcra pati.

Epitaphium Domnæ Meliſſæ in L. Feminæ. CXVII.

SAnguine, mente, opibus, facie, virtute, pudore,
Optatur qualis femina, ſola fui.
Hoc tantum mundi quod lex eſt corpore geſſi,
Exornans caſta prole pudicitiam.
Quæ victrix fortem tenui per blanda maritum,
Melle meo vertens jura, Severe, tua.
Quos genui, celſa conjunctos ſtirpe reliqui.
Quod votum eſt ſanctis, conjuge præmorior.
Nil mihi deceſſit, maneo poſt buſta ſuperſtes:
Felices numquam mors nocitura petit.
Et nomen dulce eſt, de factis Meliſſa dicor.
Moribus hoc fluxit jure datum propriis.

De quodam ſtulto, qui Virgilius dicebatur. CXVIII.

IN tantum priſci defluxit fama Maronis,
Ut te Virgilium ſecula noſtra darent.

Aliter. CXIX.

SI fatuo dabitur tam ſanctum nomen homullo,
Gloria majorum curret in opprobrium.

Aliter. CXX.

CAptivo ſtultas congaudet ſtemmate vates.
Non eſt Virgilius, dicitur iſte tamen.

Aliter. CXXI.

EXterno quotiens vocitaris nomine demens,
Si tibi ſunt ſenſus, proſpice, ne venias.

Aliter CXXII.

CUr te Virgilium mentiris peſſime noſtrum?
Non potes eſſe Maro, ſed potes eſſe Moro.

In cubiculo ſuper codices in ordine poſitos CXXIII.

ISte callis eſt, ſupernam qui parat potentiam,
Lux pudoris, eſca mentis, fax, medela, claritas.
Mundi fæce qui fucantur hunc tenere neſciunt.
Liber extat hoc quicumque colla loro vinxerit.
Sanguinis venam nitentis comit iſte ſarculus.

Adverſus Claudianum de mulabus CXXIV.

HIc volucrem Rhodani torrentis reſpice natam
Sermonum frænis ſubdere colla tuis.
Juſſa volat verbis, & verbis juſſa quieſcit,
Cujus captivum eſt auribus arbitrium.
Vincula neſciret, ni vocis ſtricta lupatis
Perderet auditu luxuriam generis.
Cum ſtimulos clamor, mentitur clamor habenas,
Obſequium linguæ libera membra ferunt.
Non opus eſt loris, ſed nexus certa loquendi
Dura catenati roſtra ligat pecudis.

De aſino & equa CXXV.

VIſceribus propriis externos fundere partus
Cogitur, & generis ſobolem lactare ferini.
Jurgia naturæ magno diſtantia calle.

Aliter CXXVI.

EDidit ignotum genetrix male conſcia partum,
Naturæ fraudes, nobiliore dolo.

Aliter CXXVII.

DIſcrimen generis junxerunt fœdera partus,
Ingenii ſtirpem permixta lege coacti.
Hic mulus geminum pecus eſt, ſed corpore ſimplex.

De vectatione ſua nocte in æſtate CXXVIII.

AStrorum populus necdum de lumine ſolis
Perdiderat lucem: gremio ſed noctis adultæ
Fundebat rutilos madefacta aſpergine crines.
Cynth a per croceas fulgebat lactea bigas,
Reſcindens quidquid deſcripſerat orbita fratris.
Vernabat tacitus ſplendor de munere noctis,
Torrida frigoribus confringens tempora Cancri:
Cum me curarum cupientem ſpernere faſces
Ruris amœnati facies depicta vocavit.
Cornipedem ſcandi qualem vix Cyllarus æquat,
Mollibus æthereas qui vincit curſibus auras,
Immobilis currit cujus per devia ſeſſor,
In ſtatione volans pedibus conſtanter adactis.

In baſterna uxoris Baſſi Violæ CXXIX.

QUam vaga conſtantem retinent hæc tecta decorem!
Mittitur a domina quidquid habent pretii.
Num rutilat fulvum violæ de luce metallum:
Poſſeſſor radios ſpargit ubique ſuos.

Epitaphium Euphemiæ CXXX.

OBruit hæc tumulos, vivit poſt funera factis,
Quæ mortale nihil moribus inſeruit.
Euphemia tuos tellus complectitur artus,
Sed mens eſt niveis quam bene juncta choris.
Occidit exitium: ſors tunc duriſſima ſervit,
Cum ſuperat fœtum neſcia vita mali.
Hæc thalamis fœcunda fuit, viduata pudori
Exemplis natam fecit amare Deum.

De Spatha in fuſte CXXXI.

UTimur incluſo per fraudes enſe bacillo,
Mors ligni tunicis quam bene tecta latet!
Subſidium portas, quod cunctis terror haberis.
Pacificum eſt nobis quod necat obſequium.

De Boethio Sphata cincto. CXXXII.

LAngueſcit rigidi tecum ſubſtantia ferri,
Solvitur atque chalybs more fluentis aquæ.
Emollit gladios imbellis dextra Boethi:
Enſis erat dudum, credite, nunc colus eſt.
In thyrſum migrat quod geſtas, improbe, pilum.
In Venerem conſtans linque Mavortis opem.

De Stomatio Eburneo. CXXXIII.

SOllicitata levi marceſcunt corda virorum
Tormento: fas eſt ludere virginibus.
Frangunt Marmaricis elephas quod miſit ab arvis,
Per micas ſparſum mox ſolidatur opus.
De pœna teneræ diſcunt cum fraude jocari.
Nam ridere necis munere, femineum eſt.
Anguſta norunt res mille includere capſa,
Omne ebur hic mulier pectoris arca tui eſt.

De ave per Padum ſuper ſpumas ſedente & tranſeunte CXXXIV.

RIparum frænos naturæ vincula ſurgens
Forte Padus tumido gurgite tranſierat.
In ſpumam fluxas cogens dureſcere lymphas,
Squamea prævalidis dorſa ferebat aquis.
Ales ut in tenero fidens tunc conſtitit orbe,
Otia dans pennis, tuta gerebat aquas,
De proprio pelagus calcanti ſuggerit alnum,
Humida cum ſiccam cymbula portat avem.

De Sepulchro Majoriani Imperatoris. CXXXV.

CUm præſtat gravior, buſtum fortuna petitum
Contulit exuviis, Majoriane, tuis.

De

De equo Padano. CXXXVI.

Cornipedes cuncti, quos gignunt bellica rura,
Quoſque cruentatis diluit unda toris.
Algida qui Tanais domuiſtis dorſa profundi,
Quorum prævalidas ungula calcat aquas.
Ecce Padanus adeſt ſonipes, cui judice recto
Cedant Æmonii quos fovet aura poli.
Ille pruinoſis qui mandat gramina luſtris,
Et merito & forma diſpar utroque venit.
Molliter incedit membris formoſus honeſtis,
Oblectat viſum dulcis in obſequio.
Nil jam Phaſiacam collaudet fabula prolem.
Nec peregrina ferant nomina celſa caput.

De Principe P. P. Ebrioſo, qui vitem tenebat. CXXXVII.

Verus honor vitem tribuit, ſed munera vitis
Jejuno non dant ligna miniſterio.

Aliter. CXXXVIII.

Ut ſceptrum Princeps ſic geſtat dextera vitem,
Utribus exornet diva corona caput.

Aliter. CXXXIX.

Utifer hic ſiccus matrem complector herilis,
Ubertibus preſſis quæ mihi vina negat.

Aliter. CXL.

Heu quotiens calidis vites ſine fruge labellis
Illuſit nudo nomine me refovens!

Ennodius Honorato Principi. CXLI.

Terrarum culpis vitium potator obumbras.
Ebrius eſſe nequis vina vomens Ligurum.
Dum replet madidus ferventia pectora Bacchus,
Indicunt validam pocula noſtra ſitim.

De Epiſtola Domni Ambroſii contra Symmachum de ara Victoriæ, quando petens triumphum ipſius victus eſt Symmachus: factum ſubito & miſſum Domno Fauſto Præf. præt. CXLII.

Dicendi palam victoria tollit amico,
Tranſit ad Ambroſium, plus favet ira Deæ.

Verſus Domni Fauſti. CXLIII.

In Ligurum terris potorem qui vocat, errat:
Numquid vina bibit vina bibens Ligurum?

Verſus Meſſalæ. CXLIV.

Suſcipe verſiculos, Ennodi proxime, noſtros,
Ut liberum nobis reddere non deſinas.
Ne fœdes cultum, dum reddere maxime non vis,
Quæ pridem nobis es quoque pollicitus.

Domni Ennodii. CLXV.

Si te Meſſalam ſtudiis mihi pandere velles,
Non deerant libri, quos tibi dulce darem.
Mens injuſta nimis quod ſpernat tollit amanti;
Nec gratum eſt munus, quod fugit ingenium.

Domni Ennodii. CXLVI.

Artis Grammaticæ librum de carmine facto
Qui poſcit, ſolidos certat habere pedes.
O utinam mutis contingant munere noſtro,
De te quandoque gaudia certa, puer!
Vitant loripedem, niſi fallor, pandere verſum,
Vel quos in ſomnis reſpiciunt ſtudia.

De Honorato. CXLVII.

Uxor Flaſconis cupis dotata Falerni,
Semper in exhauſto pectus repleta Lyæo,
Qua Bacchum madidis colui venerata labellis,
Turgida ructato permulcens numina muſto,
Concludor ſicci bene conſcia tegmine buſti.
Eſt tamen ad ſuperos conjunx mihi nobilis, euve,
Pocula quem numquam poſſint tranſire beata.
Quem ſi fata vivum ſervant, tibi vivimus ambo.

Epitaphium Domnæ Dalmatiæ. CXLVIII.

Funus obit virgo quotiens in buſta refertur.
Unum iter eſt mortis criminis obſequium.
Dalmatiæ meritis victa eſt natura rebellis,
Degeneri cælum nobilitate tenet.
Hoc ſatis eſt mundum calcaſſe in corpore mundi,
De vitio ſumptam cedere nil vitiis.
Stemmatis hæc lucem tranſcendit ſole pudoris,
Mens cum propoſito conſociata fuit.

De fonte Baptiſterii S. Stephani, & aqua quæ per columnas venit. CXLIX.

En ſine nube pluit ſub tectis imbre ſereno,
Et cæli facies pura miniſtrat aquas.
Proflua marmoribus decurrunt flumina ſacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rurſus natis unda ſuperna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha receſſus,
Euſtorgi vatis ducta miniſterio.

Excuſatio Ennodii de laudibus. CL.

Ut valeant aquilæ formatos prodere fœtus,
Vitalis tenerum frangit tepor inſitus ovum.
Tunc pius artatam lacerat pater impiger ædem,
Ut pariat rurſus ſtudio quos edidit alvo,
Mox generis teſtem Phœbum ciet, arbiter idem,

Inve

Invenit internam rimatus lumine lucem.
Non aliter celſo pueros de ſtemmate cretos
Doctrinæ tædiis opponit cura parentis.
Quam bene flammarum conſtanter, reſpice, bella
Excipiunt teneri, vincentes fulgura viſu.

De duabus domibus conjunctis. CLI.

IN geminis ſimplex radiat pia gloria tectis,
Et de diviſis conſociatur honos.
Non procul, aut ibidem ſacros confunderet uſus,
Conſtanti numerum ſors dedit ampla loco.
Una domus duplici diſcreta jungitur æde,
Partiturque ſuum quod bene nectit opus.

EX PARÆNESI DIDASCALICA.

Laus verſuum.

QUamvis ſit tenerum madore mellis,
Quodcumque ſtrepuit parens Camœna,
Et nctum lepido nitore carmen.
Captivis docilis momenta cordis.
Nec ſemper deceat poema virtus,
Quod lex præcipiens tenere fluxum
Reſolvat ſtudio jubente fortes.
At nos Pieriæ modum loquelæ
In tantum ſequimur, monente cura,
Quantum dat genius, vigorque veri.
Chriſto militis inſitum rigorem
Elumbem patimur cavere ductum.

Verecundia.

TInguite candentes roſeo de murice vultus,
Atque fidem morum pandite de facie.
In niveo ſpargens maculas ſis pulchrior ore,
Cum ſudans tenerum roſcida colla ferat.
Nil tibi plus lingua tribuas, quam ſchemate frontis.
Quidquid amare libet, hinc tibi concilia.

Caſtitas.

NIl moror afflictos conſtanter prodere vultus,
Dum mihi pœniteant caſti monumenta decoris.
Pinguia nam tenuem ſuffocant corpora ſenſum,
Et male farta ſuas conculcant viſcera mentes.
At mihi crux cuſpis, crux ſcutum, cruxque thoraca:
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem.
Hæc mihi dux belli eſt, quo victrix lubrica calcans,
Dira Cupidinei deteſtor mella veneni.
Ad me currentes puerum ſeponite factis,
Deque meo juvenes canam præſumite vitam.

Fides.

QUi cupit Cælo ſociare terram,
Linquere & laxæ vitium parentis,
Me petat, certum decus & coronam
Muneris alti.
Ille nec dirum metuit tribunal,
Nec per urbanos volitat potentes:
Conſcius recti tenet inter undas
Stagna ſalutis.
Barbarum quamvis tumeat Gelonus,
Parthica & latret Morinus figura,
Omne quod mundi rabies ſuſurrat
Deſpicit, arcet.
Intrat excelſi penetrale regis,
Divitum tutis manet in ruinis.
Ille nec legem patitur ſepulchri,
Nec mala vitæ.

Grammatica.

MEntibus damus ſaporem, dum polimus fabulas,
Judicem tenemus æquum, ſi quid errat parvulus.
Abſtinens manu, pudorem aure & ore verbero.
Quidquid ars habet pavendum, ars loquendi temperat,
Cum puſillis & jocamur inter ipſa dogmata.
Nam jubet rigor magiſter, nec per omne terreas.
Nos parentes dixit ætas illa major optimos.
Quod favore computamus eſſe noſtra pignora,
Quæ dedit venter tumeſcens litterati ſeminis,
Nec libido ſubjugavit jura clari pectoris.

Rhetorica.

SIt noſter tantum, non ſtringunt carmina quemquam.
Nos vitæ maculas tergimus artis ope.
Si niveo conſtet merito quis teſte Senatu,
Cogimus hunc omnes dicere nocte ſatum.
Et reus & ſanctus de noſtro naſcitur ore:
Dum loquimur, captum ducitur arbitrium.
Lana Tarentinæ laus urbis, gemma, poteſtas,
Quid ſunt ad noſtrum juncta ſupercilium?
Qui noſtris ſervit ſtudiis, mox imperat orbi.
Nil dubium metuens ars mihi regna dedit.

Per te, per qui te talem genuere parentes,
Symmache, ne noſtram maneat ſors dura tabellam;
Da dextram tenui, & tecum me tolle per undas.
Non facit ad mores credentem fallere ſanctos.
Nil moror, en ſupplex venio: miſerere precanti,
Vilia divitibus commendans dicta patronis.
Germina clara
Sumite ſicci
Verba parentis.
Nobile dictum eſt,
Quod bona monſtrat.

EX DICTIONE DATA ARATORI

Quando ad laudem provectus eſt. Thema. Laus litterarum.

PRÆFATIO.

LIttera de proprio laudetur ſplendida cenſu.
Advena nam cultus nil tribuet genii.
Ebria veſtito plus lucent vellera fere:
Perſica candentes colla decent lapides.
Nil juvat externo componere membra nitore.
Lux naturalis ſidera nobilitat.

EX DICTIONE EX TEMPORE

Quam ipſe Deuterius injunxit.

T*HEMA.*

PErfunctus pelago Diomedes tutus in arvis
Naufragium deflet, quod ſine lympha fuit.
Quam propter varios contendens vicerat æſtus,
Uxor ad alterius tranſierat copulam.
Cauſa querelarum ſimulato nomine vera eſt.
Hujus verba, precor, comite vos placidi.

ALCI-

ALCIMI AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS
POEMATA.

Epitaphium B. Aviti Epiſcopi Viennenſis.

QUiſquis mœſtificum tumuli dum cernis honorem,
Ceſpite concludi totum deflebis Avitum,
Exue ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides, celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil ſocium cum morte tenet. quin proſpice Sancti
Geſta viri. primum floreſcens indole quanta
Spreverit antiquo demiſſos ſtemmate faſces,
Maturum teneris animum dum præſtat in annis,
Et licitum mundi voti virtute relegat.
Nec mora, Pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat ut ſoliti felicia cœpta laboris.
Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur, ſeque ipſe aliis plus æſtimat, immo
Subjicitur magnus, ſervat mediocria ſummus.
Diſtribuit parcus, paſcit jejunus, amando
Terret, & auſteris indulgentiſſima miſcet.
Cunctantes ſuaſu juvit, ſolamine mœſtos,
Jurgia diſſolvit, certantes fœdere junxit,
Diſſona veridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritiſque ſubegit.
Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus ſimilis, nulluſque poeta:
Clamant quod ſparſi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia ſecula vivet.

LIBER PRIMUS,

De initio Mundi.

QUidquid agit varios humana in gente labores,
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Quos aliena premunt priſcorum facta parentum,
Addatur quamquam noſtra de parte reatus,
Quod tamen amiſſo dudum peccatur honore,
Adſcribam tibi, prime pater, qui ſemine mortis
Tellis ſucciduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Chriſtus perſolverit in ſe,
Contraxit quantum percuſſa in ſtirpe propago;
Attamen auctoris vitio, qui debita leti
Inſtituit, morboſque ſuis ac funera miſit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.
Jam pater Omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis diſcreverat arida lymphis,
Littoribus pontum conſtringens, flumina ripis:
Jam proprias pulchro monſtrabat lumine formas,
Obſcuro cedente die, varioque colore
Plurima diſtinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus ſortita vices tum lumina cælo
Fulſere alterno ſolis lunæque meatu.
Quin & ſidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes aſtrorum luce tenebras.
Actutum ſuavi producens omnia fœtu,
Pulchra repentino veſtita eſt gramine tellus,
Accepere genus ſine germine juſſa creari,
Et ſemen voluiſſe fuit. ſic ubere verbi
Frondeſcunt ſilvæ: teneris radicibus arbor
Duravit vaſtos parvo ſub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, & vacuum diſcurrunt bruta per orbem.
Elatæ in altum volucres, motuque citato
Pendentes ſecuere vias, & in aere ſudo
Præpetibus librant membrorum pondera pennis.
Poſt etiam clauſi vaſto ſub gurgite piſces
Reſpirant lymphis. flatuſque ſub æquore ducunt,
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam,
Nec minus in pelago viviſcunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monſtra ſolet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens ſolertia formas.
Quodque hominum falſo credit mens neſcia fœdum,
Per propriam ſpeciem natura judice pulchrum eſt.
Ergo ubi completis fulſerunt omnia rebus,
Ornatuque ſuo perfectus conſtitit orbis;
Tum pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras ſublimi ex æthere vultum,
Illuſtrans quodcumque videt: placet ipſa tuenti
Artifici factura ſuo, laudatque creator
Diſpoſitum pulchro quem condidit ordine mundum.
Tum demum tali ſapientia voce locuta eſt:
En præclara nitet mundano machina cultu:
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri?
Sed ne longa novam contriſtent otia terram,
Nunc homo formetur, ſummi quem tangat imago
Numinis, & noſtrum, celſo donatus honore,
Induat interius formoſa in mente figuram.
Hunc liber erectum vultu præponere pronis,
Qui regat æterno ſubjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Aſtra notet, cælique vias & ſidera norit,
Diſcat & inſpectis diſcernere tempora ſignis:
Subjiciat pelagus ſævum, ingenioque tenaci
Poſſideat quæcumque videt; cui beſtia frendens
Serviat, & poſito diſcant manſueta furore
Imperium jumenta pati, juſſique ligari
Feſtinent trepidi conſueta in vincla juvenci.
Quoque magis natura hominis ſublimior extet,
Accipiat rectos in cælum tollere vultus:

Fa-

Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem conſperſo in pulvere limum,
Moliturque novum dives ſapientia corpus.
Non aliter quam nunc opifex, cui artis in uſu eſt
Flectere laxatas per cuncta ſequacia ceras,
Et vultus implere manu, ſeu corpora gypſo
Fingere, vel ſegni ſpeciem componere maſſa.
Sic pater omnipotens victurum protinus artvum
Tractat, & in lento meditatur viſcera cœno.
Hinc arcem capitis ſublimi in vertice ſignat,
Septiforem vultum rationis ſenſibus aptans,
Olfactu, auditu, viſu, guſtuque potentem.
Tactus erit ſolus, toto qui corpore judex
Sentiat, & proprium ſpargat per membra vigorem.
Flexilis artatur recavo ſic lingua palato,
Preſſus ut in camera pulſantis verbere plectri
Percuſſo reſonet modulatus in aere ſermo.
Exin ſucciduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramoſas poſt brachia fortia palmas.
Succedit ſtomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.
Dividuam partem femur excipit, aptius ut ſe
Alternus moveat duplicato poplite greſſus.
At parte ex alia, fingit quam conditor unus,
Occipiti ſubmiſſa ſuo deſcendere cervix
Incipit, & vaſtos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem coſtarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad uſus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Maſſaque congeſtis pendens abſconditur extis.
Additur his tenui paſcendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti ſpiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas ſumpſerit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus hauſtu.
Dextra tenet jecoris vegetandum ſanguine fontem,
Quo clauſum venæ ſpargunt per viſcera flumen.
Lienis lævam ſortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recreſcere ſectos.
Nec conciſa dolent. hinc nunc augmenta reſumunt
Quæ vivunt ſenſuque carent in corporis uſu.
Poſtquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatumque lutum ſpeciem pervenit in omnem;
Vertitur in carnem limus, durataque molles
Viſceribus mediis traxerunt oſſa medullas.
Inſeritur venis ſanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor. toto tum corpore pallor
Pellitur, & niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis conſueſcit vivere membris
Totus homo, & fumant calefacta ut viſcera ſolam
Expectant animam, puro quam fonte creator
Promat, & erectos recturam mittat in artus:
Lenem perpetuo flatum profundit ab ore,
Inſpiratque homini, quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri diſcit ſpiraminis auras.
Poſtquam naſcentem ſolers prudentia ſenſum
Imbuit, & puro rationis lumine fulſit,
Surgit, & erectis firmat veſtigia plantis.
Tum varias mundi ſpecies, cœlique figuras
Mirantem, tali compellat voce creator;
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus
Incrementa novis, ornatum tenſa per orbem,
Solus habe, totiſque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur. maximus ordo eſt,
Te parere pio qui ſubdidit omnia patri.
Non ſpecies ullæ, nec numina vana colantur,
Non ſi quid cælo ſublime novumque coruſcat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis,
Nec quod forte premens prohibet natura videri.
Uſibus iſta tuis, non cultibus, eſſe memento,
Præcellens factis factorem pronus adora.
Interea ſextus noctis primordia veſper
Retulit, alterno depellens tempore lucem:
Dumque petunt dulcem ſpirantia cuncta quietem,
Solvitur & ſomno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens preſſum per corda ſoporem
Jecit, & immenſo tardavit pondere ſenſus,
Vis ut nulla queat ſopitam ſolvere mentem.
Non ſi forte fragor ſecuras verberet aures,
Nec ſi commoto cælum tunc intonet axe,
Sed nec preſſa manu rupiſſent membra quietem.
Tum vero cunctis coſtarum ex oſſibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulchro genialis forma decore,
Inque novum ſubito procedit femina vultum.
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii fructu penſat diſpendia membri.
Iſtius indicium ſomni mors illa ſecuta eſt,
Sponte ſua ſubiit ſumpto quam corpore Chriſtus.
Qui cum paſſurus ligno ſublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extenſi defixit miſſile lictor.
Protinus exiliens manavit vulnere lympha,
Qua vivum populis jam tum ſpondente lavacrum,
Fluxit martyrium ſignans & ſanguinis unda.
Inde quieſcenti, gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro ſurgens Eccleſia nupſit.
Principio rector tanti ſacrare figuram
Diſponens vincli, nectit connubia verbo:
Vivite concordi ſtudio, mundumque replete,
Creſcat longævum felici ſemine germen,
Non annis numerus, vitæ nec terminus eſto.
Progeniem ſine fine dedi, quam tempore toto
Aſpicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos ſpargens per ſecla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annoſi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata ſuo ſervabitur ordine cunctis.
Femina perſiſtat, de viſcere ſumpta virili,
Conjugio ſervare fidem: nec ſeparet alter,
Quod jungit ſociatque Deus: patremque relinquat
Et matrem juſto conſtrictus amore maritus.
Iſta parentales non rumpant vincula curæ,
Vita ſed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Feſtivum dicebat hymen, caſtoque pudori
Concinit Angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradiſus erat, mundusque dabatur
In dotem, & lætis gaudebant ſidera flammis.
Eſt locus Eoo mundi ſervatus in axe
Secretis natura tuis, ubi ſolis ab ortu
Vicinos naſcens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cæli ſubterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuſcat.
His ſemper lux pura venit, cæloque propinquo
Nativam ſervant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris ſplendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, viſuque nitente
Certior acreſcit pullatis vultibus horror:

Cæſaries incompta riget, quæ crine ſupino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum noſtros quidquid defertur ad uſus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratum pulchrumque adlabitur, inde eſt,
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, & hic eboris munus quæ porrigit orbi,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo ubi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno concluſus limite, poſtquam
Decidit expulſus primævi criminis auctor:
Atque reis digne felici a ſede revulſis,
Cæleſtes hæc ſancta capit nunc aula miniſtros.
Non hic alterni ſuccedit temporis umquam
Bruma, nec æſtivi redeunt poſt frigora ſoles,
Excelſus calidum cum reddit circulus annum,
Vel denſante gelu caneſcunt arva pruinis.
Hic ver aſſiduum cæli clementia ſervat,
Turbidus auſter abeſt, ſemperque ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum, terræque tepentis
Blanda nitet facies. ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ: quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri conſortant germina ſucco.
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia perlucent nullo flaccentia ſole,
Nec tactus violat violas, roſeumque ruborem
Servans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic cum deſit hiems, nec torrida ferveat æſtas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama naſcuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque peruſta
Succedens ſibimet quæſita morte reſurgit:
Nec contenta ſuo tantum ſemel ordine naſci,
Longa veternoſi renovatur corporis ætas,
Incenſamque levant exordia crebra ſenectam.
Illic deſudans fragrantia balſama ramus
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum.
Tum ſi forte levis movit ſpiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenique impulſa ſuſurro,
Dives ſilva tremit foliis, ac flore ſalubri,
Qui ſparſus late ſuaves diſpenſat odores.
His fons perſpicuo reſplendens gurgite ſurgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec chryſtalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic ſaxa jacent: varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eluctum leni fontis de vertice flumen
Quattuor in largos confeſtim ſcinditur amnes.
Euphratem Tigrimque vocant, qui limite certo
Longa ſagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur, ignoto cunctis plus nobilis ortu.
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura ſuam certo ſub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, & nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cæloque vacante
Terreſtrem pluviam diffuſus porrigit amnis:
Tunc incluſa latet lato ſub gurgite Memphis,
Et ſuper abſentes poſſeſſor navigat agros.
Terminus omnis abeſt, æquatur judice fluctu
Annua ſuſpendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt lætus ſubſidere paſtor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora piſces.
Aſt poſtquam largo fœcundans germina potu
Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ,
Regreditur Nilus, ſparſaſque recolligit undas:
Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Priſtina riparum concluſis fluctibus obex;
Donec dividuum ſpargens per devia finem
Gurgite ſepteno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? nam qui neſciris ab ortu,
Non ſolus, ſed quartus eras, diffuſus ab illo
Deſpicit excelſo qui flumina cuncta meatu,
Ipſius atque pater pelagi ſupereminet omnes.
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas.
Quartus Phyſon erit, quem poſſidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulchro quas ſpargunt flumina luco,
Prælambens furatur opes, & gurgite noſtrum
Ducit in exilium. nam ripa largus utraque
Amnibus ut noſtris enodes ferre papyros,
Aut ſcirpos algaſque leves deducere mos eſt.
Excrementa trahens magnus ſic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
   Interea primi, ſummus quos junxerat auctor,
In paradiſiaca ponuntur ſede parentes.
Tum rector tali proponit præmia lege:
O ſummum factoris opus, quos ſola creavit
Noſtra manus, naſci cum cetera voce juberem!
Aſpicitis quanto pulcherrimus ubere lucus
Per multas famuletur opes? hæc cuncta dabuntur
Ad veſtros ſine fine cibos, hinc eſca petatur:
Sumite conceſſas fruges, & carpite poma.
Hic operis dulci ſtudio ſecura quieſcat
Delitiiſque fruens longævo in tempore vita.
Eſt tamen in medio nemoris quam cernitis arbor,
Notitiam recti pravique in germine portans:
Hujus ab acceſſu vetitum reſtringite tactum:
Nec vos forte premat temeraria diſcere cura,
Quod doctor prohibet: melius neſcire beatis
Quod quæſiſſe nocet. teſtor quem fecimus orbem,
Quod ſi quis vetitum præſumpſerit arbore pomum,
Audax commiſſum mortis diſcrimine pendet.
Non immenſa loquor, facilis cuſtodia recti eſt,
Servator vitam, finem temerator habebit.
Accipiunt juvenes dictum, lætique ſequuntur,
Spondentes cuncto ſervandam tempore legem:
Sic ignara mali novitas, nec conſcia fraudis
Incautas nulla tetigit formidine mentes.
At pater inſtructos ſacrata in ſede relinquens,
Lætus in aſtrigeram cæli ſe ſuſtulit aulam.

L I B E R II.

De originali peccato.

Utitur interea, venturi neſcia caſus,
Libertas ſecura bonis, fruiturque beata

Uber-

Ubertate loci. largos hinc porrigit illis
Tellus prompta cibos: fruticis quin alter opimi
Sumitur aſſiduus tenui de ceſpite fructus.
At ſi curvari fœcundo pondere rami
Mira ſubmittunt ſublimi ex arbore poma,
Protinus in florem vacuus turgeſcere palmes
Incipit, inque novis fœtum promittere gemmis.
Jam ſi prædulces delectat carpere ſomnos,
Mollibus in pratis, pictaque recumbitur herba.
Cumque voluntati ſacrum nemus offerat omnes
Delicias, opibuſque novis ſe præbeat amplum:
Sic epulas tamen hi capiunt, eſcamque requirunt,
Compellit quod nulla fames, nec laſſa fovendo
Indigus hortatur compleri viſcera venter.
Et niſi conceſſum libuiſſet noſcere paſtum,
Eſuries ignota cibos non poſceret ullos,
Nullaque conſtantem fulcirent pabula vitam.
Corpora nuda vident, & mutua cernere membra
Non pudet, atque rudis fœdum nil ſentit honeſtas.
Non natura hominis, vitium ſed cauſa pudori eſt.
Nam quæcumque bonus formavit membra creator,
Ut pudibunda forent, carnis poſt compulit uſus.
Tunc mens intactos ſervabat candida viſus,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos: qualemque redemptis
Spondet reddendam mortis poſt tempora Chriſtus,
Queis neque conjugium curæ, nec fœdere turpi
Miſcebit calidos carnalis copula ſexus.
Ceſſabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, diſcordia, livor.
Nullus egens, nullus cupiens, ſed pace ſub una
Sufficiet cunctis ſanctorum gloria Chriſtus.
His protoplaſtorum ſenſum primordia ſacra
Continuere bonis: donec certamine primo
Vinceret oppreſſos fallacem culpa per hoſtem.
Angelus hic dudum fuerat, ſed crimine poſtquam
Succenſus proprio, tumidos exarſit in auſus,
Se ſemet feciſſe putans, ſuus ipſe creator
Quod fuerit, rabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans: Divinum conſequar, inquit,
Nomen, & æternam ponam ſuper æthera ſedem,
Excelſo ſimilis, ſummis nec viribus impar.
Talia jactantem præcelſa potentia cælo
Jecit, & ejectum priſco ſpoliavit honore.
Quique creaturæ præfulſit in ordine primus,
Primas venturo pendet ſub judice pœnas.
Quandoquidem gravior talem ſententia punit,
Quem mirum cecidiſſe putes, nam crimen acerbat
Auctor: in ignaro minor eſt peccante reatus;
Durius atque malum, quod major fecit, habetur.
Sed quod vivaces pertendit in abdita ſenſus,
Quodque futura videt, rerumque arcana reſignat,
Angelici fervens ſupereſt natura vigoris.
Horrendum dictu, ſigniſque notabile monſtrum:
Nam quidquid toto dirum committitur orbe,
Iſte docet, ſcelerumque manus ac tela gubernat,
Pugnat & occultus per publica crimina latro.
Et nunc ſæpe hominum, nunc ille in ſæva ferarum
Vertitur ora, novos varians fallentia vultus.
Alitis interdum ſubito mentita volantis
Fit ſpecies, habituſque iterum confingit honeſtos.
Apparens nec non pulchro ceu corpore virgo,
Pertrahit ardentes obſcœna in gaudia viſus.
Sæpe etiam cupidis argentum immane coruſcat,
Accenditque animos auri fallentis amore,
Deluſos fugiens vano phantaſmate tactus.
Nulli certa fides conſtat, vel gratia formæ:
Sed quo quemque modo capiat, teneatque nocendo,
Opportuna dolis, clauſæque accomoda fraudi
Sumitur exterior ſimulata fronte figura.
Major adhuc etiam ſævo permiſſa poteſtas,
Ut ſanctum vincat: dudum collata creato
Sic natura valet, rectam quam condidit auctor,
Sed poſt ad pravos ſubverſor tranſtulit uſus.
Vidit ut iſte novos homines in ſede quieta
Ducere felicem nullo diſcrimine vitam,
Lege ſub accepta domino famularier orbis,
Subjectiſque frui placida inter gaudia rebus:
Commovit ſubitum zeli ſcintilla vaporem,
Excrevitque calens in ſæva incendia livor.
Vicinus tunc forte fuit, quo concidit alto,
Lapſus, & innexam traxit per prona catervam.
Hoc recolens, caſumque premens in corde recentem
Plus doluit periiſſe ſibi, quod poſſidet alter.
Tunc mixtus cum felle pudor ſic pectore queſtus
Explicat, & tali ſuſpiria voce relaxat.
Proh dolor, hoc nobis ſubito conſurgere plaſma,
Inviſumque genus noſtra creviſſe ruina!
Me celſum virtus habuit, nunc ecce rejectus
Pellor, & angelico limus ſuccedit honori.
Cælum terra tenet, vili compage levata
Regnat humus, nobiſque perit translata poteſtas.
Nec tamen in totum periit: pars magna retentat
Vim propriam, ſummaque cluit virtute nocendi.
Nec differre juvat. jam nunc certamine blando
Congrediar, dum prima ſalus, experta nec ullos
Simplicitas ignara dolos, ad tela patebit.
Et melius ſoli capientur fraude, priuſquam
Fœcundam mittant æterna in ſæcula prolem.
Immortale nihil terra prodire ſinendum eſt;
Fons generis pereat, capitis dejectio victi
Semen mortis erit. pariat diſcrimina leti
Vitæ principium. cuncti feriantur in uno:
Non faciet vivum radix occiſa cacumen.
Hæc mihi dejecto tandem ſolatia reſtant.
Si nequeo clauſos iterum conſcendere cælos,
His quoque claudentur. levius cecidiſſe putandum eſt,
Si nova perdatur ſimili ſubſtantia caſu,
Si comes excidii ſubeat conſortia pœnæ,
Et quos prævideo nobiſcum dividat ignes.
Sed ne difficilis fallendi cauſa putetur,
Hæc monſtranda via eſt, dudum quam ſponte cucurri
In pronum lapſus: quæ me jactantia regno
Depulit, hæc hominem paradiſi lumine pellet.
Sic ait, & gemitus vocem clauſere dolentis.
Forte fuit cunctis animantibus altior aſtu
Æmulus arguto callet qui pectore ſerpens:
Hujus tranſgreſſor de cunctis ſumere formam
Eligit, aerium circumdans tegmine corpus,
Inque repentinum mutatus tenditur anguem:
Fit longa cervice draco, ſplendentia colla
Depingit maculis, teretiſque volumina dorſi
Aſperat, & ſquamis per terga rigentibus armat.
Qualis vere novo, primis cum menſibus æſtas
Præmittit lætos poſt frigora pigra tepores,
Evadens veterem reparatis moribus annum,
Et ſiccum nitido diſcingens corpore tegmen,
Procedit coluber, terrarumque abdita linquens,
Præfert terribilis metuendum forma decorem.
Dira micant oculi: tum lumine viſus acuto
Lætior optatum diſcit conſueſcere ſolem.
Nunc ſimulat blandum, crebro ceu carmine fauces

Ludunt, & trifidam diſpergunt guttura linguam.
Ergo ut vipeream maleſuada fraude figuram
Induit, & totum fallax proceſſit in anguem,
Pervolat ad lucum. nam forte rubentia læti
Carpebant juvenes viridi de palmite mala.
Tum veritus ſerpens, firma de mente virili
Non queat injecto ſubvertere corda veneno,
Arboris erectæ ſpiris reptantibus alto
Porrigitur, tractumque ſuum ſublimibus æquans,
Auditum facilem leni ſic voce momordit:
O felix, mundique decus pulcherrima virgo,
Ornat quam roſeo præfulgens forma pudore,
Tu generi ventura parens, te maximus orbis
Expectat matrem: tu prima & certa voluptas
Solamenque viri, ſine qua non viveret ipſe,
Ut major, ſic jure tuo ſubjectus amori
Prædulcis conjunx, reddes cui fœdere prolem.
Vobis digna datur Paradiſi in vertice ſedes.
Vos ſubjecta tremit famulans ſubſtantia mundi:
Quod cælum, quod terra creat, quod gurgite magno
Producit pelagus, veſtros confertur in uſus.
Nil natura negat, datur ecce in cuncta poteſtas.
Non equidem invideo, miror magis. ut tamen una
Contineat liber dulci ſuper arbore tactus,
Scire velim quis dira jubet, quis talia dona
Invidet, & rebus jejunia miſcet opimis.
Hæc male blanditam finxerunt ſibila vocem.
Quis ſtupor, o mulier, mentem caligine clauſit
Cum ſerpente loqui? verbum committere bruto
Non pudet, ut veſtram præſumat bellua linguam,
Et monſtrum pateris, reſponſumque inſuper addis?
Ergo ubi mortiferum ſeductilis Eva venenum
Auribus accipiens cladi conſenſit iniquæ,
Tunc ad ſerpentem vano ſic ore locuta eſt:
Suavibus o pollens coluber dulciſſime dictis,
Non, ut rere, Deus nobis jejunia ſuaſit,
Nec prohibet largo curari corpora paſtu.
Ecce vides epulas totus quas porrigit orbis:
Omnibus his licito genitor promptiſſimus uti
Præſtitit, & totas vitæ laxavit habenas.
Hæc ſola eſt, nemoris medii quam perſpicis, arbor
Interdicta cibis; hæc tantum tangere poma
Non licitum. dives præſumit cætera victus.
Nam ſi libertas temerarit noxia legem,
Jurans terribili prædixit voce creator
Quadam nos ſtatim luituros morte reatum.
Quid vocites mortem, tu nunc, doctiſſime ſerpens,
Pande libens, quoniam rudibus non cognita res eſt.
Callidus inde draco, & leti tum ſponte magiſter
Interitum docet, & captas ſic fatur ad aures:
Terroris vacuum formidas femina nomen.
Non veniet vobis rapidæ ſententia mortis:
Sed pater invisus ſortem non contulit æquam,
Nec vos ſcire dedit, ſibimet quæ ſumma reſervat.
Quid juvat ornatum comprendi, aut cernere mundum,
Et cæcas miſero concludi carcere mentes?
Corporeos pariter ſenſus oculoſque patentes
Sic brutis natura creat. ſol omnibus unus
Servit, & humano non diſtat bellua viſu.
Conſilium mage ſume meum, mentemque ſupernis
Inſere, & erectos in cælum porrige ſenſus.
Namque hoc quod veritum formidas tangere pomum,
Scire dabit quæcumque pater ſecreta reponit.
Tu modo ſuſpenſos tantum ne contine tactus,
Ne captiva diu frænetur lege voluptas.
Namque ubi divinum libaveris ore ſaporem,
Mox purgata ſuo facient te lumina viſu
Æquiparare deos, ſic ſancta ut noxia noſſe,
Injuſtum recto, falſum diſcernere vero.
Talia fallaci ſpondentem dona ſuſurro
Credula ſubmiſſo miratur femina vultu.
Et jam jamque magis cunctari ac flectere ſenſum
Incipit, & dubiam leto plus addere mentem.
Ille ut vicino victam diſcrimine ſenſit,
Atque iterum nomen memorans arcemque deorum,
Unum de cunctis letali ex arbore malum
Detrahit, & ſuavi pulchrum perfundit odore,
Conciliat ſpeciem, nutantique inſuper offert.
Nec ſpernit miſerum mulier male credula munus,
Sed capiens manibus pomum letale retractat:
Naribus interdum labiiſque patentibus ultro
Jungit, & ignorans ludit de morte futura.
O quoties ori admotum compuncta retraxit,
Audaciſque mali titubans ſub pondere dextra
Ceſſit, & effectum ſceleris tremefacta refugit!
Dis tamen eſſe cupit ſimilis, ſerpitque venenum
Ambitione nocens. rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde metus · pulſat jactantia legem,
Interdumque etiam lex ſubvenit. æſtuat anceps
Dividui cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor deſiſtit fallere ſerpens:
Oſtentatque cibum dubiæ, queriturque morari,
Et juvat in lapſum pendentis prona ruinæ.
Ut tandem victæ gravior ſententia ſedit,
Æternam tentare famem per criminis eſcam,
Serpentem ſatiare cibo, quem ſumeret ipſa,
Annuit inſidiis, pomumque vorata momordit.
Dulce ſubit virus, capitur mors horrida paſtu.
Continet hic primum ſua gaudia callidus anguis,
Diſſimulatque ferum victoria ſæva triumphum.
Ignarus facti diverſa parte revertens
Adam, diffuſi lætus per gramina campi
Conjugis amplexus atque oſcula caſta petebat.
Occurrit mulier, cui tunc audacia primum
Flabat femineos animoſa in corda furores.
Et ſic orſa loqui (ſemeſum namque gerebat
Aſſervans miſero pomum exitiale marito)
Sume cibum dulcis vitali ex germine conjunx,
Quod ſimilem ſummo faciet te forte Tonanti,
Numinibuſque parem. non hoc tibi neſcia donum,
Sed jam docta fero. primus mea viſcera guſtus
Attigit, audaci diſſolvens pacta periclo.
Crede libens: mentem ſcelus eſt dubitaſſe virilem,
Quod mulier potui. præcedere forte timebas,
Saltem conſequere, atque animos attolle jacentes.
Lumina cur flectis? cur proſpera vota moraris?
Venturoque diu tempus furaris honori?
Hæc effata dabat victuræ fercula mortis,
Intereunte anima letum dum crimina paſcunt.
Accipit infelix maleſuadi verba ſuſurri,
Inflexoſque retro dejecit ad ultima ſenſus.
Non illum trepidi concuſſit cura pavoris,
Nec quantum guſtu cunctata eſt femina primo:
Sed ſequitur velox, miſeræque ex conjugis ore
Conſtanter rapit inconſtans dotale venenum,
Faucibus & patulis inimicas porrigit eſcas.
Vix uno pomum libarat ſuccida morſu
Ingluvies, ſummumque dabat vix eſca ſaporem;
Ecce repentinus fulgor circumſtetit ora,
Lugendoque novos reſperſit lumine viſus.
Non cæcos natura dedit, nec luminis uſu
Privatam faciem pepetit perfectio formæ.

Nunc

Nunc mage cæcus eris, cui jam non ſufficit illud
Noſcere, quod tantum voluit te noſſe creator.
Ad vitam vobis cernendi facta facultas:
Vos etiam letum, veſtra ſed ſponte, videtis.
Tum potuiſſe gemunt oculos. nam culpa rebellis
Fulſit, & obſcœnos ſenſerunt corpora motus.
Tunc primum nudos (dubium quid dicere poſſim)
Extinctus naturæ pudor circumſpicit artus.
Erubuit propriæ jam mens ſibi conſcia culpæ,
Regnavitque ſuis carnis lex indita membris.
Namque hinc poſteritas vitiato germine duxit
Artibus illicitis cognoſcere velle futura,
Arcaniſque ſacris tardos immittere ſenſus:
Edita vel cælo, vel tetro merſa profundo
Rimari, & cautas naturæ rumpere leges,
Quærere nunc aſtris quo quiſquam fidere natus,
Proſpera quam ducat reſtantis tempora vitæ,
Diſſimilem paribus proventum diſcere ſignis.
Nec non & geminos uno ſub tempore fuſos,
Quos indiſcretus luci produxerit ortus,
Motibus adverſis varia ſub ſorte notare.
Indigetes quoſdam ſtellis adſcribere divos,
Junior antiquis ætas quos pertulit aſtris:
Atque infernali jam dudum nocte ſepultis
Vana per immenſum diſponere numina cælum.
Jam magicam digne valeat quis dicere fraudem,
Occultas tacito tentantem pectore vires,
Divinis jungi virtutibus & cupientem?
Legifer ut quondam vates, ſub rege ſuperbo,
Dum nova monſtraret juſſi miracula ſigni,
Commovit livore magos, ut talia tentent,
Accumulentque ſuas zelo fervente ruinas.
Illis ſuppeteret recta ſi forte poteſtas,
Demere, non etiam feſtinent addere monſtra.
Æmula ſed ſignis tantum, non viribus æqua,
Quod removere nequit, duplicavit juſtius ira.
Hinc eſt laudato quod poſſunt carmine Marſi,
Quum tacita ſævos producunt arte dracones,
Abſentes & ſæpe jubent confligere ſecum.
Tunc ut quiſque gravem bello præſenſerit hydrum,
Aſpidis aut duræ clauſas cognoverit aures,
Concutit interius ſecreti carminis arma:
Protinus & laſſis verbo luctante venenis,
Mox impune manu coluber tractatur inermis,
Et morſus tantum, non virus, in angue timetur.
Interdum perit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.
Hoc quoniam de matre trahunt, & origine prima,
Anguineæ fraudis quod ſic, linguæque periti,
Mutua per ſpeciem reddunt commercia fandi.
Nec minus his pulſat contraria cura ſalutis,
Angit præſcitus ducti quos terminus ævi:
Cum tamen eductas infernis ſedibus umbras
Colloquium miſcere putent, & nota referre.
Spiritus erroris ſed qui bacchatur in illis,
Ad conſulta parat vanis reſponſa figuris.
Et ne porrecto dicantur ſingula verbo,
Præſenti illuſus, damnabitur ille perenni
Judicio, quiſquis vetitum cognoſcere tentat.
Nec jam ſola fuit ſcrutatrix Eva malorum:
Dicam nunc aliam, tali quæ peſte laborans,
Et conjuncta viro, proprium non vicerit Adam.
Peccandi quaſdam fervor ſuccenderat urbes,
Civica permittens laxatis crimina frænis.
Inceſtus pro lege fuit, totumque libido
Jus habuit, regni ſedem metata voluptas
Indigenas populos domina ſub carne tenebat:
Et ſcelerum ſtudio, fida quod plebe localis
Dudum parendi promptis reſpublica juſſit,
Abſtinuiſſe nefas, & non peccaſſe pudendum
Credebant omnes, facinus quos junxerat unum.
Talibus offenſus judex atque arbiter orbis
Cum fureret, flammaſque loco, finemque pararet,
Quendam diſſimilem cunctis, tectoque latentem,
Qui tunc forte fuit propria peregrinus in urbe,
Atque inter multos ſolum ſic alloquitur Loth:
Oppida laſcivo jamdudum plena furore
Reſpergunt cælum maculis, noſtraſque fatigant
Quamvis obſtructas ſcelerum clamoribus aures.
Imminet exitium. tellus ſuccenſa reatu
Ignibus ardebit; reſtinguet fulminis imber,
Quæ non extinxit ferventia crimina fletus.
Ipſa in perpetuas ſolvetur terra favillas,
Quæ vivos cineres & poſt incendia ſervans,
Sicque ſolum fingens, leviter ſi calce teratur,
Ad minimum fugiens diſcedet pallida tactum.
Tu nunc linque domum, perituras deſere terras,
Et rea cum dignis ſubſidant arva colonis.
Nec tete impendens letum conjunxerit illis,
Non junxit quos vita. tibi ſolatia conjunx
Præbeat; hac tantum ſocia contentus abito.
Accelerate fugam; tendatur tramite recto,
Neu ſubvertendas quiſquam reſpexerit urbes.
Vos neſcite malum. pœnas quicumque ſubibit,
Aſpiciat, mortiſque ſuæ ſpectacula ſecum
Qui meruere, ferant. ſalvandis terror abeſto.
Hæc pater. aſt illi properant abſcedere terra,
Inciduntque moras, crudeliaque arva relinquunt.
Cœperat obduci victum caligine denſa,
Atque ignota prius demittere murmura cælum.
Nec ſic ut tonitru crebro cum percitus æther
Oſtentat pavidis innoxia fulmina terris:
Sed prorſus finale malum ſtridore minaci
Tetra per aerios mittebant ſigna tumultus.
Tendebant moniti ſimul, & mandata tenentes
Conceſſam rectis ad ſedem vultibus ibant.
Callidus alta petens ſed qui ſubverterat Evam
Serpens, femineam conſuetus tangere mentem,
Hic quoque formidans animum tentare virilem,
Conjugis inſpirat votis, ut noſſe ruinas
Vellet, & evaſas viſu deprendere clades.
O demens animi, cui jam non ſufficit unam
Succubuiſſe dolo: caruit jam parte bonorum
Quæ mala cognovit. ſi non exempla priorum
Terrent, exemplum fies. noſtroque timori
Vel poſt te pereat ſecreti dira cupido.
Illicitum quod ſcire fuit, vetitumque tueri,
Reſpicies tantum, nec narratura videbis.
Ergo ubi majorem vicina ex urbe tumultum
Accepit mulier, vultum deflexa retortum,
Vix primo in viſu reſtrictis motibus hæſit,
Cernere deſiſtens cum cœperat. inde gelato
Sanguine marmoreus perfudit viſcera torpor,
Diriguere genæ, pallor novus inficit ora.
Lumina non clauſit. non ſaltem concidit illo
Pondere, quo pulſant demiſſa cadavera terram.
Sed ſtetit horrendo perlucens maſſa nitore,
Servavitque ſuam ſpecies decepta figuram.
Nec facile ut noſſes, vitrum, lapis, anne metallum
Succedens homini, ſi non ſal fauce notetur.
Ex tunc inſipido mulier præventa reatu
Plus ſalſum ſine mente ſapit, quæ pungere ſenſus,

Exemplique poteſt ſalibus condire videntes.
Hoc tamen hic magnum, quod non inflectitur iſte,
Nec ſequitur ſociam, fortis nec vincitur Adam.
Credo equidem melius, quod non occurrerit uxor
Enarrare viro. nam ſi comperta referret,
Forſan & hunc viſu ſuaſiſſet temnere juſſa,
Ceu proprium guſtu fecit primæva virago:
Quæ poſtquam ſeſe pariter comitemque fefellit,
Et nondum natam percuſſit vulnere prolem.
  Tum victor ſerpens certamine lætus ab ipſo,
Puniceam criſpans ſquamoſo in vertice criſtam,
Jam non diſſimulans, quem preſſerat ante, triumphum,
Acrior inſultat victis, & talibus infit:
En divina manet promiſſæ gloria laudis.
Quidquid ſcire meum potuit, jam credite, veſtrum eſt:
Omnia monſtravi, ſenſumque per abdita duxi;
Et quodcumque malum ſolers natura negabat,
Inſtitui, dextriſque dedi conjungere lævam.
Iſthinc perpetua voſmet mihi ſorte dicavi.
Nec deus in vobis, quamquam formaverit ante,
Jam plus juris habet: teneat quod condidit ipſe;
Quod docui, mecum eſt: major mihi portio reſtat.
Multa creatori debetis, plura magiſtro.
Dixit, & in media trepidos caligine linquens,
* Confictum periit linquens per nubila corpus.

LIBER TERTIUS.

De ſententia Dei.

TEmpus erat, quo ſol medium tranſcenderat axem,
  Pronus & excelſi linquens faſtigia centri,
Vicina jam nocte leves præmiſerat auras.
Illis ſed major curarum volvitur æſtus,
Ferventeſque tenent male conſcia corda dolores.
Utque pudor capto detorſit lumina ſenſu,
Reppulit & miſeros alterno a corpore viſus,
Nec jam ſecura præſtatur luce tueri
Signatam fixo peccati ſtigmate carnem,
Indumenta petunt, foliis ut mollibus ambo
Membra tegant, nudumque malum de veſte pateſcat.
  Umbroſis propter ſtabat ficulnea ramis,
Frondentes diffuſa comas; quas protinus Adam
Humentem capiens raſo de cortice librum,
Aſſuit, & viridi ſolatur veſte ruborem.
Induitur ſimili mulier lacrimabilis arte, &
Quos pavit miſero fallax inſania pomo,
Veſtivit folio: ſæva quos arbore nudos
Reddidit, hos gravius tenui ſuper arbore texit.
Et tamen adveniet tempus, cum crimina ligni
Per lignum ſanet purgetque noviſſimus Adam,
Materiamque ipſam faciat medicamina vitæ,
Qua mors invaluit, leto delebere, letum.
Æreus excelſo pendebit ſtipite ſerpens,
Cumque venenatum ſimulaverit, omne venenum
Purget, & antiquum perimat ſua forma draconem.
  Interea genitor viridis per mollia luci
Rorantes ſudo capiebat ab aere ventos.
Protinus attonitis ſenſerunt auribus ambo
Præſentem dominum. triſti tum luce peroſam
Expavere diem detecto in crimine teſtem.
Illos nam vaſtis ſpecubus ſi forte barathrum
Panderet, aut ſubitum tellus monſtraret hiatum,
Non pigeat prono trepidos deſcendere ſaltu.
Et ſi ſuppeteret jam tum ſententia leti,
Hanc etiam raperet ſolandi cura pudoris.
Seu flammis lymphiſve darent, vel pectora ferro
Appeteret vindex crudeli vulnere dextra.
Sic miſeri mortem nondum diſcrimine notam,
Cum primum metuere, volunt. exordia finem
Signant, & ſimiles prædicunt adfore luctus,
Ultima cum mundi ſenium conſumpſerit ætas,
Cumque repentinus percuſſerit omnia fulgor
Cœlorum, clangente tuba, qua nuncius ante
Judicis adventum concuſſum terreat orbem.
Tunc cum ſinceros paſtor diſcreverit agnos,
Hœdis diſparibus diverſa in parte locatis,
Per medium dirimente chao, quod fluctibus implet
Sulphureis volvens undoſa incendia gurges,
Flammarum ſtagnante lacu, quo fervida quondam
Dicitur attracto nubes ſodomitica nimbo
Guttatim ſparſum fudiſſe in crimina fulmen,
Cum plueret nox tetra focos, cæloque caducæ
Aera per calidum ſtillarent undique mortes.
Taliter ignifero miſſi de fonte gehennæ
Fluxerunt triſtes aliena in ſæcula rivi.
At quos terribili judex decreverit hora
Vivere poſt mortem, pœnaque ardere perenni,
Subtrahet optato gravior ſententia leto.
Cumque foret melius, diſperſis corpora membris
Carpere perpetuum dura ſub morte ſoporem,
Invitos tamen urna vomet, queis ſola voluntas
Rurſus poſſe mori, ſenſuque carere dolendi.
Sed ſic accipiet ferventis flamma camini,
Ambuſtura ſuas ut numquam finiat eſcas.
  At primi interea juvenes conamine caſſo
Per deſerta ruunt, tutoque abſcondita furto
Facta putant, cæcis optant latuiſſe tenebris.
Quid juvat, infelix, oculos a judice flecti?
Te judex cernit: nolis cur ipſe videre,
Cum videare palam? ſolem non fuſcat amœnum,
Si depreſſa gravem formidant lumina lucem,
Debilis & clarum viſus non ſuſtinet orbem.
Tum ſic terribili primum deus increpat ore,
Atque ubi ſit miſerum noſcens interrogat Adam.
Qui trepidam pavido producens pectore vocem,
Vix hæc pauca refert. Tuus, o celſiſſime, terror
Mentibus inſidens latebram tentare coegit.
Nam quia nuda forent inopertis corpora membris,
Erubui, fateor, cœlumque per abdita fugi.
  Et quis, ait, ſubitum concuſſit corde pudorem?
Viſus & unde novus? nam te nec vellera dudum,
Nec contexta prius velavit tegmine veſtis.
Forma rudis, proprio melius contenta decore,
Judice ſe placuit. ſed poſtquam fœdere rupto
Interdicta tuus perſtrinxit germina guſtus,
Naturale tibi tegmen non ſufficit unum;
Hactenus & nudis nunc denudata pateſcunt,
Arguit obſcœnus quia turpia corpora motus.
  Ille ubi convictum claro ſe lumine vidit,
Prodidit & totum diſcuſſio juſta reatum,
Non prece ſummiſſa veniam pro crimine poſcit,
Non votis lacrimiſve rogat, nec vindice fletu
Præcurrit meritam ſupplex confeſſio pœnam.
Jamque miſer factus, nondum miſerabilis ille eſt,
Erigitur ſenſu, tumidiſque accenſa querelis
Fertur in inſanas laxata ſuperbia voces.
Heu male perdendo mulier conjuncta marito!
Quam ſociam miſero prima ſub lege dediſti,
Hæc me conſiliis vicit devicta ſiniſtris,

Et

Et ſibi jam notum perſuaſit ſumere pomum.
Iſta mali caput eſt; crimen ſurrexit ab iſta.
Credulus ipſe fui, ſed credere tu docuiſti,
Connubium donans, & dulcia vincula nectens.
Atque utinam felix, quæ quondam ſola vigebat,
Cœlebs vita foret, talis nec conjugis umquam
Fœdera ſenſiſſet, comiti non ſubdita pravæ.
Hac igitur rigidi commotus mente creator
Mœrentem celſis compellat vocibus Evam.
Cur miſerum labens traxiſti in prona maritum?
Nec contenta tuo deceptrix femina caſu,
Sublimi ſenſum jeciſti ex arce virilem?
Illa pudens, triſtique genas ſuffuſa rubore,
Auctorem ſceleris clamat decepta draconem,
Qui pomum vetito perſuaſit tangere morſu.
Poſt hæc finalem promit ſententia legem,
Serpentemque reum prima ſic voce notavit.
Tu coluber, cujus peccavit femina fraude,
Errorisque virum conſortem reddidit ipſa,
Propter utrumque reus pendens quod fecit uterque:
Nec tibi ſublimi conſtabit pectore vertex,
Callida ſed pronus per terram pectora volves:
Utque fuga trepido ſinuoſa volumina currant,
Non greſſus ſed lapſus erit, teque ipſe ſequeris
Flexibus, & ſpiras viventia vincula nectent.
Tum propter ſuaſam miſerorum cordibus eſcam,
Tellurem captans paſtu veſceris inani:
Menſibus & certis ſupero depulſus ab orbe,
Incluſus terris communi ſole carebis.
Inter cuncta replent quæ nunc animantia mundum
Auctor mortis eris, fies gravis omnibus horror.
Præcipue infelix mulier cum prole futura,
Sic inimicitias odio currente reponet,
Semina feminibus mandent ut vota nocendi.
Inſiſtens ſemper pavidæ ſectabere calcem:
Conterat illa caput, victoremque ultima vincat.
Poſt hæc attonitam judex commotus in Evam;
At tu, quæ primam violaſti femina legem,
Accipe ſucciduum vitæ quod reſtat in ævum.
Imperium patiere tori, dominumque timebis,
Quem ſocium dederam: parebis ſubdita juſſis,
Et curvata caput libitus aſſueſce viriles.
Moxque ubi concipiens fœtum præſenſerit alvus,
Ventris onus gemitu teſtaberis, ac tibi clauſum
Anxia creſcentem portabunt viſcera faſcem:
Donec tranſacto faſtidia tempore complens,
Naturale malum partu ſub vindice pendat
Producens vitam proles ſic pœna parentis.
Quid diverſa loquar poſt jam diſcrimina matris?
Nam cum præduro mulier confecta labore
Optatam ſobolem tali produxeris ortu,
Lugebis vacuos nonnumquam orbata dolores.
Interea trepidus jam dudum ſuſtinet Adam
Quid ſibi terribilis tandem ſententia ſervet.
Cui pater, attentis, inquit, nunc auribus & tu
Accipe quid mereare, levis quem femina vicit.
Impolluta prius pulchro ſub germine tellus,
Non jam fida ſatis, nec puro ſemine ſimplex,
Priſtina monſtrabit corruptum terga per orbem;
Exemploque tuo ſemper tibi terra rebellans
Vepribus ac tribulis armata reſiſtere diſcet.
Aut ſi frangenti cedens ſuccumbet aratro,
Vomeris & fixo mordaci dente ſubacta eſt,
Pinguia decipient mentito germine culta
Nam pro triticeo lolium conſurgere fructu,
Et fictas ſegetes, vacuaſque dolebis avenas.
Sic vix extortum producent jugera panem,
Sudore aſſiduo nitens quem ſumit egeſtas,
Illecebramque cibi pœnalis vindicet eſca.
Æqualem brutis facient tibi pabula vitam,
Et ſimul herbarum ſuccos paſtumque requirens,
Stercore conſimili depreſſa gravabitur alvus.
Ærumnoſa diu volvetur talibus ætas,
Donec præſcriptum ponant tibi ſæcula finem,
Et compacta luto ſolvantur tempore membra.
Limo formatus rurſus redigeris in arvum.
Ante tamen proprium nati præcurrere letum
Conſpicies, pœnaſque tuas in prole videbis,
Ut metuenda magis cernatur mortis imago,
Peccaſſe agnoſcas quid ſit, quid mortua fieri,
Quidve mori. ac ne quid deſit tibi forte malorum,
Quæ caſtigandis corruptus parturit orbis,
Acrior immenſo miſcebitur ira dolori.
Nam cum prima tibi producent tempora natos,
Livor edax arcto certabit limite mundi:
Nec jam ſufficiet vacuus qua tenditur orbis,
Totaque germanis ſtringetur terra duobus.
Alter in alterius conſurget funera frater,
Telluremque novam cognato ſanguine tinguet.
Exin poſteritas varios paſſura labores,
Caſibus in multis mortalia debita pendet,
Dum veterem ductus diſſolvat terminus orbem,
Occidat omne vigens, finiſque redarguat orta.
Audierat, metumque dedit conterrita tellus.
His pater exactis hœdorum pellibus ambos
Induit, & ſancta paradiſi ab ſede rejecit.
Tunc terris cecidere ſimul, mundumque vacantem
Intrant, & celeri perluſtrant omnia curſu.
Germinibus quamquam variis, & gramine picta,
Et virides campos, fonteſque & flumina monſtrans,
Illis fœda tamen ſpecies mundana putatur,
Poſt, paradiſe, tuam; totum cernentibus horret,
Utque hominum mos eſt, plus, quod ceſſavit, amatur.
Anguſtatur humus, ſtrictumque gementibus orbem
Terrarum finis non cernitur, & tamen inſtat.
Squalet & ipſe dies, cauſantur ſole ſub ipſo
Subductam lucem, cælo ſuſpenſa remoto
Aſtra gemunt, tactuſque prius vix cernitur axis.
Tunc inter curas permixti felle doloris,
Affectus ſenſere novos, & pectora pulſans
Nondum compertas prorumpit fletus in undas,
Attentiſque genis injuſſus defluit humor.
Haud aliter vivax deceptus mole caduca
Spiritus, impleto venit cum terminus ævo,
Poſt obitum peccata dolet; tum quidquid iniquum
Geſſerit, ad mentem revocat; tum pœnitet omnis
Errorum lapſus, ſemet quos judice damnat:
Et ſi præteritæ reddatur copia vitæ,
Sponte ferat quoſcumque dabunt mandata labores.
Sanctus namque refert de quodam divite Lucas,
Quem nimio luxu diſſolvens vita fovebat.
Ipſe cothurnatus gemmis, & fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat regmina blattis:
Inde ut bacchantem ſuaſiſſent tempora menſam,
Currebant epulæ, totus quas porrigit orbis.
Cumque peregrinus frugem miſiſſet acervus,
Fervebat priſcum cryſtallo algente falernum.
Uvida quinetiam miſcebant cinnama thuri,
Et ſuffita domus pinguis fragrabat amomo.
Quod pelagus, quod terra creat, quod flumina gignunt,
Certatim menſis cedentibus undique laſſus
Portabat pallens auri cum faſce miniſter.

Lan-

Languidus ante fores pauper tunc forte jacebat
Divitis, obſtrictis reſoluto corpore membris,
Et ſupplex poſcebat opem, non munera captans,
Relliquias tantum ſed ſi quas copia jecit,
Has tunc opperiens alvus jejuna rogabat.
Sed proclamanti dives non addidit aurem,
Nullaque languentem pietas reſpexit egenum.
Nec quæ completis cecidere ſuperflua menſis,
Pauperis ad victum quiſquam dedit. inſuper ægri
Deſpicitur facies, & putria vulneris horrent.
Cumque canes miti perlambant ulcera lingua,
Blandior & feſſo feritas medicabilis adſit,
Sola hominum neſcit mens ſemper dura moveri.
Hæc ſed diverſa penitus dum ſorte geruntur,
Impendens obitus pariter pulſavit utrumque,
Divite prævento, numquam qui credidit illud.
Pauper ad optatam longo vix tempore mortem
Poſt venit, & victor morbos artuſque relinquit.
Ille quidem, celsa qui dudum floruit arce,
Fletibus ad tumulum ſtipato funere fertur,
Auratoque datur conditus membra ſepulchro,
Et pretioſa tegunt elatum lintea marmor.
Spiritus abſtruſo ſed mox demiſſus averno,
Incidit æternas per ſæva incendia pœnas.
E quarum medio ſublimi in ſede locatum
Haud procul (hoc certe cenſetur, nam procul inde,
Ut docet eventus) finibus conſpexit ovantem
Abrahæ juſti mutatum in paupere vultum,
Nec ejus ſimilem, quem dudum luce receptum,
Quarto forte die vix quiſquam largus humandi,
Ne cito diſperſum naturæ lege cadaver
Dira frequentatæ contagia mitteret urbi,
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus adſtrictis nuda tellure locavit.
Angelicis manibus tunc in ſublime levatus,
Jam dives, jam ſanus erat: contraque ſuperbi,
Qui congeſta tenens opibus diffluxerat amplis,
Arida ſic flammis mendicant guttura guttas.
O pater, electas animas qui ſede beata
Colligis, & meritis diſpenſas præmia juſtis,
Hæc ego non mereor. ſed ſaltem deprecor unum,
Lazarus ut miſſus veniat, digitoque levatum
Adferat huc labris ardentibus inde liquorem,
Quique refrigerio, ſi non extinxerit omnes,
Ad tempus ſaltem tantos vel mitiget æſtus,
Donec feſſa brevi reſpirent membra quiete.
Taliter immixto lacrimis ſtridore rogantem
Magnanimus tandem compellat ſic Patriarcha.
Deſine jam ſeras incaſſum fundere voces,
Et vacuas miſcere preces. haud talia dudum
Dicta dabas, foribus cum te prandente jaceret
Ipſe ignotus, egens, æger, jejunus, inanis;
Cum tua non caperet congeſtos menſa paratus,
Pauperis atque tuas non iret clamor ad aures.
Quapropter tandem, librato examine veri,
Præteritæ vitæ ſortem dependit uterque,
Permutatque vices, & te jam ſufficit amplis
Exundaſſe bonis: lætetur fine malorum
Qui doluit cœptis. non eſt jam terminus ultra.
Inſuper horrendo cingit qui tramite limes,
Et chaos objectum lato diſtinguit hiatu,
Non ſinit abjunctas miſceri fœdere partes,
Acceſſumque negat, ſic vobis ſemper, ut iſtis.
Ille gemens vanum repetita voce precatur,
Si nil poſt obitum prodeſt commiſſa fateri,
Nec tua mutatur fixis ſententia verbis,
Hoc concede mihi, nulla quod lege vetatur.
Fratres quinque modo diſcedens luce reliqui;
His peto mittatur qui vivos corrigat, ante
In tormenta cadant quam talia carne ſoluti.
Nam quamvis duro perſiſtant corde rebelles,
Si tamen obſtructa quiſquam de morte rediret,
Credent experto, pœnaſque intrare timebunt.
Ille quidem poſcens effectum non capit ullum.
Nos autem, dum vita manet, dum luce vigemus,
Olim defuncti perterret nuntius Adam.
Dum locus eſt flendi, dum non injuſta peruntur,
Non obturatis pulſatur janua ferris.
Novimus en cuncti, quid primus planxerit ille,
Qui pulſus priſca neſcivit ſede reverti.
Namque obitum quendam caſu tum pertulit ipſo,
Perdita ne precibus lacrimiſve reduceret ullis.
Ex tunc paulatim retro ſublapſa referri
Vita prior, cœpitque malis laxata poteſtas.
Tum triſtes morbi, & varii ſubiere dolores,
Et corrupta ſatis dira pinguedine tellus
Letali quædam ſuffudit germina ſucco.
Inde truces ſævire feræ, dudumque timentes
Excitat ad pugnam tum primum conſcia virtus,
Reddit & armatas unguis, dens, ungula, cornu.
Ipſa etiam leges ruperunt tunc elementa,
Et violare fidem mortalibus omnia certant.
Inflatur ventis pelagus, volvuntur & undæ,
Excituſque novum turgeſcit pontus in æſtum.
Tunc primum tectis tetra caligine cælis,
Ingratos hominum caſtigatura labores,
Grandineos pavidis fuderunt nubila nimbos,
Atque polus diſcors invidit germina terris.
Quin magis ipſa ſibi tellus adverſa negavit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.
Hæc gemini primum ſenſerunt tunc protoplaſti:
Poſteritas nam quanta ferat diſpendia rerum,
Non cui vel centum linguæ, vel ferrea vox eſt,
Enumerare queat: nec ſi quem Mantua miſit
Mæoniuſve canant diverſa voce poetæ.
Quis tales referat motus? quis denique fando
Evolvat totos, qui volvunt ſecula, fluctus?
Arma fremunt, crebra quatitur formidine mundus,
Funditur irriguus ſanguis, majorque ſititur.
Quid dicam celſas præclaris cœtibus urbes
In deſerta dari? populos populante ruina
Diſpergi, & lacerum vacuari partibus orbem?
Servitio ſuodi dominos, famuloſque viciſſim
Præferri dominis, & belli ſorte perire,
Sors generis claro quondam quos ſanguine miſit?
At ſi forte brevi requieſcant tempore bella,
Legibus armatas furere in certamina lites,
Jus anceps pugnare foro, quo jurgia fratrum
Non levius votis feriunt, quam prælia telis?
Sed quis vota notet, clament cum facta nocentum?
Quis fraudes & furta gemat gaudente rapina?
Quiſve minora fleat? ſtringi nec maxima poſſunt.
Inde minora tamen, ſi ſummis juncta notentur,
Nam per ſe nullum facinus ſub judice parvum eſt.
Nec refert cunctas percurri carmine cauſas:
Hoc parvo ſermone loquar. poſt damna priorum
Nil ſupereſſe mali, quod non vel perpetret orbis,
Vel toleret, plenus ſcelerum, pariterque laborum,
In caſu diſcrimen habens, & crimen in actu.
Sed tu, Chriſte potens, cui ſemper parcere promptum eſt,
Tu figulus maſſam potis es reparare caducam,
Et confracta diu reſolutaque fingere vaſa.

Qui

Qui dudum multo latitantem pulvere drachmam
Invenis accenſis verbi virtute lucernis.
Linquentem caulas, turpique errore vagantem,
Paſtor ovem celeri dignatus quærere greſſu,
Subvehis, utque ſuo gaudens reddatur ovili,
Sarcina fit quæ cura fuit. ſic filius ille
Junior, exhauſtos poſtquam diſperſit acervos,
Vitaque conſumpto mutata eſt prodiga cenſu,
Turpia porcorum digne convivia ſectans,
Optavit ſiliquis compleri vilibus alvum,
Donec ſæva fames longo diſcrimine victum
Cogeret offenſo tandem ſe reddere patri,
Confeſſumque reum laxato crimine ſolvi.
Denique proſtratum mitis pater allevat ultro,
Et trepidum blanda ſolatur voce pudorem.
Ornatus reduci veſtis dat prima ſecundos,
Lætaque ſollennis celebrat convivia cœtus,
Quod rediviva ſuis quodam de funere proles
Surgat, & orbato redeant nova lumina patri.
At tu, præpollens hominum rerumque creator,
Quamquam cuncta velis fidæ conſtare ſaluti,
Nulla tamen pateris noſtræ diſpendia mortis,
Nec quoquam pereunte tuis contingere damnum
Divitiis poterit. neſcis decreſcere, neſcis
Augeri, & pleno perſtat tibi gloria regno.
Sed famulis tu redde tuis quod perdidit Adam,
Quodque tulit primum viriatæ ſtirpis origo,
Ortu reſtituat melior jam vita ſecundo.
Sorduerit nimium lacero circumdata peplo
Forma vetus, ſciſſam ponens cum crimine veſtem,
Pallia prima pater redeunti porrige proli.
Seminecem quondam miſerans qui forte repertum
Projectumque via, quem ſævi cæde latrones
Impoſitis cuncto ſpoliarant tegmine plagis.
Sed tu, ſancte, viam ſumpto dum corpore curris,
Invenis alliſum, nec præteris: inſuper ægrum
Jumento carnis propriæ ſub tecta reportas.
Nos fuimus quondam rabido data præda furori.
Sed ſi nunc medico percurrat vulnera fotu,
Gratia producens oleum, ſapientia vinum,
Commendet ſtabulo Samaritidis extera cura,
Pelletur validus medicato corpore languor.
Suſcipe, qui non vis moriendi creſcere cauſas,
Quos confeſſa tibi gemitus pia pectora fundunt.
Ut quondam tecum, paſſæ ſub tempore carnis,
Proximus immani dependens ſtipite prædo,
Quem non culpa tibi ſimilem, ſed pœna tenebat.
Ille tamen nexus membris, nec corde ligato,
Et ſi confixas clavis extendere palmas
Non potuit, liber mentem cum voce tetendit.
Sicque reus ſcelerum dum digna piacula pendit,
Martyrium de morte rapit. cui fine ſagaci
Maxima cura fuit tales non perdere pœnas,
Præripuit ſcandens aditum, cæloque levandus
Ardua ſublimi tenuit compendia ſaltu.
Porrige ſic nobis celſam, pater inclyte, dextram.
Nos quoque perpetuæ conquirat vita ſaluti,
Atque profanati deceptis fraude latronis,
Ceu tibi compaſſo miſerans ſuccurre latroni.
Livida quos hoſtis paradiſo depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia ſedi.

LIBER QUARTUS.

De Diluvio mundi.

INfectum quondam vitiis concordibus orbem,
Legitimumque nefas laxata morte piatum
Diluvio repetam: ſed non quo fabula mendax
Victuros lapides mundum ſparſiſſe per amplum
Deucaliona refert, durum genus unde reſumpti
Deſcendant homines, cunctiſque laboribus apti
Saxea per duram monſtrent primordia mentem.
Sed veri compos, fluctus nunc proſequar illos,
Per quos immiſſus rebus vix pene crearis
Lactentem velox prævenit terminus orbem.
Extulerat mortale genus crudelibus auſis
Ingentes animos: licitum quod cuique liberet
Credidit, & propria valuit pro lege voluntas.
Jus adeo nullum, ſic nil diſtare putatum
Faſque nefaſque inter, recti cuſtodia nuſquam,
Non judex, non teſtis erat, non denique rector,
Arbiter aut morum, vel qui ſuaderet honeſtum,
Sed princeps ſibi quiſque fuit virtute nocendi,
Nec meritis, ſed mole potens, qui fortior eſſet
Hic melior ſibimet, ſed ſe cenſore, placebat.
Sic hominum vitam brutorum more tenebat
Motibus addicens mens inclinata ferinis.
Sanguine potus erat, cæſorum viſcera paſſim
Indomitis laceras præbebant faucibus eſcas.
Inſuper & quadrupes, propria qui morte necatur,
Sævior aut certe quem vincens beſtia cepit,
Paſtus erat, quem nulla fides, lex nulla vetabat.
Ut vero pecorum ritu permiſſa voluptas,
Et diffuſa palam ruptis laſcivia frænis,
Luxuriæque forum, atque obſcœni nundina mundi
Ferverent, caſto fas non eſt dicere cantu.
Talibus ac tantis hominum gens improba geſtis
Silveſtres animos, naturæ fœdere rupto,
Induerat, pulſaque ſimul ratione furebat,
Et deſerta jacens domini cæleſtis imago
Omne decus mentis turpi dejecerat actu.
Haud ſecus ac pulchri cum fertilis area campi,
Quam ſucciſa dedit purgato robore ſilva,
Dum colitur, juſto paret fœcunda labori,
Subjicitur raſtris, reſpondet frugibus, ac ſe
Servat compoſito ruralis gratia vultu.
Agricola oblitus, ſi brachia forte remiſit,
Laxavitque manus, feſſoque quievit aratro,
Pigreſcit primum durato ceſpite tellus,
Mox rudibus ramis atque aſpera palmite crebro
Diſciplinatos diſſueſcit promere fructus,
Effundit frutices varios, ſilvamque minatur:
Quam ſi nec fera ſuccifor falce repurget,
Non jam virgultis, ſed denſo ſtipite lucus
Texitur, & ſteriles diffundit in aera frondes:
Donec concluſa ramis currentibus umbra,
Mox opportunæ depulſo ſole tenebræ
Jam ſecura feras invitent credere luſtra.
Taliter humani generis, non ordine recto,
Perdita mandatæ jam poſt primordia legis,
In pravum labens paulatim vita tetendit.
Proficiens pejore via, conſtantior ipſo
Jam paribus ſtudiis nutriti criminis uſu.
Et tamen auctorem vitii, culpæque magiſtrum,
Doctior errorum, lapſuque peritior omni,
Succiduæ prolis creſcens audacia vicit.
Ut fluvius parva primum diffuſus ab urna,

Per-

Perſpicuum leni promit cum gurgite fontem,
Tramite quem ſummo facili tranſmittere ſalto
Quiſque poteſt, mox irriguo deductus ab ortu
Viribus augetur ſubitis, ripaſque retrorſum
Pellens, creſcentes tendit per plana liquores,
Occupat & ſpatium, pereuntique imminet arvo:
Tum circumtulos vicinis vallibus amnes
Sorbet prætetiens, externaſque incipit undas
Augmento finire ſuo, mixtaſque ſub uno
Nomine, contraſis diffuſo gurgite terris,
Cum trabibus, ſtabuliſque boum, luſtriſque ferarum,
Sævior acceſſu, longoque furore potitus,
Tandem deſiſtens pelagi tranſportat in undas.
Hos inter motus, ſimiliſque ad turbinis inſtar,
Humanum vitiis ibat genus: & tamen ipſa
Longior inſanas mentes diſſolverat ætas.
Centenos novies crebro cum duceret annos
Vita tenax, tanto ſuſpenſi tempore leti
Nullus terror erat. ſors ſi quem ſera tuliſſet,
Ceu qui nec natus fuerit, numquamque levandus
Morte putabatur, ac cunctis nulla futuri
Spes inerat, ſoluſque ſibi fundaverat omnem
Senſibus in cæcis periturus mundus amorem.
Tempore quinetiam peccatrix terra ſub ipſo
Nutribat ſævos immania monſtra gigantes.
Nec tamen effari licitum quo ſemine cretos.
Communem cunctis ortum de matre ferebant,
Qui genus, unde patres, prohibent arcana fateri.
Si ſpeciem quæras, humani corporis illis
Plus vultus, quam forma fuit: ſic linea membris
Conveniens hominem monſtrabat, diſſona molem.
Quam propter deinceps commentis Græcia fictis
Dedecus infandum maſſis informibus auxit,
Et portentoſis deſcripſit corpora membris:
Pube tenus quod forma viris, cum corporis ima
Supplerent vaſti mixto pro crure dracones.
Artus ſemihominum patulis qui faucibus atri
Ferrent, & verſo præberent vertice greſſus.
Tunc etiam ſolitos, juſſo terrore Tonanti,
Blaſphemis cælo convitia mittere plantis,
Mordaceſque pedes motu fremuiſſe veneni.
His ſimiles mendax Phlegræi fabula belli
Excuſſas finxit jeciſſe per aera rupes,
Pro telis ſpatioſa manus quod turbine montes
Sparſerit, & miſſis cælum quaſſaverit arvis.
Hec ſunt, priſcorum quæ de terrore gigantum
Carmine mentito Graii cecinere poetæ.
Et tamen audaci voluit contendere pugna
Quiſque rebellis erat. qui cum confligere telis
Non potuit, ſævis concepit prælia votis.
Montibus impoſitos fas non eſt credere montes,
Hoc tamen & deinceps illos tentaſſe putabo,
Qui coctos lateres, lentoque bitumine junctos,
In ſublime rati manibus ſic poſſe ſuperbis
Suſtolli, & celſas in ſidera ſurgere moles:
Cum fureret mortale genus, caſſoque labore
Irrita tranſcenſis cementa inferret in altum
Nubibus, & refugum ſequeretur machina cælum,
Non prius abſiſtens, ſubitas diſcordia linguas
Quam daret, & varius confunderet omnia ſermo.
Hinc ſparſum fœdus, ſciſſa ſic lege loquendi
Conſenſum ſcelerum turbata ſuperbia rupit,
Dum ſe quiſque ſuis, poſſit quæ noſcere, verbis
Aggregat, atque novas ſequitur gens quæque loquelas.
Sic interruptæ perierunt culmina maſſæ,
Eſſectaque carens ceſſavit in æthere turris.

Hæc poſt diluvium. nam quantas tempore priſco
Preſſa gigantæas tellus produxerit arces,
Atque laceſſitis contemptum immiſerit aſtris,
Abſtergente Deo ſat noſtra ſilentia damnant.
Cernebat patiens jam dudum inſana frementes
Terrarum populos hominum rerumque creator,
Expectans ſi quem vani conſortia mundi
Linquentem melior moneat reſipiſcere cura.
Sed conjuratus poſtquam percurrere cœptum
Perditionis iter ſtatuit, ſenſumque per omnem
Obtinuit victor peccati inſignia mundus,
Nec revocare gradum quiſquam, greſſumque referre
Præcipiti jam mente poteſt, exhorruit auctor,
Pœnituitque, videns totum quod fecerit orbem.
Tum tales tonuiſſe minas commotus ab alto
Fertur, & excitas laxaſſe his vocibus iras.
O nullis adtracta bonis, nulliſque repreſſa
Legibus, antiquo tantum ſubmiſſa draconi,
Effera gens hominum, ducto corruptior ævo.
Non Evam cecidiſſe ſat eſt, tranſcenditur omni
Inventor leti lapſu: nec ſufficit illud,
Vicit inexpertum quod ſerpens priſtinus Adam.
Non contenta ſuo fœdari vita parente,
Affectat mortem propria virtute mereri.
Expectaſſe diu non profuit. inſuper omne
Conceſſum veniæ rapuerunt crimina tempus.
Jam nimium longas patientia preſſerit iras,
Vindictæ jam tempus adeſt. non fulmina cælo
Flammeus ardor aget: vaſto nec cedet hiatu,
Quæ premitur nimio ſuccumbens terra tumultu:
Sed ſordens vitiis fluctu delebitur orbis.
Ad chaos antiquum ſpecies mundana recurrat,
Inque ſuas redeant undarum pondera ſedes.
Arida decedat lymphis, rurſuſque ſepultas
Terrarum ſpecies informis contegat humor.
Hæc clades vivis, carnique hic terminus eſto.
Sic pater æternus diſponens funera rerum
Diluvium dextra terras vibrabat in omnes.
Interea pleno vivebat juſtus in orbe
Unus homo, & mentem ſolus ſervabat honeſtam.
Nullus vota Deo donis preciboſque ferebat
Hunc præter, dignum quem ſummus laude creator
Noſſet, & exceptum vitæ ſervare pararet.
Stemmatis hic ſancti: nam claro nobilis ibat
A proavo, quem priſca fides & conſcia virtus
In cælum ſine morte tulit, ſic celſa petenti
Succeſſit magno non impar pronepos actu.
Nec plus eſt illum ſalvi cum corporis uſu
Terrenas liquiſſe domos, intraſſe ſupernas.
Denique quo priſcus quondam conſcenderat Enoch,
Elias curro poſt tempora longa ſecutus,
Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis,
Cum ſuſpenſa leves tranſmitteret orbita ventos,
Ungula vel premeret calcatas pondere nubes,
Vallatumque ferens ſanctum non ureret ignis,
Et motus ſervans neſciret flamma calorem.
Hos igitur ſatis eſt cælum potuiſſe mereri
Membrorum ſub lege ſitos: ſed non tamen illud
Segnius admirer, ſancti quod tempore Noe
Unius ob meritum, natis nuribuſque tuendis
Orbis in exitio potuerunt ferre ſalutem.
Eſt ille in cælis, numero præſtantior omni,
Angelicus ſine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratque Deum, famulantia ſuetus
Ferre miniſteria, & juſſis parere ſupernis.
Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur,

Con-

Concipitur dignis ſacro quod pectore votis,
Quidquid larga manus collectis ſpargit egenis,
Excipiunt, ſanctoque ferunt ſuper aſtra volatu.
Quinetiam juſtos, fragilis dum vita fatigat,
Tutantur, mundique inter diſcrimina ſervant.
Sed tamen in cunctis præcellit clarior ille,
Maxima quæque Dei quo diſpenſante miniſtro
Res geritur, ſummiſque parat myſteria cauſis.
Hic dominum cæli venturum corpore ſumpto
Virginis intactam juſſus prædixit in alvum,
Sacraque dotali complevit viſcera verbo.
Hic & Baptiſtæ præcurrens nuntius ortum,
Deſperata diu dum ferret germina patri,
Inter ſacra virum conterruit, & dubitantes
Protinus ingrato reſtrinxit in ore loquelas,
Donec prædicto fœcundam redderet ortu
Prolis anum, multos ſterilis quæ tenta per annos,
Fudit diffidens effœta puerpera fœtum.
Hic rerum ſolers ſummuſque Archangelus, alto
Aera per liquidum, levibus circumdatus auris,
Vibrataſque movens ignito in corpore pennas,
Nulli conſpectis ad terram motibus ibat:
Et tum forte gemens cunctorum crimina Noe
Inflexis ſtratus genibus, cum ſupplice planctu
Mundanis veniam mundo nolente petebat:
Cum ſubito clauſis foribus tunc aliger intrat
Conſpicuus, claro reſplendens nuncius ore.
Horreſcit viſu tanto perterritus heros,
Mortaliſque oculus perſonam ferre ſupernam
Vix valet; & pavidi detorquet lumina vultus.
Ille ſalutiferis primum mulcere timentem
Aggrediens verbis, cæli mandata ferebat:
Pax tibi, juſte virum, pacem tibi miſſus ab alto
Imprecor, ut pulſo capias mea dicta pavore.
Hæc mandat ſummus terræ pelagique creator.
Inſperata quidem cunctis ſententia leti
Imminet. hanc ſolus ſed qui tranſire mereris,
Et præſcire potes. nam te calcata voluptas
Jampridem rectum toto diſcrevit ab orbe.
Unica ſed quoniam ſævum depellere letum
Vita tibi poterit, tantos evadere caſus
Qualiter incipias paucis ex ordine fabor.
Finis erit rerum, permiſſis undique lymphis,
Atque relaxata vaſtabitur orbis abyſſo.
Nunc age, congeſtis creſcat fortiſſima lignis
Machina, quæ ſurgens fluctus ſuperenatet omnes,
Tercentum cubitos per longum ducta tenebit,
Bis quinis late claudetur, biſque vicenis.
In triginta illi conſtabit culminis altum.
Per medium per ter longo cœnacula tractu
Edita ſuſpenſis domibus tabulata levabunt:
Ut generis proprii ſervans conſortia manſor
Componat parcis diſperſa cubilia cellis.
Tum ne rimoſi compagum forte meatus
Accipiant inimicum imbrem, linire memento
Juncturas laterum, piguemque infunde bitumen.
Taliter effectam cum conſummaveris ædem,
Protinus ingredere, ac mundum dimitte cadentem:
Excluſit quem culpa frequens, includere vita
Incipiat, circumque fremant te ſoſpite mortes.
Quinetiam lateris ſociam ſuccedere tecto,
Et cum conjugibus natos intrare jubeto.
Tuque ſecundus eris deleti germinis auctor,
Ut te poſt primum repleatur terra parente.
Sed quia perfecto divinis viribus orbe,
Poſt operis finem, poſt leges, poſtque ſacrata
Sabbata, formari quidquam non convenit ultra,
Ne penitus ceſſans intercidat omne creatum,
Spirantum e cunctis pecorum, celerumque volucrum,
Sylvarumque feris, & quæ jumenta vocantur,
Vel quæ per tacitos reptant labentia motus,
Bina cape, & tecum clauſtro victura reconde.
Sic tamen ut proprios teneant ſua vincula ſexus,
Unde genus rurſum tellus implenda reſumat.
Ne timeas ne forte feros animantia motus
Servent, aut ſubitis præſumant ictibus iras,
Fœdus erit totis, quæ diſcordantia profert
Per varios natura modos, & pace fideli
Parebit juſſis quidquid concluſeris illic.
Serpentis tantum ſemper figmenta caveto.
Vertice ſubmiſſo blandum licet ille triſulcis
Finxerit abſcondens per dulcia ſibila linguis
Immortale odium, nunquam tu credulus illi,
Quem nimis expertus vitandum præmonet Adam.
Hoſtis namque ſemel voluit quicumque nocere,
Hic ſemper ſuſpectus erit, penituſque cavendum eſt,
Ne jam mentito conjungat fœdera prudens.
Tu poſt exemplum juſſis ſervire memento.
Hæc fatus, vacuum levibus ſecat aera pennis,
Mortalem fugiens aciem, cæloque relatus
Heroem trepidum mandata lege reliquit.
Ipſe tamen tali manibus cum voce levatis,
Quiſquis, ait, nobis tantam ſpondere ſalutem,
Seu miſſus, ſeu ſponte tua, ſuper æthere celſo
Veniſti, & placidum ſacraſti fœdere pactum,
Sis fautor, firmentque tuas promiſſa loquelas.
Auxiliumque tuum conatibus inſere noſtris,
Ut tenuis tantam valeat manus edere molem.
His breviter dictis, vitæ ſpem corde reponit,
Aggrediturque celer ſacri præcepta laboris.
Quis tantos capiat ſenſus? quis denique ſermo
Explicet, advectis fuerit quæ copia lignis?
Nudati colles, ſpoliatæ robore ſylvæ,
Mons ut quiſque fuit, famulo placuere paratu.
Pelion immenſas cum mittat vertice quercus,
Inſuper exponit multa virtute reciſum
Oſſa nemus, Pindoque abies ſubducitur alta.
Atlas ipſe novas ictu reſonante ſecures
Senſit, & annoſas dedit ad navalia pinus.
Invictum tunc ſurgit opus, contexta levatur
Porrectis trabibus præcelſi culminis ædes.
Hæc inter, diſcors varii ſententia vulgi.
Nam multi lymphis obſtacula tanta parantem
Iriſere virum, moles quod clauſa moveri
Fluminibuſque dari nequeat, quam forte vel ampli
Euphrates Niluſque queant vix claudere ripis.
Humani generis quid mens incredula reris
Mortalem non poſſe manum conjungere ponto
Ædem longinquam? pontus namque obvius ultro
Curret, & adductam tanget ſtans fabrica littus.
At alios celſam compacto robore maſſam,
Ignaros quamquam cladis, cauſæque latentis,
Mirari novitas & formidare coegit.
Haud aliter ſtudium jam tunc diviſerat omnes,
Quam nunc mundus agit. ſunt qui compuncta fideli
Corda dicant operi, rebuſque inſtare ſupremum
Diſcrimen norunt, corpus quo concidat omne,
Bacchatamque diu conſumant ſæcula carnem.
Effugiet tunc ille malum. quicumque paratus
Conſtruat ut validam prædurі tegminis arcam,
Per lignum vitale crucis ſervatus ab undis,
Tunc cernet quanto contempſerit otia fructu.

Haud procul attentum contemplans hunc operantem
Nonne piger quiſquam lucri, tædenſque laboris,
Inſanire putet, cura quod ſolus inani
Æſtuet, & rebus nolit pereuntibus uti?
Sic epulans parcum, ſic largum quiſquis avarus,
Sic nudum raptor, ſic caſtum ridet adulter,
Sic circumſcribens illuſo ſimplice gaudet.
Sic ſapuiſſe dolet dives, cum congregat aurum,
Spargentem nummos, ultroque in paupere cenſu
Conſumptis opibus miſerum ratus eſſe beatum.
Inde repentinum judex cum cerneret orbi
Adventare diem, finis ſic protinus, inquit,
Imminet, ut juſti quondam ſub tempore Noe,
Diluvium varios mundi cum repperit actus,
Et carnem conſumpſit aquis, opifexque ſalutis
Evaſit parto diffuſa pericula clauſtro.
Hæc evangelicis ſunt inclamata figuris.
Providus interea conſummat conditor arcam.
Tunc juſſæ accurrunt volucres, tunc beſtia quæque
Conſuetum linquens ſylvoſo tegmine luſtrum,
Depoſita feritate venit, ſeſeque tenendam
Ingerit occurrens, & libertate relicta
Includi gaudet. tantum decreta futuri,
Vis valet. occultus brutis in ſenſibus ardet
Terror, & expectans agitat formidine vitam.
Aſt homines, quos ſors certi diſcriminis urget,
Vicina nec morte pavent. ſatis undique conſtat
Vitali indicio præcedere ſæpe timorem.
Securos lætoſque reos tellure Gomorræ
Jam prope ſub flammis ſententia dicta videbat.
Ninivæ contra populis terrore ſalubri
Prævaluit pro pace metus. nam venerat illuc
Juſſus, multum ille & terris jactatus & alto,
Qui clamaturus tantæ diſcrimina plebi
Diluvium timuit mundo conſtante propheta.
Hauſerat hunc valido pervadens bellua rictu,
Immerſumque mari ventris concluſerat arca.
Deglutire virum, fauceſque implere capaces,
Ardenti monſtro cum ſit permiſſa poteſtas,
Non licuit mordere tamen, nil dentibus actum,
Intravit cupidum deludens præda vorantem,
Invaſuſque cibis jejuna vixit in alvo,
Dum tres luce dies una ſub nocte prophetæ
Sol ageret, lituſque novum vacuanda viderent,
Et caſtigatum vomerent ergaſtula paſtum.
Ut monſtro exutus vates, calumque recepit
Contingens terras, magnam tunc percitus urbem
Terribili cum voce potens, quid criminis, inquit,
Ardetis flammis? reſtinguent omnia pœnæ.
Jamque venit finis, lentum eſt hoc dicere, venit.
Non plus fatus erat, totus conjurat in omne
Lamentum populus: procurrunt undique fletus,
Pectora tunduntur, Cælum ſuſpiria pulſant.
Mollibus abjectis Cilicum dant tegmina ſetæ,
Inque cibos cinerem, lacrimaſque in pocula fundunt.
Ipſe etiam, dignus tali qui tempore princeps
Ante aciem flentum portet vexilla ſalutis,
Atque novum dictu metuens diſcrimina vincat,
Projicit hinc ſceptrum, linquit ſublime tribunal,
Pallia blattarum ſpreto diſſibulat auro,
Serica deſpiciens, atque aſpera tegmina ſumens.
At pius ex alto contemplans talia rector
Exertas revocat ſedatis motibus iras,
Vibratumque tenens reſtinxit miſſile fulmen.
Temporibus propriis juſtus ſic conditor arcæ
Securo ſolus timuiſſe pericula mundo
Gaudebit, finem cunctis, ſibi ferre ſalutem,
Diverſam cernens meriti diſcrimine ſortem.
Ergo ubi ſilveſtres ſexu collegit utroque
Incluſitque feras, pecudum tunc eligit illa
Sumere, quæ licitum eſt mandi, vel munda vocantur.
Hinc tantum ſeptena dedit viventia clauſtro,
Ut ternis paribus ſervato ſemine ſalvis,
Septima quæ fuerint ſacris quandoque litentur.
Et jam vitalis concluſerat omnia carcer.
Tunc Juſtum, cunctoſque ſuos, natoſque, nuruſque
Accipit expectans clauſtrum, vitæque reponit.
Nam ſervos nondum dederat natura vocari,
Nec dominos famulis diſcernere noverat ordo.
Primus enim maculam ſervili nomine ſenſit
Hujus natorum medius, qui forte cachinno
Diſtectum petiit miſero ſpectamine patrem,
Materiamque ſui riſit deformior ortus,
Et plus jam turpis nudato ſimplice nequam.
Quod poſtquam ſanctus potuit cognoſcere Noe,
Natum germanis famulum dedit. inde repertum
Tale jugum. cuncti nam ſemine naſcimur uno.
Servitii certe cauſam feciſſe reatus
Cernitur, & liber peccans fit crimine ſervus:
Si rurſum nexu famulus ſtringatur honeſti,
Natales faciens ſibimet, jam nobilis hic eſt.
Nuntius interea, dudum qui miſſus ab alto,
Detulerat Juſto cæleſtis munera verbi,
Protinus ut clauſum vidit, rebuſque paratis
Expectare diem, rurſos deſcendere cælo
Feſtinans, laxos firmavit cardine poſtes,
Incluſitque viros, atque oſtia fortia traxit,
Confeſtimque levans ſupero ſe retulit axi.
Ævo ſexcentos ſenior tranſcenderat annos,
Lunaque bis plenos addebat menſtrua curſus,
Septimus & decimus qui poſt illuxerat orbi,
Ultimus ille dies jam nunc dabit omnia leto.
Ilicet obtegitur cælum, nimiiſque tenebris
Victa repelluntur fuſcati lumina ſolis.
Inſanas hominum mentes vix tangere terror
Cœperat, inſuetus mox profluit æthere nimbus,
Et valido primum ſimilis demittitur imbri.
Arida terrarum pariter maduere per orbem,
Una fuit toto facies & nubila cælo.
Ægyptus tunc ipſa novas expavit ad undas,
Alſit & infuſus Garamas, dudumque calentes
Humida Maſſylas tetigerunt frigora Syrtes.
Nec longum pluviæ ſpecies, non denique guttæ
Stillant, ſed rupto funduntur flumina cælo.
Non aliter Tanais, nivibus cum paſcitur albis,
Riphæo de monte ruens illiditur amni,
Præcipitatque ſimul longo quod tramite ducit.
Undarum tali quatitur certamine tellus,
Fitque lacus inſtar compreſſus fluctibus aer.
Nec tamen hic lymphas tantum fudere ſuperna,
Terreſtres etiam mundus conſurgit in iras.
Rumpitur omne ſolum, crebros dant arva meatus,
Proſiliunt fontes, ignotaque flumina manant.
Vergitur in ſurſum mutato pondere nimbus,
Inde cadens cælis, hinc terris undique ſurgens,
Occurrit mox unda ſibi, junctoque furore
Conjurant elementa neci. tranſcenditur omnis
Riparum limes fluviis, atque obice rupta
Sævit laxatis diſcurrens humor habenis.
Sed cum diſſtilæ ſpatium concludere terræ
Omnia certarent, mundumque implere capacem,
Suſpendi forſan potuit ſententia leti,

Atque

Atque mora majore trahi, quo tardius omnem
Concedens ſpatium rapiat ſors ultima carnem:
Oceanus vertex rerum ni fervidus uno
Littore, quo tantum terras atque æquora cingit,
Exiret, rumpenſque fidem perfunderet arva.
Diſſipat æternas leges, & ſede relicta
Regna aliena petens naturæ fœdera turbat.
Ut diros primum pelagi ſenſere furores
Illuſtres fluvii, magnos quos inclyta curſu
Fama refert, motuſque novos ſtupuere parumper,
Ut credas ſapuiſſe fugam, ſic verſa retrorſum
Per terras ſpargant ſublata volumina ponto.
Inſequitur tamen Oceanus, refugiſque fluentis
Imminet, & ſalſis impellit molibus amnes.
Tunc major ſtrepitu tanto mortalibus ægris
Fit metus, aſcendunt turres, & celſa domorum
Culmina, præſentemque juvat vel tempore parvo
Sic differre necem. multos dum ſcandere tentant
Creſcens unda trahit, quoſdam montana petentes
Conſequitur, letoque fugam deprendit inanem.
Aſt alii longo jactantes membra natatu,
Defeſſi exſpirant animas, aut pondere nimbi
Obruta fluminea commixta per æquora lymphas
In quocumque bibunt morientia corpora monte.
Ædibus impulſis alii periere ruina,
Inque undas venere ſimul dominique domuſque.
It fragor in cælum ſonitu collectus ab omni,
Quadrupedumque greges humana in morte cadentum
Augent confuſos permixta voce tumultus.
Hæc inter miſeri ferventia funera mundi,
Prægravis inſanis pulſatur motibus arca,
Compageſque tremunt, ſtridens junctura laborat.
Non tamen obſtructam penetrat vis improba, quamquam
Verberet, & ſolidam fluctu feriente fatiget.
Non aliter crebras Eccleſia vera procellas
Suſtinet, & ſævis ſic nunc vexatur ab undis.
Hinc gentilis agit tumidos ſine more furores,
Hinc Judæa fremit, rabidoque illiditur ore,
Provocat inde furens hereſum veſana charybdis:
Turgida Graiorum ſapientia philoſophorum
Inter ſe tumidos gaudet committere fluctus.
Obloquiis vanos ſufflant mendacia ventos,
Sed cauſam vacuo pulſant impune latratu.
Jam medium creſcens arcæ contexerat unda,
Commovitque cavam ſuſpendens undique molem,
Et melius tutam facili portante natatu,
Quoque vocant undæ, ſequitur jam mobile pondus.
Cedamus mundo, dum ducimur: omne reſiſtens,
Si flecti neſcit, metuat vel pondere frangi.
Sed ſic cedamus, fluxum ne ſentiat intus,
Peccatumve trahat mens impenetrabilis ullum.
Navigat interea clauſtro commiſſus eunti
Fons vitæ, ſervatque furens ſuper omnia pontus
Orbis depoſitum, fido quod tegmine promat,
Cum pax terrarum reddi ſibi debita poſcet.
Ergo ibant undæ, tellus ſubducitur omnis,
Collibus impoſitæ vicerunt edita lymphæ.
Delituit tectus ponto tum pinifer Othris,
Parnaſſi vertex cautem non protulit altam,
Ipſa cupreſſiferi latuerunt ſaxa Lycæi,
Subductæ rupes, æquatæ fluctibus Alpes,
Omnibus excluſis totus jam denique mundus
Axis & unda fuit. nam cunctis morte ſubactis
Regnabant pelagi ſilvoſo in gurgite monſtra,
Et jam vicinum pulſabant humida cælum.
Jamque quaterdenis manabat noctibus imber,
Completatque necem, nec jam quod tolleret ultra
Mors habuit, preſſitque natantia funera pontus.
Frænantur tandem pluviæ, reſplenduit æther,
Redditur & cælis vultus. ſol ipſe reductus,
Sed non invenitis queis reddat lumina terris,
Tantum luxit aquis. triſtis videt æquora fulgor,
Quamque breves radios admotas frangit in undas,
Tam conſumendis fervens ac proximus inſtat.
Nec minus & patuli terræ clauduntur hiatus,
Quæque prius vomuit letali ex ore fluenta,
Obicibus propriis conſtricta reſorbet abyſſus.
Nec tamen ut venit, breviter ſic unda recedit:
Siccant non pauci longo ſed tempore menſes,
Quod pauci fudere dies. jam ducta natatu
Armeniæ celſis inſtabat montibus arca,
Et nondum nudis fundo conſedit in arvis.
Ut ſtabilem ſenſit ſenior, motuque carentem,
Nec fluitare natans ventoſa per æquora lignum,
Credidit abductis nituiſſe liquoribus orbem.
Tunc reſerat ſummam ſublimi a fronte feneſtram,
Emiſſa refluos exploret ut alite fluctus.
Illa volans longo diverberat aera plauſu,
Atque quatit vacuas pennarum motibus auras.
Cumque diu feſſis undas perſtringeret alis,
Nec locus optatam requiem concederet ullus,
Conſuetum repetit proſpecto ex æquore clauſtrum.
Exceptam ſenior manibus tunc colligit intus,
Advertens nullas patuiſſe per humida terras.
Interea magna pontus ſe mole movendo
In chaos antiquum linquens mundana redibat.
Excelſi tandem proferre cacumina primum
Incipiunt, poſt quos tenues crebreſcere montes.
At vero ut pelagus cinxerunt litora priſcum,
Oceanuſque ſacer notas collectus in oras,
Contentus ſolito labentia flumina tractu
Sorbuit, & cunctis diſtinxit fræna fluentis,
Torrenteſque ſuæ clauſerunt undique foſſæ,
Libera ſubductis nituerunt arida lymphis.
Tunc interpoſito producens tempore corvum,
Scire cupit ſenior, vacuumque interrogat orbem.
Ales ut extenſis nitidum petit aera pennis,
Aſpiciens plenis ſtipata cadavera terris,
Carnibus incumbens, & mox oblita reverti,
Rectorem placidum communi in ſede reliquit.
Sic neſcis, Judæe, fidem ſervare magiſtro,
Sic carnem dimiſſus amas, ſic gratia numquam
Cuſtodi vitæ dominoque rependitur ulla.
Mente vaga ſic laxus abis, ſic fœdera legis
Rupiſti, & primum violaſti perfide pactum.
Temporis ut ſpatio ſenior collegit inertem
Jam potuiſſe ſatis corvum ſe reddere clauſtris:
Ignarus tardi reditus, cauſæque morandi,
Ne ſors innexis feſſum conſumpſerit alis,
Junxerit & cunctis pereuntibus unda recurrens:
Protinus albentem mittit de ſede columbam.
Illa memor juſſi rapido petit arva volatu,
Paciferæque videns ramum viridantis olivæ,
Decerpit, mitique refert ad condita roſtro.
Tali legatus firmavit fœdera ſimplex
Indicio, parumque pius ſic comperit orbem.
Integer emenſum vertebat circinus annum,
Quo felix clauſtrum ſpirantia cuncta tenebat:
Tum pater ablatis obducta repagula ferris
Pandit, & incluſis deſuetum reddere ſolem
Incipit, effœto redeant ut ſemina mundo.
Ante tamen Juſtus jubeat quam ſparſa vagari,

Singula de ſeptem, quæ dudum claudere munda
Curavit, natis pariter, nuribuſque vocatis,
Ceſpite conſtructa diſponens immolat ara,
Accendens ſanctos his primum altaribus ignes.
Plurima dum magnis adolentur corpora flammis,
Et numeroſa levat præpinguem victima fumum:
Suavis odor lætum tetigit trans æthera cælum,
Primaque purgati ſuſcepta eſt hoſtia mundi.
Tunc igni permixta ſacro vox intonat iſta:
Hactenus infectus contagia traxerit orbis,
Sufficiat regnaſſe nefas: mundata lavando
Perpetuo niteat tellus, vultuſque reductos
Contineant elementa ſuos: haud amplius ullis
Perturbata malis moles mundana fatiſcat.
Vos quoque, quos leti ſalvavit tempore vita,
Intactoſque tenens caſu defendit ab omni,
Ducite ſecurum ſervatis legibus ævum,
Voſque caput generis fœcundo ſemine prolem
Spargite, diffuſum late quæ compleat orbem,
Deletum inſtauret numerum, dominetur & orbi.
Fertile quinetiam reddent animantia germen,
Quod tamen inflexum famulabitur ordine priſco.
Inſuper & terris ex hoc jam non erit ultra
Diluvium regnans, carnem quod conterat omnem.
Unum quod fuerit, ſigno monſtrabitur uno.
Nec ſimilem repetita necem pecata videbunt:
Et ſi crimen erit, terror non deforet alter.
Sic unum genitor jurans baptiſma ſacrabat,
Ut ſemel ablutum lymphis purgantibus orbem,
Sic ſperare reos lavacrum non poſſe ſecundum.
Vix tribus exactis cæli jam partibus ibat
Pronus in occaſum radius, cum forte remotam
Axe ſub Eoo juſſus contingere nubem,
Protulit excuſſum madefacto ex aere ſignum,
Arcus & emicuit, quem nunc Thaumantida Graio,
Irim Romuleo vocitant ſermone poetæ.
Pendulus obliquum ſolem cum ſenſerit humor,
Ancipites vario mittit ſplendore colores:
Nec numerare queas, ſic mixtos lumine viſus
Illudunt dubii diverſis vultibus orbes,
Sapphiruſque virens, maculoſus, cærulus, albus,
Purpureum de nube trahit, de ſole coruſcum,
De cælo nitidum, de terra ſumit & atrum:
Et tamen abjunctis quæ conſtant hæc elementis,
Sic diverſa putes, ut concordantia cernas.
Hanc formam ſigno trepidis mortalibus arcus
Præſtirit eſſe Deus, promittens nube ſerenum,
Nullaque jam terris debere pericula cælum.
Nunc quicumque cupis veram ſervare ſalutem,
Illud ſuſpicies ſignum, quod ſigna figurant,
Namque dator vitæ præmiſit talia Chriſtus,
Et geminata dedit ſubſtantia ſalvatorem.
In terris ſumptæ nitida de virgine carni
Naturalis ineſt patrio de germine fulgor:
Et medius quidam mediator in æthere celſo
Munere multimodo varius, ſed fulgidus omni,
Vitalem monſtrat ſacrati pignoris arcum.
Iſtum corde vide, quiſquis baptiſmate lotus
Ad cælum liber culpis pereuntibus exis.
Nam legis forma vos, inquit Apoſtolus, iſta
Salvabit lavacrum, priſci cum tempore Nue
Concluſas lignis animas deſcribe et octo.
Comparat ille datum, tu ſervans dilige donum,
Hoc votis precibuſque gerens, hoc fletibus optans,
Ne redeant peccata tibi, ne merſa leventur,
Mortua ne ſurgant, ne debellata rebellent,
Ne poſt ablutum valeant diſcrimina crimen,
Et flammam timeas, quia jam non ſuppetit unda.

LIBER QUINTUS.

De tranſitu maris rubri.

Hactenus in terris undas patuiſſe canenti,
Terram inter fluctus aperit nunc carminis ordo.
Illic diluvium quos perderet ante petivit,
Nunc ad diluvium pleno ſuccenſa furore
Sponte ſua current perituræ millia gentis.
Si non ut dignum tanti præconia facti
Eloquium capient, divina in laude voluntas
Sufficit, & famulo monſtrari munere votum.
Quod ſi quis nequeat verbis perſolvere grates,
Non minimum virtutis habet vel credere geſtis,
Signa per electos quæ perrexere priores.
In quibus excellit longe præſtantius illud,
Quod pelago geſtum rubro celeberrima perfert
Scriptorum ſeries, in cujus pondere ſacro
Cauſarum mage pignus erat, pulchramque relatu
Pulchrior exſuperat præmiſſæ forma ſalutis,
Hiſtoriis quæ magna ſatis, majorque figuris,
Conceptam gravido peperit de tegmine vitam.
Suſtinuit duros externa in ſede labores,
Dum Peluſiacæ ſerviret ſubdita genti,
Plebs oppreſſa diu; denſi quam pondere cœni,
Et laterum numeris, operis menſura diurni
Afflictam ſævi vexabat fraude tyranni.
Inviſam ſibimet frendens qui creſcere turbam,
Augeri doluit famulos. nam juſſerat, ut lux
Vidiſſet quoſcumque mares, mox docta necaret
Omnis anus, natumque premat ſollertia ſexum.
Sed tamen averſæ fugerunt talia matres,
Atque interdictos detrectant perdere fœtus,
Perſiſtente Deo plebem diffundere ſanctam:
Quoque magis mens cæca trahit crudelia vota,
Hoc plus accreſcunt teneræ primordia gentis.
Viderat interea genitor de ſede ſuperna,
Afflictamque manum placido proſpexerat ore:
Jam ſacer innocuas dederat de fomite flammas,
Et rubus in rubeo viridis permanſerat æſtu:
Quo ſigno ſpinas noſtræ ferveſcere mentis,
Et lucere pio qui non conſumeret igne,
Devotus noſſet ſanctis in cordibus ardor.
Ilicet electi vates mandata ferebant,
Depromit regi cum primus talia Moſes:
Servitii longo laſſatam pondere plebem,
Oppreſſos cophinis humeros, attritaque colla,
Quaſque opus aſſiduum fecit dureſcere palmas,
Laxandi jam tempus adeſt: dimitte precantes
Tandem cæleſti domino perſolvere vota,
Et complere datos patrio moderamine ritus.
Ille fremens inquit, quæ tanti cauſa tumultus,
Quiſve novus populum Deus exigit omine miſſo?
Scilicet hæ vacuæ tangunt cæleſtia curæ,
Ut dominus dominis famulos nunc tollere priſcos
Vellet, & ad tumidos mittat mandata rebelles.
Quis Deus iſte foret, cui me parere neceſſe eſt?
Aut ſceptris celſo quid formidabile regi?
Sed veſtram nimium ſeducunt otia mentem:
Et niſi laxatos requies conceſſa foveret,
Nulla ſupervacuis terebantur tempora verbis.

Quæ

Quæ ſi caſtigans reſtringet ſarcina major,
Illicitus vetitum conari deſinet auſus.
At vos, ſignifero qui talia vota ducatu
Inſtruitis, vano & plebem ſubvertitis ore,
Conſpectus vitate meos, vultumque cavete.
Ditem namque Pharon, vel pollentiſſime curſus
Teſtor Nile tuos, & divæ vocis Anubem,
Cum rabidus latrat, jam non impune futurum,
Si noſtrum rurſus repetant hæc dicta tribunal.
Virgam forte manu geſtabat legifer heros,
Quo baculo nitens greſſum dum dextra regebat,
Excutit hunc valido projectum comminus ictu.
Tum mirum dictu, commotum ſerpere lignum,
Non inſenſibiles ceu promit palmite ramos
Vita movens tantum quos præſtat creſcere fructus:
Sed flexu reptans, mutari & corporis uſu
Senſum animamque gerens, cœpit decurrere virga,
Mox anguem formata refert. conterritus hæſit,
Æternumque niger tum palluit ore tyrannus.
Sed ne confuſum tali ſuccumbere ſigno
Cerneret aſſiſtens vultu nutante ſatelles,
Diſſimulat ſummo rem geſtam credere juſſu,
Nec divina volens, hominum ſed facta putari,
Tum mandat quoſcumque magos, vel carmina doctos,
Illicitam diris tentantes fraudibus artem
Ægypti, longinqua darent haſtilia, cogens
Murmure funereo faciat monſtrata miniſter.
Undique tunc juſſi concurrunt, & medicatas
Armant quique ſuas noto medicamine virgas.
Dant jactæ vanas ſpecies, angueſque putati
Illuſos terrent oculos fallente figura.
Nec longum tumuere magi: conſumitur omne
Quod feciſſe rati. fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax abſorbuit ore ceraſta.
Poſtquam virtutis clauſit ſpectacula Moſes,
Victoriſque tenens caudam tellure levavit,
Decedit ſerpens ligno, vultuſque recedit,
Diriguere vagi durato corpore flexus.
Quid multis? fit virga prior, qua deinde ſacerdos
Plurima ſucciduo monſtravit tempore ſigna.
Hinc dirum frendens Pharaonis conſcius ardor,
Divinæ incipiens per cuncta reſiſtere dextræ,
Et quæ cognoſcens, nolens tamen ipſe fateri,
Protinus expulſos juſſit diſcedere vates.
Illi divinas pulſant cum fletibus aures,
Ut fremitus gentis tandem frænetur iniquæ,
Quam gravius ſævam monitus fecere ſuperni,
Ipſis quin etiam cæleſtibus arma minantem.
Tum pater, accipiens gemitus lacrimaſque precantum,
Taliter hortatu blando ſolatur amaros.
Ne tantum vacuo ſubmittite corda timori
Plebs mea, quam toto mundi de corpore ſumptam
Elegi, & propria ſolam mihi ſorte dicavi.
Jam nunc cernetis quanto primordia veſtra
Proſequar auxilio, ſævos ac perſequar hoſtes.
Ducam ſublimem portenta per omnia dextram,
Nec volet in paucis Pharius rex cedere ſignis,
Longius ut duram vincant miracula mentem.
Poſt hæc laxatos quin & diſcedere coget,
Expelletque ſolo: quod nunc negat, ingeret ultro.
Ibitis ad magnas poſt fortia prælia ſedes,
Quo vocat expectans præfertilis ubere terra,
Et claras victis condetis gentibus urbes.
Vos modo promiſſis tantum confidite donis,
Et quos depoſcent ingentia facta labores,
Læta ferat virtus, ſeſeque ad proſpera ſervet.
Talibus auditis melior ſpes accipit illos:
Attollunt animos, palmaſque ad ſidera tendunt,
Concipiuntque fidem votis, grateſque rependunt.
Poſtera lux dubios primum præmiſerat ortus,
Et ſucceſſorem depulſa nocte ferebat
Inſiſtens aurora diem: tum flumina ſanguis
Imbuit, & ſubito maduerunt arva cruore.
Sed non hoc minimis portentum contigit undis,
Fluviorum rex ipſe rubet, nec lumine priſco
Nilus agit proprium quem ſumpſit fonte nitorem.
Quin magis, averſo ne tangat priſtina limo,
Sanguis in externum certans manare canalem,
Carnoſus non carnis erat, nec corpore fuſus,
Aut ſtrages quæ multa ſimul, quo vulnere poſſit
Lympharum damnum proprio ſupplere cruore.
Naribus obſtructis preſſi, victoque natatu,
Interiere ſimul peregrini in gurgite craſſo,
Auxeruntque ſuo ſaniem de funere piſces.
Et fortaſſe rear cladis mortiſque futuræ
Sanguinis indicio jam præceſſiſſe futuræ,
Hoc ipſum ni pœna foret. nam ſcilicet omne
Ægypti ſpatium, vel quo patet ampla Canopus,
Mox inter pingues ſitiens defecerat undas,
Si non omnipotens celerem ſuper arva medelam
Spargeret, & nitidos revocaret vallibus amnes.
Tum vero ut requiem peſtis ſubducta redaxit,
Efferitur rurſus dilata morte tyrannus,
Et vix evaſum contemnens mente flagellum,
Innocuam flagris perſiſtit ſubdere gentem.
At quid per cunctam ſtylus æſtuet ire ſuperbi
Perfidiam, cæſi numerans perjuria regni?
Sed tamen extorquent varium mendacia monſtrum,
Undaque vicino vixdum purgata cruore,
Ranarum fœdis texit cantatibus urbes.
Complentur cellæ, ſtrati, penetralia, menſæ,
Suſtinet innumeros regalis purpura ſaltus,
Atque premens homines frendet ſuccumbere ranis,
Quarum mox cumulis flamma tonitruque ſubactis,
Congeſtiſque, ſonans muſcarum nubis ad auras
Exiit, infectum corrumpens aera flatu.
Illic quas ſcinifes vocitant, quantoſque volatus
Pendula committunt levibus corpuſcula ventis,
Pennarumque vices peragunt ſtridentibus alis,
Fundunt ſe pariter, turbataque mœnia complent.
Et licet immerſis defigant vulnera roſtris,
Plus horror quam pœna movet, ſed tollit & iſtam
Ventus agens, ceſſat laxata moleſtia paulum.
Confeſtim ceſſante metu, nec longius ira
Sentitur quam plaga calet. ſed peſte remota
Succedunt aliæ gravius, conſumitur omne
Jumentum, cunctoſque greges nox abſtulit una.
Nec tantum damnoſa reos portenta fatigant:
Vertitur ad carnem quæ ſuſcitat ira dolores.
Inſidunt penitus turgentia vulnera membris,
Et ſacer incubuit percuſſis artubus ignis.
Creditur hic etiam caſu contingere languor:
Sed morbus mentis diſcrimina corporis urget.
Præterit ille dies: tum demum luce ſecuta
Concutitur cælum tonitru, nubeſque coactæ
Terribili ſplendore micant: ferit omnia fulgur,
Fulmina agens, totas uno ſub tempore mortes
Æthere turbato terris elementa minantur.
Ignibus inſeritur prægrandis corpore grando,
Non ut nube ſolet terris nimboſa venire:
Sed quocumque cadens ut deprimat, atque ruinam
Pondere vel ſolo faciat. conjungitur ergo

Gran-

Grandineum flammis ferventibus aere frigus,
Et natura neci ſervans adſignat utrumque.
Hic primus ſtragem ſparſis dat mortibus imber:
Exin reſtantem ſurgit conſumere fructum
Bruchus, & excuſſo confidens crure locuſta.
Hoc ſed docta malis, & jam diſcrimine crebro
Tamquam lene ſatis calloſa ſuperbia duxit.
Inſequitur velox gravius quæ vindicet ira.
Cæcas mane novo ſurgens ſol ſparſerat umbras,
Et lætus jubaris ſplendebat fronte ſereni,
Cum ſurgens mediam nubes ſe porrigit atra,
Naſcentemque diem depulſo lumine claudit.
In molem nox denſa coit, perit obrutus aer,
Palpanteſque manus denſas ſenſere tenebras,
Atque repercuſſus vexatur anhelitus æger:
Et ſi ſopitos flando quis ſuſcitet ignes,
Aut flammas excire velit, compreſſa necantur
Lumina, nec vibrant reſtricti pondere motus.
Quo quemcumque loco tenebroſus repperit horror,
Continuit, vidit nullum, nec viſus ab ullo eſt.
Squallentes pariter viventia millia credas
Infernas intraſſe domos, aut forte revulſa
Obice terrarum patriam ſordentis abyſſi
Migraſſe in ſuperos, ac mundum luce fugata
Sub leges miſiſſe ſuas. tres perdidit iſta
Nocte dies, digne pendens perjuria tellus
Iſthæc damna tulit. nam cetera fulgidus orbis
Continet, & ſolitos diſtinguunt tempora curſus.
 Moſes interea lacrimas, jejunia, vota
Continuat, precibuſque frequens ac pervigil inſtat,
Majoris natu fultus ſolamine fratris.
Inſtruit hos ſacris ſimul, informatque creator
Myſtica ſolennem quæ pandat victima ritum.
Cernitis ut multa deſudans clade reatum
Ægyptus contrita gemat ſatis undique tecta,
Sed tamen immota perſtans cervice rebellis?
Nec portanda diu præcedunt iſta ruinam.
Ægrotat quodcumque tumet, nec ſana ſuperbo
Cauſa ſubeſt, junctum monſtrat mens turgida letum.
Unus adhuc reſtat qui vindicet omnia luctus,
Poſtque novem decima percellat cæde merentes.
Vos modo perpetuos ſacrorum diſcite mores,
Cultibus & propriis manſura lege tenete.
Menſibus in cunctis, orbis quos circinat anni,
Iſte caput princepſque foret, quem nomine belli
Gentiles vocitant, vos tantum dicite primum:
Lunaque bis ſeptem cum fecerit addita noctes,
Veſpere tum ſero dabitis primordia ſactis.
Sumite manſuetum perfecti temporis agnum,
Qui careat macula, & purum det corpore vellus.
Hoc animal feſtis mactabitis. hujus utrumque
Signabit ſanguis nitido de corpore poſtem.
Hoc dabit indicium ſervandæ cura ſalutis,
Cum percuſſor aget tacitam ſine vulnere cædem,
Perſpiciet ſacro limen maduiſſe cruore,
Hoc tantum tranſire volens. diſtantia talis
Cuſtodit veſtras ſparſis a mortibus ædes.
Sic nos, Chriſte, tuum ſalvet ſuper omnia ſignum
Frontibus impoſitum: ſic ſanguis denique ſanctus,
Tunc præmonſtrati dudum qui funditur agni,
Oribus infuſus poſtes luſtraſſe tuorum
Inter labentis ferventia funera mundi
Credatur, caſuque tuos diſcernat ab omni.
Dum non ſignatos percurrit funere mucro,
Tu cognoſce tuam ſalvanda in plebe figuram.
Ut quocumque loco ſanctus mactabitur agnus,
Atque cibo ſanctum porrexerit hoſtia corpus
Rite ſacrum, celebret vitæ promiſſa ſequentis.
Fermento nequam duplici de corde revulſo,
Sincerum nitidæ conſpergant azyma mentes.
 Finierat rector leges & fœdera feſti
Paſchalis mandare viris, quod protinus omnes
Arripuere ſimul. peragunt convivia læti,
Sollemniſque novo cultu diſponitur eſus,
Tranſeat ad ſeros quæ condita forma nepotes.
Nox erat, & mediam carpebant cuncta quietem,
Umbraque libratas jamjam diviſerat horas:
Ecce venit tacito per dira ſilentia motu
Angelus, exerto miſſus qui ſæviat enſe:
Nec confuſa datur ſubiti ſententia leti,
Omne malum ſed ſorte cadit, longeque videtur,
Quem petat in tenebris præfixi funeris ordo:
Majores natu pereunt, ſolique leguntur
Ad mortem primos luci quos edidit ortus.
Cum dominis famuli pereunt, natique potentum
Permixta cum plebe cadunt. ſic vilis, ut ille
Quem celſi tenuit morientem purpura fulcri.
Hæc nuda tellure jacent, hæc ſerica velant,
Diſparibus ſtratis ſternuntur corpora leto.
Non quemquam mors æqua timet, non excipit ullos
In vivis tantum qui diſcernuntur honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate movetur,
Ditibus ut parcat, nullo corrumpitur auro.
Ægrotum ſanus, longevum junior ante
Migrat. huic ſoli debet confidere nemo.
Hoc tantum tamen eſt ſibimet quo mortua diſtent,
Vivant ut meritis qui complent tempora ſorte.
Hæc numquam penitus morti licet auferat, & ſi
Jure poteſtatis lutea compage creatum,
Semine mortali genitum, terræque reductum,
Juſtorum in factis leto nil creditur ulli.
 Ergo ut percuſſas ſoboles confuſa repente
Aula videt, currunt flentes ad funera matres,
Pectora contundunt pugnis, crineſque revellunt
Unguibus, & nigras feſtinant ſcindere malas.
Nec dominos planxere diu, mox occupat omnes
Luctus quemque ſuus, ſonat unus in æthere clamor
Non uno ex fletu. confundit voce tumultum
Nulla vacans a morte domus. tum lumine multo
Omni curatur populorum funus in urbe.
Judicium juſtum cogit mœrere merentes.
Et dum quis proprio ſervat lamenta dolori,
Exequias tardant luctus, inhumataque turba
Dilata jacuit tantiſper ſorte ſepulcri:
Et niſi jam tandem vacuos & honore carentes
Vel nuda tellure locet, vel concremet igni,
Vix collecta manus quæ tantos clauderet urna.
 Tum regem circum commoto murmure ſiſtit
Mœſta cohors, humiles depromens voce querelas.
Heu nimium noſtris adverſa potentia rebus
Hebræi populi, toties cui vindice dextra
Militat omne malum, totus cui denique mundus
Pugnat, & irato ſuccedunt proſpera cælo!
Vis quædam ſecreta Dei, majorque poteſtas
Hæc in ſceptra furit, gentemque ulciſcitur ipſam
Urbis jactura: ſolos pereuntia ſalvant
Victores elementa ſuos, redimuntque cadendo.
En jacet Ægyptus, nec jam reparabilis ultra.
Atque utinam pœnas vivis, damnumque per arva
Ferret adhuc divina manus, nec funere tanto
Deceptam ſubita vacuaſſet cæde Canopum:
Tandem parce ſolo, cauſaſque expelle ruinæ,

Dum

Dum levior ſtrages, dum quiſquam luce tenetur,
Dum ſupereſt qui terga premat, qui limite trudat,
Et ne quem, ſi forte velint ex corde morari,
Non ſinat ejecto depellens hoſpite cladem,
Permoveat noſter natorum funere luctus,
Permoveat te forte tuus: vel pauca ſuperſtent
Pignora, quæ tantos tergant ſervata dolores,
Et detruncatæ reparent diſpendia gentis.
His dictis lacrimas populus dedit. ipſe ſuperbus
Frangitur ad fletum princeps, victumque fatetur.
Hæc perturbata ſed dum tractantur in aula,
Hebræi vatum ſtudio, monitiſque ſupernis,
Optima quæque ſacris fingunt, epuliſque requirunt,
Vaſaque ſolennes quæ poſcunt plurima cultus.
Ornamenta etiam, veſteſque, monilia, gemmas,
Ut reddenda petunt, nec tardus commodat hoſpes,
Ditat & ignorans trepidam manus æmula plebem.
Quæ jam digna tuis pandantur laudibus ora,
Summe pater, qui tam ſævo ſic uteris hoſte?
Annuit adverſus, largitur munera nolens,
Quæ ſecum dimiſſa ferant: nec ſolvere tantum
Sufficit oppreſſos, opibus ditantur euntes,
Theſauroſque novos libertas reddita ſumit.
Inter ferventes inimica in ſede furores
Prædatur dominum fugiens, fallitque videntem,
Præſentem vacuat, ne tam diſcedere pulſos
Quam lætos migraſſe putes. portantur avari
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede ſoluta
Servitii longum credas taxaſſe laborem.
Nonnunquam rectis & quæ contraria proſunt,
Et quæ læva malus volvit, mutata recurrunt,
In dextram vertente Deo, ſoloſque nocentes
Vis odii perimens meditata in vulnera ducit,
Et partos fratri laqueos incurrere cogit.
Egreſſi interea trepido de rege miniſtri
Compellunt celerare fugam, coguntque volentes.
Præcipitant alacres, & feſtinantibus inſtant,
Pellendaſque putant pulſa cum gente ruinas.
Jam prope centenum compleverat advena luſtrum
In regnis, Ægypte, tuis, ex tempore quondam
Quo priſcus Patriarcha Jacob perduxerat illuc
Bis ſena cum prole domum, caroſque nepotes,
Quo per fœcundum creverunt millia patrem.
Procedit tandem populus, moxque agmine juncto
Diram linquit humum tenebris ac luctibus orbam.
Nam vicina dies nondum produxerat ortus,
Hæc nox feſta Deo redeuntibus annua ſacris,
Hæc gentis ſolennis erit, quæ ſolvitur hoſte.
Primo conſpicuus fulgebat in ordine ductor
Legifer, adjuncto præcedens agmina fratre.
Poſt quos belligeræ diſponunt arma cohortes,
Ducunt & validas inſtructo robore turmas.
Arma ferunt humeris, enſes per ſingula lævo
Dependent lateri, preſſo tum vertice caſſis
Fulget, & albenti certat lux ferrea lunæ.
Nituntur jaculis alii, clypeoſque ſiniſtris
Volvunt, & rapido meditantur bella rotatu.
Gaudet pars etiam pharetris, volucreſque ſagittas
Hoſtis in occurſum mittendis mortibus aptat.
Aut ſi forte virum fugientia terga ſequatur,
Ut pennata leves tranſmittant ſpicula ventos.
Incedit pavidum poſtrema per agmina vulgus,
Non impar numero, cælum cum pingitur aſtris.
Æſtuat aut motus pelagi criſpantibus undis,
Littore vel quantas convertit fluctus arenas,
Vel quantis ſtillant humentia nubila guttis.
Mirantur Pharii ſatrapæ, nec credere tantum
Se potuiſſe vident: placet ejeciſſe tot hoſtes.
Sed non hac acie duri ſalvabere ferri.
Quamlibet innumeris peditum ſtipere catervis,
Unus pugnabit cunctis pro millibus auctor.
At populus lento moderatus tramite greſſum
Arreptum carpebat iter, præcedere tantum
Aggreſſis ducibus, quantum vel tarda ſenectus,
Vel rudibus reptans infantia ſuſtinet annis,
Ne præmaturis fragilem contriſtet eundo
Ætatem ſexumque labor. ſic cuncta ſupernus
Diſpenſat nutus, plebique aſſiſtit ovanti.
Ergo ubi ſignatis ſederunt millia caſtris,
Armatuſque pedes vulgus vallavit inerme,
Veſpere tum primo ſtanti adſimulata columnæ
Inſiſtens puro reſplenduit æthere flamma:
Non tamen ut noto dirum micat ignis in axe,
Prodita cum terris cæli portenta minantur,
Seu morbis triſtem, belliſque aut cladibus annum:
Sed radiis fulgens, & lumine candida læto,
Oſtendit nitidum caſtris mirantibus ignem.
Diffugiunt tenebræ, vicinaque ſidera cedunt.
Obſtupuere viri primum, perterruit omnes,
Incuſſitque metum novitas, tum luminis uſus
Paulatim cæleſte jubar commendat amori.
Maxima nocturnas jam pars exegerat horas,
Et volvenda dies inſtabat ſorte propinqua:
Cunctorum ante oculos per cælum viſa moveri,
Arripuitque viam populo ſpectante columna.
Protinus hanc patres ſancti ſenſere ſequendam,
Eſſe ducemque ducum: læti mox præſule tanta
Abrupere moras, caſtris excedere certant.
Tunc ut quæque tribus primum ſortita laborem
Ordine carpit iter, ſequitur tum cetera pubes.
Hæc inter clarum rediens lux pandit olympum,
Flammea palleſcit conſpecto Sole columna.
Vertitur in nubem totus qui fulſerat ignis,
Sed ſpecies perſtat tenſæ ſuper æthera formæ.
Tertia nocturnos deterſerat hora liquores,
Et matutinas ſcandens ſol vicerat umbras:
Ecce novum dictu, cælo ſervata ſereno
Frigida ferventi juſſa eſt opponere nubes
Se radio, denſumque parat tenuiſſima tegmen.
Sic circumjectis, tellus queis ardet Eoa,
Æſtibus ignorat genuinum turba calorem,
Veſperis ut credas leni reſpergere flatu,
Blanda vel humentes diffundere frigora ventos.
Nec tamen hanc nubem tetro ſuffuſa colore
Forma dabat, nec concreto. ſic horrida vultu,
Ut terrent validos cum promunt nubila nimbos:
Sed qualis madidus ſolem cum viderit arcus,
Tanta fuit pulchræ ſpecies extenta columnæ.
Noctibus ignis erat, lumenque accenſa ferebat,
Dum ſol torreret, gelidi dabat humida roris.
Has alternantem ducens cum tempore ſortem
Mutavit natura vices, ſubſtantia diſcors
Muneribus propriis concordem reddidit uſum.
Si manſit, manſere viri: ſi mota, ſecuti.
Si multis etiam viſa eſt pendere diebus,
Subdita defixo tardabant agmina vallo.
Iſta quaterdenis pietas percrebuit annis,
Dum vaſtos eremi curris, Judæa, receſſus,
Vincla pedum firmante via, dum tempore tanto
Non attrita ſuum ſervarent tegmina pondus,
Mollitieque nova priſci durantur amictus.
Sic longæva foret, quod non damnoſa vetuſtas.

Dum

Dum ſacrum populo victum candentia manna
Ferrent, & cæli frugem terrena viderent.
Per quam ſublimis prædiceret ante figura
Edendum ex utero purum ſine ſemine corpus,
Quo caperet paſcenda ſalus de ſede ſuperna
Illabente Deo ſanctis altaribus eſcas.
Hoc ſigno ſummus percuſſa rupe ſacerdos
Protulit irriguos populis ſitientibus hauſtus.
Chriſtum namque vides ſtabilem conſiſtere petram,
Percuſſus jaculo largas qui præbuit undas,
Porrexitque ſuis ſacro de vulnere potum.
Hebræi interea læti ducente columna
Per terras greſſu, per cælum viſibus ibant.
Ecce iterum Phariis inſedit mentibus ira,
Et populus ſine more ferox his vocibus armat
Tandem poſtremos vicina morte furores.
O nimium ſtultis illudens mentibus error,
Præſtigiæque ſatis nebuloſa in fraude peractæ!
Nonne pudet famulam nullo certamine gentem
Sic impune rapi, quod nemine præſule tantus
Deſeruit vacuas diſcedens accola terras?
Rura vacant, cœptis deſiſtunt oppida muris.
Non ſolitum conſurgit opus, non cultor in agris
Exercet validos attrito dente ligones.
Turbidus exactor ſiluit, nulloque tumultu
Fervida conſuetos repetunt ſuſpendia cenſus.
Quin potius ſumptis exercitus irruat armis,
Imbellemque manum, profugoſque reducat alumnos.
Quos ſi ſervilis tantum ſuccenderit auſus,
Ut telis certare velint, mox occidat omnis
Confuſa cum plebe manus: ferventibus armis
Permixtæ pereant confoſſo pectore matres,
Uberibus junctos configant ſpicula natos.
Prolem quiſque ſuam cernens ante ora cadentem,
Oblatis optet jugulis ſuccurrere mortem.
Orbatum noſtros faciat libare dolores
Ultima ſors populum: ſic vivens omnia perdat,
Tum pereat. denſa campi ſub ſtrage jacentes
Triſti committant inhumata cadavera cælo.
Inde ubi jam totos ſatiaverit enſe furores,
Theſauros revocet fugientes dextera victrix.
Talibus excitas acuebant flatibus iras,
Irridente Deo, ſolus qui deſpicit omnem
Conatum rigido meditantem vana timore,
Conſiliumque ducum caſſato diſſipat actu.
Ergo bella rogant, fervens rapit arma juventus,
Spumantes ducuntur equi, phaleriſque potentes
Suſpendunt alacres ſplendentia fræna jugales.
Pugnax pompa nitet, ſubjectos curribus axes
Aurato temone trahunt: tum cetera pubes
Induitur chalybe, aut fulvo circumdatur ære.
Hi loricarum vaſto ſub tegmine gaudent,
Intexit creber ſibimet quas circulus hærens,
Atque catenoſi crepitant per corpora panni.
Aſt aliis tenui concurrens lamina ferro,
Qua ſe ſucciduas junctim ſcandente per oras
Flectitur, aſſuti crates compacta metalli
Horrentes habitus diverſa fecerat arte.
Et tamen ardentum cuncta inter tela virorum
Terribilis plus forma fuit: quis namque furentes
Spectet, quos lætos vix poſſit cernere vultus?
Incluſæ galeis facies, & ferrea veſtis
Cinxerat iratas armorum luce tenebras.
Progreditur collecta manus: rex ipſe frementes
Curru cogit equos, telis tamen undique ſeptus
Delituit, denſam reddunt hoſtilia ſylvam.
Concutitur pulſata rotis & pondere tellus,
Anguſtavit humum latam ſtipata juventus,
Concluſitque vias quidquid virtutis habere
Ægyptus potuit, totum mors proxima ducit.
Junxerat interea, ponto qua Magdalus inſtat,
Hebræus populus rubranti caſtra profundo,
Evaſos credens ſecuris mentibus hoſtes.
Dum reſident, fixoque parant requieſcere vallo,
Cernunt pulvereas in cælum ſurgere nubes.
Cunctatis primum mox agmina læva pateſcunt,
Non tamen infenſas patitur committere partes
Sole ſub occiduo vicinus prælia veſper.
Diſtulit in lucem vallatus bella tyrannus,
Et ſors ardentes nondum compeſceret iras,
Nec ſervare furor potuiſſet fœdera nocti,
Auroramque velit motis præcedere ſignis,
Flammea ni retro ſubſiſtens forte columna
Objectu medio gentes diſcerneret ambas.
Contemplans rex ipſe tamen mirabile lumen,
Sic ignem metuit, quod ſenſu fervidus ardet.
Paulatimque mori non profuit. itur ad unam,
Quæ claudat cunctos pelago pandente ruinam.
Plebs trepidat concluſa loco, finemque ſequenti
Expectat pavefacta die, non tela, nec ullas
Bellorum molita vices, ſed voce levata
Vatibus inſiſtens: o terque quaterque beati,
Ægyptus quos morte tulit, tellure vel ampla
Urnam defunctis ſuprema ſorte paravit!
Digni qui tantos nequeant ſentire dolores,
Nec ſtragem prolis, vel pignora capta videre.
Alitibus nos eſca dati, nec ſede ſepulcri
Condita deſerto ſolventur corpora vaſto.
Talia voce viri. reſpondit luctibus omne
Vulgus, & accenſo perſultat turba tumultu.
Tum ſancti cœpere duces promiſſa referre,
Solarique metum, fletuſque abſtergere dictis.
Quæſumus ingratos deponite mente timores,
Experti multum nec deſperanda putetis
Quæ tantis ſpondent cæleſtia munera ſignis.
Infidiſne poteſt elabi cordibus umquam
Ægyptus tot cæſa malis, interque flagella
Succumbens quæ ſenſit humus, vos, cunctaque veſtra
Afflicto regno ſalvos vixiſſe ſub hoſte?
Quid de tranſactis dicatur? nempe videtis
Ut mediatricis curet tutela columnæ,
Ne quid ab adverſa liceat nos fraude vereri.
Quin magis erectas firma ſpe tollite mentes.
Ultima namque dies defixa eſt craſtina genti,
Quæ nunc bella crepans ſumptis confidit in armis.
Non hic pugna foret, nec telis tela fereris
Obvia, nec veſtro vobis ſudore triumphus
Hac vice proveniet, cæli pugnabitur ira,
Qua vobis placido peragentur prælia nutu.
Talibus intenti vates dejecta levabant
Corda virum, ſancta ſedantes voce timorem.
At pontum validus ferventi flamine ventus
Urebat, tota contumens nocte profundum,
Contra naturam genitor dum fulminat undas,
Ardet & afflatus percuſſo in gurgite fluctus.
Jam matutinum pervenerat horrida tempus
Vix acies, primoſque nitens aurora rubores
Spargebat mundo, tetris dum protinus omnes
Erumpunt caſtris, fremit undique mota juventus.
At pavidæ plebis poſtquam pervenit ad aures,
Clangentiſque tubæ percuſſit pectora terror,
Arripiunt carpuntque viam, qua proxima ponti
Litto-

Littora ſollicitant rubro inſignita liquore.
Ut ſummas pelagi populus pervenit ad oras,
Ceſſit confeſtim ducti reverentia fluctus,
Expanditque viam, cui terram clauſerat hoſtis.
Machina, pendentis ſtruxit quam ſcena liquoris,
Frænatas celſo ſuſpenderat aere lymphas.
Aggreditur medium fugiens vincenſque ſequentes
Gens electa Dei, figens veſtigia terris
In regione maris. calcantur ſaxa profundi,
Conterit & nudum percurrens orbita limum.
Torridus aſpectum ſciſſis ſol inſerit undis,
Ignotamque novo contingit lumine terram:
Longior & radius ſpatium deſcendere tantum
Certavit, feſſumque jubar vix intulit imis.
Credidit excluſos primum, fluctuſque repulſos,
Inque fugam verſos Pharius dare terga tyrannus.
Præcipitare moras tali jubet agmina verbo:
Ecce iterum fugitiva cohors pendentia bella
Deſerit, auxilioque pedum confiſa recedit:
Vos armis premite, & clauſis inſiſtite tantum,
Cetera pontus ages. vix hæc prædixerat, illi
Proſiliunt, curſuque ruunt attingere littus.
Ut venere, vident arentis vaſta profundi
Inſolitam præbere viam, panſoque receſſu
Ceu trepidas fugiſſe piis calcantibus undas.
Hos quoque per ſiccum tutos deſcendere callem
Securos pelagi atque ſui, non arma, nec ipſum
Formidare ſatis parientem vincula pontum.
Subſtitit ad modicum reſtrictis motibus agmen,
Frænaque ſuſpenſos tenuerunt ducta jugales.
Atque aliquis, cui vel tenuem mutata calorem
Tunc ſcintilla dabat cordi, ſic forte locutus:
Quis Deus a priſco detorquet cardine mundum
Lege nova, mutatque vices, & condita turbat?
Nam ſi ſervatur rebus natura creatis,
Monſtriferæ quæ cauſa viæ? quid denique reſtat,
Si mare tranſitur greſſu, niſi navibus arva
Sulcentur, cælumque ſuo decurrat ab axe,
In ſuperos inferna levent, plaga fervida cæli
Algeat, afflatam ſuccendat ſcorpius urſam?
Hæc niſi confuſus rerum ſubverterit ordo,
Non duce me quiſquam ſævum deſcenderit æquor.
Sit ſuſpecta mihi quæ ſemita dirigit hoſtem.
Nam ſi bella velit librans æqualia numen,
Obice ſervata fugitivum clauſerat agmen.
Nunc abeant, tantumque vagos ſua monſtra ſequantur.
Nec ſatis amplector, ſiccum circumvenit alte
Quod pelagus nudo celans diſcrimina fundo.
Excipit hæc ardens cum ſeditione tumultus,
Inſtantiſque latens urget ſententia leti.
Vicerat æquoream pedibus plebs inclyta vallem,
Gurgitis & vacui convexa volumina linquens,
Poſt baratrum ſuperas ſcandebat littore terras.
Effertur nigri dux agminis, & Pharaonem
Ira ſubit, proprio vocitatum nomine Cenchrem.
Arripiunt pariter reſerati concava ponti,
Invaduntque viam. quid non furor audeat amens?
Hinc equitum pars agmen agit, pars inde citatis
Ire jubet ſtimulis rapidis ſuper arva quadrigas.
Ut medium venit frendens equitatus in æquor,
Accuſatque moras tam lati gurgitis ardens
Ira virum, tremit attato pars altera mundo:
Tum per ſublimem ſplendenti nube columnam
De cælo vox miſſa tonat, verbique ſuperni
Interpres, ſanctum compellans nomine Moſem,
Venit, ait, tempus, mea quo mandata probentur:
Ægypto jam finis erit, jam clade ſuprema
Tot caſtigatam vicibus ſententia mentem
Puniet expugnans, enſis ſuccede flagellis.
Tu modo diviſum virga jam percute fluctum,
Atque reducta ſuos aſſumant æquora vultus.
Ille genu fixo ſiccati marginis oras,
Et littus, cui fluctus abeſt, mox juſſus adeſſe,
Percutit, inſigni credens myſteria ligno.
Hinc ſubitus crepitare fragor, tonat undique circum
Lympha ruens, primumque illic committitur unda,
Qua monſtrabat iter Phario ſors ultima regi.
Poſtquam clauſa via eſt, fluctuſque repellit euntem,
Pœnitet intrati jam gurgitis, & fuga ſerum
Molitur reditum: trepidæ dant terga cohortes,
Armaque projiciunt. pontus fugientibus inſtat.
Occurritque ſequens: perit undique circumjectus
Decurrentis aquæ laxatis murus habenis.
Ille ferus ſemper, jam mitis morte ſub ipſa,
Non hæc humanis cedit victoria bellis,
Expugnamur, ait, cæloque evertimur hoſte.
Effuge quiſque potes, victuſque evade ſatelles,
Nec jam tela Deo conatibus ingere caſſis.
O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Ante obitum mutare velit! quid denique prodeſt
Tunc finem poſuiſſe malis, cum terminus urget?
Præſentis vitæ ſpatium cum ceditur ævo?
Confitearis, ait, ſanus, Scriptura, valenſque.
Si tunc peccatum quiſquam dimittere vovit
Cum peccare nequit, luxu dimittitur ipſe.
Ergo exaltatis pendens ſuſtollitur undis
Mox mergenda phalanx: lympharum monte levata,
Pondere telorum premitur, fundoque tenaci
Indutum revehunt morientia corpora ferrum.
Pars ex armatis, cum primum libera membris
Implicuit nantes miſeris complexibus artus,
Auxilio decepta perit, pariterque tenentes
Æterno ſub faſce ruunt, nexique necantur.
Aſt alii, laſſata diu dum brachia jactant,
Incurrunt enſes, jaculiſque natantibus hærent,
Concolor & rubro miſcetur ſanguine pontus.
Quin & conſpicuus princeps Memphitidis aulæ,
Candentes ducens nigro rectore jugales,
Inſpector cladis propriæ, gentiſque ſuperſtes
Ultimus ingreſſis per currum naufragat undis.
Bella vacant pugnante ſalo, vincitque quietus
Iſrael ſolo peragens certamina viſo.
Tum vallis completa perit, fluctuque reverſo
Ducitur extentum planati gurgitis æquor.
Littore jactantur cum tetra cadavera toto,
Expoſuitque ſuum pelagus ſuper arva triumphum.
Inclytus egregium ſolenni carmine ductor
Deſcribit factum, toto quod pſallitur orbe,
Cum purgata ſacris deletur culpa fluentis,
Emittitque novam parientis lympha lavacri
Prolem, poſt veteres quos edidit Eva reatus.
De qua ſermonem præmiſſo carmine ſumpſit,
Luctificos replicat tenuis dum pagina lapſus.
Si quid triſte fuit, dictum eſt quod paupere verſu,
Terſerit hoc ſacri memorabilis unda triumphi,
Gaudia quo reſonant, crimen quo tollitur omne
Per lavacrum, vivitque novus pereunte veterno:
Quo bona conſurgunt, quo noxia facta necantur,
Iſrael verus ſacris quo tingitur undis.
Conſona quo reſonat perſultans turba tropæum,
Quo percurrentis complentur dona figuræ,
Quæ pius explicuit per quinque volumina vates.

Noſque tubam ſtipula ſequimur, numerumque tenentes
Ponimus hoc tenui cymbæ nunc littore portum.

LIBER VI.

De Conſolatoria laude Caſtitatis, ad Fuſcinam ſororem virginem Deo ſacratam.

SUſcipe complectens Chriſto digniſſima virgo,
Alcimus iſta tibi quæ mittit munera frater,
Inque levi calamo cauſarum reſpice pondus,
Et tenuis fortem commendet cantus amorem.
Nam quoties ſanctum compleveris ordine curſum,
Alternos recinens dulci modulamine pſalmos,
Quos vivens in corde chelys, virtute canora,
Interiore ſono caſtis concentibus aptat:
Tum licet excuſſo libeat tibi ludere verſu,
Atque fatigatam meditando abſolvere mentem.
Non hic fallaci tingetur barbytos unda,
Pegaſus unde leves prævertens motibus auras
Fingitur aſſumpto pendens hinniſſe volatu,
Dum ferretur equi gravis ungula præpete penna.
Sed nec Pierio ducent hic cantica ludo,
Quas ſibi ter ternas mentitur fama ſorores.
Dat tibi germanum ſed verax muſica plectrum,
Et Chriſtum reſonans claudetur fiſtula Phœbo.
Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fœcunda ſupremo:
Confeſtim parcam promittit ducere vitam,
Ac deinceps paribus caſtum ſervare cubile
Conſtituit votis carorum cura parentum.
Et quia principium tam ſancti fœderis eſſes,
Tu ſimul offereris Chriſto, qui protinus ipſis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.
Sic quondam, cum prima novo ſplendeſceret ortu
Terra nitens, pulchraſque darent ſua ſemina fruges,
Viventem ducens ad ſancta altaria fœtum,
Innocuis ſonuiſſe Deo balatibus agnum,
Inſinuante fide juſtus cognoverat Abel,
Et capite oblato placuit grex totus ab uno.
Ergo ubi vitalis fovit te lympha lavacri,
Jamque ſuum peperit cæleſtis gratia pignus:
Non tibi gemmato poſuere monilia collo,
Nec te contexit, noto quæ fulgurat auro,
Veſtis ductilibus concludens fila talentis.
Nec te Sidonium bis cocti muricis oſtrum
Induit, aut rutilo perlucens purpura fuco,
Mollia vel tactu quæ mittunt vellera Seres.
Nec tibi transfoſſis fixerunt auribus aurum,
Quo dependentes ornarent vulnera baccæ,
Et pretioſa quidem malas ſed ſaxa gravarent.
Latius hæc vero ſanctus deſcribit Eſaia,
Ornatuſque refert varios, qui membra venuſtant,
Quæ mox paſcendis præbebunt vermibus eſcam.
Et forſan dum vita manet, percurrere verbis
Morborum tot ſæva poteſt diſcrimina nemo,
Ante obitum cuncti quæ formidare docemur.
Singula vel totis obnoxia mortibus eſſe,
Omnia dum proprio ſolvantur corpora fine,
Atque unus præſtet reliquos deſiſtere caſus.
Et quid quiſque cupit periturum comere vultum,
Interior dum ſordet homo, ac ſe crimine turbat.
Sed tibi cum geminum tetigerunt tempora luſtrum,
Mox ſtola ſincero velat te candida cultu,
Virginis os habitumque decens, & concipit omnem
Floribus in primis jam mens matura pudorem.
Haud ſecus exultans ſterilis, poſt damna juventæ
Fœcundata novum cum ferret femina fœtum,
Veſtem læta ſuo parvam texebat alumno,
Diſceret ut Samuel jam tum puer eſſe ſacerdos.
Sic te læta domus ſanctis altaribus aptans,
Aſſueto docuit dignam concreſcere templo,
Scribens in thalamos ac magni fœdera regis.
Et cupit electam ſpeciem ſibi jungere Chriſtus,
Ornatu vario ditat quam gratia pollens.
Hæc ubi reſpirans prævenit gaudia mater,
Ac tibi collatum parvo conſpexit in ævo
Grande bonum, teneris dum virtus creditur annis,
Teque reparturiens melius quam corporis alvo,
Spemque metumque inter, quamquam jam libera voto,
Fert tamen attonitas ſic læta quod anxia curas,
Inſinuans cauſam lacrimis, tum talia mandat.
Ortu quarta quidem, ſacro ſed munere prima,
Dulcis nata mihi, cæloque quam carne fideque
Bis genui, Chriſtoque rudem de ventre dicavi,
Hactenus hoc noſtrum fuerat, ſed tempore ducto
Jam decet eſſe tuum: nam quod ſervabere virgo,
A me principium, tibi pervenit. omnia poſſe
Incipies, cum velle ſubeſt. veſtigia ſervent,
Per quæ ſectato conſcendas tramite cælum:
Nec deſunt exempla domi. nam reſpice quantas
Virginibus florens jam noſtrum ſtemma coronas
Miſerit in cælum, ſancto quas dogmate mater
Severiana levans, & te conjungier optat.
Nec multo ſenior nunc gaudens Aſpida, quondam
Sacratum velata caput, tua munia ſumpſit,
Biſſenos jungens ſanctis altaribus annos.
Quam licet hinc celeri tulerit ſors ultima leto,
Nil tamen eſt ſubitum ſemper migrare paratis.
Aſpice nunc columen, gemina quod virgine fulget,
Eximiumque decus, cujus tu jure propinqua
Fuſcinam Fuſcina refers: nec ſegnius illam,
Quæ pietate potens, Graia ſi voce ſonetur,
Significat propriam ſumpto de nomine mentem.
Queis licet emeritum cedant ſua ſecula culmen,
Vitaque ſublimi cunctis præpolleat arce,
Has generoſa tamen matres ſi corde ſequaris,
Gaudebunt vinci, dum proficis, ac tibi ſummam
Sponte dabunt palmam ſuperanti vota magiſtræ.
Hæc dicens teneros ſancto exhortamine ſenſus
Impulit, accendens ad virginitatis amorem.
Sic mater fœcunda utero, fœcundior actu,
Machabæa potens, & prolis funere felix,
Orbari gaudens, animo vincente ſenectam,
Edocet hortando ſobolem non cedere mundo,
Inflammatque pios ad fortia facta furores.
Quid tua nunc repetam, tenero quæ fortior ævo,
Ante annos animumque gerens, reſponſa dediſti?
Non hæc parva tuam ſuſcepit pagina laudem.
Exitus impleto veniet cum tempore victor,
Laus melius canitur, cum jam clamante triumpho,
Conſummata tuis reddentur præmia factis.
Nunc decet attonitos cauta te voce monere,
Sollicitas tecum partiri ac volvere curas,
Atque juvare tuos hortantia dicta labores,
Dum pugnat varius per crebra pericula caſus,
Lubrica dum fragili currit ſub tramite vita,
Dum tua calcatus captat veſtigia ſerpens,
Aſcendens dextro quem conterat aggere planta.
Nil non intentum præſentia ſecula ducunt,

Nec

Nec ſecura datur requies in carne caduca.
Vertuntur nam ſæpe boni, perit obruta virtus.
Partaque tranſactæ decedunt præmia laudis:
Ac plerumque ſolet, ſubito ſuccenſa calore,
Frigida quæ nuper fuerat, mens linquere mundum,
Atque repentino reſtringere crimina fræno.
Sic alternantem commutant fata rotatum,
Impius ut ſperet veniam, juſtuſque timendo
Proficiens, cumulum magnis virtutibus addat.
Nam ſtudium ſancti laxet ſi forte laboris,
Pigraque conſuetas diſſulvant otia curas,
Labitur in præceps damnoſæ gloria vitæ.
Stare nequit meritum, ſi non acquirit eundo,
Amittit rediens: nitendum eſt viribus amplis,
Ut ſatis anguſtum obſervent veſtigia callem.
Nam qui diffuſam ſpatio laxante plateam
Mundanis ludens facili nunc aggere currit,
Strictior hunc carcer crudeli ſorte ligabit.
Tu modo da veniam, qui te exhortatur, amori,
Currentemque monet, cum vix tamen ipſe ſequatur,
Suadet veloci tardus compendia greſſus.
Namque ad doctrinam, canimus quam paupere verſu,
Tu melius jam docta venis, quæ junior ortu,
Religione prior, vivendi jura dicaſti,
Annorumque ſequens, meritorum ſorte ſuperſtas.
Quod ſi conſequimur, jam noſtrum forte putetur:
Quod ſequimur, tamen hocce tuum eſt: converſio fratrum
Exemplo debenda pio, te reſpicit auctor,
Primitiaſque in te ſacris de fructibus offert:
Indicit ſed ſancta fides, ut corde propinquo
Participata levet fraternum ſarcina pondus.
Tu germana, pium quæ ducis ab ubere faſcem,
Non carnis, ſed legis habes cervice fideli
Subdita ferre jugum, nec vincla in conjugis ire:
Mundanas odiſſe vias, percurrere mundas:
Illinc nolle toros; hinc ſponſum quærere Chriſtum,
Sic tædas tempſiſſe, pio quod amore calere,
Pigra voluptati ferveſcere corda labori,
Ignorare virum, fœtus tamen edere tales,
Quos triſtis numquam poſſit tibi tollere caſus.
Non orbata gemes fœcundæ pignora vitæ,
Nec viduam ſponſo metues ſupereſſe perenni,
Expers ipſa mali: nec te ſententia tanget,
Qua prolis mortiſque parens compellitur Eva,
Occiſam pariens ſobolem vivente reatu.
Quæ ſubjecta viro, dominum paſſura cubilis,
Servit in obſcœno tolerans connubia lecto.
Sic captiva tori, cum portet nomen inane,
Conjugis & vana dicatur imagine conſors,
Sola jugo premitur non æquam ducere ſortem.
Et cum longa decem tulerint faſtidia menſes,
Perfectoque gravis fœtu diſtenditur alvus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros utero turgente dolores.
Nam cum luctato ſolvuntur viſcera partu,
Una luit, tanto carnis diſcrimine pendens
Quod coiere duo. ſpes palpat forte dolentem,
Editus in lucem ſi vivat filius: atqui
Contingit plerumque gemens ut mortua fundat.
Sæpe etiam ſoboli nec mortis tempore natæ
Dant geminum matris commortua membra ſepulcrum.
Illud jam levius quoties intervenit, ipſa
Ut pereat tum ſola parens, ac pondere fuſo
Emittat cum prole animam? quid forte levatum
Nutritumque diu rapitur ſi funere pignus,
Unica quod crebro ſpes reſpicit, & perit omne
Quod ſibi conceptis ſpondebant gaudia votis?
Omnibus his illud gravius, ſi forte carentem
Cæleſti lavacro teneram mors invida natum
Præripiat dura generatum ſorte gehennæ.
Quique, genitricis ceſſat cum filius eſſe,
Perditionis erit. triſtes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantum genuerunt, membra parentes.
Quis memorare queat tanti diſcrimina caſus,
In quæ pertrahitur dilectæ gloria carnis?
At late longeque tuam diſcernere ſortem
Libertas cum lege poteſt, qua necteris, ut te
Impia fallentis non ſtringant vincula mundi.
Tu Mariam ſequeris, dono cui contigit alto
Virginis & matris gemina gaudere corona,
Conciperet cum carne Deum, cælique creator
Intraret clauſum reſerans myſteria ventrem.
A genitrice ſatus, ſed quam formaverat ipſe,
Elegit nitidam de qua procederet alvum,
Solus qui carnis proprium diſponeret ortum,
Præſciretque diem longe, tempuſque videret,
Quo pariendus erat. præceſſit membra voluntas.
Ipſe Deus Verbum, veſtitum viſcere ſumpto,
Qui cum patre jubet, materno in corpore ſervit,
Suſcipit & famulum dominus, qui juſſerat ævum.
Tempora per patrem, per matrem ſemina neſcit.
Illa quidem fœcunda fuit, quæ pondere caſto
Factorem portare ſuum, dominumque perennem
Edere promeruit. ſed nec tibi gloria tanti
Defuerit facti, Chriſtum ſi credula corde
Concipiens, operum parias pia germina cælo.
Si quis, ait, noſtram compleverit ordine legem,
Hic mihi ſemper erit frater, materque, ſororque.
Aſpicis, ut ſexu careat cæleſtis imago,
Interior fortitus homo quam mente retentat?
Præbuit exemplum ſurgens a morte redemptor,
Femineum maribus cum ſic præponit honorem.
Guſtavit ſumptam noſtro pro crimine mortem,
In crucis excelſo pendens ſine crimine Chriſtus.
Atque animam, vivos quæ mox remearet in artus,
Fixus adhuc ſancto clavis efflaverat ore.
Deſeruit populi ſpectacula talia cœtus,
Signaque ferre nequit, cælum quæ triſte minatur.
Nam ſol obductus, vultumque retortus ab orbe,
Ceſſerat injuſtas nocturnis luctibus horas,
Atque peregrinis aditum dedit ipſe tenebris,
Temporibus magno mutatis ordine rerum.
Nox erat in ſuperis, lucemque inferna videbant,
Contremuit tellus, & niſu mœnia magno
Concuſſis ſummo nutabant vertice triſtis.
Senſerunt motum priſcis deſcendere ſaxa
Juſſa locis, ſonituſque novos colliſa dederunt.
Hos inter ſtrepitus, cunctis fugientibus, illæ
Decernunt, quamquam trepidæ, perſiſtere matres,
Pervigil ut ſancto ſic vivens cura ſepulcto
Serviat, & voto præſens perſolvat honorem.
Pinguia fragranti componunt illita ſucco,
Quæ ſalvans ſalvum ſervarent linteа corpus.
His amor expenſis lugubria dona parabat,
Supremum credens ſemet perſolvere munus.
Et cum ſic breviter prævenerit iſta reſurgens,
Quod credebatur ſervandum poſcere munus,
Quo non indiguit, placatur munere Chriſtus.
Pro quo reſpondens confeſtim gratia, præſtat
Angelicos cernant humana ut lumina vultus.
Splendida candebat cæleſti in corpore veſtis,
Et vultum rutilus reſperſerat undique fulgor,

Matribus ut dignis verbum cæleſte ſonaret,
Angelus alloquitur ſancto quas taliter ore:
Femineo ſexu mentes tranſite viriles,
Nec trepidate novo fortiſſima corda tumultu.
Adverſos hæc ſigna petunt, vos nulla timendi
Cauſa manet, quos cura pii confirmat amoris.
Quæritis, agnoſco, pretioſa in ſede ſepulcri
Solenni nuper tumulatum funere Jesum.
Sed meminiſſe decet quid præſcius ore fideli
Dixerit ante obitum, duplici non amplius ulla
Servandum ſe nocte, & jamjam tertius hic eſt,
Qui complet promiſſa dies. patet ecce ſepulcrum,
Deſeruit vacuum victa quod morte reſurgens.
Taliter excelſus juſſo ſermone miniſter,
Sparſurus mundo vitalis dona triumphi,
Has primum gaudere dedit, luctuque levavit.
Ibant impavidæ læto jam pectore matres,
Credula conceptæ ſervantes corda ſaluti,
Cum medium ſeſe Chriſtus gradientibus offert,
Agnoſcique jubet, blando & ſermone ſalutat.
Ite, ait, & noſtris hæc jam mandata referte
Diſcipulis, norint ut ſurrexiſſe Magiſtrum.
Illæ complexis defigunt oſcula plantis,
Atque ad diſcipulos alacri cum mente recurrunt,
Doctoreſque docent, & quæ ſpargenda per orbem
Primum femineis inſtructi diſcere verbis,
Agnoſcunt animam potius quam vivere ſexum.
Communis virtus igitur, commune periclum
Matribus atque viris, nulla eſt diſtantia cordis,
Rectum velle ſubeſt, ſi gratia conſtat utriſque,
Cui tamen attento deſudet vita labore.
Aut quid dona juvant hominem, ſi mente ſoluta
Turpia collatum diſperdant otia munus?
Auxilium conatus amat. quis namque vacantem
Adjuvet, aut ſomno virtutem jungat inerti?
Cæleſtis Rex ille parans diſcedere terris,
Argentum famulis, ut quis virtute valebat,
Quinque minas primo, duplicem dat ſorte ſecundo,
Atque impar magnis ſuſcepit tertius unam.
Tunc ſic diſcedens famulos ſimul inſtruit omnes:
Nunc ſi quis veſtrum devota mente fidelis
(Experiar) fuerit, quæſtu noſcendus ab iſto,
Qua quis ſit virtute potens, qua præditus arte.
Theſauros geminate meos, uſuque polite,
Livida ne facies pulla rubigine tingat,
Accipitis nitidum pura quod fronte metallum.
Si redeam, meritis addentur præmia juſtis.
Dixit, & abſceſſu cæleſtia regna petivit.
Incubuere duo ſtudii certamine vernæ.
Fœnerat ille citus partem ſplendentis acervi,
Pauperibus largo diſpenſans plurima dono,
Creſcit & in cumulos quidquid confertur egenis.
Exponens alter ſacri myſteria verbi,
Uſuras ſancto gaudet concreſcere lucro,
Et cupidus recti vitam dum prædicat addit.
At ſolus minimo ſumpſit qui pondere libram,
Defoſſis ſcrobibus marſupia merſa locavit,
Degenerique fluens elegit vivere luxu;
Sed judex tandem finito tempore mundi
Regreditur, cujuſque moram deſpexerat, excors
Contemnit ſervus reditum. tunc omnibus ille
Ut doceant ratione jubet, quem tempore tanto
Poſcenti reddant operata negotia fructum.
Argentum gemini geminata mole miniſtri
Promunt, & læto referunt commercia vultu.
Tertius ille piger drachmam tellure latentem
Promit, quæ juncti ſorbens contagia cœni
Perdiderat proprios incluſo lumine vultus.
Illum terribili dominus tunc increpat ore:
Tantane te noſtri tenuere oblivia ſegnem,
Serve piger. redituſque mei ſic cora refugit?
Argentum, nitida quod purum luce tuliſti,
En tetrum preſſumque refers. nam cognita quondam
Delituit, nec reſpondens, ut ſæpe ſolebat,
Forma mihi, vultuſque mei non paret imago
Aſſignata tibi. ſed ſi ferrentur ad uſos,
Altariſque mei tetigiſſent credita menſam,
Creſceret inſcriptus noſtro de nomine nummus.
Nunc igitur famuli vos totum ferte fideles,
Addat ut utilibus ſors ultima, tollat inerti.
Improbus in paucis hic dignus non erit ullis:
Quiſque voluntatem noſcens contemnit herilem,
Cæditur hic multis, paucis qui neſcius errat.
Ergo age, ſuccinctis ad fortia prælia lumbis
Armata cum mente veni, nec femina bellum
Formides, quod mens peragit. nam gloria dudum
Sexus iſta tui nota eſt tibi ſæpe legendo.
Nec dubiam te noſſe reor, cum Debbora quondam
Duceret inſtructas poſt fortia claſſica turmas,
Et mulier ſumpto præcederet agmina ſigno,
Mirantes hortata viros, quos ipſa ducatu,
Exemplo, verboque monens accendit in hoſtem.
Sed poſtquam ducens princeps animoſa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus: diſſolvitur omnis
Hoſtilis virtus, & qua ſe femina monſtrat,
Palantes dant terga viri, latebramque petentes
Si vivant, viciſſe putant. tunc maximus ipſe,
Forma gigantææ junxit quem corpore molis,
Immenſamque levans produxit verticis arcem,
Rex Siſara fugam, telorum faſce rejecto,
Incomitatus agit, metuens ſublime notari
Corpus, & excelſa fugitivum prodere maſſa.
Sed poſtquam latuiſſe putans, tectoque receptus,
Mollia perpetuo dimiſit lumina ſomno,
Tunc etiam ſternit mulier, terraque jacenti
Malleus infixo transfodit tempora clavo.
Femineus ſic ille fuit per cuncta triumphus.
At tu virgo Dei, ſanctis quam moribus ornat
Hinc pudor, inde fides, internis fortior armis
Bella geris, juſtis ſævus quæ commovet hoſtis.
Spes tibi fida foret felix in vertice caſſis,
Contineat lumbos pretioſi zona pudoris,
Juſtitiæ lorica tuos conſtringat amictus,
Pro gladio verbum ſemper tueatur acutum.
Has virtutis opes, hæc ſic ſolatia belli
Deſcribens, mentis varias cum corpore pugnas
Prudenti quondam cecinit Prudentius ore.
Namque ibi bellatrix, & pleno robore pollens,
Virginitas armata venit: quam fœda libido
Appetit, & caſſo vocat in certamina niſu.
Sic bellatricem te ſentiat æmulus anguis,
Cumque laceſſitæ concedent prælia palmam,
Læta feras ſummum calcato ex hoſte tropæum.
Nam quidquid ſacræ divina volumina legis
Eloquio ſenſuque docent, quod prædicat ipſe
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Sive ille hiſtorias texat, ſeu ſorte figuras,
Quod diverſa retro multorum tempora regum
Poſt Ruth ſucciduo geſſerunt ordine magnum:
Vel quos poſt reprobum Davidica regna Saulem
Ter quinquageno ſcripſerunt carmine pſalmos.

Paci-

Pacificus quidquid lata inter ſceptra Salomon
Obſcurum ſenſu per clara proverbia dixit:
Quodque bis octoni poſt ſe videre prophetæ,
Quod clauſum Job mitis ait cum vulnere aperto.
Heſter quid memorem, & caſtæ mendacia Judith,
Ornati cum fraude Satraps accenditur oris,
Cum meat illudens obſcœnum femina lectum,
Defectoque feros compeſcit vertice viſus?
Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,
Quæ ſecreta videns perſcripſit conditor Esdras.
Quidquid poſt priſcam ſuccedens gratia legem
Intonat, atque novi miracula Teſtamenti
Hinc hominis clamat facies, vox inde leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus.
Inde quater terni puris quod mentibus agni
Egerunt toto ſpargentes ſemina mundo.
Bis ſeptena pii quod ſpargit epiſtola Pauli,
Quod Petrus Jacobuſque docent, quod Judas, & ipſe
Qui conſpecta refert cæli ſecreta Joannes.
Quin & veridici quæ plurima tractatores
Expoſuere ſuis myſteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo ſitiente bibiſti.
Nec ſi quid ſacrum noſtri cecinere poetæ
Te latet, agnoſtique legens, & condita ſervas,
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.
Quid totum replicem? tu ſenſibus utere doctis,
Et quæ nota tibi, vel quæ percurſa legendo,
Ad virtutis opus ſtudio converte virili.
Nam niſi doctrinæ jungatur vita fidelis,
Agnoſci gravius non obſervanda nocebit.
Eſuriit poſtquam dominus, cum forte vianti
Conſpicitur diffuſa levi ficulnea fronde,
Nec jam maturum prædicta ex arbore fructum
Carpere tempus erat. quam mox ut repperit ille
Indutam tantum foliis, ſed germine nudam,
Prorſus inane virens ornatus inutilis horret:
Percutitur ſubito radix afflata calore,
Aruit & poſito ramorum tegmine truncus.
Inſtruimur tali legem cognoſcere ſigno,
Ne Chriſti famulo, ſolo ſermone fatenti,
Nomine confeſſo vivens operatio deſit.
Nam ſi Chriſticolas noſmet ſanctoſque putamus,
Aggravat hoc etiam, ni dictum facta ſequantur.
Sic & virginitas ſacro devota pudori,
Indiget adjunctis virtutibus: & niſi mentem
Intactam ſervans caſto cum corpore jungat,
Succumbit vitiis, nec caſtam dicere carnem
Jure poteſt, animus quam ſic corrumpit adulter.
Ira, furor, livor, diſcordia, luxus,
Lingua duplex, conſtricta manus, laxata voluptas,
Mœchantur cum corde hominis, tum ſemina mortis
Fœtus mortis alunt. en quo perducitur omnis,
Nomine virgineo quæ ſe dum jactitat, intus
Criminibus gravidam neſcit turgeſcere mentem!
Ecce tibi e multis unum, quo cetera noſcas,
Exemplum. Dominus plebem cum forte doceret
Pervigili cura ſupremum noſcere tempus,
Expectare diem quo judex imminet orbi,
Virginibus ſancto ſignatos chriſmate confert,
Haſque decem nobis documenti in vertice monſtrat,
Quarum quinque tamen ſapientia dives adornat,
Aſt aliis ſtolidum lentavit inertia ſenſum.
Sopitas pariter requies complectitur una,
Atque obitum ſignans depreſſit lumina ſomnus.
Tranſierat medium vix forte quietis, & illud
Tempus erat noctis, quo Chriſtus carne recepta
Fregerat obſtructas, perrupto cardine leti,
Jam portas, inferne, tuas, ſpretoque ſepulcro
Devictis læta remeabat luce tenebris.
Perſtrepuit ſubitus rumpitque ſilentia clamor,
Tandem ſponſus adeſt, nocturnus corpore torpor
Abſcedat, ſapidæ raptim properate puellæ.
Protinus exiliunt omnes, ſtratiſque relictis,
Aptavere ſuas quæſito lumine flammas.
Tunc ſed quinque, quibus cordi ſolertia major,
Quamvis feſtinant, oleum tamen addere ſumptis
Sollicitudo fuit vaſis, pinguique liquore
Ignibus armatis ſqualentem rumpere noctem.
At quæ neglectum liquit pars altera ſuccum,
Sumens flammigeras nequidquam ſuſtulit haſtas.
Emicat exiguus commoti luminis ignis,
Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deſerit, & ſiccam percurrit flamma papyrum,
Atque inter picei nebuloſa volumina fumi
Vaneſcunt pigra creſcentes mole favillæ.
Ut ſeſe indignas tali videre paratu,
Occurrant ſponſo quæ comminus advenienti,
Tarda movet lentis pudibundum cura laborem.
Quæ prece ſubmiſſa ſtultis cum vocibus orant,
Ut porrecta manus torpentes ſuſcitet ignes,
Dividat & proprium ſapientia pinguis olivum.
Reſpondent pariter tali ſermone ſorores:
Eſt miſeranda quidem veſtrorum cauſa malorum,
Sed tamen hic oleum non plus quam ſufficit affert
Unuſquiſque ſibi, conſtat quia copia vaſis,
Et perfecta ſuum ſervat menſura liquorem.
Nec fas quæſitum partiri aut perdere ſuccum,
Ne diſperſa cavis deſint fomenta lucernis;
Cumque lucrum vobis diſpendia noſtra parabunt,
Tota ſimul feſſis torpeſcant lumina flammis.
Talibus abjectæ dictis, triſtique repulſa,
Perluſtrant quocumque loci commercia fervent,
Venaleſque manus: ſed dum diſceditur, ecce
Introiit ſponſus thalamum, induxitque paratas,
Atque vagas linquens excluſit porta ſorores.
Cernis virginei pereat quod nomen honoris,
Ni fertur ſanctus thalamis cæleſtibus ignis.
Felix illa manus, largis quæ provida donis
Accenſum pura fovit pinguedine lumen.
Tantum namque olei vaſis diffunditur amplis,
Quantum poſcenti miſerans porrexit egeno.
Hinc dominus palmis ardentes ferre lucernas
Admonet, hoc opus eſt, hæc claræ gloria vitæ.
Suppetat ergo tibi pietas, patientia, virtus,
Sed virtus animi. fragiles nam carne puellas
Protulit interdum cælo conſtantia mentis.
Eugeniæ dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit, dum dat Chriſti pro nomine vitam.
Ante tamen mulier fortes proceſſit in actus,
Cum ſtipante choro ſanctorum fieret Abbas,
Atque patrem complens celaret tegmine matrem.
Sed poſtquam ſancto cunctis perclaruit ore,
Et meritis anniſque graves, longaque verendos
Religione ſenes juvenili rexit in ævo:
Impatiens recti toto qui tempore ſerpens
Mille nocendi artes, ſtimuliſque inflammat amoris,
Quo famam violare cupit, dedit inde coronam.
Commovet inſano qui fingat amore puellæ
Accendi Eugeniam, motuque ardere virili.
Turba ſenum turbata coit, quod crimine tanto
Tam rigidam nuper potuiſſet ſolvere vitam
Mens dejecta viri, viduataque præſule ſummo

Nil

Nil non poſſe dolet titubans perfectio carnem.
Ducitur iſte foro juvenis, ſævumque tribunal
Intrat adhuc monachus. vincit concordia fraudis,
Et jam jamque reum ſecreti ignara tenebat
Publica vis, odio tantum flammata ſiniſtro.
Conſcia tum ſexus proprii, cordiſque pudici,
Vincitur, ut vincat jam prodens femina fraudem,
Quamvis exterius carnem compulſa fateri,
Interiore tamen ſervato permanet heros.
Semper tuta fuit caſti cuſtodia voti,
Quamlibet impugnet miſeri fraus callida mundi,
Extendatque dolis laqueos, mendacia nectat,
Non venit ad pronam mens culpæ ignara ruinam.
Quoſque fremens hoſtis fallaci tribulat aſtu,
Purgandos ſancto patientia diſcutit igni.
Vendiderat quondam juvenem manus æmula fratrum,
Et famulum Joſeph tellus Memphitis habebat:
Pertulit ille quidem dominum, cum crimine falſo
Confictus voluiſſe nefas, quod triſte refugit,
Suſtinuit tolerans ergaſtula, vincla, catenas,
Dum ſpatium replicans geminos ſol junxerat annos.
Oblitus jam lucis erat, jam crine fluenti
Nutritus macie tangebat terga capillus.
Sed vegetante Deo mens nullis clauſa tenebris
Prævidet arcanum quidquid poſt exitus implet.
Denique producto certatim gloria fertur,
Non tantum venia: & precibus tunc ipſe rogatus,
Ut diadema libens captivo in vertice ſumat,
Exilium regno commutat, principe ſervum.
Præmia ſervati cordis ſic percipit iſte.
Suſannam poſt hunc dignis quis laudibus umquam
Excolat, infirmis quondam quæ vicit in annis
Improba vota ſenum, conjuratoſque furores?
Primum disjuncto quos cepit cauſa viritim
Conſilio, ſoluſque ſibi promiſit uterque
Spem culpæ, ſed turpe calens in cordibus ignis
Conflavit mentem ſceleris fornace duorum.
Conveniunt, nam forte die ſic contigit una,
Abſceſſu ficto diverſa ut parte redirent.
Inque nemus venere ſimul, vulgata viciſſim
Panditur alterno flagrans in corde voluptas.
Ilicet incautam fallentes fraude puellam
Appetiere ſimul: poſcunt conſentiat ante
Dedecoris tantum moveat quam fama rebelli,
Moxque retorquendum facinus, ni credat, in ipſam.
Confeſſi ardorem pariter mendacia produnt
Diſpoſita, & laqueos pandunt, quos nectere vellent.
Anceps illa diu ſecum luctatur, & hærens
Fluctuat incertæ quo vergant pondera mentis:
Lex peccare vetat, rurſuſque infamia terret.
Hinc iterum duros precibus mollire furores
Tentat, & obſcœnas lacrimis reſtinguere flammas.
Sed poſtquam nullis precibus monitiſque remotos
Obſtrictoſque ſenes vicit cognata libido:
Femina præclaro mentem ſuccenſa pudore
Decrevit tunc caſta mori, ne crimine tanto
Ambirent miſeram carnis commercia vitam.
Cælum teſte vocat, famamque recuſat inanem
Judicio contenta ſuo: cum conſcia corda
Commendat ſuperæ fidei, ſervatque futuris.
Maluit ille tamen ſecreti inſpector apertum
Examen præſtare loco, facinuſque recluſum
Pandere, & objectis laqueis producere fraudes.
Spectabat vanis commotam fletibus urbem
Junior ille puer, pueris tribus ipſe futurus
Poſt comes, undanti quos jecit Parthica flammæ
Contempto imperio flammis ferventior ira.
Arſit contracto pariter creſcente calore
Hinc furor, inde fides, ſanctis dum mollior ignis
Serviit, & tepido conluſit pruna rubore:
Donec miratus ceſſare incendia Satraps
Juſſit, & adſtantes flammarum copia cinxit.
Hos meritis æquans Danielis proxima virtus
Horrida frendentum compeſcuit ora leonum,
Dum prius accenſi ſtimulis famis atque furoris,
Frænatoque ſimul ſternentes corpora rictu,
Incolumem lambunt inter jejunia paſtum.
Cum ſumat tamen iſte cibos, quos vertice pendens
Angelica librante manu per inane citatus,
Subjectas calcans immotis greſſibus auras,
Intulit illatus faſcis cum faſce propheta.
Excepit Daniel tranſmiſſas deſuper eſcas.
Fercula longinquis migrant ferventia terris,
Aſſervantque ſuos peregrina in ſede ſapores.
Hic ergo impubes Suſannam forte videbat
In tormenta rapi, veri quam neſcius ante
Vulgus inauditam damnaverat, & ſimul omnes
Inſontis ſontem certabant cernere mortem:
Cum ſubito in medium juvenis ſe proripit agmen,
Accenſum tenera caſtigans voce tumultum:
Cur tanto ex cœtu nullus rem judicat, ac ſe
Liber ad injuſtum clamat non currere letum?
Protinus ad verbum pueri permota repreſſit
Turba ſequax animos: judex decernitur ipſe,
Conſultorque ſenum, per quem via vera pateſcat.
Conſulit avulſos quiſnam ſit criminis ordo:
Sed dum diſcordans reſponſum præbet uterque,
Conjunctum facinus disjuncta voce fatentur.
Tunc omnes pariter timor accipit. undique clamor
Tollitur: auctores ſceleris plebs obruit omnis,
Laudaturque Deus, qui numquam vota bonorum
Deſerit, auxiliumque ſuum pro tempore monſtrat.
Et tamen his prior eſt quæ virginitate pudica
Intactum præfert ad vota perennia corpus.
Nam ſi terrena nubentem lege puellam
Aſſervaſſe toros, atque unum noſſe cubile,
Mortali tantum laudatur judice cœtu,
Conjice virgineis quantum diſponitur illic
Quo Chriſtus vocat hinc meritis, ubi ſede ſuperna
Humanum in partes dirimet genus arbiter orbis,
Agnos dextra levans lævos contemnet ut hœdos.
Stabunt Angelici mirantes facta bonorum
Laudanteſque chori, cunctis commune patebit
Decurſæ carnis meritum: fraus nulla tenebris
Abdere, vel notas poterit ſubducere culpas.
Illic nota tibi ſubſiſtens vita petatur,
Quo juſtus ditat diſpenſans præmia judex.
Quondam ſuccincte quod dictum eſt ore magiſtri,
Dum viget officio famulans ſolertia Marthæ,
Attentamque tenet verbi virtute ſororem
Cura cibo melior, paſtu quæ digna perenni.
Tunc vacuas Domino depromens Marthæ querelas,
O doctor non cernis, ait, quod ſola paratu
Vexor, & hæc nullum confert germana levamen?
Cui Chriſtus ſic forte refert: Sunt plurima quæ te
Obſtrictam retinent, melior ſed cauſa quieris,
Lectaque nec poterit Mariæ pars optima tolli.
Sic, germana, ſuis dum flagrant ſecula curis,
Electam ſervare tibi non deſine partem.
Te meruit primam cognatio tota patronam,
Jam te ſigniferam ſequimur, vexillaque Chriſti
Te portante libens ſectatur ſtemma parentum:
Quos

Quos licet antiquo mundus donaſſet honore,
Et titulis monſtret generoſo ſemper ab ortu:
Plus tamen ornavit divinum inſigne gerentes,
Ordine quod proprio ſanctis meruere cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavoſque retexam,
Vita ſacerdotes quos reddidit inclyta dignos:
Pontificem ſacris adſumptum reſpice patrem.
Cumque tibi genitor vel avunculus undique magni
Poſt faſces placeant populorum ſu nere faſcem,
Suſcipe quos humiles patrum ad conſortia fratres
Officio ſimiles nectens Eccleſia junxit.
Pro quibus aſſiduas Chriſto perſolvere grates,
Fundere vel fletus non tædeat: ut tibi nullus
Fratrum de numero deſit, cum præmia ſumes
Factis digna tuis, materque effecta parentum
Virgineæ victrix ſociabere læta coronæ.

ANICII MANLII TORQUATI SEVERINI BOETHII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

METRUM I.

CArmina qui quondam ſtudio florente peregi,
Flebilis, heu, mœſtos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camenæ,
Ecce veris elegi fletibus ora rigant:
Has ſaltem nullus potuit pervincere terror,
Ne noſtrum comites proſequerentur iter.
Gloria felicis olim viridiſque juventæ
Solatur mœſti nunc mea fata ſenis.
Venit enim properata malis inopina ſenectus,
Et dolor ætatem juſſit ineſſe ſuam.
Intempeſtivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ ſe nec dulcibus annis
Inſerit, & mœſtis ſæpe vocata venit.
Eheu! quam ſurda miſeros avertitur aure;
Et flentes oculos claudere ſæva negat.
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
Pene caput triſtis merſerat hora meum.
Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties jactaſtis, amici?
Qui cecidit, ſtabili non erat ille gradu.

METRUM II.

HEu! quam præcipiti merſa profundo
Mens hebet, & propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras?
Terrenis quoties flatibus acta
Creſcit in immenſum noxia cura?
Hic quondam cælo liber aperto,
Suetus in ætherios ire meatus,
Cernebat roſei lumina Solis,
Viſebat gelidæ ſidera Lunæ,
Et quæcunque vagos ſtella recurſus
Exercet varios flexa per orbes,
Comprenſam numeris victor habebat.
Quinetiam cauſas, unde ſonora
Flamina ſollicitent æquora ponti,
Quis volvat ſtabilem ſpiritus orbem.
Vel cur Heſperias ſidus in undas
Caſurum rutilo ſurgat ab ortu,
Quis veris placidas temperet horas,
Ut terras roſeis floribus ornet,
Quis dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari ſolitus, atque latentis
Naturæ varias reddere cauſas.
Nunc jacet effœto lumine mentis,
Et preſſus gravibus colla catenis,
Declivemque gerens pondere vultum,
Cogitur, heu! ſtolidam cernere terram.

METRUM III.

TUnc me diſcuſſa liquerunt nocte tenebræ,
Luminibuſque prior rediit vigor:
Ut cum præcipiti glomerantur ſidera coro,
Nimboſiſque polus ſtetit imbribus,

Sol latet, ac nondum cælo venientibus aſtris,
Deſuper in terram nox funditur.
Hanc ſi Threicio Boreas emiſſus ab antro
Verberet, & clauſum reſeret diem,
Emicat, & ſubito vibratus lumine Phœbus
Mirantes oculos radiis ferit.

METRUM IV.

QUiſquis compoſito ſerenus ævo
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum,
Fortunamque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum;
Non illum rabies, minæque ponti
Verſum funditus excitantis æſtum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Veſevus ignes,
Aut celſas ſoliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.
Quid tantum miſeri feros tyrannos
Mirantur ſine viribus furentes:
Nec ſperes aliquid, nec extimeſcas,
Exarmaveris impotentis iram.
At quiſquis trepidus pavet vel optat,
Quod non ſit ſtabilis ſuique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus,
Nectit, qua valeat trahi, catenam.

METRUM V.

O Stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus ſolio,
Rapido cælum turbine verſas,
Legemque pati ſidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Totis fratris & obvia flammis,
Condat ſtellas Luna minores,
Nunc obſcuro pallida cornu,
Phœbo propior, lumina perdat:
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Heſperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora,
Tu, cum fervida venerit æſtas,
Agiles noctis dividis horas.
Tua vis varium temperat annum,
Ut, quas Boreæ ſpiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes,
Quæque Arcturus ſemina vidit,
Seirius altas urat ſegetes.
Nihil antiqua lege ſolutum
Linquit propriæ ſtationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum ſolos reſpuis actus
Merito rector cohibere modo:
Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœnæ:
At perverſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctaque calcant
Injuſta vice colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus.
Clara tenebris, juſtuſque tulit
Crimen iniqui.

Nil perjuria, nil nocet ipſis
Fraus, mendacii comta colore.
Sed cum libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent ſubdere reges.
O jam miſeras reſpice terras,
Quiſquis rerum fœdera nectis:
Operis tanti pars non vilis
Homines quatimur fortunæ ſalo.
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quo cælum regis immenſum
Firma ſtabiles fœdere terras.

METRUM VI.

CUm Phœbi radiis grave
Cancri ſidus inæſtuat,
Tum qui larga negantibus
Sulcis ſemina credidit,
Eluſus Cereris fide,
Quernas pergat ad arbores.
Numquam purpureum nemus,
Lecturus violas, petas,
Cum ſævis aquilonibus
Stridens campus inhorruit.
Nec quæras avida manu
Vernos ſtringere palmites,
Uvis ſi libeat frui:
Autumno potius ſua
Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus,
Nec, quas ipſe coercuit,
Miſceri patitur vices.
Sic quod præcipiti via
Certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

METRUM VII.

NUbibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudum,
Parque ſerenis
Unda diebus,
Mox reſoluto
Sordida cœno,
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,

Spem-

Spemque fugato,
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt,
Vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

LIBER SECUNDUS.

METRUM I.

HÆc cum ſuperba verterit vices dextra,
Et æſtuantis more fertur Euripi,
Dudum tremendos ſæva proterit reges,
Humilemque victi ſublevat fallax vultum.
Non illa miſeros audit, haud curat fletus,
Ultroque gemitus dura, quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires:
Magnumque ſuis monſtrat oſtentum, ſi quis
Viſatur una ſtratus ac felix hora.

METRUM II.

SI quantas rapidis flatibus incitus
Pontus verſat arenas,
Aut quot ſtelliferis edita noctibus
Cælo ſidera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu;
Humanum miſeras haud ideo genus
Ceſſet flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,
Et claris avidos ornet honoribus,
Nil jam parta videntur.
Sed quæſita vorans ſæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ tam præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retentent?
Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardeſcit habendi.
Numquam dives agit, qui trepidus gemens
Seſe credit egentem.

METRUM III.

CUm polo Phœbus roſeis quadrigis
Lucem ſpargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus
Flammis ſtella prementibus.
Cum nemus flatu Zephyri tepentis
Vernis irrubuit roſis,
Spiret inſanum nebuloſus Auſter,
Jam ſpinis abeat decus.
Sæpe tranquillo radiat ſereno
Immotis mare fluctibus.
Sæpe ferventes Aquilo procellas,
Verſo concitat æquore.
Rara ſi conſtat ſua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Conſtat, æterna poſitumque lege eſt,
Ut conſtet genitum nihil.

METRUM IV.

QUiſquis volet perennem
Cautus ponere ſedem,
Stabiliſque nec ſonori
Sterni flatibus Euri,
Et fluctibus minantem
Curat ſpernere pontum,
Montis cacumen alti,
Bibulas vitet arenas.
Illud protervus Auſter
Totis viribus urget,
Hæ pendulum ſolutæ
Pondus ferre recuſant.
Fugiens periculoſam
Sortem ſedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere ſaxo.
Quamvis tonet ruinis
Miſcens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Duces ſerenus ævum,
Ridens ætheris iras.

METRUM V.

FElix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande:
Nec Bacchica munera norat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miſcere veneno.
Somno dabat herba ſalubres.
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altiſſima pinus.
Nondum maris alta ſecabat,
Nec mercibus undique lectis
Nova litora viderat hoſpes.
Tunc claſſica ſæva tacebant,
Odiis neque fuſus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim furor hoſtibus ulla
Vellet prior arma movere,
Cum vulnera ſæva videret,
Nec præmia ſanguinis ulla?
Utinam modo noſtra redirent
In mores tempora priſcos?
Sed ſævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Heu! quis primus fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmaſque latere volentes
Pretioſa pericula fodit?

METRUM VI.

NOvimus quantas dederit ruinas
Urbe flammata, patribuſque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuſo maduit cruore,
Corpus & viſu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe

Cenſor extincti potuit decoris.
Hic tamen ſceptro populos regebat,
Quos videt condens radios ſub undis
Phœbus extremo veniens ab ortu;
Quos premunt ſeptem gelidi triones;
Quos Notus ſicco violentus æſtu
Torret, ardentes recoquens arenas.
Celſa num tandem valuit poteſtas
Vertere inſani rabiem Neronis?
Heu gravem ſortem, quoties iniquus
Additur ſævo gladius veneno!

METRUM VII.

QUicumque ſolam mente præcipiti petit,
Summamque credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas,
Arctumque terrarum ſitum,
Brevem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
Quid o ſuperbi colla mortali jugo
Fruſtra relevare geſtiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffuſa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors ſpernit altam gloriam.
Involvit humile pariter & celſum caput,
Æquatque ſummis infima.
Ubi nunc fidelis oſſa Fabricii jacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat ſuperſtes fama tenvis pauculis
Inane nomen literis.
Sed quid decora novimus vocabula?
Num ſcire conſumptos datur?
Jacetis ergo prorſus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quod ſi putatis longius vitam trahi
Mortalis aura nominis,
Cum ſera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos ſecunda mors manet.

METRUM VIII.

QUod mundus ſtabili fide
Concordes variat vices,
Quod pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent,
Quod Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut quas duxerit Heſperus
Phœbe noctibus imperet,
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos;
Hanc rerum ſeriem ligat,
Terras ac pelagus regens,
Et cælo imperitans Amor.
Hic ſi fræna remiſerit,
Quidquid nunc amat invicem,
Bellum continuo geret:
Et quam nunc ſocia fide
Pulcris motibus incitant,
Certent ſolvere machinam.
Hic ſancto populos quoque
Junctos fœdere continet:
Hic & conjugii ſacrum
Caſtis nectit amoribus:
Hic fidis etiam ſuas
Dictat jura ſodalibus.
O felix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat!

LIBER TERTIUS.

METRUM I.

QUi ſerere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos filicemque reſecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
Dulcior eſt apium mage labor,
Si malus ora prius ſapor edat.
Gratius aſtra nitent, ubi Notus
Deſinit imbriferos dare ſonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roſeos agit equos.
Tu quoque falſa tuens bona, prius
Incipe colla jugo retrahere;
Vera dehinc animum ſubierint.

METRUM II.

QUantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immenſum
Legibus orbem provida ſervet,
Stringatque ligans irreſoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
Quamvis Pœni pulcra leones
Vincula geſtent, manibuſque datas
Captent eſcas, metuantque trucem
Soliti verbera ferre magiſtrum:
Si cruor horrida tinxerit ora,
Deſides olim redeunt animi,
Fremituque gravi meminere ſui,
Laxant nodis colla ſolutis,
Primuſque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
Quæ canit altis garrula ramis
Ales, caveæ clauditur antro:
Huic licet illita pocula melle,
Largaſque dapes dulci ſtudio
Ludens hominum cura miniſtret;
Si tamen arcto ſaliens tecto
Nemorum gratas viderit umbras,
Sparſas pedibus proterit eſcas.
Silvas tantum mœſta requirit,
Silvas dulci voce ſuſurrat.
Validis quondam viribus acta,
Pronum flectit virga cacumen:
Hanc ſi curvans dextra remiſit,
Recto ſpectat vertice cælum.
Cadit Heſperias Phœbus in undas:
Sed ſecreto tramite rurſus
Currum ſolitos vertit ad ortus:
Repetunt proprios quæque recurſus,
Redituque ſuo ſingula gaudent,
Nec manet ulli traditus ordo,

Niſi

Niſi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque ſui fecerit orbem.

METRUM III.

QUamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes,
Ornetque baccis colla rubri litoris,
Ruraque centeno ſcindat opima bove:
Nec cura mordax deferit ſuperſtitem,
Defunctumque leves non comitantur opes.

METRUM IV.

QUamvis ſe Tyrio ſuperbus oſtro
Comeret, & niveis lapillis,
Inviſus tamen omnibus vigebat
Luxuriæ Nero ſævientis.
Sed quondam dabat improbus verendis
Patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos,
Quos miſeri tribuunt honores?

METRUM V.

QUi ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis ſummittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miſeraſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

METRUM VI.

OMne hominum genus in terris
Simili ſurgit ab ortu:
Unus enim rerum pater eſt,
Unus cuncta miniſtrat:
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ:
Ille homines etiam terris
Dedit, & ſidera cœlo:
Hic clauſit membris animos
Celſa ſede petitos.
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus, & proavos ſtrepitis?
Si primordia veſtra
Auctoremque Deum ſpectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deſerat ortum.

METRUM VII.

HAbet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

METRUM VIII.

EHeu! quam miſeros tramite devio
Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vitæ gemmas carpitis,
Non altis laqueos montibus abditis,
Ut piſce ditetis dapes.
Nec vobis capreas ſi libeat ſequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipſos quin etiam fluctibus abditos
Norunt receſſus æquoris,
Quæ gemmis niveis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero piſce, vel aſperis
Præſtent echinis litora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Neſcire cæci ſuſtinent.
Et quod ſtelliferum trans abiit polum,
Tellure demerſi, petunt.
Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Et cum falſa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoſcant bona.

METRUM IX.

O Qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique ſator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, ſtabiliſque manens das cuncta moveri,
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus; verum inſita ſummi
Forma boni, livore carens. tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcerrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans,
Perfectaſque jubens perfectum abſolvere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam, per conſona membra reſolvis,
Quæ cum ſecta duos motum glomeravit in orbes,
In ſemet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, & ſimili convertit imagine cœlum.
Tu cauſis animas paribus, vitaſque minores
Provehis, & levibus ſublimes curribus aptans,
In cœlum terramque ſeris, quas lege benigna
Ad te converſas reduci facis igne reverti.
Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Disjice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica: tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla piis: te cernere, finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

METRUM X.

HUc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas hebetans libido mentes.
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete.
Hoc patens unum miſeris aſylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,

Aut Indus calido propinquus orbi,
Candidis miſcens virides lapillos,
Illuſtrant aciem, magiſque cæcos
In ſuas condunt animos tenebras.
Hoc quicquid placet, excitatque mentes,
Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor, quo regitur vigetque cælum,
Vitat obſcuras animæ ruinas.
Hanc quiſquis poterit notare lucem,
Candidos Phœbi radios negabit.

METRUM XI.

QUiſquis profunda mente veſtigat verum,
Cupitque nullis ille deviis falli,
In ſe reſolvat intimi lucem viſus,
Longoſque in orbem cogat inflectens motus,
Animumque doceat, quidquid extra molirur,
Suis retruſum poſſidere theſauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipſo perſpicacius Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen,
Obliviosſam corpus invehens molem.
Hæret profecto ſemen introrſum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati ſponte recta cenſetis,
Ni merſus alto viveret fomes corde?
Quod ſi Platonis Muſa perſonat verum,
Quod quiſque diſcit, immemor recordatur.

METRUM XII.

FElix, qui potuit boni
Fontem viſere lucidum:
Felix, qui potuit gravis
Terræ ſolvere vincula.
Quondam funera conjugis
Vates Threicius gemens,
Poſtquam flebilibus modis
Silvas currere mobiles,
Amnes ſtare coegerat,
Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec viſum timuit lepus
Jam cantu placidum canem,
Cum flagrantior intima
Fervor pectoris ureret,
Nec, qui cuncta ſubegerant,
Mulcerent dominum modi,
Immites Superos querens,
Infernas adiit domos.
Illic blanda ſonantibus
Chordis carmina temperans,
Quidquid præcipuis Deæ
Matris fontibus hauſerat,
Quod luctus dabat impotens,
Quod luctum geminans amor,
Deflet, Tænara commovens,
Et dulci veniam prece
Umbrarum dominos rogat.
Stupet ter geminus novo
Captus carmine janitor.
Quæ ſontes agitant metu
Ultrices ſcelerum Deæ,
Jam mœſtæ lacrimis madent.
Non Ixionium caput
Velox præcipitat rota:
Et longa ſite perditus
Spernit flumina Tantalus.
Vultur dum ſatur eſt modis,
Non traxit Tityi jecur.
Tandem, vincimur, arbiter
Umbrarum miſerans, ait.
Donemus comitem viro
Emptam carmine conjugem.
Sed lex dona coerceat,
Ne, dum Tartara liquerit,
Fas ſit lumina flectere.
Quis legem det amantibus?
Major lex amor eſt ſibi.
Heu! noctis prope terminos
Orpheus Eurydicen ſuam
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc fabula reſpicit,
Quicumque in ſuperum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui Tartareum in ſpecus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

LIBER QUARTUS.

METRUM I.

SUnt enim pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli:
Quas ſibi cum velox mens induit,
Terras perosa deſpicit,
Aeris immenſi ſuperat globum,
Nubeſque poſt tergum videt.
Quique agili motu calet ætheris,
Tranſcendit ignis verticem,
Donec in aſtriferas ſurgat domos,
Phœboque conjungat vias;
Aut comitetur iter gelidi ſenis,
Miles coruſci ſideris;
Vel quocumque micans nox pingitur,
Recurrat aſtri circulum,
Atque ubi jam exhauſti fuerit ſatis,
Polum relinquat extimum,
Dorſaque velocis premat ætheris
Compos verendi luminis.
Hic regum ſceptrum dominus tenet,
Orbiſque habenas temperat,
Et volucrem currum ſtabilis regit
Rerum coruſcus arbiter.
Huc te ſi reducem referat via,
Quam nunc requiris immemor,
Hæc, dices, memini, patria eſt mihi,
Hinc ortus, hic ſiſtam gradum.
Quod ſi terrarum placeat tibi
Noctem relictam viſere,
Quos miſeri torvos populi timent,
Cernes tyrannos exules.

METRUM II.

QUos vides ſedere celſo
Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido verſat
Avidis corda venenis,
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens,
Mœror aut captos fatigat,
Aut ſpes lubrica torquet.
Ergo, cum caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit. quod optat, ipſe
Dominis preſſus iniquis.

METRUM III.

VEla Neritii Ducis,
Et vagas pelago rates
Eurus appulit inſulæ,
Pulcra qua reſidens Dea
Solis edita ſemine,
Miſcet hoſpitibus novis
Tacta carmine pocula.
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit,
Ille Marmaricus leo
Dente creſcit, & unguibus.
Hic lupis ſuperadditus,
Flere dum parat, ululat.
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat,
Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis
Obſitum miſerans ducem
Peſte ſolverit hoſpitis,
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant.
Jam ſues Cerealia
Glande pabula verterant.
Et nihil manet integrum,
Voce, corpore, perditis.
Sola mens ſtabilis ſuper
Monſtra, quæ patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent!
Intus eſt hominum vigor
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem ſibi
Dira, quæ penitus meant;
Nec nocentia corpori
Mentis vulnere ſæviunt.

METRUM IV.

QUid tantos juvat excitare motus,
Et propria fatum ſollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipſa
Sponte ſua, volucres nec remoratur equos.
Quos ſerpens, leo, tigris, urſus, aper,
Dente petunt, iidem ſe tamen enſe petunt.
An, diſtant quia, diſſidentque mores,
Injuſtas acies, & fera bella movent,
Alterniſque volunt perire telis?
Non eſt juſta ſatis ſævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, & miſereſce malis.

METRUM V.

SI quis Arcturi ſidera neſcit
Propinqua ſummo cardine labi,
Cur legat tardus plauſtra Bootes,
Mergatque ſeras æquore flammas,
Cum nimis celeres explicet ortus,
Legem ſtupebit ætheris alti.
Palleant plenæ cornua Lunæ
Infecta metis noctis opacæ,
Quæque fulgenti texerat ore
Confuſa Phœbe, detegat aſtra.
Commovet gentes publicus error,
Laſſantque crebris pulſibus æra.
Nemo miratur flamina Cori
Litus frementi tundere fluctu.
Nec nivis duram frigore molem
Ferventi Phœbi ſolvier æſtu.
Hic enim cauſas cernere promptum eſt,
Illic latentes pectora turbant.
Cuncta, quæ rara provehit ætas,
Stupetque ſubitis mobile vulgus.
Cedat inſcitiæ nubilus error.
Ceſſent profecto mira videri.

METRUM VI.

SI vis celſi jura Tonantis
Pura ſolers cernere mente,
Aſpice ſummi culmina cœli.
Illic juſto fœdere rerum
Veterem ſervant ſidera pacem.
Non Sol rutilo concitus igne
Gelidum Phœbes impedit axem.
Nec quæ ſummo vertice mundi
Flectit rapidos Urſa meatus,
Numquam occiduo lota profundo,
Cætera cernens ſidera mergi,
Cupit Oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Veſper ſeras nunciat umbras,
Revehitque diem Lucifer almum.
Sic æternos reficit curſus
Alternus amor, ſic aſtrigeris
Bellum diſcors exulat oris.
Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, ut pugnantia
Vicibus cedant humida ſiccis,
Jungantque fidem frigora flammis,
Pendulus ignis ſurgat in altum,
Terræque graves pondere ſidant.

Iiſdem

Iiſdem cauſis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æſtas Cererem fervida ſiccat,
Remeat pomis gravis autumnus,
Hyemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit ac profert,
Quidquid vitam ſpirat in orbe:
Eadem rapiens condit, & aufert,
Obitu mergens orta ſupremo.
Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,
Rex, & dominus, fons, & origo,
Lex, & ſapiens arbiter æqui.
Et quæ motu concitat ire,
Siſtit retrahens, ac vaga firmat.
Nam niſi rectos revocans ictus,
Flexos iterum cogat in orbes;
Quæ nunc ſtabilis continet ordo,
Diſſepta ſuo fonte fatiſcant.
Hic eſt cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri:
Quia non aliter durare queant,
Niſi converſo rurſus amore
Refluant cauſæ, quæ dedit eſſe.

METRUM VII.

Bella bis quinis operatus annis
Ultor Atrides, Phrygiæ ruinis
Fratris amiſſos thalamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela claſſi
Optat, & ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miſerumque triſtis
Foderat natæ jugulum ſacerdos.
Flevit amiſſos Ithacus ſodales,
Quos ferus, vaſto recubans in atro,
Merſit immani Polyphemus alvo.
Sed tamen cæco furibundus ore,
Gaudium mæſtis lacrimis rependit.
Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit ſuperbos,
Abſtulit ſævo ſpolium leoni,
Fixit & certis volucres ſagittis,
Poma cernenti rapuit draconi.
Aureo læva gravior metallo,
Cerberum traxit triplici catena:
Victor immitem poſuiſſe fertur
Pabulum ſævis dominum quadrigis.
Hydra combuſto periit veneno.
Fronte turbatus Achelous amnis
Ora demerſit pudibunda ripis.
Stravit Antæum Libycis arenis.
Cacus Evandri ſatiavit iras.
Quoſque preſſurus foret altus orbis,
Setiger ſpumis humeros notavit.
Ultimus cælum labor irreflexo
Suſtulit collo, pretiumque rurſus
Ultimi cælum meruit laboris.
Ite nunc fortes, ubi celſa magni
Ducit exempli via. cur inertes
Terga nudatis? ſuperata tellus
Sidera donat.

LIBER QUINTUS.

METRUM I.

Rupis Achæmeniæ ſcopulis, ubi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax,
Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt,
Et mox abjunctis diſſociantur aquis.
Si coeant, curſumque iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi,
Conveniant puppes, & vulſi flumine trunci,
Miſtaque fortuitos implicet unda modos,
Quos tamen ipſa vagos terræ declivia caſus,
Gurgitis & lapſi defluus ordo regit.
Sic quæ permiſſis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frenos, ipſaque lege meat.

METRUM II.

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus:
Qui tamen intima viſcera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirma perrumpere luce.
Haud ſic magni conditor orbis.
Huic ex alto cuncta tuenti,
Nulla terræ mole reſiſtunt,
Non nox atris nubibus obſtat.
Uno mentis cernit in ictu,
Quæ ſint, quæ fuerint, veniantque.
Quem, quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſſis dicere Solem.

METRUM III.

Quænam diſcors fœdera rerum
Cauſa reſolvit? quis tanta Deus
Veris ſtatuit bella duobus,
Ut quæ carptim ſingula conſtent,
Eadem nolint miſta jugari?
An nulla eſt diſcordia veris,
Semperque ſibi certa cohærent?
Sed mens, cæcis obruta membris,
Nequit oppreſſi luminis igne
Rerum tenues noſcere nexus.
Sed cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas?
Scitne, quod appetit anxia, noſſe?
Sed quid nota ſcire laborat?
Et ſi neſcit, quid cæca petit?
Quis enim quidquam neſcius optet?
Aut quis valeat neſcita ſequi?
Quove inveniat, quiſve repertam
Queat ignarus noſcere formam?
An cum mentem cerneret altam;
Pariter ſummam & ſingula norat?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum eſt oblita ſui,
Summamque tenet, ſingula perdens?
Igitur quiſquis vera requirit,
Neutro eſt habitu. nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia neſcit:
Sed quā retinens meminit, ſummam
Conſulit, alte viſa retractans,
Ut ſervatis queat oblitas
Addere partes.

ME-

METRUM IV.

QUondam porticus attulit
Obſcuros nimium ſenes,
Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi.
Ut quondam celeri ſtylo
Mos eſt æquore paginæ,
Quæ nullas habeat notas,
Preſſas figere litteras.
Sed mens ſi propriis vigens
Nihil motibus explicat,
Sed tantum patiens jacet
Notis ſubdita corporum,
Caſſaſque in ſpeculi vicem
Rerum reddit imagines:
Unde hæc ſic animis viget
Cernens omnia notio?
Quæ vis ſingula proſpicit?
Aut quæ cognita dividit?
Quæ diviſa recolligit?
Alternumque legens iter,
Nunc ſummis caput inſerit,
Nunc deſidit in infima,
Tum ſeſe referens ſibi,
Veris falſa redarguit?
Hæc eſt efficiens magis
Longe cauſa potentior,
Quam quæ materiæ modo
Impreſſas patitur notas.
Præcedit tamen excitans,
Ac vires animi movens
Vivo in corpore paſſio,
Cum vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus inſtrepit:
Tum mentis vigor excitus
Quas intus ſpecies tenet,
Ad motus ſimiles vocans,
Notis applicat exteris,
Introrſumque reconditis
Formis miſcet imagines.

METRUM. V.

QUam variis terras animalia permeant figuris?
Namque alia extento ſunt corpore, pulveremque verrunt,
Continuumque trahunt vi pectoris incitata ſulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga, verberetque ventos,
Et liquido longi ſpatia ætheris enatet volatu.
Hæc preſſiſſe ſolo veſtigia greſſibuſque gaudent,
Vel virides campos tranſmittere, vel ſubire ſilvas.
Quæ variis videas licet omnia diſcrepare formis:
Prona tamen facies hebetes valet ingravare ſenſus.
Unica gens hominum celſum levat altius cacumen,
Atque levis recto ſtat corpore, deſpicitque terras.
Hæc, niſi terrenus male deſipis, admonet figura,
Qui recto cælum vultu petis, exeriſque frontem,
In ſublime feras animum quoque, ne gravata peſſum
Inferior ſidat mens, corpore celſius levato.

ARATORIS SUBDIACONI

ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS

IN APOSTOLORUM ACTA LIBRI DUO

Domino Venerabili Sancto, & in Chriſti gratia ſpiritualiter erudito

FLORIANO ABATI

ARATOR SUBDIACONUS SALUTEM.

QUi meriti florem maturis ſenſibus ortum
Nominis ore tui jam Floriane tenes,
Nam primævus adhuc ſenibus documenta dediſti,
E quibus in Cælum vita pararet iter,
Ad carmen concurre meum, pedibuſque labanti
Porrige de placido ſæpe favore manum.
Immundo ſermone quidem, ſed pinguia geſta
Scripſimus, ac pelagi pondere gutta fluit.
Inter grandiloquos per mille volumina libros
Maxima cum teneas, & breviora lege:
Naturæque modo, quam rerum condidit auctor,
Concurrant ſtudiis celſa vel ima tuis.
Quæ genuit tigres, quæ nutrit terra leones,
Formicis, apibus præbuit ipſa ſinum.
Et ſi reſpicias, diſpenſet ut omnia rector,
Ingenium mites, vim meruere truces.
Ipſaque continuum virtus infracta laborem
Deſerit, & varias quærit habere vices.
Loricam ſolitus membris imponere miles,
Gymnaſii gaudet nudus adire locum.

Et

Et qui ferratas acies atque agmina vincunt,
Imbelles feriunt per ſua tela feras.
Ergo gradum retinens, & priſca volumina linquens,
Cede dies operi quod pia cauſa juvat.

DOMINO SANCTO BEATISSIMO

Atque Apoſtolico in toto orbe primo omnium Sacerdotum Papæ Vigilio Arator Subdiaconus ſalutem.

Mœnibus undiſonis bellorum incendia cernens,
Pars ego tunc populi tela paventis eram.
Publica libertas, Vigili Sanctiſſime Papa,
Advenis incluſo ſolvere vincula gregi.
De gladiis rapiuntur oves paſtore miniſtro,
Inque humeris ferimur, te revocante, piis.
Corporeum ſatis eſt ſic evaſiſſe periclum,
At mihi plus animæ naſcitur inde ſalus:
Eccleſiam ſubeo dimiſſa naufragus aula,
Perfida mundani deſero vela freti.
Transferor ad niveas Petri ſine turbine caulas,
Et fruor optati jam ſtatione ſoli.
Littoris ille ſinus ad carbaſa noſtra paravit,
Fluctibus in mediis cui via ſicca fuit.
Eſſe reus potero, grates ſi reddere ceſſem,
Unius officio diſplicuere novem:
Senſibus ardor ineſt, horum celebrare labores,
Quorum voce fides obtinet orbis iter.
Verſibus ergo canam, quos Lucas rettulit, actus,
Hiſtoriamque ſequens carmina vera loquar.
Alternis referabo modis, quod litera pandit,
Et res ſi qua mihi myſtica corde datur.
Metrica vis ſacris non eſt incognita libris,
Pſalterium lyrici compoſuere pedes.
Hexametris conſtare ſenis, in origine linguæ
Cantica, Jeremiam, Job quoque dicta ferunt.
Hoc tibi, magne Pater, cum defero munus amoris,
Reſpice, quod meritis debita ſolvo tuis.
Te duce tyro legor, te dogmata diſco magiſtro,
Si quid ab ore placet, laus monitoris erit.

ARATORIS HISTORIÆ APOSTOLICÆ.

LIBER PRIMUS.

Ut ſceleris Judæa ſui polluta cruore
Auſa nefas, complevit opus, rerumque creator,
Hoc quod ab humanis ſumpſit ſine crimine membris,
Humana pro ſtirpe dedit, dignatus ut ima
Tangeret inferni, non linquens ardua cæli;
Solvit ab æterna damnatas nocte tenebras,
Ad manes ingreſſa dies: fugitiva relinquunt
Aſtra polum, comitata Deum: cruce territa Chriſti,
Vult pariter natura pati, mortiſque poteſtas
Se vincente perit, quæ pondere merſa triumphi
Plus rapiens nil juris habet, divinaque virtus
Rurſus membra ligans, animata cadavera movit:
Ad vitam monumenta patent, cinereſque piorum
Natalem poſt buſta novant. lux tertia ſurgit,
Majeſtas cum carne redit, ſpeciemque coruſcam
Umbrarum de ſede refert: ut ab exule limo
Intercluſa diu patriæ repetatur origo,
Omnipotens parat ipſe vias, & corpora ſecum
Poſt tumulos regnare jubet, moriente veneni
Semine florigero ſua germina reddidit horto.
Jamque quater denis Dominus manifeſta diebus
Contulerat per ſigna fidem, cernentibus illis,
Uſque ad extremum diffuſo in limite mundum
Quos teſtes jubet eſſe ſuos: miracula rerum
Non poterant celare Deum: documenta reſurgens,
Quæ ſic certa daret quam mandans? corpora vitam
Hinc humana probant: cælum petiturus, olivæ
Progreditur luſtrare nemus, quia germine ſacro
Luminis & pacis locus eſt: vult inde reverti,
Unde creaturam ſignata fronte micantem
Divinus commendat odor, cum deſuper unctos
Abluit interius Chriſti de nomine Chriſma.
Tollitur aſtrigerum rediturus victor in axem,
Et ſecum quod ſumſit habet: nova pompa triumphi;
Arva Deus petit, homo ſidera: quis datur illi
Ætherea de parte fragor, quantumque reſultant
Cæleſtes in laude chori, cum rector Olympi
Evehit excelſis quidquid ſuſcepit ab imis?
Ingrediensque polum carnis comitante tropæo,
Exuvias atri raptas de fauce profundi,
Lucis in arce locat, terrenoſque erigit artus,
Quas pietate capit, propter quem venerat, ivit.
Diſcipulos ſtupor altus agit, quibus ore coruſco
Perſpicui dixere viri, quæ cognita nobis
Et miranda ſonant. nunc jam ſpeculemur ovantes,
Imperiique modum per ſubdita jura probemus.
Virgine matre ſatus, calcata morte reſurgens,
Cæli ſceptra petens, his nunciat acta miniſtris:
Nec ceſſent elementa ſuo ſervire Tonanti,
Stella omnes prægreſſa magos, venientis honori
Militat, obſequio nubes famulatur euntis.
Angelicis igitur poſtquam eſt afflatibus uſa,
Liquit oliviferi veneranda cacumina montis
Ad meſſem prælecta manus, qui calle citato
Mœnia nota petunt, quo per ſua ſabbata mille
Paſſibus ire licet, quia tunc ſtatione ſedebat
Porta Maria, Dei genitrix intacta Creantis,
A nato formata ſuo, mala criminis Ævæ
Virgo fecunda fugat, nulla eſt injuria ſexus,
Reſtituit quod prima tulit, non voce querelis
Excitat, aut gemitus, mœrentia corda fatigat
Antiqua pro lege dolor: ſcelera ipſa, nefaſque
Hac potius mercede placent, mundoque redempto
Sors melior de clade venit. perſona ruinam,
Non natura dedit: tunc femina fœta periclum,
Non timuit paritura Deum, mortalia gignens,
Et divina ferens, per quam mediator in orbem
Prodiit, & veram portavit ad æthera carnem.
Primus Apoſtolico parva de puppe vocatus
Agmine Petrus erat, quo piſcatore ſolebat
Squamea turba capi, ſubito de littore viſus
Dum trahit, ipſe trahi meruit: piſcatio Chriſti
Diſcipulum dignata rapit, qui retia laxet
Humanum captura genus: quæ geſſerat hamum
Ad clavem tranſlata manus, quique æquoris imi
Ardebat madidas ad littora vertere prædas,
Et ſpoliis implere ratem melioribus undis,
Nunc alia de parte levat: nec deſerit artem
Per latices ſua lucra ſequens, cui tradidit agnus
Quas paſſus ſalvavit oves, totumque per orbem
Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſummus
Surgit, & inſinuans divina negotia, coram
Sic venerandus ait: noſtis quia proditor amens
Mercedem ſceleris ſolvit ſibi, tædia noxæ
Horruit ipſe ſuæ, ſtringens in gutture vocem
Exemplo ceſſante ream, qui parte necari
Promeruit qua culpa fuit, crimenque retractans
Judi-

Judicio tali permiſit membra furori,
Aeris ut medio communi poneret hoſti
Debita pœna locum, cælo terræque peroſus
Inter utrumque perit, nullis condenda ſepulcris
Viſcera rupta cadunt, tenueſque elapſus in auras
Fugit ab orbe cinis: non hæc vacat ultio Judæ,
Quæ ſuprema negat, vindictaque mercis iniquæ
Sic placitura venit, nam, cum modo rura paraſſet
Funeris ex pretio, cum nomine ſanguinis emptus
Ceſpes in externas componens buſta favillas
De tumulis fœcundet humum, caret impius agri
Fertilitate ſui, ſoluſque excluditur arvis,
Quæ monumenta ferunt, cujus tuba ſæva cruentum
Eſt exorſa nefas, qui ſignifer oſcula figens
Pacis ab indicio bellum lupus intulit agno.
Nunc opus eſt votis quod verba prophetica clamant,
Quem liceat ſupplere vices. tunc ſumma precantes
Conſtituere duos, Joſeph cognomine Juſtum,
Matthiamque, Dei parvum quod nomen, ut ajunt,
Hebræo ſermone ſonat, humilemque vocando
Comprobat. o quantum diſtant humana ſupernis
Judiciis, parvo merito tranſcenditur ille,
Laude hominum qui juſtus erat, duodena refulgens
Signa chori, terriſque jubar jaculatur Olympi.
Hæc quoque lux operis quod præferat edere pergam.
Quatuor eſt laterum diſcretus partibus orbis,
Trina fides vocat hunc, quo nomine ſponte lavatur.
Quatuor ergo ſimul repetens ter, computat omnem
Quam duodenarius circumtulit ordo figuram:
Diſcipuliſque piis, quibus hoc baptiſma jubetur,
Myſtica cauſa dedit numerum remeare priorem.
Spiritus ætherea deſcendens ſanctus ab aula
Irradiat fulgore locum, quod ſtemma beatum
Eccleſiæ naſcentis erat, quibus igne magiſtro
Imbuit ora calor, dictiſque fluentibus exit
Linguarum populoſa ſeges, non littera geſſit
Officium, non ingenii ſtillavit ab aure
Vena, nec egregias ſignavit cera loquelas.
Sola fuit doctrina fides, opulentaque verbi
Materies, cæleſte datum, nova vocis origo,
Quæ numeroſa venit, totoque ex orbe diſertis
Sufficit una loqui. dudum vetus æquoris arca
Cum ſuperaſſet aquas, turrim voluere maligni
In Cælum proferre ſuam, quibus impia corda
Sermonum ſecuere modos, ſociiſque ſuperbis
Effectus cum voce perit: confuſio linguæ
Conſimili tunc gente fuit, nunc pluribus una eſt,
Eccleſiæ quoniam venientis imagine gaudet,
Concordes habitura ſonos, & pace modeſtis
Fit fœcunda redux, humiliſque recolligit ordo,
Quod tumidi ſparſere viri. res maxima cogit
Non reticere diu, quid ſit quod Spiritus almus
His datur in flamma Jordanis ab amne columba.
Quod nunc rite canam, promiſſaque debita ſolvam,
Si ſua dona ferat. duo ſunt hæc ſigna figuræ.
Ut ſit ſimplicitas, quam congrua diligit ales:
Quæ ne tarda gerat ſine dogmatis igne tepores,
Sit pariter ſuccenſa fides: ibi deſtinat undis,
Unanimes hic ore jubet flagrare docentes.
Mentibus inſtet amor, ſermonibus æſtuet ardor.
Hos etiam muſto typica ratione moveri
Error verus ait, quos ebria fonte recenti
Complevit doctrina poli: nova vaſa liquorem
Suſcepere novum, nec corrumpuntur acerbo,
Quo veteres maduere lacus: de vite bibentes,
Quæ Chriſto cultore dedit convivia turbis,
Unde rubent, quas vertit aquas, tenuemque ſaporem
Legis in Eccleſiæ fecit ferveſcere libris.
Tertia ſidereis inclaruit hora loquelis,
Hunc numerum Deus unus habet, ſubſtantia ſimplex
Perſonis diſtincta tribus, quam plurima nobis
Inſtrumenta patent, ſimul hæc & tempora monſtrant.
Primus at ille Petrus, cui ſervit in æquore greſſus,
Retia jam cupiens hominum vibrare ſaluti,
Ut piſcator ovans levet has de fonte catervas,
Retulit æthereos populo mirante triumphos.
Venit ad occiduas carnaliter editus oras
Humana ſub lege Deus, qui temporis expers
Principium de matre tulit: nec vile putavit
Majeſtate potens terreni ſumere formam
Corporis, atque opifex hominum pars eſſe, ſuoque
Nos pretio revocare ſibi poſt dona ſalutis,
Poſtque tot erectos pulſis languoribus ægros.
Cum defleta etiam perfunctaque corpora luci
Redderet, & ſuperas iterum concederet auras;
Se quoque permittens fuſus genitricis ab alvo
Carnis jura pati. vitam ne perderet orbis,
Maluit ipſe mori. ſed quod de Virgine fœta
Naſcitur, illud obit: ligno ſuſpenditur inſons,
Et ligni vacuatur onus: ſic vulnus iniqui
Fit medicina Dei: pavidis reſplenduit umbris,
Pallida regna petens, propria quem luce coruſcum
Non potuit fuſcare chaos: fugere dolores,
Infernus tunc eſſe timet, nullumque cohercens
In ſe pœna redit, nova tortor ad otia languet,
Tartara mæſta gemunt, quia vincula cuncta quieſcunt.
Mors ibi quid faceret, quo vitæ portitor ibat?
Hunc Deus omnipotens, cui numquam terminus inſtat,
Poſt ſacra buſta levat, radiantem in corpore Jeſum
Vidimus, & propriis reducem conſpeximus aſtris.
Sed fugite, o miſeri, funeſta piacula gentis,
Cui veniente Deo veteres avertere noxas,
Addita ſacrilegæ creverunt vulnera culpæ.
Cur natos Judæa tuos per vota cruoris
Parricida trahis? quid Chriſti ſanguine fuſo
Hos tecum damnata premis? necdumque creatos
Feſtinas proferre reos, homicidaque lingua
Naturæ percuſſit iter, cui ſerior ortus
Quam facinus, diſcrimen alit, ſcelerumque propago
De natale perit, quæ ſaucia voce parentum
In lucem punita venit: ſi ſolvere cura eſt
Fœcundi crementa mali, felicibus undis
Extinctum reparare genus, ſpes una remitti
Debita ſupplicii, poſt crimina velle renaſci,
Multiplicat jam paſtor oves: tria millia vulgi
Non minus illa dies in flumine diluit agni.
Hic primum poſt juſſa Dei baptiſmatis uſus
Exoritur, data jura probans, nam trina poteſtas
Colligit hanc prolem, numerum partita per æquum.
Perfectum eſt quod mille ſonat: ſic denique ſeclis
Ponimus ætates, cum tempora dicimus orbis.
Res perfecta ſemel ter jungitur, & facit agmen.
Myſtica vis numeri: gregis eſt pia forma novelli.
Funditur interea per cunctos gratia ſenſus,
Divitiaſque merit locuples in amore voluptas.
Utque pii coeant in fœdera pignore certo,
Res laxant & corda ligant: ſine limite cenſus
Affectu conſorte, licet nova jura, beatis
Munifica fluxere manu, quibus ubere læto
Diviſæ geminantur opes, & creſcit in omnes
Quod faciunt commune ſibi, totumque capeſſunt
Qui proprium nil eſſe volunt: quo fonte cucurrit

Hæc probitas, quæve illa fuit bonitatis origo,
Hinc canere incipiam. ſacris bis ſpiritus almus
Diſcipulis conceſſus erat; nam ſpirat in illos
A Chriſto ſurgente ſemel. poſt miſſus ab aſtris,
Neſcia verba viris facundus detulit ignis.
Ne quid inexpertum ſtudio meditemur inani,
Spiritus alme veni, ſine te non diſceris umquam,
Munera da linguæ, qui das in munere linguis.
Hæc iterata reor, confirmant præmia juſtos,
Ut duo juſſa colant, tabulis conſcripta duabus.
Dilige mente Deum ferventi plenus amore.
Rurſus ait, carus quoque ſit tibi proximus ut tu.
Hoc pactum jus omne tenet, quod ſpiritus almus
Bis veniens per corda creat: ſemel hunc dedit auctor
In terris ut ametur homo poſt miſit ab aſtris,
Ut flagrent humana Deum. dilectio prima eſt,
Quæ Dominum vehementer amat, cui deinde ſecunda,
Quæ ſociat mortale genus: tamen incipit ante
Poſterior numero, ſequitur comitata ſecundam,
Quæ prior eſt, ſic forma docet: niſi diligis, inquit,
Cernere quem potis es fratrem quem cernere non eſt,
Neſcis amare Deum, concordia nexa caleſcat.
Ergo pari voto, Dominumque in pectora condat
Fratris amor, geminæ tibi ſit ſubſtantia cauſæ.
Claudus erat, cum prima dies exordia vitæ
Membrorum cum ſtrage dedit, languore coævo
Octo luſtra gerens, ad quem comitante Joanne,
Reſpice, Petrus ait: votum ſpes luſit avarum,
Cumque negat meliora parat, qua ſæpe gravatos
Deſperata juvant, & ſemine nata ſiniſtro
Proſperitas, celans mœſtis confinia læta
Principiis, ad vota venit: gaudebis egenus
Plus vacua meruiſſe manu, qui munera poſcens
Et datur ipſe tibi: nulla hic mihi vena metalli,
Reſpondit, quæ fundat opes: ego ditior ægro
Pauper ero, progreſſus abi. de voce jubentis
Exiliit medicina potens, atque hoſpite greſſu
Convixere pedes, cunabula longa relinquens
Calcavit veteranus humum, plantiſque novellis
Materies ſe priſca movet, cui præpete curſu
Protulit inceſſus quidquid non edidit ortus.
Stat facti manifeſta fides, ſed & altera nobis
Res aperit quod cauſa gerit, gens nomen ab illo
Iſrael dicta tenet, qui bella reliquerat æger
Conatus certare Deo: tulit ipſe figuram
Corporis ante gravem: quam poſt in vulnere mentis
Iſrael claudus habet, qui per ſua crimina labens
Corde magis, quam carne fluit, ſpatiiſque ſub ipſis
Quadraginta annos Ægypti fine remotus
Claudicat, Ægyptum cupiens, atque idola quærens.
   Ponitur ad portam ſpecioſam debilis, ultra
Non valet ire miſer, nec limina tangere portæ.
Culpa negavit iter: qui ſunt qui pectore claudum
Iſrael ferre ſolent portæque adjungere certent,
Quæ ſpecioſa ſuo prodit de nomine Jeſum?
Iſaias, Daniel, ſimiles quique ore prophetæ,
Obſcuris manifeſta canunt miracula Chriſti,
At portæ qui nomen habet, ſic admonet ipſe:
Porta ego ſum vobis, qui per me intrare recuſat,
Jure erit ille nocens; poſſunt portare prophetæ
Ad portam, cernenda magis quam viſa loquentes:
In templum non ferre queunt, hæc janua Petro
Credita, qui Chriſtum confeſſus, cognita monſtrat,
Non ventura ſonat: vetus o ſine fine jacebis,
Ni Petrum jam claude roges, qui noxia pellens,
Auri vitat onus, rerum cui cenſuit auctor
Nec peram geſtare ſibi: pete dona ſalutis,
Non fragiles ſecleris opes, quas ſpernere debet
Cum Domino qui dives erit: poſt limina templi
Porticus hunc Salomonis habet, qui jure vocatur
Pacificus regnante fide. quis fert per in orbe
Pacificus, niſi Chriſtus erit? hic protegit omnem
Qui Petro ductore placet. quo Præſule ſurgit.
   Agmine jam niveo per millia quinque virorum
Eccleſiæ creſcebat apex, arcere laborat,
Hunc Judæa colit, cujus de munere fluxit
Quod virtus operata dedit, ſed linquere Chriſtum
Petri neſcit amor: non hunc reticebimus, inquit,
Quo remeat præſtante ſalus, qui jure creantis
Infectum ſupplevit opus, ſolidumque decorem
Pars reparat quam juſſa novant, hinc membra Redemptor
Saucia reſtituit, qui mortua ſurgere fecit.
Fert animus patrare nefas, ſanctiſque verendis
Sacrilegas inferre neces: o ſemper iniqui,
Dona vident, & bella movent, ſed cœpta relinquunt,
Ne violent quos turba fovet, quibus indice claudo
Teſtis erat meriti, cumque hoc ſua corda levabant.
Nam non parva dedit populo miracula greſſus.
Quem rudis atque ſenex nullis jam legibus ævi
Vernula ſumpſit humi, cum quo ſtupet ipſa moveri
Quæ jacuit natura diu, firmataque nuper
Inceſſu properata novo veſtigia ſignat,
Quæ fuerant aliena ſibi: tamen improba proles
Sævit adhuc, farique vetat, quod gaudia clamant.
   Quid toties Judæa cadis? ſurrectio Chriſti
Ut furto celetur emis? ſed inania demens
A ſomno documenta petis, livore caduco,
Quæ ſentis virtute geri, vis fraude negari.
Infernum Dominus cum deſtructurus adiret,
Detulit inde ſuam ſpoliato funere carnem.
Victor ab arce crucis radiantia ſigna miniſtrat,
Sol ruit in tenebras, tu pectora nigra rebellas.
Arva tremunt concuſſa locis, tu fixior hæres.
Saxa crepant, tu dura manes, jam ſciſſio veli,
Quæ latuere diu, nudavit myſtica templi.
Lux tua nos adiit, tecum nox ſola remanſit,
Mors ſine fine premit, cui numquam vita reſurgit,
Planta vetus ſociare novis, & condere libris,
Ne pereas viduata cibis, ſine munere quorum
Arida ficus eris, nullo quia tempore fructum
Ad Chriſti vis ferre manum, neque cernere quantum
Floruit inſertus faciens oleaſter olivas,
Plenaque per gentes de ſpinis pullulat uva.
Imminet exhauſtis radicibus ira ſecuris,
Ut ſucciſa ruas, ni jam tranſlata vireſcas.
   Poſtquam mira ſalus in corpore nata vetuſto
Diſcipulis audita liquet, gentiſque ſuperbæ
Cognovere minas, celebrant his vocibus hymnum:
Tu qui cuncta Deus propriis animata figuris
Artifici ſermone facis, quique edita cernens
Ante vides, rerumque creas per nomina formas:
Cum fierent, vox ſemen erat, nec diſtulit ortus
Imperium natura ſequens: mox ſpiritus oris
Æthera curvavit, ſola nexuit, æquora fudit,
Materiamque operis ſola eſt largita voluntas.
Ne deforme jugum ſimilis portaret imago,
Tegmine ſervili latuit regnator Olympi,
Ut ſua gentiles implerent cœpta furores.
Qui dolus Herodis, cum triſtia bella moveret
Infantum mandata neci, quos ubere raptos
Vulnera ſuſcipiunt, parvis errantia membris,
Vix habitura locum, ſævoque jubente Tyranno

Naſci pœna fuit, cujus tulit impetus ævum,
Quem neſcivit agi, qui perdidit. o nova mortis
Conditio, ſolo vitam pro fine ſubire!
Et cum prima dies atque ultima ſit ſimul una,
Poſſe magis quam ſcire mori. quis lumine ſicco,
Aut gemitu ceſſante queat memorare, Pilati
Quod deflent elementa nefas? quo judice Chriſtus
Subdere pro mundi voluit ſua membra periclis,
Ut carnale malum caro ſolveret, & ferus hoſpes,
Cujus ab ingenio fluxerunt tela veneni,
Perderet antiqui lacrimoſa piacula belli,
Materia ſuperante pari: ne criminis ultra
Per ſobolem prodiret onus, damnatio juſti
Libertas eſt facta reis. da ſemina verbi
Per tua dona coli, ſignisque novalibus uſa
Colligat iſta manus te fructificante maniplos,
De quibus ipſe tui componas horrea cæli,
Triticeamque fidem lolio pereunte corones:
Qua ſancti fulſere pedes, concurrere viſa eſt
Pondere terra gravi, moxque almus Spiritus illis
Splenduit, & ſignis facundia crevit obortis:
Auditæ valuere preces, humana propago,
Materies terrena ſumus, limumque parentem
Nomine prodit homo: vis flexuit & impulit arva
Vocis Apoſtolicæ, quæ de tellure creatos
Fecit habere fidem, ſed quod magis exilit unus
Concutiturque locus, cecinit ſcriptura decoros
Pacem ferre pedes, horum ſed greſſibus ergo
Læta movetur humus, quibus eſt ſermone magiſtri
Pax commiſſa pii, quæ deportata per illos
Exiit in cunctas veloci munere terras.
  Ecce tot egregiis unum cor eſſe catervis
Incipit, atque animam populus nanciſcitur unam.
Quis dubitare queat myſteria dogmatis, unum
Perſonas tres eſſe Deum? cum millia vulgi
Conveniant ſub mente pari, numerique frequentis
Sint animi velut unus homo: quæ turba perennem
Portatura crucem, dominumque ſecuta fidelem
Sprevit agros, habitura polos. hæc nempe facultas
Fortior eſt de parte magis conquirere totum,
Atque caducorum penſare manentia cauſis,
Et quæſtum per damna ſequi: non prodige rerum
Venditor iſta facis, ſed qui tua jura tenere
Ambitioſe cupis, parvoque in tempore linquis,
Quod ſemper vis eſſe tuum; ſic ſpargere rura,
Nolle carere fuit, quid enim ſubſtantia prodeſt,
Quæ ſervata perit? quam ſideris arce locatam,
Commodius qui cedit habet. pete creditur inde
Uſuræ majoris opem, gazaſque reconde
Quo nequeant adverſa pati, non deterit ullus
Perpetuas ibi caſus opes, ſine fine tenebit
Quæ Dominum debere facis. nunc aſpice partes
Lector docte pias, & tecum mente ſagaci
Volve quid eſſe putes, rutili quia pompa metalli
Ponitur ante pedes, non ſacris tradita dextris:
Deſtitui debere probant. quod tangere vitant:
Calcandumque docent, quod ſubdunt greſſibus aurum:
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ,
Conſimili jactatur humo: quo ſiſtat avare
Mens tua diſce loco, quod tu cuſtodis anhelus,
Quod ſtatione premis, quod cernere ſæpius ardes,
Cujus in amplexus per ſomnia cuncta recurris.
Horreſcunt tractare pii, nec tunc quoque geſtant,
Cum bona facta parat, quantum ſpeculantur in illo
Stare nefas, & dona gerens contemnitur aurum.
  Occidit infelix Ananias vulnere culpæ,
Fit cenſus ſub fraude ſui: cadit impia conjux
Supplicio percuſſa pari, quia crimine ab uno
Fit commune nefas, quoties ſcelus ante peractum
Conſenſus facit eſſe ſuum, nam mentis avaræ
Vindex illa fuit ſententia, denique quando
Auri ceſſat amor, qui pectora ſemper adurit,
Quo rapitur mortale genus, quo pullulat omne
De radice malum, cujus violentior ardet
Ambitio creſcente modo, ſtimulantque rapinis
Addita lucra famem: ſed quod mutata voluntas
Falſi crimen habet; cumque eſt jam cautio voti,
Stare decet, nec velle prius violare ſequenti:
Jus proprium retinere magis, quam demere, fas eſt.
Omnibus exemplum ſanxit vindicta duorum,
Ne quis dona vocet, quæ ſponſio debita poſcit.
Reſpice vera fides, ac dogmata clara beati
Verba require Petri: quiſnam te fallere ſuaſit,
Concluſitque probans? homines haud talia fando
Deludis mentite Deo: quæ damnat iniquos,
Ædificat doctrina pios, quod Spiritus almus
Sit Deus, ex multis plena eſt inſtructio libris.
Et tamen hinc capit arma fides: quo tendimus ultra?
Quis dubitet quod Petrus ait? qui jure venitis
Ad latices, hoc ſtate loco ſatis hoſtibus obſtat
Eccleſiæ quod forma ſonat, diviſor amare
Judicium de fine time: qui criminis auctor
Erroriſque tui eſt, fuſa ruit Arrius alvo,
Infelix plus mente cadens, letumque peremptus
Cum Juda commune tulit: qui gutture pendens
Viſceribus vacuatus obit, nec pœna ſequeſtrat,
Quos per culpa ligat. qui majeſtatis honori
Vulnus ab ore parant, hic prodidit, ille peremit
Sacrilega de voce rei: Deus arbiter orbis
Perſonis tribus eſt, in quo ſimul una poteſtas
Abſtulit hic ſpecies operum bonitate creatas,
Qui fabricatoris non inſpexere decorem,
Errantesque putant qui fecerit omnia factum.
  Fama ciet populos ad myſtica ſigna ſalutis
E cunctis properare locis, & peſtibus ægros
In lectis deferre ſuis, quos urbis in illa
Parte locant, qua ſacra tenet veſtigia Petrus.
O mihi ſi curſus facundior ora moveret,
Centenoſque daret vox ferrea, lingua diſerta
Hac in laude ſonos, quantum ſpecioſior eſſet
Ambitus eloquii, variis aperire figuris
Singula, nec modicis includere grandia verbis,
Quæ fuerit rerum facies, cum tempore parvo
Morborum cecidere greges, & fluxit ad omnes
Improviſa ſalus, quam corpore fuſa ſereno
Luminis umbra creat. dubiaque a morte remoti
Erexere caput ſed non deprendere viſu
Auctorem potuere boni, quibus ardua virtus
Occultat quam præſtat opem, reſque ante paratur
Quam ſpes ulla foret, furtivaque præmia vitæ
Dat medicina latens, & anheli corporis æſtum
Ignaro languente rapit, quam neſcit adeſſe
Qui veniſſe probat, creſcitque potentia facti
Agnitione carens, cujus ſplendoris imago
Omnia pervolitans, tactuque nocentia mundans
Stat donis fugitiva oculis, & munere plenos
Linquit ubique toros, hoſteſque a ſenſibus atros
Projicit, ac nebulis larvalibus exuit artus.
  Incitus, & curis hominum de calle frequentans
Excute Petre gradus, tecum medicina ſalutis
Ambulat, adde viam; ſpes eſt ad gaudia velox,
In pedibus non eſſe moram: tua ſemita vita eſt.

Si properas, jam nemo jacet : tu motibus umbræ
Corpora cuncta levas, atque hæc ſimul inſcia voti
Sumit turba jacens : quod cum rogat, accipit unus.
Omnibus ergo ſalus uno poſcente venibat.
Quærite quos agitat tanti reverentia facti,
Quod typicum res iſta ferat, libriſque volutis
Noſcite quod ſoli celſa eſt hæc gloria Petro,
Quæve ſub hac ſpecie lateant documenta, videte,
Quæ tentabo loquens, & ſi datur iſta facultas,
Aridus ut magnas impellat rivulus undas:
Rurſus ab antiquis veniunt miracula cauſis,
Firmior in cunctis capitur ſubſtantia rerum
Corpore ſenſa ſuo, ſequitur quæ a corpore certo
Funditur, & ſolidam non terminat umbra figuram.
Sed tamen ipſa ſibi præcedere corpora ſignat.
Eccleſiam terris colimus, quam prodere nullum
Ætheream dubitaſſe licet : ſed verior illa eſt,
Quæ ſuper aſtra manens, cæleſtis & alta vocatur:
Hæc in tranſcurſu dubii quæ cernitur orbis
Ad vitæ datur eſſe viam, ſpatioque ſub iſto
Deſtinat æternæ quos colligit, atque probatis
Hinc iter eſt excelſa ſequi, regit agmen utrumque
Petrus, & hinc ductis ſorti dat ſidera turmis,
Ut patuit per verba Dei : quod ſolveris, inquit,
Quodque ligas terris, ſic vinctum ſive ſolutum
Æthere perdurat, culta hæc quam cernimus arvis,
Ergo figura foret : firma eſt quam nubila geſtant.
Petrus utramque regens, ibi corpus, & hic parat umbram,
Et quos hic vitiis noxiſque reſolverit ægros,
Innocui ducantur ei, quæ permanet aſtris,
Suſceptura pias hac emundante catervas.
Interea templi zelo mordere priores
Eccleſiam creviſſe dolent, animæque colonos
Ne ſpargant, quod corde metant, in ſede relegant
Carceris, ut deſint naſcenti ſarcula meſſi.
Angelus adveniens tenebroſa volumina noctis
Reppulit, & ſubito micuerunt antra ſereno,
Erumpenſque dies alieno tempore ſanctos
Ad templum facit ire viros; ſed cardine fixo
Irrita ſignato cuſtodia permanet antro,
Stanſque ſuis foribus vallante crepidine carcer
Clauſus Apoſtolicis veſtigia pandit aperta
Greſſibus, & vigiles illudit janua fallax.
O numquam neglecta fides, cui ſubjacet illud,
Quod natura negat, propriis quam legibus uti
Non ſinit Omnipotens, quoties jubet ipſe viciſſim
Poſſe, quod inſolitum fieri mirata perurget.
Si quis adhuc fragili meditatur pectore Thomam,
Hinc documenta petat, quia tunc penetrata recepit
Janua clauſa Deum. mirum eſt, ſi corpore portam
Sic adeat quem virgo parit, quem viſcera matris
Integra concipiunt? humanam quæ, rogo, carnem
Sumere cauſa fuit, niſi ſuſcitet? inde reverſus
Exhibuit pro teſte latus, noſtrique favillas
Corporis exemplo proprii docet eſſe novandas
Vulneribus ſua membra probans. modo Didyme diſcis,
Quam fuerit dubitaſſe nefas, an fecerit auctor,
Quod vobis licuiſſe vides. ſi volvere ſenſu
Cura ſubit quod Chriſtus ait, non indiga vocis
Eſt ſpecies, cur has ſancti liquere tenebras?
Dixit, opima parans, hos luminis eſſe miniſtros,
Et candelabri poſitas velut arce lucernas
In tota fulgere domo, nox nulla retentat,
Quos lumen lux ipſa vocat, qui dona ferentem
Et teſtem meruere Deum, qua lege cavernis
Occuleret locus ille ſuis, tot in ordine ſoles,
De quibus ut tenebras pulſis erroribus orbis
Vinceret, æternam meruit cognoſcere lucem.
Jura miniſterii, ſacris altaribus apti
In ſeptem ſtatuere viros, quos undique lectos
Levitas vocitare placet : quam ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.
Hoc numero delatus honor ſublimia ſecum
Sacramenta gerit, per quæ nunc longius ire
Non patitur menſura viæ, ne plura locutus
Inveniar dixiſſe minus. ſit cura miniſtris
Officium librare ſuum, quo laudis amictu
Hunc deceat lucere chorum, quem myſticus ordo
Conſecrat in numero, cui dant cæleſtia formam.
Promiſſum ſervabo modum, venerabilis orbi
Cœtus ait : verbi potius nos convenit omnes,
Quam menſæ captare cibos, o gloria dives!
Oris Apoſtolici numquam permittere plebem
Virtutum ſentire famem : diſperſa talenti
Creſcere ſumma ſolet, commiſſa pecunia linguæ
Diſplicuit, cum ſola fuit, locus indicat iſte,
Quod meliora rudi populo ſint fercula mentis,
Quam fuſæ per membra dapes, lauteque peritum
Nutriat ingenium verbi pinguedo ſuperni.
Nam quid corporeæ proſunt alimenta ſaginæ,
Eſuriente anima? cujus jejunia paſci
Semper ab ore decet, menſam ut tendamus ad illam
Eloquio ſordente venit, ferat eſca ſalutem
Progrediens de pane poli : gula pectoris ipſum
Ambiat, atque animi pleno guſtare palato
Interior feſtinet homo. ut vilior eſſet,
Cauſa relicta tamen, claris tractanda miniſtris
Creditur, & numerum tenuit pretioſa ſupernum.
Emicat hinc Stephanus, primus qui in agone coronam
Nominis hujus habet, de quo prænuncia palmæ
Vox cecinit quod cauſa dedit, fere prælia martyr
Felices habitura neces : ubi gloria pœna,
Et cadere eſt ortus, juguliſque patentibus ævum
Naſcitur, æternæ complectens munera vitæ.
Vitæ principium fuit en fine fine beatæ,
Sic meruiſſe mori : lapides Judæa rebellis
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea ſemper eris : hunc denique Chriſtus adaptat,
Ad quam miles ovans, per vulnera ſacra vocatus,
Sanguine fecit iter, cupienſque in præmia vitæ
Hac properare via, nivei meritus honorem
Callis, ad excelſi pergit faſtigia regis,
Et per tot lapides petræ conjungitur uni.
Quis furor iſte novus, nulli feritate ſecundus,
Parcere nolle pio? vibrantibus acta lacertis
Saxa jacis, parat ille preces, nec reſpicit unde
Grando nefanda cadat, qui tempore mortis amicæ
Pro populo peccante rogat : licet omnia tecum
Tela feras, ſiliceſque graves, & pondera libres,
Quem perimis, victurus erit : qui ſine colono
Seminat exemplum, quo ſurgat vinea Chriſti,
Et calicem Domini convivia feſta coronent.
Lumina cordis habens, cælos conſpexit apertos.
Ne lateat quod Chriſtus agat, pro martyre ſurgit,
Quem tunc ſtare videt, confeſſio noſtra ſedentem,
Quum ſoleat celebrare magis, caro juncta Tonanti
In Stephano favet ipſa ſibi, dux præſcius armat,
Quos ad dona vocat, ne quis hic dimicet anceps.
Corpus in arce Dei patuit, pro munere teſtis
Ad Sauli poſuere pedes velamina ſævi.
Infernum quod Hebræus ait, jam conſtat utriſque:

Hinc

Hinc meritum ſentire ſuum, cum ſidera martyr,
Carnifices inferna petunt, ſors prima revelat,
Exemplumque creat, quod talia belli gerenti
Hoc de fonte fluit, ſic occidentibus, ut mox
Tartara ſuccedant, morientibus aſtra pateſcant.
Sæpe ſibi ſocium Petrus facit eſſe Joannem,
Eccleſiæ quia virgo placet: quo denique juncto
Samariæ vicina petens, baptiſmatis undis
Ablutas ſignavit oves, quibus affuit almus
Spiritus, & varias fecit procedere linguas.
Fonte quidem lotus, ſed non in pectore mundus
Hic fuerat Simon ille Magus, quem prodidit orbi,
Pœna ſequens neſciſſe fidem, contractibus auri
Munera vult æquare Dei, nummiſque referre
Quod pretio mercator emat, quem talia Petrus
Attentare videns: quiſnam te perdite, dixit,
Movit ad iſta furor, Domini quod gratia donat,
Ut venale putes? ſenſu hoc, non ſumitur auro.
Nec licet ut Cælum corrupta pecunia quærat,
Quam terræ ſcrutator amat. tibi nulla profecto
Hac ſupereſt in ſorte quies, nec ad iſta venire
Tu poteris pollute dolis, qui cordis amari
Felle tumens, aliena petis, namque atria mentis
Spiritus illa ſubit, quæ ſimplicitate niteſcunt.
Hac de voce ſacræ lux eſt manifeſta figuræ.
Eccleſiæ ſpeciem præſtabat machina quondam
Temporibus conſtricta Noe, quæ ſola recepit
Omne genus, clauſiſque ferens baptiſmatis inſtar,
Cum vaga letales pateretur turba procellas,
Ad vitam convertit aquas, ſimul ipſa columbam
Diluit, & corvum, ſed non concordia mentis
Fecit utroſque pares, hunc guttura plena rapinæ
Subduxere viæ, cupienſque in funere paſci,
Nil potuit vitale ſequi, redit ales amica
Frugibus, & nullis ſuccumbit naufraga lymphis,
Nutrici de morte timens, ſtudioque laboris
Dat documenta pii, quanto teneatur amore
Plus operi devota fides, roſtrique modeſti
Pignus oliva fuit, dilectio ſemper in ore
Fructum pacis habet, volitant in fluctibus ambo,
Ex uno ſanctoque ſinu ſervantis in alvo
Purgati vallante freto, tamen exulat unus,
Et reditu ceſſante perit. non ergo ſaluti
Sufficit unda lavans, niſi ſit ſine felle columba,
Qui generatur aquis. Simon hic baptiſmatis undam
Contigerat: ſed corvus erat, ſua lucra requirens
Quæ numquam meruere Dei, qui limine templi
Vendentes arcere ſolet. meliora ſequamur,
Petrus ad iſta vocat, qui filius eſſe columbæ
Dicitur ore Dei, meritoque hac matre creatus,
Eccleſiæ ſublimat opus, de munere prolis
Nomen habet genitrix, quod Spiritus eligit almus
Alitis innocuæ dignatus imagine cerni.
Angelus alloquitur plenum virtute Philippum
Auſtralem celerare viam, qua ſpado jugatis
Æthiopum pergebat equis, qui fidus in aula
Reginæ ſervabat opes, volat axe citato
Gaudia fixa petens, curruque merebitur ipſo
Errorum jactare rotas. o quanta bonorum
Semina percipies, qui tam pretioſa lavacri
Sumere dona venis, ſterilique in corpore condis,
Quod fructu meliore metas, impone Philippum,
Cur oris quod Hebræus ait, qui mentis honorem
Nomine teſte probat: juvat hunc audire magiſtrum,
Diſcipuli quia jure docet: dabit ipſe, prophetæ
De quo verba ſonant, cum quo omnia fecerit olim,
Qua fuerit nunc parte ſatus: ſi credulus audis,
Et tibi naſcetur, tuque inde renaſceris illi.
Conſpectis properanter aquis ardeſcere cœpit
Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite merſus,
Depoſuit ſerpentis onus, plauſtroque cucurrit
Eliæ meditatus iter, non parva figuræ
Cauſa ſub obſcuræ regionis imagine lucet.
Comprobat opraticus, tædarum fœdere Moſen
Æthiopem ſociaſſe ſibi, quem dogmata produnt
Poſtea cum Domino vicinius ore locutum.
Quid mirum, ſi legis amor tunc creſcere cœpit,
Eccleſiæ cum juncta fuit? quod ſponſa perennis
Hac veniat de gente magis, nec cantica celant
Quæ fuſcam, pulcramque vocant: hæc pergit ab auſtro
Æthiopum qui torret humum, Salomonis in ore
Pacificum laudare ſuum, quo nomine dudum
Signatum eſt quod Chriſtus habet: jam debita mundo
Cuſtodem præmittit opum, quo pignore gazas
Incipiat proferre ſuas. theſaurus in illa
Quis potior quam fontis honor? quod ditius aurum,
Quam locuples ſub corde fides? quam denique recte
Prævius huic ſpado eſt, qua procedente libido
Pellitur, & capiunt cæleſtia regna pudici.
Saulus acerba fremens committere bella Damaſci
Judaica feritate parat, ſed amabitur agnus,
Quo properat ſævire lupus, ſors læta ruinæ,
In qua culpa cadit, didicitque e corpore lapſo,
In mentis jam ſtare gradu, cum lumina claudit,
Pectora tunc aperit, cælique agnoſcitur auctor
Diſcedente die, quantum meruere tenebræ:
Poſt oculos majora videt, mirabile ſeclis
Exemplum dedit alma fides, Anania furorem
Excutit, o nova palma! lupum domat ille rapacem,
Hebræus quem dixit ovem. clamabitur orbi
Hoc precone Deus, legiſque exutus ab umbra,
Sub qua cæcus erat, terras lucebit in omnes
Perpetuo de ſole canens. ne deſine Saule
Hunc celebrare diem, multorum lumine plena
Nox datur iſta tibi, tuque hic tua nubila portas,
Ut mundi purgare queas: nunc plena figuris
Interius documenta ſequar, tectumque latebris
Aggrediar proferre jubar, quod tempora Saulus
In tenebris triduana gerit, facit eſſe fidelem
Exempli menſura virum, tandemque coactum
Pœna magiſtra docet, Dominum ne reſpuat ultra
Poſt triduum ſuperaſſe chaos, cum ceperit ipſe
Sic viſus reparare ſuos, quod ab orbibus atris
Et ſquamæ cecidere graves: natura quod anguis
Ferre ſolet, ratione viget: Judæa venenum
Semper ab ore vomit, crudelior aſpide ſurda
Perfidiæ coluber ſynagogæ ſibilat antro.
Diſcipulis ſalvator ait; calcabitis angues,
Purior obſequiis ut ſit cæleſtibus actus.
Vipereum jacit ante nefas, & prælia doctor
Mox meliora gerit, qui cum ſuperaſſet iniquos,
Inſidias meruit clauſis evadere portis.
Sporta ſolens texi juncis, palmiſque viciſſim
Tegmina dat Saulo, retinens in honore figuram.
Eccleſiæ nam juncus equis, & palma coronis
Semper ineſt, juvat Eccleſiam baptiſmatis unda,
Martyriique cruor, dudum veſcente caterva
Nutrici ſubdente cibi, diſtendere ſeptem
Sportarum cæpere ſinus, tot in orbe profecto
Eccleſias ſcriptura canit, quod Spiritus illic
Sic operator adeſt, & ſignat nomina virtus,
Cum tamen Eccleſiam celebremus in omnibus unam.

Pro-

Protegit ergo virum ſpecies, cui militat ipſe
Vas in vaſe manens, atque hac duce tutus ab hoſte
Egreditur cunctis dolor cui vincit in armis.
Pervigil excubiis commiſſi Petrus ovilis,
Poſtquam cuncta videns luſtravit in ordine ſanctos,
Per Lydiæ tulit arva gradus, ubi mœnibus aſtans
Reſpicit Æneam defunctis vivere membris,
Atque anima nodis laxata mole ſalutis
Non moriente mori. ſurgens paralytice, dixit,
Vectorem compone tuum, nec reddere tardes
Officium portare diu, quo munere vocis
Stringitur in ſolidum, qui fluxerat antea nervis.
Tunc iterum formatus homo, longique cadaver
Temporis, extinctos ad vitam ſurrigit artus,
Seque levans vacui linquit monumenta cubilis,
Quod miſero pars mortis erat. plebs cuncta per illam
Cœpit ſtare viam, multiſque ſupervenit ampla
Unius languore ſalus, tactoque liquore
Expulit incluſi ſua mox contagia morbi,
Fonte lavans animas alieno robore firmas.
Eloquar hinc ſacræ quæ ſint arcana figuræ,
Si mihi corda movet, cujus vox corpora reddit.
Octo quod annorum languoris proditur ætas,
Jure per hoc tempus membris defecit ademptis,
Antiqua ſub lege tacens, jugulantia quippe
Vulnera ſemper habent, quorum ſit ſaucius inſans
Octavo veniente die: ſanavit ab illa
Parte gravem, lacerumque diu diſcrimine carnis
In liquidis ſolidavit aquis: octavus ut ægrum
Solveret a plagis extincti corporis annus,
Quo numero veniente die, ſolemne reſurgens
Jam Chriſti ſacravit opus, ſtat temporis uſus,
Sed voto meliore redux, hinc vulnera ſerpunt,
Hinc ablata ruunt, ubi ſubdita regula pœnis.
Hic purgat medicina vadis, ſpatioque priore
Dudum laxa neci ſtringuntur membra ſaluti.
Signatis etiam numero paralyticus annis
Ille jacebat iners, cui proxima mota Siloa
Heu nullas præſtabat aquas, piſcina ligata
Porticibus, Judæa fuit, namque atria quinque
Ad ſua clauſtra tenet, per quinque volumina Moſi
Legis adepta modum, cujus circumdata gyro
Debilis æternum vidit ſine munere Jeſum,
In libris ægrota ſuis, hinc eripit unum,
Cui veniens peccata tulit, quam rite figuram
Mundus ubique gerit, quem poſtquam ſabbata ſolvens
Impulit ad fontem, ſuperavit gratia legem.
Petrus ad eccleſiam revocat documenta magiſtri,
Cujus in orbe manu paralyticus exilit unus,
Et gradiente fide ſua vincula proiicit orbis.
Te quoque laude potens, cæleſtibus inclyta ſignis
Carminibus Joppe canimus, qua ſede Tabitha
Manſuras fundebat opes, & ſemper egenis
Munere mater erat, quæ vitæ tempore clauſo
Ponitur in medio, lacrimis plus tota feretro
Poſt funus victura ſuum, fiducia Petrum
Evocat, ille gerens divini pignus amoris,
Ut numquam pietate vacet, quod vota requirunt,
Præſtaturus adeſt, lugentia tecta petenti
Stant inopes viduique greges, & brachia monſtrant,
Exuviis onerata ſuis, quas Dorcadis ipſis
Texuerant, dederantque manus, o qualia fervens
Implorat fomenta dolor; non murmure triſti
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Inſtrumenta precum; quidquid benefacta merentur,
Officiis voluere loqui, vociſque repulſam
Elegere ſuæ, lateant ne vulnera cordis,
Quæ lacrimis fecere viam: facunda gementi
Materia eſt, dixiſſe nihil, nimiumque ſonora
Cauſa petit, quod lingua tacet, nec ceſſat ab aure
Clamoſa pulſante fide, qua Petrus aditur
Qui mentes audire ſolet: jubet ocius omnes
Ire foras, flexoque genu fit pronior auris.
Tunc magis alta petens, oratio fuſa Tonanti
Mox ſuper aſtra volat, propriiſque a clavibus intrat.
Dic ubi ſunt mundana tuæ ſapientia leges,
Qua virtute negas in ſe corrupta reverti,
Quæ vitam de morte vides? ut munera Petrus
Senſit adeſſe Dei, quibus eſt reddenda ſaluti
Quæ defleta jacet, fatur converſus ad illam,
Surge Tabitha, vocata redit, lucique reducta
Se ſtupuit ſupereſſe ſibi, quam protinus ipſe
Prendit, & erectam turbis gaudentibus offert.
Illa manus meruit Petri contingere dextram,
Pauperibus quæ larga fuit, qua vita revertens
Cetera membra levat, corpuſque itura per omne
Hanc ſubiit quæ cauſa fuit, ſi jure movemur,
Inſtaurata dies, animæ patet ipſa figuris,
Quam nimis antiqui depreſſerat umbra pericli.
Ad vocem converſa Petri, caput ante gravatum
Legis in obſcuræ gremio velut altera ſurgens
Eccleſia præſente levat, tenebraſque repellit
Lux operum comitata fidem, quæ legis ab ore
Non fuerat pron iſſa ſalus, quia fonte renatis
Gratia perpetuæ cepit dare munera vitæ.
Cæſarea venerandus erat Cornelius urbe,
Gentili de ſtirpe ſatus, quem dedita cauſis
Vita piis ſacravit aquis, cœpitque gerendo
Credere, qui geſſit quidquid baptiſmate lotis
Conſuevit præſtare fides, nam miſſus ab aſtris
Angelus hunc adiens, ſummi in conſpectibus, inquit,
Stant Domini, quas ſpargis opes, quæ verba precaris.
Premia ne deſint virtutibus, accipe certam
Huc Petro veniente viam, ſic voce coruſcans
Nuncius, æternis fixit mundana lavacris.
Nona fuit tunc hora, magis qua rectius hora
Prodiret jam trina fides, quod tertia ſimplex
Hoc iterum ter trina docet, ſacramque figuram
Singula ter faciunt, & ter triplicata fatentur.
Hæc eſt nona potens, oculos quæ reddidit orbi
Poſt tenebras remeante die, cum protulit ortum
De radiis lux nata crucis, cunctoſque replevit
Hoc ſine fine jubar, nam mundum conſtat onuſtum
Gentibus eſſe locum, quibus in baptiſmate lotis
Plena repurgato fulſerunt lumina mundo.
Hanc ſolet ille ſequi denarius, omnia donans,
Quem præcepta decem ſervantibus arbiter offert.
Nec ſinit, ut tardos præcedant ære priores
Temporis hujus opem, quam ſacri fontis adivit
Prævius. o utinam noſtræ petat actio vitæ,
Mortaliſque ſibi ſtudium proponat origo,
Et credentis amor rerum ſpeculetur honorem,
Et ferat exemplum meritis, qui præbuit undis.
Jamque capax fidei Cornelius indice voto
Ad Petrum tres ire jubet: confeſſio trina
Sic veniet generantis aquæ, numerumque per ipſum
Europæ atque Aſiæ, Lybiæque tenebitur oris.
Ardua progreditur cœnacula Petrus adire
Jam medio torrente die, locus inſtruit altus
Deſpicienſque ſolum, Petrum cæleſtia ſemper
Non terrena ſequi ſextæ quoque circulus horæ
Detegit ætatem, qua Chriſtus venit in orbem

Largiri ſalvantis opem, numeruſque dierum
Præbuit exemplum, quo condidit antea mundum,
Quem vetat hac eadem veniens ætate redemptor
Peccati ditione premi: ſic denique ſexta
Fertur & illa geri, feſſus de calle magiſter
Cum putei ſuper ora ſedens, per vaſa puellæ
Pocula quærit aquæ, requiem facturus ubique
Eccleſiæ de fonte ſuæ, qua Petrus in hora
Eſurit, ille ſitit, pius ad ſua dona magiſter
Addere ſemper amans, cui nominis auxit honorem,
Dat pariter nutrire fidem. lætabitur orbis
Hac ſaturante fame, quæ munere pinguior omni
Delicioſa fluit, nullumque relinquit inanem,
Perpetuas latura dapes. qui ſolvere noſti,
Excute Petre meæ retinacula tarda loquelæ,
Deque tuis epulis exhauſtæ porrige linguæ.
Claviger æthereus cælum conſpexit apertum,
Uſus honore ſuo, dimittitur inde figura
Vaſis, ut in terris ſit viſio corpore Petri
Omnia poſſe capi, qui quidquid ſumit edendum,
Eccleſiæ facit eſſe cibum, præfertur imago
Quatuor ordinibus ſe ſubmittentibus una,
Forma eſt eccleſiæ, quæ quatuor eminet orbis
Partibus, & laxat totidem præconibus ora,
Omne genus retinens volucrum, pecudumque ferarum,
Reptiliumque ſimul. mortalibus iſta cohærent
Ex meritis vitiiſque ſuis. pater ergo quod auctor
Juſſit in eccleſiæ transfundi viſcera gentes,
Macta & manduca dum præcipit, abſtrahe quod ſunt,
Et tibi fac ſimiles: qui vertitur, alter habetur.
Denique Saulus obit, quia Paulus vivere cæpit:
Abſit, Petrus ait. quanta eſt reverentia ſancto
Legis, & eſuriens oblatas reſpuit eſcas.
Ter ſonuit domini vox, quæ dictata ſaluti eſt.
Hoc genitor, natuſque ſimul, ſanctuſque peregit
Spiritus, huic fidens pugnax cadit Arrius, unum
Perſonas tres eſſe negans: Sabellius unum,
Sed Patrem confeſſus ait, qui deinde viciſſim
Filius, & Sanctus dicatur Spiritus idem,
Sed totum ſit ut ipſe Pater: quodque ordine trino
Continet unus apex, hic dividit, ille relinquit:
Victus uterque jacet, nam juſſio trina monentis
Perſonis numerum, virtutibus indicat unum,
Quo vocat imperio gentes. hoc credere fas eſt,
Si volumus complere fidem. facis omnia Chriſte
Sanguine munda tuo, lateris qui fluxit ab ictu
Diſcretæ conjunctus aquæ. maculoſus oberrat
Anguis, & extinctum lymphis gemit eſſe venenum.
Comperit accitus quæ ſit ſua viſio Petrus
De merito qui nomen habet, nam Petrus Hebræo
Agnoſcens ſermone ſonat, pro munere Chriſtus
Sic vocitare dedit, quo cognoſcente pateſcit.
Deſcendit viſurus eos, quos miſerat illuc
Qui laticum quæſitor erat: deſcendere Petrus
Dicitur ad plebem veniens gentemque novellam,
Quæ nec dum cognorat aquam. pars merſa profecto eſt
Sacro fonte carens, cujus via ducit euntes
Ad patriæ melioris opem: qua pergere ceſſans
Non intrat quo vita vocat: comitantibus iiſdem
Cornelii properat cæleſtia regna daturus
Sanctificare domum, genibus quem poplite flexo
Non ſinit advolvi, gratis dare munera ſuetus
Arcet honoris opus. caput hinc novus erigit orbis,
Qui percuſſus erat antiqui dente parentis,
Natalemque tibi fons reddidit. edite rurſus
Ne preme colla tuis alienis libera culpis.

Ut primum fari ſublimia dogmata Petrus
Cœpit, & æterni myſteria pandere Chriſti,
Magnanimi ſtupuere viri, vocemque loquentes
Invenere viam. quid non credentibus offert
Indubitata fides? cui numquam munera tardant,
Nec faciunt divina moram. mox Spiritus almus
Indulgens varias opulento munere linguas,
Complevit ſine more domum: baptiſma frequentat
Petrus, ut ablutos flammis purgaret in undis.
Exemplo caret iſte locus, quo Spiritus almus
Prævenit quas ſanxit aquas, qui talia ſemper
Addere dona ſolet, ſoliſque ex fonte renatis
Impoſita properare manu, gerit iſta viciſſim,
Ne quiſquam putet eſſe ſuum, meritiſque venire,
Quod variat, qui ſponte parat, nam Spiritus almus
Neſcia menſuræ fert præmia, pluſque miniſtrans,
Quam ſperantis erat, præcedit gratia votum.
Pervenit hinc abiens ſublimem Petrus in urbem,
Quæ retinet vexilla Crucis. plebs cuncta requirit
Gentibus unde ſalus? aperit quibus omnia doctor,
Subjungenſque monet, numquam fas eſſe negari
Quæ veniunt bonitate Dei. ſententia voce
Digna pii monſtrare palam cuſtodis amorem,
Ut velit ad cunctos cæleſtia regna patere,
Qui tenet has ſine fine fores. quid turba querelis
Gaudia noſtra teris? non ſunt nova munera Petro,
Tot vicibus ſignata prius, cum nominis almi
Huic Chriſtus dat laude frui, quem jura locavit
Eccleſiæ portare ſuæ: cum littore naves
Proſpiciens aſtare duas præcepta miniſtrans
In Petri vult puppe vehi. ſynagoga profecto
Sicca remanſit humi, poſtquam doctrina magiſtri
Eccleſiæ dedit alta ſequi, ſtat perfida terris
Jam pelago currente fide, ſua quippe figura
Hæſit utrique rati. Joſeph Judæa vocabat
Hunc natum, cui Petrus ait: tu Chriſte probaris
Filius eſſe Dei. pars hæc defigitur arvis,
Quæ cecidit terrena ſequens: proceſſit in altum,
Quæ crevit divina loquens, cum piſce ſine ullo
In tenebris captura fuit, jam tempore lucis.
Lux quia Chriſtus adeſt, ſpoliat vada falſa draconis,
Ut cunctos ad littus agant ſacra retia piſces,
Et de cærulei rapiantur fauce profundi.
Nam mare mundus erat, cujus de gurgite Petrus
Humida lina trahens, verbo piſcante carinas
Complevit majore ſinu, quia turba duobus
E populis ventura foret, genteſque levavit.
Tunc famulante ſalo, plenaque in puppe fatetur
Eccleſiam, cujus placida ſtatione recondit,
Quod Domini ſermone capit, qui dixerat ante
Eſſe alias quas quærat oves, has nempe parabat,
Quas nunc rite vocat, per quas clementia Petri
Congregat æthereis humana peculia ſeptis.
Non deerit ſua forma locis: Petrus omnia prudens
Bethſaida procul urbe fuit, quæ nomine Hebræo
Venatorum eſt dicta domus, quia verus ab illa
Eccleſiæ venator adeſt. qui cuncta peragrans
Cinxit, & ad fidei collegit retia gentes.
Clauditur obſcuro, ſed non ſine lumine, Petrus
Carcere, nec poſſunt tenebræ caligine furva
Eccleſiæ celare diem. commune per omnes
Supplicium timor ille facit, cuſtodia Petri
Publica pœna fuit. proprium ſed paſtor ovile
Servato cuſtode regit, quem ditat honore
Ter Dominum confeſſus amor, de nomine Petræ
Nomen Petrus habens æterna vocabula portat,

Fundamenta gerens numquam paſſura ruinam.
Expectate tuis, cunctoque in tempore charus
Et nobis jam Petre veni, ſimul omnibus exi,
Quos ſtimulat nunc cura prior: jam nocte profunda
Angelus aſtra ferens ergaſtula candidus intrat,
Se comitante die, cæli veniente miniſtro
Carceris umbra fugit, pulſæ periere tenebræ:
Lucifero radiante novo color exulat ater,
Et mutata vident nocturna crepuſcula ſolem,
Cuſtodum vallante manu inter vincula Petro
Corpore ſomnus erat, ſed cum vigilaret in illo,
Quæ neſcit dormire fides, hoc cantica clamant,
Dormio corde vigil, læti documenta figuræ
Diſcite, qui liquido meruiſtis fonte renaſci:
Et quæ forma manet ſacrato in corpore Petri,
Cernite corde pio: docet hanc virtutis apertæ
Angelus ipſe viam; tangens latus impulit, in quo
Eccleſiæ ſtat parte caput. qua nuncius ortum
Noverat, inde levat, lateri ſubnexuit arcæ
Oſtia ſancta Noe, clauſis animalibus hinc eſt
Diluvio vaſtante ſalus, producitur Eva
Dormitante viro, lateris generata propago,
Nomen habens vitæ: ſi numquam culpa fuiſſet,
Sic manſura magis: Chriſtus poſt myſticus Adam
Dignatus dare membra cruci, atque in carne perempta
Morte premi, qua vita redit: nova dona liquoris
Per lateris ſacravit iter: nunc Angelus illa
Petrum parte vocat, mens credat ut omnis, in ipſo
Eccleſiæ conſtare decus, teneatque ſuperno
Aſſertore fidem, quo calceamenta monente
Hi meruere pedes, tetigit quos dextra magiſtri,
Quæ totum mandavit aquis. gradientibus illis
Concluſæ ceſſere fores. putat omnia ſomno
Ludificante geri, cui præmia vera paravit
Majeſtas ignara doli. jam ferrea clauſtri
Porta patet, rigidi laxant ſua vincula poſtes.
Gentibus abſcindens duræ feritatis acumen,
Aſpera cuncta domat, ne janua fixa vetaret
Orbis iter, quo curſus erit. dic gloria rerum,
Ferrea quid mirum ſi cedant oſtia Petro,
Quem Deus æthereæ cuſtodem deputat aulæ,
Eccleſiæque ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare jubet: mox liber ab hoſte
Divinum celebravit opus, quem prima puella
A tenebris remeare probat. quia gratia Chriſti
Rem dedit eſſe parem. viſus adit ipſe reſurgens
Femineos, loquitur redeuntis gloria carnis
Ad ſexum quem mater habet: patet hinc quoque partem
Eccleſiam ſenſiſſe ſuam, quæ gaudia porret
In cunctum diffuſa gregem. quis talia fando
Explicet, aut verbis attollat pondera rerum?
Maximus ille pavor, gelidos qui ſtrinxerat artus,
Lætitiæ menſura fuit, manat omne per ævum
Pignoris hujus apex, & ſideris obtinet inſtar,
Corpore quod Petrus ſacravit, & Angelus ore.
His ſolidata fides, his eſt tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus, harum circumdata nexu
Libera ſemper eris. quid enim non vincula præſtent,
Quæ tetigit qui cuncti poteſt abſolvere? cujus
Hæc invicta manu, vel religioſa triumpho
Mœnia, non ullo penitus quatientur ab hoſte:
Claudit iter bellis, qui portam pandit in aſtris.

LIBER SECUNDUS.

Spiritus accenſam verbo radiante lucernam
Sub modio lucere vetans: ſecernite Saulum,
Dixit, in oris opus, quem mox ſacravit euntem
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo magiſtri
Omnia poſſe dedit: Cyprum Salaminaque linquens
Pergit adire Paphum, quæ fertur amoribus olim
Dedita, ſacrilegæ manſiſſe libidinis antrum,
Aligeroſque vagos ſtudio coluiſſe procaci.
Hinc operum procedit apex, quia gratia major
Ad delicta venit. culpas hinc poſſe remitti
Exemplum jam Paulus erat: quam ſplendida dudum
Materia eſt adjecta viro, primordia caſta
In luxus regione ſerit, fructuſque pudicos
Multiplicat laſcivus ager: cui neſcia poſthæc
Difficiliſque foret, cum ſic videatur honeſtas
De turpi cœpiſſe loco, pars ne qua vacaret
A meritis jejuna: tamen molitur iniquus
Eloquio certare magus: contraria ſemper
Virtuti fecere viam: jaculata retorquens
Eccleſiæ bellator ait: fallacia monſtret
Quo pereas genitore ſatus, confinia mortis
In tenebris patiere tuis, neque cernere ſolem
Tempus adusque datur, rerumque attendere formas,
Artificem quibus eſſe negas. tunc nubila vultum
Cæruleis fixere notis, & pectoris atri
Venit in ora color: quærit jam calle negato
Quo duce tutus eat, cujus pede greſſibus inſtet,
Quis tribuat miſeratus opem, vacuaſque per auras
Erroris palpavit iter. proconſule Paulus
Mox didicit lucere fidem, cui cauſa videndi
Nox aliena fuit: non ſunt nova, Paule, ſalutis
Obſequia, & tenebris lucem bene ſurgere noſti,
Omnia ſecretam referant documenta figuram,
Si libeat vigili pulſare latentia ſenſu.
Jure docens Paulus miracula condere cœpit,
Ex oculis jubar unde ſui micat altius oris,
Amiſſo creſcente die: ſic nuper iniquum
Subdere dignus erat, tenebriſque fatentibus hoſtem
Vincere, qui cæcus meruit ſine fine videre.
Antiochi dictam de nomine viſitat urbem
Paulus, & extemplo properat dare verba catervis,
Quas ſynagoga tenet, dextraque ſilentia mandans:
Noſtis, ait, patribus tellus Aegyptia noſtris
Qua poſuit feritate jugum, crudelibus arvis
Quos rapuit per ſigna Deus, quibus omnia cedens
Mutavit natura vices, cum virga fugavit
Terga maris, fluctuſque ſuis ſtetit exul ab oris,
Pulvereo de calle placens, pontique facultas
Obſequio eſt ſubjecta pedum, redeunte profundo
Naufragium factura reis: quæ vertere juſſa
Per varios ſua jura modos, his ſtravit arenas,
His cumulavit aquas, juſtis via, fontibus unda:
Cum percuſſa ſilex venis ſpumavit apertis,
Æquoreos enixa lacus, de vertice ſicco
Flumineum largita vadum, non priſtina morem
Geſſit origo ſuum, veterem nec præbuit uſum,
Dona novella gerens. quam lex æterna coegit,
Non innata ſequi, disjunctaque ſemina monſtrant
Poſſe dari de rore dapes, de caute liquores.
Nam ne pauca piis fluerent miracula cauſis,
Saxa vomunt latices, & inundant nubila panes,
Aeriuſque liquor ſolidis induruit eſcis
Quæque diu vacuas tenuerunt agmina fauces,
Frugiferis ſaturantur aquis, nimbique coloni

Dant

Dant epulas, pluviamque vorant, & manditur imber.
Sic invicta manus, ſic gratia plena creantis
Scit querulos nutrire greges, & ponere ſacros
In patria meliore choros, ut ventris amœni
Fructus ad æternæ floreſcat ſemina vitæ.
Davidica nam ſtirpe ſatus genitrice Maria
Chriſtus adeſt, quem tota canunt oracula vatum
Venturum ſub carne Deum, ſeſeque creantem
Virgineos intrare ſinus: evolvite quidquid
Sabbata veſtra tegunt, typicæ documenta figuræ;
Perſpicitis fulgere ſacri præſepibus agni,
Cujus ab igne ſenes hauſerunt dicta prophetæ:
Et dedit ante loqui, quod cœpit poſtea naſci.
Clamavit virtute potens Baptiſta Joannes:
Non ego ſum, poſt me veniet, cui tangere non ſum
Calceamenta pedum dignus, neque ſolvere ſummam,
Quæ ligat excelſas humilis corrigia plantas.
Quam bene vox Pauli cecinit præcepta lavacri
Permiſcens antiqua novis, nec epiſtola ceſſat
Hæc iterare docens; patres baptiſmate noſtri
In rubro fulſere freto, ſub nomine Moſis
Per legem, cum petra ſimul ſequeretur euntes,
Nam petra Chriſtus (quid adhuc gens ſurda requiris)
In libris ſonat ecce tuis, ne credere tardes.
Conſule ſigna maris, quæ myſtica dona ſuſurrant
Temporibus ventura crucis, cum Sanguine Jeſus
Tinxit aquas; lateriſque uno de vulnere fluxit,
Quod vitæ tria dona daret: rubor æquoris ille
Cauſa futura fuit: ſic conditor abluit omnes,
Sic emit, hic pretii color eſt in gurgite ponti,
Apparentque ſacro miracula debita ligno.
Sæpius obſcuris radios infundere fervens
Mentibus, hæc rurſus memoravit in ordine Paulus:
Poſtquam ſigna Dei carnis veſtitus amictu
Chriſtus ubique dedit, faciens manifeſta quod orbi
Venerit ipſe ſalus, ſtimulis agitata furoris
Impia turba fremens, petit hunc a jure Pilati
Suſpendi, figique Cruci terrena propago;
Vota quod optanti non poſſint omnia ferre,
Sponte ſalutiferi ceſſerunt munera Chriſti,
Qui libertatis pretium tibi venit ab aſtris,
Perdita reſtituens, tumuliſque jacentia tollens.
Reſpice quam proprio maneas obnoxia regi.
Ne pereas, vult ipſe mori. poſt triſtia facta
Quin etiam cuſtode dato ſignare ſepulcrum
Ad geminum voluere nefas, dominoque paratam
Surgenti damnare viam. proh cæca voluntas,
Quæ putat æternum mortali lege teneri!
Et non poſſe ſibi poſt funera reddere membra,
Qui toties aliena levat! meminiſtis ab ore
Davidicæ reſonare lyræ; corrupta vetabis
Sanctum noſſe tuum. poteratne in pulvere leti
Ferre moras, qui vita manet? quem ſuſcitat auctor
Nil patiens de morte Deus; mors denique victa eſt
Vincendi tranſgreſſa modum, quæ judice tacto,
Linquere juſſa reos ſpoliis vacuata vetuſtis,
Per ſua bella cadit, veniенſque abſolvere vinctos,
Non retinendus erat. ſors ultima cœpit averni
Jam vita præſente mori, quæque omnia ſubdens
Ante fuit, tunc ipſa perit, triduoque peracto
Lucis iter quod fecit adit, quo tota reſurgit
In Domino natura ſuo. de lege videtis
Laxari non poſſe neces, hunc quærite cujus
Sanguine mundati, regno ſociamur herili,
In cujus jam parte ſumus, ſub pignore carnis,
Quam voluit portare Deus: tunc dogmata quoſdam

Eccleſiæ dant iſta viros, vetuere loquelas
Ulterius proferre pias. o ſemper inanis,
O ſterilis Judæa tibi, quæ ſemina vitas,
Ne fructus afferre queas, quibus ore magiſtro
Paulus ait: vos iſta quidem vos noſſe deceret,
Aſt aliis hoc lumen erit, nam ſcripta fatentur:
Lumen in extremis poſui te gentibus eſſe.
Gentiles ſtupuere globi, fontemque ſecuti
Sumere promiſſæ cupiunt novitatis honorem,
Et lympha genitrice ſati meruere renaſci.
Convenior ratione loci pro munere tanto,
Hiſtoriæ pulſare fidem, quæ prodidit olim,
Cum populos genteſque duas in ventre Rebecca
Ferret, & anguſtis includeret agmina muris,
Conſuleretque rogans oranti corde Tonantem,
Reſponſum meruiſſe Dei: prior, inquit, in iſtis
Inferior, breviorque manet, majorque minori
Serviet, & juvenis palmæ potietur honore.
Quidquid in hoc utero fœcunda puerpera geſſit,
Eccleſiæ conceptus habet, formamque ſequentum
Gentilis concurſus agit, qui creſcit in alvo,
In qua victor erit: quod jam meminiſſe neceſſe eſt,
Et ſtudiis celebrare bonis, famulemur ut illi,
Cujus ab affectu nos contigit ante vocari,
Quam naſci, qui dona prius quam tempora præſtat,
Jamque Lycaonios incedens paſſibus agros,
Lyſtram Paulus adit: fuit hac tunc claudus in urbe
Supplicio comitante ſatus, veſtigia ferre
Neſcius ex utero, membris pars cœperat ægri
Se naſcente mori: comperto dogmate Pauli,
Quo monitore piæ tendunt ad ſidera mentes,
Mox voluit divina ſequi. bene claude jacebas
Has primum graditure vias: petis æthera mente,
Cum necdum movearis humo, pedibuſque negatis
Longius ire vales: Paulus ſpeculatus in imo
Pectore quid caperet, claudique fidelis amorem
In verba jam ſtare Dei, ſic clarius infit:
Surge citus, rectuſque tuis imponere plantis.
Exequitur præcepta ſalus: & calle novello
Progreditur perſona vetus, motuque frequenti
Pulſat ubique ſolum, perque omnia currere tentans
Sæpe timet quod neſcit iter, modo greſſibus artus
Annoſos languere ſenex: quod ut agmina cernunt,
Exclamant, divumque vocant, ac ſerta miniſtrant,
Ut mactanda feri procedat victima tauri.
Paulus ad hæc tunicam rumpit feſtinus, aperta
Sic prohibens ratione viros: ſolemnia nobis
Cur precor iſta datis, fragili quos corpore conſtat
Terrena ſub lege premi? fuit impius olim
Relligionis honor, cum numina fuſa metallis
Artifices timuere ſui, cum templa dicarent
Abſciſſis de rupe diis: tunc forte licebat
Innocuos mactare greges, fibraſque tepentes
Conſulere, & vocem pecudis morientis in extis
Quærere, nuncque libet vanis ceſſantibus aris
Æterno parere Deo, qui ſemina vitæ
Præbuit, & variis proventibus arva locavit,
Cujus ab imperio plenis conſurgit ariſtis
De grano moriente ſeges, palmeſque reciſus
Vulnere conceptas fœcundius educat uvas,
Quo moderante polum, ſuccedunt ſolibus imbres,
Tempora temporibus: quæ cum fugitiva recurrunt
Poſt ſua terga, vagi conſtantia permanet anni.
Diſcite jam verum ſacra de Virgine natum
In terris celebrare Deum: nec vota feratis
Lanigero damnoſa gregi, quos liberat agnus

Unicus, ablutum qui ſanguine comparat orbem.
His dictis inſtructa fides: ſed corporis uſus
In geminum proceſſit opus, duplicemque figuram
Perſonat una ſalus, toto quod in æquore mundi
Eccleſiæ duo ſunt populi, per verba duorum
Cui plenas captura duas facit eſſe carinas.
Namque hæc humano generi collata viciſſim
Claudorum docuere pedes, quibus aſtat imago
Singula quæque gerens, populo communis utrique.
Quem Petrus antiquis tribuit conſurgere plantis,
Ad portam vicinus erat, gens venit ab illo
Circumciſa loco, pſalmi, lex, atque prophetæ,
Cui Chriſti cecinere diem: quem Paulus ab arvis
Erigit, ad Templi numquam confederat ædes,
Longinqua tellure jacens, quia gentibus orſus
Cæpit ab ore pio ſolidæ veſtigia mentis
In turbas proferre rudes, populoque mederi,
Quem latuit vox priſca Dei. ſic claudus uterque
Cum properat, genus omne levat, gentiſque ſalutem
Perſonæ ſignavit iter, quæ gloria rerum
Contulit, ut Petro Paulum gerat ordo ſecundum,
Qui fundamentis manet architectus in illis.
  Ut tamen auctoris memoremus ad omnia laudes,
Hi duo ſunt cæci, properantibus undique turmis,
Qui Domino dixere ſimul: fili optime David
Da tenebras exire graves, da cernere lucem,
Quam neſcimus adhuc: ſubitum tunc illa medelæ
Semper amica manus jubar intulit, atque relinquit
Nox oculos, exulque dies illuminat orbes,
Expavitque redux inopina crepuſcula viſus.
Hos populos liquet eſſe duos, quos noxia venæ
Cæcavit natura ſuæ, clementia Jeſu,
Cum celebravit iter, cum tempora carnis habere
Se voluit, de luce novat, purgante figuram,
Quam delicta dabant, moxque integra fulſit imago,
Quæ meruit ſentire Deum: pars juncta cerebro
Maxima ſunt oculi, creat hos in munere Chriſtus,
Qui caput, & ſplendor rerum eſt: pars omnibus ima
Sunt in fine pedes, hos ſanat in aggere cura
Vocis apoſtolicæ: quomodo ſpecioſa vocantur,
Quæ pacem Sanctis portant veſtigia terris,
Exortum eſt lumen tenebris per dona magiſtri,
Hi ſtatuunt greſſus, quibus eſt ſors tradita verbi,
Ut viguit medicina ſequens bonitate prioris,
Paulatimque ſalus in totum tranſeat orbem.
  Jam rabidas hominum Paulus ſuperaverat iras.
Velificante fide; ſubitas vomuere procellas
Judaica de nube doli, non primitus ulli
Poſſe lavacra dari, quam circumciſio carnis
Accedat de lege Dei. gens dura quid ultra
Ad lapides ferrumque vocas? hoc umbra figuræ,
Non ſpecies manſura fuit, ſimulata relinque,
Quæ jam certa vides, Chriſti proceſſit ab ore
Vita manens, omneſque jubet de fonte renaſci.
Qui veniunt, cur membra ſecent, partemque reſolvant,
Cum totum ſalvare queant? ne quære vetuſto
More premi novitatis opem, deflexaque retro
Lumina conſtitui, poſtquam via rectior omnes
Dirigit, & cæſis illuſtrat ſentibus orbem.
Lite ſub ambigua Paulus loca tendit ad urbis,
Cui radiant monumenta Crucis, ſanctoſque reviſit
Juris Apoſtolici proceres, quibus omnia præſens
Quæ ſint geſta refert: Petrus, cui maxima cura eſt,
Commiſſus augere greges, ad paſcua cunctos
Se duce læta vocans, has explicat ore loquelas:
  Cernitis æternum ſeclis memorata vetuſtis,
Quæ populo docili cecinerunt ore prophetæ,
In nobis compleſſe Deum: qui mallet emptor
Omnibus eſſe ſalus, nullum diſcernere paſſus
In pretio, quo vita redit, mihi juſſit apertam
Gentibus hanc monſtrare viam. quid vota morari
Tardarique juvat, quidve hæc ænigmata prodeſt
Miſceri cum lege nova, quos gratia purgat.
Ut veniam lex nulla vetat, cæleſtis amoris
Materia eſt feſtina fides, hanc Chriſtus adoptat,
Hanc facit eſſe ſuam, qua quiſque merebitur uti,
Circumciſus adeſt, & jure renaſcitur undis.
Paſtorem ſtatuere ſequi, placet ergo miniſtris
Ire ſimul, ſcriptiſque piis abſolvere gentes,
Hoc illis non ſtare jugum: tamen eſſe cavendum,
Ne ſimulacra colant, quorum libamina ſemper
Execranda forent, ne ſuffocata cruore,
Quo maculantur, edant; ne ſævior hoſte libido
Hos impura premat, quos lux baptiſmate mundat.
  Clarius ut liqueant hujus documenta figuræ,
Et progreſſa prius cui jam diſcedat imago,
Principium meminiſſe juvat: Deus inquit Abraham,
Ut teſtamentum tibi nunc ſobolique perenne
Conſtituas in carne meum, præputia ferro
Circumcide libens, & fœdera necte ſuperna.
Secretam ſcrutemur opem, videamus in iſto
Vulnere pacta Dei, quæ teſtamenta recondit
Præſcius, ut terris conſortia jungat Olympi,
Quæ didicit jurare puer, qui primus ad undam
Repperit Eccleſiæ currentem fonte Rebeccam.
Corporis ille locus, quo circumciditur Abram,
Luxuriam laſcivus habet, vitiiſque miniſter
Naturæ ſub lege jacet: pater ipſe futurus
Seminis, unde ſalus ad vitam pullulat orbis,
Evacuat quod culpa gravat, truncata libido
Virgineum promittit opus, hæc namque propago
Divinum concepit iter. hinc ſacra Maria eſt
Ad partum generata novum, quæ conjugis expers
Mater ineſt, natuſque Dei de virginis alvo
Emicat, atque hominem mediator in omnia complet,
Hinc terrena levans, illinc cæleſtia præſtans.
Prætetit ergo vetus Chriſto naſcente figura,
Hæc facies jus omne novat, cultroque fugato,
Spiritus ardeſcens cor circumcidit in undis:
Qui ſanantur aquis, ne figant vulnera membris.
  Neſcius interea curis laxare quietem,
Paulus in orbe docet, verbique ligonibus omnes
Excolit, & fidei cogit flaveſcere meſſem,
Errorum fugiente gelu, quem Spiritus almus
Hæc Aſiæ proferre vetat: nec Myſia quivit
Dives agris huius tunc ſemina ferre ſalutis,
Fœcundo jejuna ſolo, vir quippe Macedo
In ſomnis hæc viſus ait: miſerere precantur,
Illyricos dignare ſinus. o gratia quantum
Improviſa parit, ſubito inflammantur amore,
Qui poſitum jam tempus habent, ſi nocte fugata
Doctiloquus convertit iter, fructuque loquelæ
Veſcitur eſuriens Macedonia, perque ſoporis
Dona ſalutiferam meruit comprendere linguam.
Quæſtio crebra ſonat, quia plenus munere largo
Prædicat omnipotens, non veni perdere mundum,
Sed ſalvare magis: faciat quæ cauſa negari
Hæc aliis, aliiſque dari? cum prodiga Jeſu
In commune velit pietas ſuccurrere cunctis.
Suppetit aſſiduis exemplorum copia, noſque
Lectio multiplicem docet hac in parte figuram,
De qua pauca canam, Luca narrante relatum:

E populo quidam Chriſto comes ire rogabat,
Quem ſecum prodire vetat, qui deinde tacentem
Sponte vocat, novit mundans interna magiſter,
Quæ verbum jam corda ferant, quos obſtruat intus
Error iniquus adhuc, ut tunc doctrina miniſtret
Officium, cum tuta venit, ne ſancta quod inquit
Incipiant violare canes, cœnoque gravati
In margaritas vertant contagia porci.
Altera res etiam ſupereſt in carmine dura,
Sed quibus ex veteri patuerunt omnia fonte,
Ore datas tenui facile eſt advertere guttas.
Exodus ille liber memorat velamina ſacri
Pontificis, qua nempe queat ſplendeſcere veſte,
Officiique habitum nitido componere cultu,
Qui ſegmentatus mediis altaribus adſtat.
Quas inter ſpecies, parili numerantur amictu
In femore exuviæ, quibus indumenta pudoris
Progrediens ad templa locet, ſtudeatque ſacerdos
Renibus obſtrictus myſteria caſtus adire.
Quod ſtatuit lex priſca magis, devinctaque juſſit
Tunc hæc membra tegi, quæ poſſidet atra libido,
Cum properat libare Deo, laxata relinquens
Conjugio poſt ſacra tamen, ne parcior uſus
Ad ſobolis non ſtaret opus, ſterilique marito
Connubii frigeret amor, cum certa propago
Hoc ſolenne gerens, nullos admitteret umquam
Externa de ſtirpe viros, ubi nomine priſco
Ex adytis perdurat honor, proleſque per ævum
Sanctificanda redit, vicibus ſuppienda creandi.
Eccleſiæ tunc alma fides ſine fine pudicos
Pontifices jubet eſſe ſuos, & quærit in omni
Cauta tribus, quos rite probet, nec ſanguinis iſte,
Sed meriti ſucceſſus erit: tamen illa figura,
Qua ſine nulla vetus ſubſiſtit littera donum,
Hac melius novitate manet, variatque recurrens
Alterna ratione vices, ne forte ſacerdos
Tunc generare velit, cum necdum mente capaces
Cernit adeſſe greges, cumque inſtat nobilis ardor
Diſcendique fames, ut apertius ora reſolvat,
Ne quiſquam jejunus eat: nam ſemine verbi
Prolem poſſe dari, Paulus quoque ſæpius inquit:
Filioli dicendo mei, juvat ergo parumper
Eloquium genitale premi, ſtudiumque docentem
Diſpenſare ſuum, laxans pro tempore vires
Ingenii, ſtrictaſque ferens, ne fuſa profani
Conculcata terant, mundatis ſancta reſervans.
Fas vetat iode queri, culpis hoc imputat Adæ
Venæ pœna ſuæ. quid enim rea fauce parentum
Progenies ſibi jure petat, ſator ille benignus
Ni donare velit, quidquid temerarius error
Corrupto natale tulit. via ſola ſalutis,
Affectus parcentis erit, miſerario ſemper
Conditione caret, præſtans indebita Chriſtus
His pius accelerat, juſtuſque hic munera tardat.
In Macedum terris cum mœnia nona Philippi
Doctoris celebraret iter, bacchata puella
Sub ſtimulo Pythonis ait: Paulum eſſe miniſtrum
Æterni ſcitote Dei: profeſſio vera
Mendaci de teſte ſonat, vocemque fidelem
Perfidus auctor habet: ſed non defertur honori,
Quod cogit formido loqui, nec mente cohæret,
Nudus amore timor. Paulus miſeratus ab atro
Dæmone corda premi, nolenſque licere profano
Divinas aperire vias: fuge, dixit, & iſta
Ulterius tentare cave. nil juſſa moratus
Hoſtis adeſt, vacuamque domum poſſeſſor iniquus
Deſerit, ac profugo mulier ſanata periclo
Conticuit de laude viri, quæ cœpta peregit:
Pluſque tacens hoc eſſe docet, de munere vulgi
Hæc quæſtum faciebat heris, quo turbidus implet
Quo caret ille furor, populique procacis in aure
Seditione fremunt, Romanis obvia ſacris
Sacra dari, ritusque novos exire per orbem,
Et veteres cecidiſſe Deos: tunc agmina raptim
Fuſtibus innumeris eliſo corpore Pauli
Conveniunt, ubi carcer erat, quem ſedibus imis
Includunt comitante Sila veſtigia, quorum
Ligno merſa cavo vinclis tenuere beatis.
O felix de clade locus, cui clara refulgent
Lumina pro tenebris, in quo dedit eſſe perennem
Nox antiqua diem, niveam translatus in aulam
Eccleſiæ cunctiſque ferens modo dona ſalutis.
Quam bene carcer erat, tota concurritur urbe,
Qui primus nova tecta petat, quive oſcula figat
Poſtibus, & tacta ſacretur parte cylindri.
Jam nocturna quies per corpora ſerpere feſſa
Cœperat, exiluit tellus imitata ruinam
Viſceribus concuſſa ſuis, & clauſtra relaxans
Mota vagatur humus, ſervitque canentibus hymnum
Tempeſtas famulata ſoli. proh quanta pateſcis
A nullo ſuperanda fides! veniente periclo
Pœna fugit, geminoque metu diſcrimina creſcunt,
Ut perdant tormenta locum: tremefactus ab alto
Excutiens ſua membra loco, cum libera cuſtos
Cerneret antra necis, gladiique mucrone retecto,
In jugulum vult ferre manum, ſed non licet illi
Paulo teſte mori, cujus ſolamine vitam
Repperit, atque ſuo meruit de carcere ſolvi,
Deſcendenſque domum, ſacris fomenta miniſtrat
Vulneribus, liquidamque parat ſibi redditus undam,
Cæleſtem nacturus aquam: nam corda ſaluti
Fingere Paulus amans, cunctos ſimul amne fluenti
Diluit, ætherei patuit cui luminis ante
Gratia, non perimi, crevit poſt vita renaſci.
Blandiloquis olim capta eſt ſermonibus Eva
Deceptura virum: nunc improbus ora puellæ
Qui tunc Dæmon agit, repetens ad crimina ſexum,
De quo prædo fuit, multis ventura canenda
Peccati conceptor erat, ſed Apoſtolus Adam
Jam melior cæleſte levans in imagine ſignum,
Qui fuerat terrenus homo, nec certa recepit.
Nam fallit quod ab hoſte venit, metuamus ut omnes
Hoc audire nefas, nec corrumpamur amari
Melle doli, ſi vera canit, qui falſa miniſtrat.
Ingeniis claras & linguis Paulus Athenas
Ingreditur, tumidamque feris conflictibus urbem
Eloquio torrente premit, quem turba profari
Doctiſonis mirata modis: quibus, inquit, ab oris
Verborum fluit iſte ſator? plebs neſcia Paulum
Semina ferre vocat, fruiturque errore magiſtro
Vera loquens, namque hic facundus in orbe viator
Ambulat atque colit, cujus labor omnibus inſtat,
Ut creſcat divinus ager, purgataque fructum
Mens humana ferat, lolii ne ſordeat herbis,
Quam ſegetes portare decet, manus æmula cogit
Ad proceres hunc ire ſimul, quibus edidit aſtans:
Cecropidæ quos fama canit ſermone diſerto
Gymnaſiis vernare ſuis, ubi præſidet altus
Sacrilegæ novitatis amor, vos cernimus aram
Ignoto poſuiſſe Deo, qui condidit aſtra,
Qui pelagus terraſque dedit, quem vita parentem,
Ut moveamur, habet: cujus ſpiramus ab igne,

Cujus imago ſumus, de quo cecinere poetæ,
Hinc hominum conſtare genus: quem prædico, cuncta
Sanxit ab ore ſuo: cur hæc divina vocatis,
Quæ facitis, vacuoque metu cæleſte putatis
Auxilium, quod gignit humus? natura metalli
Viſceribus latet ima ſoli, quibus eruta ſumit
Ingenii fabricantis opem, ſeu numina templis
Hinc veniant, ſeu vaſa focis: ſibi cauſa timoris
Ars operata Deos, Dominum ſuper omnia fuſum
Claudere nemo poteſt, parviſque arctare figuris.
Quod capitur, minor eſt ſpatio capientis, in auro
Materia eſt: opifex rerum non ſuſtinet uſum,
Quem ſimulant, quos ipſe creat: quam dura luetis
Crimina, quam ſtultam ſeſe ſapientia veſtra
Judicii eſt cenſura die, cum corpora Chriſtus
Surgere cuncta jubet, tormentaque fine carebunt.
Utque reos cruciet, ſervat quos devorat ignis.
Sic caro juncta Deo carnales expiat actus,
Et commiſſa ſibi coram hæc examinat ultor,
Qua voluit moriente pati, quam funeris expers
Vivificare volens, poſt tartara reddidit aſtris.
Hæc multos ad dona vocant, Dionyſius ipſe
Primus in arce loci nova præmia jungit honori,
Complexuſque fidem, ſic incipit eſſe ſophiſta:
O lupe Paule rapax, dedit hoc benedictio Jacob
Nomen habere tibi, quid jam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas, poſtquam ſolertia Graja,
Ceſſit, & invictas in dogmate vincis Athenas?
Cur Epicuræus vel Stoicus impia ſoli
Bella cient? reſerare opus eſt, quo nomine multi
Sectarum coiere greges, vitam ambo beatam
Elegere ſequi, quam corpore diligit alter,
Hic animi virtute colit, dat & actio Pauli
Ad vitam præcepta piam: ſic themate juncto
Hic magis alternis ſolverunt vocibus ora,
Corporis atque animæ commiſſus partibus extat
Plenus homo, ſed nunc ſtudiis diverſa ſequentes
Ambo volunt, quod neuter habet, vas lumine plenum
Subdit utrumque Deo, video clamans caro menti
Quam ſit iniqua meæ, turſuſque ſalubriter infit
Non propria de parte geri quod gratia donat.
Hoc celebremus iter, vita eſt quia Chriſtus, & ipſe
Se vocat eſſe viam, per ſe gradiamur, ut ad ſe.
Sanctaque ne pedibus poſſit ceſſare lucerna,
Præco datus fidei veſtigia ſuggerit orbi.
Attica diſcedens jam liquerat agmina Paulus,
Eloquiis ſuperata piis, bimariſque Corinthi
Mœnia juncta petens, populoſam repperit urbem:
Quæ licet alterni contingeret æquoris undas,
Perpetuas ſitiebat aquas: ibi Ponticus ille
Aquila tunc præceptor erat, vir plurima laudis
Inſtrumenta gerens, cujus ſe Paulus amico
Contulit hoſpitio, ſociam dignatus adire
Artis amore domum, nam ſcenæ factor uterque
Pollebant operis ſtudiis, & dogmate legis.
Chriſtus ait: nunc Paule doce, non obviat ullus
Me comitante tibi, quæ ſit mihi mœnibus iſtis
Turba vides, inſiſte loquens, ego pectora firmo.
Iſta monent nullos umquam de munere tardo
Poſſe queri, gratis quod dat clementia Chriſti.
Tecta ſub ambiguo lateat ne forte figura,
Qua dabitur ratione canam, de nomine ſæpe
Argumenta trahi, documentaque maxima gigni
Scripturæ cecinere piæ, juvat altius ergo
Quærere: qui Paulus charus conjungitur hoſpes,
Factus in arte comes, ſub cujus imagine cauſæ
Sic vocitatus erat, qualive decorus honore eſt,
Hac quoque parte placens, aquilæ natura fidelis
Sponte gerit, quod forma tenet, nam debilis ævo
Et declinatis ſenior jam viſibus ales,
Flammivomo ſub ſole jacet, pennaſque gravatas
Ejus in igne fovet, nocturnaque lumina pandit,
Atque oculos radiis ardentibus ingerit ægros
Ad veterem reditura diem; ſic dona caloris
Languida ſumit avis, cujus de fomite vires
Accipit, & priſci reparat diſpendia ſecli:
Cui ne ſola forent, quæ fervidus incutit æſtus
Per laticum purganda vadum, ter mergitur undis,
Et ſenium deponit aquis, juvenemque decoris
Effigiem de fonte levat. quis apertius actus
Religionis erit? cum veri lumine ſolis
Tangimur, antiqui contagia ſolvimus ævi,
Accedente fide, lympha mox matre renati
Conſpicimur novitate rudes, infantia rurſus
Fit recidiva ſeni, gemino manantibus ortu
Hic melior natalis adeſt, bene conſcius hujus
Alitis exempli, quam Spiritus egit opimam,
In cythara verſare manum: renovaberis, inquit,
More aquilæ, qua lege datur ſentire probatis
Laude placere typi, quod firmant cantica juſti.
Nec vacat ars Pauli ſocio celebrata ſub ipſo
Secreti virtute boni; tentoria quippe
Fortia mobilibus fabricabat in aggere tectis.
Longius hæc abiens peregrinus ubique viator
Eripit, atque hiemes ſoleſque hic pellibus arcet.
Nos quoque per culpam prima de ſede repulſi,
Exilio mundi jacimur, via reddita tandem
Qua patriæ repetamus iter, munimina nobis
In caſtris ſunt Paule tuis, ne criminis imbres
Tempeſtas mundana ferat, ſcelerumque vapores
Ignitus tentator agat, ſub tegmine tali
Tuta ſalus, nullum diſcriminis excipit ictum,
Nec proſtrata feri ſuccumbit viribus hoſtis:
Myſtica ſigna duces præmittunt laudibus artis:
Piſces Petrus agens, homines capit, æquoris hoſpes
In ſacris perſiſtit aquis. habitacula Paulus
Dum terrena levat, docet, ut cæleſtia condat:
Factaque ſæpe manu, nunc conſtruit atria verbo.
Ulteriora ſequens luſtratis finibus arva,
Conveniens Epheſum Paulus docet, atque ibi quoſdam
Proſpiciens aſtare viros, an ſpiritus almus
Venerit bis, quæſitor ait? qui fonte Joannis
Se dudum maduiſſe ferunt; nam nominis hujus
Expertes hucuſque trahi: quos flumine ſacro
Abluit, & ſanctus mox ſpiritus ora replevit,
Verborumque dedit ſolitis virtutibus imbrem.
Sæpius arma movent iſta de parte profani,
Et bellare parant, quibus, ut contraria poſſim
Fundere tela loquens, tu tunc mihi largius ora
Spiritus alme riga, ſint ut tibi dogmata digna,
Quæ dederis: tu vocis iter, tu ſemita linguæ,
Tu dicture veni, qui per tua munera ſemper,
Quæ reddamus agis, donique reſuſcipis uſum.
Nomine venturi præcurſor in orbe Joannes
Exhibuit baptiſma ſuum, Dominoque paravit
Ipſe viam, memorans cunctis baptiſma futurum,
Poſt aliud quod jure datur, quod trina poteſtas
Illuſtrare ſolet, ſed quod magis eligit hujus
Tangere Chriſtus aquas, formam facit omnibus ad ſe
Currere fonte pio, ſacram ne deſerat undam
Ulterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum diluit amnem

Per famulum mergente Deo: jam flumine tacto
Diſcipulis hoc ceſſit opus, quos dogmata plures
Baptizaſſe canunt, ſervi ceſſare lavacrum
Fas fuerat veniente Deo, prænuntius ex quo
Dixerat iſta prius, quo fecit tempore Jeſus
Jam plenum baptiſma geri, velut ante Joannes
Cum ſolitum propriumque daret, quæ regula Paulum
Compulit, ut Chriſti deberent fonte renaſci:
Quem non venturum, ſed jam veniſſe Joannes,
Inſinuans digito cæleſtem prodidit agnum,
Hunc peccata canens a cuncto tollere mundo.
Quid geminum baptiſma cupis ſimulare profane?
Diſſona non iterant, repetitio rem tenet ipſam,
Non aliam, biſque illa foret, quæ primitus eſſe
Cœpit, & ipſa redit; nam cum diſcordet origo
Principii, finiſque ſequens, & ſingula dici,
Et patet eſſe ſemel, nulloque errore gravantur,
Quæ collata ſimul poſſunt diviſa probari.
Cum tamen hæretica nigredine plenus Averni
Polluitur quicumque locis, ſi lumen habere
Eccleſiæ vult ferre piæ, non cogit ad undam
Noſtra fides hunc ire iterum, quia nomine trino
Dogmata prava trahunt: nec qui, ſed quid dare poſſint,
Explorare ſolet, poſitæ quem vera fateri
Inſtituere manus, ſoluſque repellitur error
In diverſa trahens, quod ſpiritus efficit unum.
Hos etiam his ſex memorat ſcriptura fuiſſe.
O ſacer, o felix numeri modus, agmine fuſo,
Cum meruere cibi damnorum ſemine naſci,
Juris Apoſtolici læta eſt tot gloria vaſis.
Jam ſermone potens Epheſi converterat urbem
Paulus, & æthereis fulgebat gloria ſignis,
Cumque per innumeros nutarent ſaucia morbos
Corpora, nec miſeros operata refecerit ægros
Artificum medicina manu, velamina ſacra
Abſentes periere ſibi, quibus affluit ardens,
Ut caderet vapor ille, fides, finemque calori
Altera flamma daret, ſemicinctia denique Pauli
Atque ablata palam ſudaria, fuſa per artus
Languorum preſſere focos, membriſque repoſtæ
Ad nihilum duxere lues, vigor omnia curans
Tactus erat, nullæque domus a munere ceſſant,
Quod medica de veſte ferunt, virtute ſub ipſa
Spirituum quoque turba minax velut irrita fumi
Pars per inane fugit, ne fabrica pulcra creantis,
Quæ plaſmata ſolo cæleſtis imaginis inſtar
Traxit, & auctoris ſpeciem ſub pignore geſtat,
Hoſpite ſit polluta ſuo, templumque decoris
Inficiat prædonis odor, quo tempore ſeptem
Judæa de ſtirpe viri nova prælia tentant,
Sic prius affati: quem Paulus nomine Jeſum
Prædicat, hunc tibimet pariter proponimus & nos,
Pervaſum dimitte locum, vox reddita contra.
Chriſtus qui ſit, ait, qui Paulus, ſentio, nam vos
Ignotos vitare licet, cognoſce furorem
Gens inimica tuum, dæmon regnare fatetur,
Quem veniſſe negas, atque hoc convinceris ipſo,
Quo ſtimulante ruis, cui non datur ore placere,
Quod terrore movet, contraria dicere voto
Cauſa Dei prohibet, quam lex comitatur amoris.
Hæc eſt vera fides, quæ tunc ſpectacula plebi
Quamve triumphalem Domino vincente coronam
Contigit inde geri? rabido cum murmure frendens
Dæmonis ira ſuos bene noxia rumpit amictus,
Diſſecat & facies, fugiuntque pericula victi,
Nudaque præcipiti convertunt terga pavore.
Quid Judæa ferox jam non de clade timebis?
Quæ ſocio ſic hoſte peris, cui criminis auctor
Punitorque idem eſt, ne ſit te judice pulſus,
Quo ſimul eſt peccante reus. mox fama per urbem
Sparſit ubique volans, & dæmonis edere vocem,
Quod virtus eſt ſumma Dei, concurrere gaudent
Et latices intrare pios, maculaſque vetuſtas
Fonte lavare novo, ſanctiſque niteſcere lymphis.
E quibus una datur ſimul inſons omnibus ætas.
Aſt alii magicis ponunt incendia libris,
Ut mereantur aquas, & vitent ignibus ignes.
Ardua flamma nimis, cujus ſuper aera fulgor
Evolat, & Cælum tales petiere favillæ.
Quinquaginta etiam pretium poſuere libellis
Millia nummorum, quoniam meruere nocentes
Sic abolere nefas, hujus hæc cauſa figuræ eſt.
Lege ſacer numerus delicta reſolvit, ut olim
Diluit in toto David ſua crimina pſalmo,
Contractuſque fugat: nam quinquageſimus annus
Cum Jubilæus adeſt, proprii & diſtractio ruris
Antiquo donatur hero: ſervire coactos
Libertas amiſſa petit: mala debita laxat
Creditor, & limen patriæ vetus aſpicit exul.
Quinquaginta etiam cubitis diſtenditur arca,
Quæ depreſſa vadis, atque æquore tuta ſalutem
Sub numero pietatis agit, ſervataque creſcit
Per ſpatii parcentis opem, quia Chriſtus ubique
Condidit Eccleſiam venia fabricante capacem,
Quæ ſit cœpta fretis, latiſſima funditur arvis.
Infelix Epheſi Demetrius ante locabat
Sacrilegis delubra locis argentea, ſuetus
Solvere vota ſuæ pretio majore Dianæ,
Cedere cuncta videns priſci monumenta furoris
Ingemit, & vanas his vocibus excitat iras:
Non pudet, o Socii, noſtram cecidiſſe Dianam,
Quam mundi ſuſpexit honor? mortalibus ultra
Quæ ſperanda ſalus, ſi non per ſecula poſſunt
Fine carere Dii? quæ nunc ſimulacra ſacellis,
Quæ poterunt dare thura focis? quos advena Paulus
Territat; & quidquid gerimus pro nomine Divum,
Muta metalla vocat, quorum diſcedit ab orbe
Religio, pulſique fugam petiere penates.
Hei mihi, jam video ſubitis lapſura ruinis
Condita fana diu, templi quoque nobilis ædem
In cineres, ſtragemque dari. quam prendimus arcem?
Quamve tenemus opem? quibus interclufa facultas
Eſt operum, crimenque foret feciſſe Dianam?
Pergite, tempus adeſt, labor ultimus omnia ſecum
Si deſperat, habet, ſola eſt via vincere victis,
Formidare nihil, reſtat ſors certa triumphi
Pro ſuperis moviſſe manus: inſurgite telis,
Et quam vota Deam celebrant, hanc arma repoſcant.
His dictis plebs mota fremit, magnamque Dianam
Communi clamore vocant, ac præpete curſu
Itur in obſcœnum cum ſeditione theatrum.
Non alio docuit meritum cauſaſque Dianæ
Laſcivas tractare foro, capit area turpis
Concilii deformis opus; tamen impetus amens
Fluxit, ut in vacuas oculis qui labitur auras,
Nullaque diſperſum retinet veſtigia fumus.
O miſeranda manus, cui tu præſtare laboras,
Perpetuam cur eſſe putas? te teſte ſacellis
Eruitur fugitiva ſuis: quo jure paveſcis,
Qua pereunte doles? Cæloque adjungere tentas,
Quæ terris remanere negas? nunc ordo figuræ
Explorandus erit, latebriſque videndus apertis.

Dicitur e ſolo Demetrius atria demens
Argento poſuiſſe Deæ, cum plura capaci
Protulerit natura ſinu, quibus iſta metallis
Fingeret, ut fuſis animentur vultibus æra,
Ingeniique manus promittunt vivere cautes.
Quod ſi Sanctiloquos volvamus ab ordine libros,
Inveniemus iter, puris quia ſenſibus aurum
Comparat, argentum nitidis ſcriptura loquelis.
Nam pſalmus licet iſta canat, tamen inclyte Moſes
Altius hæc memoras, populo cum talia dictas:
Aurum, atque argentum templorum ferte decori,
Quod jacet interius menti, non dura metalli
Materies ſub corde latet, ſed apertius illud
Exagitat quod Chriſtus amat: mens obtulit aurum,
Cui fuerit pretioſa fides, pariterque miniſtrat
Argentum, cui voce ſonant bona tympana cordis,
Ut Dominum duo juncta colant, de pectore ſenſus,
De ſermone ſonus: ſic aurum dogmata legis
Argentumque petunt hoc ad pia templa parari,
Nos quia templa ſumus, ſic crimina juncta recedent,
Plurima verba monent, quod Apoſtolus ipſe revelat.
Corde ſalus credentis erit, confeſſio voce.
Sacrilego res una fuit. Demetrius ædes
Condidit argento, cujus facundia movit
Hos animos, ut norma probet ſine judice ſenſu
Numina vana coli, nec de virtute venire
Pectoris iſtud opus, cui pars hæc ſola dicatur,
Qui rationis inops nudam ferit ore loquelam.
Tu quoque ſigna ferens, titulos in carmine noſtro
Troja repone tuos, & laudibus adde triumphos,
Qui magis ex vero fulgent tibi clarius actu,
Quam quæ pompoſo reboant tua bella cothurno.
Lingua colona Dei cum ſemina fœta ſaluti
Spargeret, in ſeram produxit tempora noctem,
Plus animis factura diem: micuere coruſcæ
Lampades, ut verbi lucerent igne fideles.
Solus ab excubiis vivacibus Eutichus exul,
Merſa ſopore gravi commiſit membra feneſtræ.
O male parta quies, o ſemper debita ſomno,
Pectora nuda bono: quantis patet ille ruinis,
Quem nox ſola tenet, numquamque reſuſcitat ægrum
Ad meliora caput! neſcit vigilare periclo,
Qui patitur dormire Deo. quid inane feneſtræ
Quæris adulte chaos? quidve hac in parte quieſcis,
Qua ruiturus eris? res eſt inimica ſaluti
Pendula celſa ſequi, furtivaque ſomnia prono
Carpere velle toro, poteras meliore cubili
In verbo recubare Dei, Pauloque monente
Ejus velle aditum, cui lumine pervia tecto
Janua nomen ineſt, per quam de fonte lavatæ
Ad vitam gradiuntur oves, hanc quærite cuncti,
Si rabidas fauces cura eſt, morſuſque cruentos
Evitare lupi, cujus lacerabitur ore
A paſtore fugax, qui ſparſos vocibus agnos
Evocat, atque gregem propria de morte redemptum
Non finit inſidiis, & amari vulnere dentis
Rurſus ab hoſte capi. mœſto ſonuere tumultu
Atria, concurrit gemitu miſerata frequenti
Turba videre locum, qui funere triſtis acerbo
Lætitiam facturus erat, cui Paulus adhærens,
Pectore vivit, ait, quam vocem vita ſecuta eſt:
Morſque repulſa fugit. quantum tua Chriſte poteſtas
In famulis operata facit? tu redditus aſtris,
Æqualiſque patri de majeſtate perenni
Jura ſuperna regis: ſed quod caro corpore matris
Virginis ora tibi regnum ſpoliavit Averni,
Vivaque de proprio revocaſti membra ſepulcro,
Teque probas voluiſſe mori, qua parte reſurgis,
Ex qua natus eras, jam ferrea vincula ſolvis.
Lux aliis alterna redit te auctore, ſimulque
Exemplo donata tuo, qui ſubdita dudum
Cogis, & electis ſuccumbere tartara ſervis.
Interea felix ſurgit de morte cadaver,
Et meliore via trina per cænacula ſoſpes
Ducitur ad Paulum, cujus conſpectibus inſons
Cœpit adeſſe puer, vitæ jam dignus honore,
Cum leti convertit iter, quæ gloria facti
Inſtruit ad veterem cauſas aperire figuram:
Fulta tribus cameris Noe deſcribitur arca,
Eccleſiæ documenta gerens, ſtetit ordine primo
Pars hominum, pecudeſque gradum tenuere ſecundum,
Tertia ſors addicta feris, quæ cuncta per undas
Arca quadrata tulit, velut in baptiſmate fontis
Omnibus eſt nunc una ſalus: ſed moribus unus
Non valet eſſe locus, nam nidos fertur in illa
Ædificaſſe Noe, quem juſtus dicit Hebræus,
Et requiem quod Chriſtus ineſt, qui dividit æquus
Præmia certa ſuis: quiſquis virtutis amator
Jungitur alta petens, Noe ſtat proximus infra
Ingenio breviore minor: ſors debita ſævis
Tartareum tenet ima ſinum: ſic Eutychus ergo
Prima parte cadens, inferni perditus oris
Hæſit, & humana vacuus ratione ferarum
Cæpit habere locum: cui poſtquam pectore Paulus
Incubuit, verbumque ſuum ſapientia fudit
Ore levans animam carnali lege peremptam,
Ad dominum de morte redit, quod epiſtola clamat:
Qui dormis jam ſurge citus, rurſuſque perurget,
Teque vigil de morte leva. ſuper ardua trina
Promeruit jam ſtare puer, quia dogmate trino
Comperit æternæ quæ ſit ſubſtantia vitæ.
Jamque peragratis Paulus ſtationibus orbis
Ad Solymam venturus erat, quo ſpiritus illum
Pergere ſæpe monet; cupiens in litore noto
Perpetuum memorare vale: ſimul undique ſacros
Evocat, has reddens claro de pectore voces:
O delicta manus, quæ Chriſti militat armis,
O ſummo plebs nata Deo, meminiſtis amoris
Et ſtudii documenta mei: gentilia promptus
Agmina, Judaicoſque tuli ſine fine furores,
Ut vitæ præcepta darem, nullumque lateret
In populo narrata fides. a ſanguine veſtro
Mundus ſemper ero, nec debitor oris avari
Clauſa talenta luam, ſterilemque in ſemine verbi
Jejunus culpabit ager, vos convenit inde
Uſuram præſtare piam, cum venerit auctor,
Qui meriti diſcuſſor erit, ſervoſque repoſcet
Menſuræ crementa ſuæ: mihi germina ferre
Senſibus ardor erat, quæ paſſim credita ſulcis
Sparſimus, at fructus tenues mala terra dolebit:
Vado videre crucis venerandam gentibus urbem,
Quo me juſſa vocant, varii luctamen agonis
Hic dabitur certare mihi, nam cuncta ſubibit
Qui curſum complere volet, mitiſſima ſors eſt
Pœnarum, quas vota gerunt, regnique facultas
Perpetuo pro rege pati, ſervare miniſtri
Eccleſiam, Chriſti pretium quam ſanguine nobis
Fecit in orbe ſuo, famuli retinere laborent,
Quod Dominus de morte dedit. non cernitis ultra
Jam faciem vultuſque meos: vigilantius oro,
Commiſſos luſtrare greges, quia dente rapaci
Conveniunt ad ovile lupi: cuſtodia peccat,

Cum

Cum ſpoliis ſi raptor erat: paſtoris inertis
Fraude perit quod prædo capit, ſed & acrior hoſtis
Intus erit, graviuſque malum diſcordia portat,
Quæ vulnus ſub pace creat: ne cedite duris:
Virtuti damnoſa quies, nullumque coronat
In ſtadio ſecurus honor, ſua gloria forti
Cauſa laboris erit, raruſque ad præmia miles,
Cui pax ſola fuit: victoria ſemen ab hoſte
Accipit, hinc oritur. Dominus plantaria veſtra
Fœcundare valet, qui per ſua dona venire
Ad ſua dona facit, quodque adjuvat ipſe miniſtrat.
Non ego divitias luxu fallente ſuperbas
Alterna mercede tuli, nec munera ſumpſi,
Vos potius quam veſtra petens: me ſcitis ut iſtæ
Cum ſociis pavere manus, aſſueſcite gazas
In lucis proferre vias, operumque locare
Theſauros in ſede poli: nil proderit aurum
Defoſſis quæſiſſe locis, ſi claudat avarus
Quod celabat humus: quod non in paupere ſurgit,
In tellure jacet, cæcoque revolvitur antro,
Obſcura peccante manu: laxate ſupernis
Corda precor monitis, neque reſpuat ullus egeno
Tecta parare gregi, quo ſuſcipit hoſpite Chriſtum.
Sic poſtquam fatus dedit oſcula, tum ſimul orans
Flexit in arva genu, ſtrictique doloribus omnes
Ad lacrimas fluxere pias, longeque per undas
Obtutu comitante ſequi meruere carinam,
Dumque per oppoſitas extendunt lumina nubes,
Additur in pelagus oculis via, raptaque flabris
Puppis adhuc nota eſt, & mulcet imagine mentes,
Affectuque animi creſcit menſura videndi.
Sed quod ait, tribus hæc annis præcepta ſalutis
Nocte dieque dedi; patet hac ratione figura,
Qui canit Eccleſiæ tria dogmata, ſæpius edit
Hiſtoricum, morale ſonans, typicumque volumen.
Sic etenim ternas capiunt ſex vaſa metretas,
Quæ veteri de lege novo rubuere liquore,
Forma ſacrificii perfecti priſca caniſtro
Tres panes offerre jubet, quibus additur illud
Diſcipulis quod Chriſtus ait, jam nocte roganti
Tres panes debere dari: nox iſte profecto eſt
Mundus, ut hic ſi quis verbi deſideret eſcas,
Exhibeas quaſiſſe dapes, doceaſque volentem,
Quod pater & natus, quod ſanctus ſpiritus unus
Sit Deus, & numerum triplicet ſubſtantia ſimplex:
Nec ſemel hoc pia juſſa canunt; angariat, inquit,
Te quicumque petens, ut pergas prævius unum,
Cetera vade ſimul duo millia. nonne videntur
Hæc mandata loqui? ſi quis te conſulit errans
Ignaruſque viæ quid ſit Deus edere malis,
Prode patrem, ſubjunge libens quod filius, & quod
Spiritus eſt almus, numero tres, & tamen unus.
Hinc Judæa vacans, ſterilis quæ dicitur arbos,
Expectata tribus fructum non attulit annis:
Quod triplici ſpernens tractare volumina ſenſu,
In fidei numeris neſcit dare munera Chriſto.
Nobile jam templum Salomonis Paulus adire
Cœperat, & veteris ſolemnia reddere legis,
Corripit hunc Judæa manus, rapidoque tumultu
Conclamat necis eſſe reum, ſed in arma tribunus
Evolat, & vinctum geminis jubet eſſe catenis;
Quæ tamen aſtrictis incumbunt dura lacertis,
Non animam tormenta ligant, quod Epiſtola Pauli
Lumine plena canit, vinciri poſſe miniſtros,
Vinciri non poſſe fidem, verbumque tenere
Suppliciis non eſſe datum, gradibuſque ſub ipſis
Conſtitit, Hebræo plebi ſermone locutus:
O fratres, patreſque viri, me noſtis in oras
Has veniſſe rudem, doctrinæ deditus omni
Legis amore fui: vobis modo teſtibus utor,
Quorum ſcripta ferens, ardebam cæde Damaſci
Chriſticolas punire greges & finibus orbis
Hanc prohibere fidem, ſed non mortalia poſſunt
Auctori certare Deo: deſcendit ab aſtris
Lux oculos clauſura meos, & ab igne coruſco
Aucta dies latuit, caligantesque tenebræ
Nubibus incumbunt, quarum mihi tempore crevit
Adveniens cum nocte jubar: diſcernere cauſas
Eventus poſt facta ſolet, bene vidimus umbras,
Uſuri jam ſole novo, ſed & auribus hæſit
Clamor ab ore Dei, repetito nomine, Saule.
Me Chriſtus terrore quatit, ne ſiquiſer ultra
Auderem bellare ſibi: quo jure negabo,
Quo feriente cado, cujus de munere pronus
Attollor meliore via, perque ardua ſurgo,
Sublimiſque ſequor felicis dona ruinæ.
Jam ſatis, o cives, crudelia movimus arma.
Nil dubium pars illa docet, quæ teſte beata
Fungitur hoſte ſuo: quid adhuc libet eſſe nocentes?
De tenebris lucete meis, cui fontis ab undis
Eſt viſum largita fides, & mortis imago
Vivere cæpit aquis. heu numquam ſaxea tellus
Seminibus fœcunda ſuis, vacuique labores
Qui ſterilem patiuntur humum. poſt denique Jeſus
Hæc mihi viſus ait: procul hac procul urbe relicta
Pergere Saule para: non eſt tibi credula noſtri
Nominis: ad gentes potius cane verba ſalutis.
Protinus hanc vocem querulæ rapuere phalanges,
Projiciunt veſtes, ac pulvere longius acto
Ventoſa levitate fremunt, varioque fragore
Perſonat in Pauli rabidum diſcrimina vulgus.
O Judæa nocens auctorem perdere vitæ
Cum cuperes, ſic dicta dabas: fuit optio linqui
Quem velles clamoſa tibi, ſed ab ore cruento
Triſte petes male ſuada nefas & gaudia paſchæ
Electo latrone colis, geminaſque furorem
Sæva pio, placata reo, certamine cuncto
Te ſpolias, vacuamque locas, cum durior ipſis
In Stephanum tormenta jacis, deponis amictum,
Et nunc veſte cares, primi quia pœna parentis
Eſt cognata tibi, veteriſque in corpore portas
Tranſgreſſoris onus, contraria fontis honori,
Ne renoveris aquis. Adam ſub criminis ortu
Cognovit quod nudus erat, documentaque noxæ
Hinc miſero patuere ſuæ: te mortis origo
Crebra ſubit, cui plena malis interferit ira
Bis habitum, quem culpa creat. jam bella tribunus
Vocibus his ardere videns, fera vincula Paulo
Addidit, & caſtris torquendum miſit iniquis:
Nota querela locis ut ſit ſuperanda canemus.
Paulus geſta loquens, ſocios ibi lumina dudum
Conſpexiſſe ſuos, vocem tamen auribus illam
Non habuiſſe refert, at tunc quo tempore cæcus
Decidit, & vocem comites audiſſe leguntur.
Sic variant narrantis opus, ſed utrumque neceſſe eſt
Concinat haud dubium: nam tunc audiſſe feruntur,
Accepiſſe ſonum, nunc non audiſſe profecto.
Hæc rationis erit ſimplex via, jure negatur
Vox quomodo confuſa loqui, neque creditur illud
A ſermone dari, quod non in pectore condit
Accipiens: dubia tantum ſtimulatus ab aure,

Am-

Ambiguuſque fragor ſolas diverberat auras.
Sic audiſſe ſimul, ſic non audiſſe leguntur:
Altera pars ſonitus, certa eſt pars altera vocis.
Et fert atque refert geminam res una figuram.
Agmina ſupplicii ſerventia corpore Pauli,
Pœnarumque graves evolvere verſibus iras
Cauſa monet, ſed lingua pavet, fugiamus ab iſta
Parte, dolor, veritique neſas tam triſte, premamus
Eloquium, ne forte legens ſua fletibus ora
Compleat, & largis humeſcat pagina guttis.
Nec tamen hæc poterant animos ſatiare cruentos,
Arder amor ſcelerum, cupiuntque in ſanguine Pauli
Sacrilegas verſare manus, quæ dura malorum
Vota quaterdeni veſanæ ſtirpis alumni
Impoſuere ſibi, non ullum ſumere potum,
Primitus atque cibum, quam facta cæde daretur
Hinc magis eſſe dapes. o pallida cordis imago!
Pocula ſunt, Judæa, tibi meliora cruoris,
Quam laticis, nullaſque volens contingere menſas,
Eſuris ad facinus, ſaturamque cadavere juſti
Quæris habere famem: non hæc jejunia Moſes
Condidit exemplo, tot conſumata diebus,
Ut memoras, quot tela novas, totque inſpicis annis
Secretas patuiſſe vias, ubi divite nimbo
Fluxerunt de rore cibi, rupeſque viciſſim
Aridi fudit aquas, in quo meruere parentes
Divina bonitate frui, doniſque ſupernis
Enutrire animas: numero crudelis ab ipſo
Tu ſævire venis, pollutaque fœdera jungis
Agminis, ut plures faciat mors una nocentes.
Comperit hæc Lyſias Pauli vulgante propinquo,
Queque parent adverſa loco: monet ocyus ergo
Clam ſua juſſa tegi, noctiſque in tempore cautus
Obſcurum prævenit opus, lectiſque maniplis
Imperat, ut tuto Paulum comitentur honore.
Gloria de meritis a te delator honeſte
Non aliena foret, quodque eſt ad præmia rarum,
Proditione places, nec te conſtantia lædit
Quam ſceleri ſervare times, in crimine virtus
Crimen erit, cumque ad facinus ſocientur iniqui,
Eſt ibi cauſa fides, quam tunc in laudibus ornat
Verus honor, cum cauſa pia eſt: ſtipantibus armis
Cæſaream mox Paulus adit, quo turba cucurrit
Rhetore fulta ſuo: qui præſidis aure potitus,
Irrita verba dedit contra ſic denique Paulus:
Optime præſes, ait, dudum te novimus omnes
Juſtitiæ documenta ſequi, comitemque modeſtam
Conſiliis hanc eſſe tuis, quæ gratia ſuadet
Fidere, nec dubium tali ſub judice fari:
Non legis, templique pium violavimus uſum,
Nec ſermone vago populares movimus auras,
Urbibus ex Aſiæ venientes ſolvere dona
Cœpimus ad purum ſemper ſpectantia votum:
Quis rogo liber erit, ſi res facit iſta nocentem?
Eloquor haud metuens (neque enim diſcrimina novit
Formidare fides) audent quam dicere ſectam,
Luminis eſſe viam, nec diſcordare novellis
Jura vetuſta patrum, fas eſt modo credere cunctos
Corpora de tumulis jam poſſe reſurgere, poſtquam
Detulit inde ſuum, qui condidit omnia, Chriſtus.
Obſtupuit Felix amiſſo nomine, vincla
Quem faciunt aliena reum, quorum obice Paulus
Stringitur, & Feſti ſervatur præſidis anno:
Linquimus hic nimium, ne gaudia noſtra morentur.
Ad Latium jam Paulle veni, certamina crebro
Quæ fuerint agitata foro, quantique legantur
Judaici flux iſte doli: nam talia Paulus:
Cæſaris ad ſolium vos provoco, Cæſaris, inquit,
Appello Romanus opem. cui Feſtus: abibis,
Ut cupis, Auguſti citius viſure tribunal.
Non ſtimulante metu, fugiens diſcrimina Paulus,
Judicii vitavit onus, mens anxia ſemper
Pro vita meliore mori: ſed muneris auctor
Præconi teſtique ſuo jam dixerat olim,
Quod Romam venturus erat: clementia Jeſu
Omnibus in terris fidei ſitientibus hauſtum,
Pocula dat de vaſe ſuo, cunctoſque rigari
Mutiiluo ſermone jubet, meruitque vetuſtas
Nominis occidui de lumine creſcere verbi.
Solverat Eoo claſſem de littore vector,
Auſtri nactus opem, cujus ſpiramine læta
Crebreſcente via, velique patentibus alis
Æquora findebat puppis. ſed mite quid umquam
Ventorum tenuere doli? mox fratribus Euri
Rupta quies pelagi, tumidiſque incanduit undis
Cærulei pax ficta maris: furit undique pontus,
Attolenſque ſuas irato gurgite moles,
Denegat abreptæ veſtigia certa carinæ.
Quæ ſuſpenſa dolis, dejectaque jungitur arvis
Terrarum, Cæloque ſequax, caret artis amicæ
Præſidiis manus apta rati, gelidoque pavore
Deponunt animos, nigroque ſub aere cæci
Naufragium jam jamque vident, clauſoque profundo
Mortis imago patet: vaſtas percurrere Syrtes
Hiſtorica ratione vocor, laceroſque rudentes
Et clavi fragmenta ſequi: ſed non ego linguam
Tam fragilem committo vadis, rapidaſque procellas
Aufugiam tentare diu, ne forte canenti
Obruat exiguam violentior unda loquelam:
Tangere pauca refert, tutas conabor arenas.
Prævia fluctivagæ latuerunt ſidera puppi,
Nec ſolis radiis ſub nubibus emicat axis.
Cumque dies multos jam rite peregerit orbis,
In pelago nox una fuit, quo tempore nullis
Indulſere cibis: quanta eſt heu pœna timoris
Supplicium neſcire famis, dat ſemina cauſis
Res mala ſæpe bonis: tam clari nautica pubes,
Militiæque cohors hominis tempſiſſet honorem,
Proſperiore freto: cujus cuſtodia tandem
Solvitur, & ſævo venerantur ab æquore vecti,
Quem portum ſenſere ſuum: gerit illa ruina,
Ne lateat quod Paulus erat, Sanctuſque pateſcat
Aſſertore mari, raptiſque elementa laborant
Luminibus monſtrare virum, mediiſque tenebris
Apparet radiata fides, fit laurea juſtis
Et pretio quod terror agit, manſuraque virtus
Creſcit in adverſis, quæ teſtibus uſa periclis
Ad meritum diſcrimen habet. ſtans denique Paulus
Conclamata piis animat ſic pectora verbis:
O utinam noſtris voluiſſet fida juventus
Conſiliis parere prius, nec littora Cretæ
Linquens, inſani rabiem paſſura profundi,
Non pelagi, Cælique minas, non triſte tuliſſet
Jacturæ populantis onus, nec turbine tanto
Deſperata ſalus gemeret confinia mortis.
Quæ tamen humanum tranſcendunt gaudia votum,
Hæc facile eſt præſtare Deo, cui muneris uſus
Hic potior, quam nemo putat; nam miſſus ab aſtris
Angelus hoc placido veniens denuntiat ore.
Quam turbam vehit iſta ratis, tibi rector Olympi
Contulit, ut nullis figatur naufraga ſaxis.
Credite vera loquor, nec ſpe fruſtrabor inani,

Qui

Qui meruit promiſſa Dei, conceſſaque nobis
Inſula partus erit, cujus ſtatione licebit
Arrepta tellure frui, naviſque ſolutæ
Proſpectare gravem nullo diſcrimine caſum.
His dictis ruit ira maris, ſublataque dudum
Lux revocata micat, velamine noctis aperto
Pandere viſa ſolum, quod præbuit hoſpita nautis
Sicanio lateri tenuis vicina Melite.
Ante tamen rabidos quam vincant æquoris æſtus,
Solvite, proclamat Paulus, jejunia feſſi,
Et quarto decimo ſicut nos veſcimur, inquit,
Jam panem guſtate Dei. memoranda figuræ
Sacramenta piæ valeant, quam lege probamus,
Tempore quo primi fulſerunt lumina menſis
Hoc numero currente die de carnibus agni
Turba jubetur ali, quarum munimine tacto
Libera Niliacas meruit vitare tenebras.
Hinc ſpatio ſimili Paulus de gurgite mundi
Quos auferre cupit, ſecum convivere ſuadet,
Et ſacrum libare cibum, veſtigia Moyſi
Obſervata legens, quorum ſpeculantibus actum
Hæc duo ſunt diverſa locis, ſed proxima cauſis,
Et repetita ſalus uno de fonte levatur.
Agnus Chriſtus ineſt, panis quoque Chriſtus habetur
De Cælo, quod & ipſe docet: qui corpore Ieſum
Sumpſerit, hoſte caret: nec jam ſua jura Pharao,
Ægyptuſque tenet: mox omnia Dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renaſcitur infans,
Qui captivus erat, falſæ quoque fluctus abyſſi
Linquitur, & tetri ſuperantur ſtagna Draconis,
Ereptoque gregi largitur paſcua Chriſtus
Nominibus propriis, paſtor jam verus edenti.
Hinc etiam eccleſiæ gerit aurea luna figuram,
Quæ quarto decimo de primo lampadis ortu
Conſpicitur jam plena die: quia corpore Jeſu
Crevit in orbe ſuo lucem factura perennem.
Pelleret ut Paulus creſcentia frigora nimbis,
Contulerat ſarmenta focis: cui vipera fixit,
Dæmonis arma ferens, ſurgentibus obvia flammis,
Antiqua feritate manum, gelidique veneni
Vulnus in igne dedit. quid adhuc male noxia ſerpens
A Domino revocare cupis, vetereſque rapinas
In legis novitate paras? quid mortis amatrix,
Cujus es ipſa parens, inſtauras bella redemptis?
Prædo venis, ſed præda jaces, letumque miniſtrans
Arboris alternis conſumeris improba ramis,
Poſtque crucem Chriſti mors eſt tibi portio ligni.
Haud procul hinc aberant agreſtia corda gerentes
Barbarica de gente ſati, qui murmure diro
Inſonuere ſimul: ſatis eſt ex crimine ſuſi
Sanguinis iſte reus, nullis jam tutus in oris,
Cui pelagus telluſque fremunt: mortalia tractant,
Et divina probant. digito nam beſtia pendens
Excutitur projecta rogis, bene reddita flammæ,
Quam dedit ipſa prius, quæ culpæ protulit ignem.
Unde gehenna ſati glacies tepefacta veneni
Solvitur in cineres, gelidæque ſuperbia peſtis
Ex ardore perit: focus hic rabidique vapores
Non ſolitas vires capiunt, atque arida ſecum
Nutrimenta ferunt: ſed tu modo decoquis anguem
Uſa tuo fervore fides. tibi ſubditur hoſtis
Frigidus, inque vicem faciens incendia flagrat.
Vipereo fumante gelu, veniente tumore
Labi poſſe ferunt. quantum per inania currit
Mens ignara boni! jam tunc de corpore Pauli
Virus abeſt, oculis cum ſquameus exiit horror,
Quem ſerpens antiqua dabat: purgatus in amne
Æthereo, Chriſtique Cruci ſua membra relegans,
Neſcit ab angue mori, vorat hoc quoque flamma venenum,
Quam ſacris vim ſumit aquis, quibus uſtus anhelat,
Qui dolet ad patriam veteres remeare colonos.
Incolumem ſic ſtare diu mirata juventus
Hunc ait eſſe Deum tandem rudis incola diſce,
Qua regnet virtute: colis, qui talia confert,
Ut famulos hoc poſſe putes. nunc cauſa figuræ
Plenius in clari cernenda eſt munere facti.
Anguis origo necis, nam mors hinc edita nomen
De morſu peccantis habet, contraria juſtis
Vult retinere manum, quomodo manus apta miniſtrans
Jure vocatur opus: talem qui ſenſerit hoſtem,
Impiger excutiat, Dominique vaporibus oret.
Paulus ut admoti cognovit furta pericli
Serpere velle ſibi, cæleſtia tela capeſſens
Preſſit in igne dolos, cujus de fomite creſcens
Eſt accenſa fides, & ſenſibus additus ardor,
Hincque calor populis proceſſit ab ubere fontis.
Menſibus hibernis tribus in regione Miletum
Multiplicem dat Paulus opem, Publique parentem
Finitima de clade levat, quo munere viſo
Undique præcipites ſubitam rapuere ſalutem.
Pullulat interea nitidi coma frondea veris,
Quo juveneſcit humus ſenio fugiente pruinæ,
Suſcipienſque ratem velis credentibus auſter
Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas.
Hunc ſpirare decet, quem perſonat ore propheta,
Qui ſpeciem fidei torrentem cantat in auſtro.
Sic quoque proſtratis ad gaudia noſtra procellis
Plurima quæque legens diſtinctis oppida vicis,
Venit ad excelſæ ſublimia culmina Romæ.
Altius ordo petit duo lumina dicere mundi
Conveniſſe ſimul, tantiſque e partibus unum
Delegiſſe locum, per quem ſua ſidera jungant
Omnia qui fidei virtutibus arva ſerenant.
Quæ licet innumeris tendatur cauſa figuris,
Pauca referre volens, iiſdem præſtantibus edi
Petrus in Eccleſiæ ſurrexit corpore princeps
Hæc turrita caput mundi circumtulit oris:
Conveniunt meliora ſibi, ſpeculemur ut omnis
Terrarum Dominæ fundata cacumina ſedis.
Gentibus electus Paulus ſine fine magiſter,
Æquius huic præſens oris diffundit habenas,
Quæ gentes prælata monet, quæque intonat iſtic,
Urbis cogit honor, ſubjectus ut audiat orbis,
Dignaque materies Petri Paulique coronæ
Cæſareas ſuperaſſe minas, & in arce Tyranni
Pandere jura Poli, ſummumque in agone tribunal
Vincere, ne titulos parvus contingeret hoſtis.
Ægyptus mundi formam gerit, inde vocari
Quæ meruit ducibus plebs eſt commiſſa duobus,
In quibus officium fraternus nexuit ortus.
Idola tot Romæ mundo collecta ſubacto,
Quæ fuerant tenebris obnoxia corda premebant:
Liber & hic populus, quem vinxerat ante Pharao,
Exuit Ægypti totidem ductoribus umbras,
Perque lavacra Dei, quæ tunc magis egit imago,
Vitæ nactus iter, cæleſtem repperit eſcam.
His etiam germanus amor, quibus amplius auctor,
Quam natura dedit, geminos quos edidit aſtris,
Non eadem, tamen una dies, annique voluto
Tempore ſacravit repetitam paſſio lucem;
Et tenet æternam ſocialis gloria palmam.

DRACONTII HEXAEMERON
SEU DE OPERE SEX DIERUM.
LIBBR PRIMUS.

PRima dies lux eſt tætris mors una tenebris,
Lux datur ante polum, lux clari cauſa diei,
Lux jubar æthereum, lux noctis limes & umbræ,
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis factiſque calor, lux gratia ſolis,
Lux decus aſtrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor Cæli, lux & primordia mundi,
Lux ſplendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux opus auctoris primum, candorque pudoris,
Lux ævi, metæ, lux, quæ dat tempora metis:
Qua bene conſtructa mundi primordia lucent.
Clarus ubique Deus, numquam mutabilis auctor,
Quem non obſcurant quacumque ex parte tenebræ,
Nec celantur ei quæcumque obſcura geruntur.
Principium factis lucem dat lucis origo,
Qua mundo vita præmiſſa eſt principe luce,
Quæ totum præceſſit opus quod continet orbis,
Quæ ſolis prævenit iter, lumenque coruſcum,
Cujus juſſit ope clareſcere cuncta creata.
Altera quippe dies Cæli convexa meretur.
Ac ſupra Cælos ingentia flumina dantur,
Ac dominatur aqua glomeratis fontibus alma,
Ignibus æthereis cæleſti ſede locatis,
Unde beata nimis meruit quæ tecta polorum,
Celſa favore Dei juſſu ſuſpenſa Tonantis,
Limitibus contenta ſuis elementa morantur,
Nec flammam reſtinguit aqua, glaciemve teporat
Flammeus ignis, aquæ ſervant ſuo lege tenorem
Incorrupta ſuum, non impugnata viciſſim,
Non diſcreta quidem, ſed nec permixta morantur.
Tertia cæruleum ponti lex edidit æquor,
Fluctibus immenſis pelagi freta glauca liqueſcunt,
Et mare navigerum quatitur ſpumantibus undis:
Ipſa dies terram meruit de fluctibus auctam,
Eruitur terra vaſto demerſa profundo,
Et ſolidante globo gravior per inane pependit,
Suſtentans ſolidam fluidæ radicibus undæ,
Quæ molles portat ceu fundamenta liquores.
Arida materies rapitur de corde fluenti,
Nondum mater humus, cujus pars ſolvit arenam,
In glebas pars membra ligat, pars ſaxea turget,
Cautibus extat montis apex, pars flumina mergit,
Planitie pars tenſa jacet, pars littora curvat,
Pars datur in tumulos, pars aſpera rupibus horret,
Pars riget inculta, reſidet pars valle profunda:
Et colles tumidi cumulis juga celſa ſupinant,
Atque humiles campos ſpatiis æqualibus aptant,
Pars data dulcifluis undantis fontibus agri,
Promitur herba virens, ut ſarculus omnis in auras,
Et ſemper veſtita comis frondeſcit oliva.
Omnia poma virens profert, non parturit arbor,
Lingua laurus honos ſolvit donanda poetis.
Torta per obliquos it vitis in orbe, corymbos
Verberat, & palma calamos flutante flagello:
Vinea pampineos ſubarundinat ebria campos,
Munera lætitiæ ſpondens pendentibus uvis,
Fructibus & variis redolent florentia rura.
Una parens tellus non unum fundit odorem:
Sed quot ſunt herbæ, tot permiſcentur odores.
India tunc primum generans pigmenta per herbas,
Eduxit ſub ſole novo, rudibuſque racemis.
Eſt locus interea diffundens quatuor amnes,
Floribus Ambroſiis gemmato ceſpite pictus,
Plenus odoriferis numquam marcentibus herbis,
Hortus in orbe Dei cunctis felicior hortis:
Fructus ineſt anni, cum tempora neſciat anni.
Illic floret humus ſemper ſub vere perenni,
Arboreis hinc inde comis veſtitur amœnis.
Frondibus intectis ramorum murus opacus
Stringitur, atque omni pendent ex arbore fructus,
Et paſſim per prata jacent non ſolis anhelis
Flammatur radiis, quatitur nec flatibus ullis,
Nec conjuratis furit illic turbo procellis,
Non glacies diſtricta domat, non grandinis ictu
Verberat, aut gelidis caneſcunt prata pruinis:
Sunt ibi ſed placiti fructus, quos mollior aura
Edidit exurgens nitidis de fontibus horti.
Arboribus movet illa comas de flamine molli,
Frondibus impulſis immobilis umbra vagatur.
Fluctuat omne nemus, & nutant pendula poma.
Ver ibi perpetuum communes temperat auras,
Ne lædat flores. & ut omnia poma coquantur.
Non apibus labor eſt ceris formare cicutas,
Nectaris ætherei ſudant ex arbore mella,
Et pendent foliis tam pocula blanda futura,
Pendet & optatæ vivax medicina ſalutis.
Cetera depingit variis natura figuris.
Auroram jam quarta dies præmiſerat undis,
Et rutilante polo compreſſerat aſtra rubore.
Mox ſolis radiare globum jubet igne ſalutis.
Flamma ſalutaris perfundit lumine mundum,
Cuncta ſalutifero rident elementa vapore,
Cujus ab igne ſuo lunam jubet ire ſecundam,
Nigra tenebrarum corrumpere tempora noctis,
Et trepidam proferre diem comitante quiete.
Candida ſomnigeris perluſtrat cornibus axem,
Quæ numero eſt majore brevis. & plena minore.
Flammeus ornatus Cæli per ſidera fulſit,
Officia ſtellis. numeros & nomina juſſit:
Tempora diſtribuit, loca contulit, ignibus egit,
Limitibus fixit. jubar induit, axe rotavit,
Curſibus aptavit, Cæli regionibus addit.
Agminis innumeri nec flammea ſidera Cælum
Deſtituunt quocumque die, ſed luce premuntur,
Luminis immenſi radiato vertice Phœbi.
Nec mirum, ſi clara latent ſub ſole coruſco
Sidera, quo mundum monſtrat menſura minorem.
Qui fovet igne pio Cælum, mare, ſidera, terras,

Con-

Conceptum virtute Dei, quem ſphæra polorum
Suſtinet, & ſentit Dominum per cuncta Tonantem:
Cujus ab imperio veniunt, quæcumque miniſtrat.
Omnia juſſus agit, totum ſub lege laborat
Miles & ipſe Dei, cum Luna & ſidera cuncta
Oſtentat, ſub vere novo, ſub tempore primo,
Sub tirone die veterana in ſecla paratus.
Addit quinta dies animalia cuncta profundi,
In corpus ſolidantur aquæ, nervique ligantur.
Muſculus humor erat, fluctus dureſcit in oſſa,
Atque oculi gemmantur aquis humore gelato,
Et quot ſunt fluctus, tot forſan in æquore piſces,
Luſerunt fluido per cærula vaſta natatu,
Et criſpante freto perflabant naribus undas,
Terrigenis factura cibos poſt cuncta creandis.
Exilit inde volans gens plumea læta per auras,
Aera concutiens pennis crepitante volatu,
Ac varias fundunt blando modulamine voces,
Et puro laudant Dominum meruiſſe creari.
Hæ niveo candore nitent, has purpura veſtit,
His croceus plumæ color eſt, has aureus ornat,
Albentes aliis pennæ ſolidantur ocellis,
Atque hyacinthus adeſt per colla, & pectora fulgens:
Eminet his criſtatus apex, has lingua decorat,
Has virides pennæ reddunt, has diſcolor ornat
Multa per innumeras currens pictura volucres,
Et levibus tenuem ſubtexunt aera plumis.
Ipſa dies folium ramis, & floribus herbas
Evomit, & ſpicis acuit ſeges omnis ariſtas.
Silva comis veſtita viret, nidoſque loquaces
Exhibet, & varias decantat garrula voces,
Cum vagabunda volat non motis plauſibus ales,
Frondibus inſidens vento cum fronde movetur.
Ille etenim Deus eſt, quem nulla retardat origo,
Cujus ab aſpectu montes, & ſaxa fluiſcunt
In cineres: & pulvis erit, quem dura ligabant:
Qui viſa tellure ſimul mox pondera mundi
Concutit, & ſubito monſtrat vaga terra tremorem,
Ac formidatos oſtendit pendula motus.
Alveus expavit violato vertice turgens,
Dum reduces ſentiret aquas, & ſiſteret amnem
Juſſa Dei faciens, & marmora glauca fugaret
Gurgitis æquorei, quo mundus cingitur omnis,
Et pelago ſpatiante fretis ac littoris æſtu,
Qui de theſauris ventorum flamina mittit,
Et frænat rabidas in tempeſtate procellas,
Grandinis atque nivis qui novit quæ ſit origo,
Qui dat fulmineos colliſis nubibus ignes,
Qui laxas abſcondit aquas, & continet imbres,
Qui ſcit, quo nitidus cryſtallus ventre creatur,
Candida materies glacies imitatur aquarum.
Qui noctes hiemis producit ſole minore,
Et ſolis protendit iter flammantibus horis,
Qui Phœbi ſaltus ſtatuit, Lunæque labores,
Qui roſulis ſtellare nemus, vel floribus agros
Imperat, Autumni qui dulcia poma ſaporat,
Et fragiles gemmis varians in vitibus uvas,
Ut cibus & potus fiat ubera dulcia muſti,
Qui dat corvorum pullis alimenta, facitque
Noverit ut vultur qua ſit regione cadaver,
Dux odor uſque ſagax quem mox invitat ad eſcam,
Præpetis aut aquilæ ſenio renovare juventam,
Quæ roſtro creſcente famem tolerabat abunco:
Qui paſcit quæcumque creat pietate parentis,
Vitæ certa ſalus, per mille pericula mortis.
Debilibus virtus, opulentia major egenis,
Auxilium miſeris, ſpes & defenſio preſſis,
Feſſorum virtus, dans nutrimenta ſalutis:
Qui facit æternam ut mortalia lege latenti
Membra tegant animam, vento ſpirante loquaci:
Qui lunæ creſcente globo jubet æquora creſcant,
Fluctibus abjectis creſcant cum fontibus amnes,
Creſcat & incluſum capiti genus omne cerebri,
Et minuantur aquæ, luna minuente, liquores,
Ac decreſcenti decreſcant lege perenni.
Qui reges & regna domat, ſternitque potentes,
Deijcit elatos, & mergit ab arce ſuperbos,
Atque oppreſſores Deus opprimit, & pius ultor
Elevat eliſos, & conſolatur adactos
Luctibus & damnis & vulnera ſæva dolentes.
Tu nobis invicte Deus pietate medelam
Impendis, cui ſancta ſalus medicamine nullo eſt,
Quod ſpecies terrena parat languoris ad æſtus,
Spes hominum cernens, & vota precantia complens.
Aſpice deſpectum, dejectum tolle parumper,
Confeſſumque juva, quem pœnitet eſſe nocentem,
Ut valeam narrare tuas hoc carmine laudes,
Quas potero: nam nemo valet narrare creatus
Vel modicum facientis opus, quod mens rea clamat,
Pectore contuſo lacrimans, & voce fideli
Oſes ſermo tuus: noſtro nam corde tenetur,
Quo te promittis nimia pietate parentem.

LIBER II.

Ad Theodoſium juniorem Auguſtum.

REx æterne Deus auctor rectorque ſerenus,
Quem tremit omne ſolum, qui regis igne polum.
Sidera, flamma, dies, quem ſol, nox, luna fatentur
Auctorem, Dominum ſecula cuncta probant.
Omnia permutans, nullo mutabilis ævo,
Poſthac ſemper eris, qui es modo, vel fueris.
Nil confert, demitque tibi tam longa vetuſtas,
Omnia tempus habent, nam tibi tempus abeſt.
Tu mentes hominum quamvis per ſingula ducis,
Effingiſque bonis candida corda viris.
Qui facis iratus homini contraria bella,
Propitiuſque jubes, ut bona cuncta gerat.
Quidquid agunt homines, bona, proſpera, ſancta, modeſta,
Te faciente fiunt, quo bona cuncta fiunt.
Et contra adverſa, probroſa, maligna, inhoneſta
Tu fieri pateris, qui mala nulla facis.
Hæc tua lex docuit Moyſe præſcripta notante,
Cum perduratum cor Pharaonis ait.
Sic me lingua Deus, lingua patrante reatum,
Noxia culpa ligans traxit ad inlicita.
Ut qui facta ducum poſſem narrare tuorum,
Unde mihi poſſent dona venire ſimul.
Præmia deſpicerem tacitis tot regibus almis,
Et peterem ſubito certa pericla miſer.
Quo niſi cæleſtis Domini conſpectus ad æthram,
Aſpera cuncta premunt, proſpera nulla juvant.
Iraſcente Deo membra mutantur & artus.
Vertuntur ſenſus, vertitur & ſpecies.
Perſarum regem, Babylonica regna tenentem,
Poſt decus imperii novimus eſſe bovem.
Tum diademalem turparunt cornua frontem,
Mugitus pecudis verba fuere ducis.
Erravit per prata vagus mala gramina paſtus,

Et qui bos fuerat, de bove factus homo eſt.
Liquit & antiſtes verus pater ille Joannis,
Elinguiſque fuit voce tacente ſilens.
Aſt ego peccando regi, Dominoque, Deoque,
Pejor ſum factus, deteriorque cane.
Vulnera vexati curat ſua lingua moloſſi:
Heu me! quippe mihi vulnera lingua dedit.
Sed qui reſtituit pecudis poſt membra tyrannum:
Ut fieret rediens in ſua regna bonus,
Quique reformavit taciti modulamina verbi,
Ut mutilata ſonos lingua ligata daret.
Ipſe meis parcet erratis, atque jubebit,
Ut me reſpiciat, reſtituatque pius.
Culpa quidem gravis eſt, venia ſed digna, reatus.
Quod ſine peccati crimine nemo fuit.
Nam Deus omnipotens potuit, dum conderet orbem,
Triſtibus emotis optima ſola dare.
Sed diverſa creans, & diſcordantia, juſſit
Et bona mixta malis, & mala mixta bonis.
Sic elementa potens contraria miſcuit auctor,
Humida cum ſiccis, ignea cum gelidis.
Littera doctiloquax apibus cognata probatur,
Queis datur, ut habeant vulnera mella ſimul.
Cera dat ingenium pueris, primordia ſenſus:
Inde fit, ut præſtet littera, vel noceat.
Aſpis habet mortem, habet & medicamina ſerpens:
Vipera ſæpe juvat, vipera ſæpe nocet.
Cerva ſalutaris paſto ſerpente medela eſt;
Conficiunt, pellunt ipſa venena neces.
Materia ferri ſimplex & noxia conſtat:
Impius inde nocet, ruſticus inde placet.
Ipſa parit gemmas, pretioſos terra lapillos.
Ipſa dat & vepres, ſpinea ligna, roſas.
Delicias, morteſque parat, mare fluctibus altum,
Et generat pelagi conchula divitias.
Aera temperies auris vitalibus aptat,
Quæ corrupta dies corripit, atque animos.
Diras vel placidas retinet natura volucres:
Blanda columba avis eſt, aſpera vultur avis.
Nubibus aggeſtis pluviæ, nix, grando, pruina,
Gignuntur vicibus, ordine, lege poli.
Solis temperie ſpecies gratiſſima mundi;
Cuncta creanda parit, cuncta creata fovet.
Per quam fœtat humus flores, & meſſis ariſtas,
Sole peruſtus ager putris arena jacet.
Corpora ſol reficit radiis, & corpora vexat.
Solibus alternis itque reditque ſalus.
Omnia nec mala ſunt, nec ſunt bona ſidera Cæli,
Lucifer hoc docuit, ſidus & hoc docuit.
Temperies Cæli medium nec poſſidet orbem:
Nam de quinque plagis vix habet ipſa duas.
Quod Cœlum, quod terra, fretum, quod purior aer
Non meruere ſimul, hoc modo quando habet.
Culpa mihi fuerat Dominos reticere modeſtos,
Ignotumque mihi ſcribere nec Dominum.
Qualis & ingratos ſequitur, qui mente profana,
Cum Dominum norint, idola vana colunt.
Iſraelitarum populum ſic culpa tenebat,
Quando oblita Deum plebs vitulum coluit.
Et tamen indulgens veniam poſcentibus auctor
Contulit, & legem poſt mala facta dedit.
Te precor, omnipotens, quem ſat decet eſſe benignum,
Et quem nulla juvat ultio, ſed venia:
Cujus ſancta manus ſuſtentat corda regentum,
Et pius inclinas mox ubicumque jubes.
Gertam te primum me carminis, illius orſa
Quod male diſpoſui, pœnitet en fateor.
Poſt te ſumme Deus regi Dominoque reus ſum,
Cujus ab imperio poſco gemens veniam.
Imperet armato pietas tua; proſpera mandet
Rex Dominuſque meus ſemper ubique pius.
Nec mihi diſſimilis, quam quod ſolet omnibus eſſe,
Sit pietate ſua, ſit bonus & placidus.
Te nunc ſumme precor magnorum maxime regum,
Pectore, mente rogans, voce, manuque petens.
Da dextram miſero, veniam concede fatenti,
Tempore tam longo non decet ira pium.
Nemo cadet de jure tuo ſub morte cruenta,
Scit ſe victurum, qui volet eſſe tuus.
Sic leo terribilis fremit horridus ore cruento,
Unguibus excuſſis dente minante nocens;
Acriter ardeſcit criſpato lumine ferri,
Et mora ſi fuerit, acrior inde furit.
At ſi venator trepidans venabula ponat,
Territus & jaceat, mox perit ira cadens.
Temnit prædo cibos, quos non facit ipſe cadaver:
Ac ferus ignoſcit, ceu ſatis accipiat.
Et dat proſtrato veniam ſine vulnere victor,
Ore verecundo dejiciens oculos.
Sic tua, regnator, non impia frangitur ira,
Cum confeſſus erit crimina geſta reus.
Ignoſcendo pius nobis imitare Tonantem,
Qui indulget culpis, & veniam tribuit.
Principis imperium ſimile eſt ad regna ſuperna,
Ut canit ad populos pagina ſancta Dei.
Sacrilegis referens cæleſtia jura catervis,
Victus Apoſtolica, diſcipulaque manu.
Nonne Dei præcepta jubent, ne ſol cadat intrans,
Iraſcente alio, ne malus extet homo.
Rex inimicorum populis mucrone pepercit
David, & ſceleris certus adulter erat.
Confeſſus facinus veniam pro clade meretur,
Noxius impune, vel ſine morte reus.
Inſuper eſt Salomon eadem muliere creatus,
Quæ ſcelus admiſit, minus honoris habet.
Non fuit hic Salomon caſta de conjuge natus,
Sed ſcelerıs fructus ſceptra paterna tenet.
Ecce quid impendit patris clementia parcens,
Ut ſibi regna daret, ut daret & ſoboli.
Ipſe inimicorum Salomon non colla popoſcit,
Cum peteret Dominum, ſed ſapientis opem.
Extitit hic prudens, quia noluit eſſe cruentus,
Pacificuſque fuit, conſiliique tenax.
Stephanus ante alios lapidum ſub grandine Martyr
Hoſtibus orabat ſponte ſuis veniam.
Hæc bona ſimplicitas præſtat jejuna cruoris,
Vir ſine morte furens, nil habet ipſe necis.
Cæſar ubique potens hoſti poſt bella pepercit,
Et quod erat pejus, civis & hoſtis erat.
Sponte facultatem retinens reparavit honores,
Inde vocatus abit dignus honore pater.
Cujus ab imperio ſurgens & origine Cæſar
Auguſtus meruit tempus habere pium.
Tempore namque eodem natus de Virgine Chriſtus,
Cujus & emicuit ſtella per aſtra poli.
Dux Princeps Romanus erat de Principe Titus,
Si non præſtaret, dicere ſæpe ſolens,
Perdidimus hac luce diem, ſi nulla dediſſet
Mox exoratus præſtita ſupplicibus.
Alter item princeps modico ſermone probatur
Commodus Auguſtus, vir pietate bonus.
Nobile præceptum rectores diſcite poſt me,

Sit

Sit bonus in vita qui volet eſſe Dei.
Ecce quid impendit homini clementia ſimplex,
Ut præſtet vitam, conferat atque animum.
Fama Ducum mors eſt bellis collecta cruentis,
Ex quibus occurrit ſæpe reatus atrox.
Gloria bellorum Ducibus, populiſque triumphus,
In commune datum dividit omnipotens.
Nam ducibus tantum præſtat clementia laudem,
Non habet hæc comitem, participemque negat.
Dicit, in arma ſimul fuimus cum Principe, miles,
Me pugnante comes victor ab hoſte redit.
Numquid ut ignoſcat rector, pars militis inſtat?
Soli, qui ignoſcit, gloria laudis erit.
Rex, qui dat veniam ſubjecto, & temperat iras,
Pluſquam turba facit, qui ſua corda domat.
Te Deus aſpiciens effundere nolle cruorem,
Ut ſine peccato, non ſine laude daret.
Contulit abſenti terræ pelagique triumphos,
Anſila teſtatur, Maurus ubique jacet.
Quod pereunt hoſtes, regis fortuna vocatur,
Qnod pereunt populi, temporis ordo gerit.
* * * * *
Tempora ſunt vitæ, tempora mortis erunt.
Sex ſunt ætates hominum cujuſque ſenectæ,
Et diſtincta tenent tempora quæque ſua.
Numquid adulterii ſtrepitus infantia ſimplex
Vindicat, aut fremitus pigra ſenecta gerit?
Non catulaſtra gerit puerilia, non puer audet
Adtrectare tener Martia tela manu.
Non furit in Venerem nondum pubentibus annis,
Nec fœtum partus femina reddit anus.
Maturus tractat, gemit & tremebunda ſenectus
Neſcia fervoris, vel levitatis inops.

FL. CRESCONII CORIPPI AFRICANI
IN LAUDEM JUSTINI AUGUSTI MINORIS.
LIBER PRIMUS.

IMperii culmen rerum non motibus ullis,
Non armis ſumtum, non ambitione potitum,
Auſpicio meliore cano. licet omnia nullus
Inclyta geſtorum valeat monumenta piorum
Ordinibus numerare ſuis: tamen utile ſervis
Eſſe reos, mentem dominis aptare fidelem
Officio quocumque datur. præcommodo linguam;
Vos divæ, date ubera, & quæ Vigilantia Mater,
Et quæ ſumma regens ſapientia protegis orbem.
Vos mihi pro cunctis dicenda ad Carmina muſis
Sufficitis vos, quæque latent, arcana monetis.
Tuque DEI Genitrix, ſanctam mihi porrige dextram,
Et fer opem, quæſo. magni mihi cauſa laboris
Surgit, & invalidos ad pondera tendo lacertos.
Urget amans Dominus, carmenque impellit adire
Compoſitor morum, juris legumque Sacerdos;
Et Thomas Libycæ mutantis deſtina terræ,
Qui lapſam ſtatuit, vitæ ſpem reddidit Afris,
Pacem compoſuit, bellum ſine milite preſſit,
Vicit conſiliis, quod nullus vicerat ante.
Nec non magnanimus meritis, & nomine magnus,
Mente placens dominis, ſacris rationibus aptus,
Rectorum Latii diſcuſſor providus orbis;
Succeſſorque boni, redivivaque gloria, Petri.
Hinc Theodorus adeſt, patria gravitate Magiſter;
Hinc ſecreta ſacræ tractans Demetrius aulæ.
* * *
* * * *
Humentes oculos preſſit ſopor, haud ſine ſummi
Numinis auſpicio reor hanc veniſſe quietem.
Signa futurorum ſopor oſtentare bonorum
Venerat ille viro, rerumque arcana docere.
Nondum plena quies victos laxaverat artus,
Cum virgo ſuperas cæli demiſſa per auras,
Aſpectu clemens, & greſſu læta pudico,
Purpureas velata comas, oculiſque benigna,
Quantum ſigna dabant, ſacræ pietatis imago,
Divinos ſtetit ante pedes, dextraque coronam
Impoſuit, ſanctique caput diademate cinxit.
Auguſtoque virum circumdans mitis amictu,
Te decet hic habitus, regnantum maxime, dixit,
Terribilis Princeps, & amabilis omnibus idem,
A magno dilecte DEO, divalis origo.
En, ego læta tuis occurro prima ſecutis
Geſtorumque tibi felix Prudentia veni.
Suſtulit hæc nox alma patrem, fortiſſime ſurge,
Te expectat, Juſtine, dies, tu proximus hæres.
Te pater omnipotens divino ornavit honore;
Te dominum ſacræ firmavit avunculus aulæ.
Quid fundis lacrimas? rerum quid gaudia fles?
Pro-

Projice triſtitiam ; vivit pater æthere , vivit
Et fruitur meliore die ; ſuccede labori,
Atque regendarum curas nunc ſuſcipe regum.
Eſt virtus, roburque tibi, præſtantior ætas,
Prudens conſilium , ſtabilis mens , ut ſancta voluntas,
Et rerum cuſtos vigilantia, dignaque cælo
Veſtra gubernatrix lati ſapientia mundi.
Hæc ne vana putes, aut credas omnia fingi;
Accelera , manifeſta loquor: tibi ſerviet orbis,
Fortia virtutum miratus facta tuarum.
Quiſquis erit veſtræ, per ſe cadet, invidus aulæ,
Afficietque viros legum pius enſis iniquos.
Barbara Romanos agebant bella triumphos,
Regnaque ſub veſtris venient fortiſſima plantis.
Ecce, tuos proceres pulſantes limina ſomnus
Deſeruit, puriſque volans ſe miſcuit auris.
Et jam crebra manus veloci concita pulſu
Limina quaſſabat ductis munita catenis :
Ad ſtrepitum cuſtos , cura eſt cui clauſtra tueri,
Sic ait indignans : quiſnam temerarius hic eſt ,
Qui placidos audet dominorum rumpere ſomnos
Tempore, quo dulcem nox intempeſta quietem
Ingerit , & membro ſopor eſt gratiſſimus omni?
Si te fida manet dominorum cura tuorum ,
Surge eia, Calinicus ait. mox agnita vox eſt;
Ante fores domini Calinicum nuntiat eſſe :
Auſpicium felix illo de nomine cepit.
Proſperitas ea prima fuit, fortunaque rerum
Tempora deſeſſo renovans felicia mundo,
Quod primum ad limen bona tunc victoria venit,
Orbis in Auguſtam dominos ut duceret aulam ,
Hoc nomen ſors læta tibi, Calinice, dicavit ;
Promeritis vir clare tuis: factuſque miniſter
Tanti conſilii , licet hæc DEUS omnia fecit .
Tu quoque cum dominis quoniam ſic mente fideli
Vixiſti viveſque tuis, mercede laborum
Æternam famam, laudemque, & nomen habebis.
Fit juſſis mora nulla DEI : mox clauſtra reſolvens
Janitor excelſam ſtridenti cardine portam
Imperio reſeravit heri. jam viſio certum
Fecerat illa virum, dulceſque a pectore ſomnos
Expulerat, curæque altæ pia corda movebant.
Ut latæ patuere fores, ſubit ampla Senatus
Atria, & aurati ſubter faſtigia tecti
Corripuit feſtinus iter monſtrante miniſtro.
Eſt domus interior tectorum in parte ſuperna
Luce ſua radians, & aperto libera cælo,
Conſpicuo vitrei ſplendens fulgore metalli:
Dicere ſi fas eſt, rutili non indiga ſolis ,
Vel ſolis dicenda domus ; gratiſſima viſu ,
Et facie miranda loci. pars proſpicit una
Immenſum pelagus; pars reſpicit altera portum,
Portum quem geminæ complexant brachia ripæ.
Limina ſacra patres dejectis vultibus intrant,
(Ille habitus caſum ſignis monſtravit apertis)
Surrexere citi, verbiſque in ſede relictis
Ad medios venere locos . Quid fertis Amici?
Cur triſtes, Juſtinus ait? Pater inclytus orbis
Occidit , an vivit? Magno tunc regia fletu
Ingemuit ; gemitus uno Calinicus ademit
Ora premens digito, dextraque ſilentia fecit.
Aggere non aliter quam victo lumen inundans
In latos erumpit agros, ſi cautior illic
Marginibus ſparſas erectis colligat undas
Agricola, in ſeſe refluus revocabitur amnis ,
Præcipites frenantur aquæ , redit impetus omnis,
Et clauſi bibula rivi minuuntur arena .
Romanum Imperium, patris dum vita manebat,
Veſtris conſiliis, veſtriſque laboribus auctum ,
Et plebi notum eſt, & nos cum plebe fatemur.
Auguſtum , Juſtine , genus , te Principe dignum,
Te dominum ſacræ quis non prædixerit aulæ?
Cum magni regeres divina palatia patris,
Par extans curis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus cura palati
Diſpoſito jam Cæſar eras . cum ſceptra teneret
Fortis adhuc ſenior, regni tu ſumma regebas
Conſilio moderata gravi . nil ille peregit
Te ſine, magnanimus ſeu fortia bella moveret ,
Fœdera ſeu pacis cum victis victor iniret .
Nunc idem genitor lætus, plenuſque dierum ,
Funere felici cæleſtia regna petivit,
Te ſucceſſorem ſtatuens ſibi . ſuſcipe gaudens ,
In tua jura ſuum tranſmiſit avunculus orbem .
Non te cognatum ſanctiſſimus ille putavit,
Sed genitum : te jura vocant, te ſuſtinet aula.
Tu decus imperii , lumen, virtuſque Latini :
In te noſtra ſalus, in te ſpes noſtra reſurgit.
Oramus, concede tuis, ſuccede parenti,
Rumpe moras, cape dona Dei, ſceptriſque paternis
Utere, & Auguſtum , quod debuit , accipe nomen .
Talibus orabat ſacras vir fidus in aures
Hortans, & rerum dominis cunctantibus inſtans ;
Conſenſuſque ſui manifeſtans vota Senatus
Creverat, orabat Dominos, & poplite flexo
Plurima divinis ſupplex dabat oſcula plantis,
Verbaque narrantis tacite firmabat amici.
Ipſe autem patris concuſſus ſorte beati
Sceptra recuſabat lacrimans, largoque rigabat
Imbre genas, fletuſque viri veſteſque madebant,
Tantus amor ſenioris erat. Deſiſtite , dixit,
Duram rem petitis, fruſtraque inſtatis amici.
Ergo ſuperpoſita caput hoc ornabo corona ,
Quando Juſtinum triſtem decet eſſe per orbem?
Flere libet: patrem res publica perdit & orbis
Non dominum. quem non hominem pietate benigna
Continuit, fovit, monuit, nutrivit, amavit?
Et tamen innocuo plures voluere nocere.
Non caret invidia regni locus : ibo paternas
Triſtis in exſequias, regalia ſigna recuſo.
Talia dicentis pedibus proſtrata, jacenſque
Omnis turba ſimul, pius & miſerere, perorat,
Supplicibus vir ſancte tuis, ſuccurre periclis,
Omnia mox , veniente die, periiſſe videbis,
Si vacuam vulgus ſine Principe ſenſerit aulam .
Quantumcumque boni moveat dilectio patris ,
Non ſit amor Patriæ patrio minor : ipſe tenere
Sceptra tuus moriens te juſſit avunculus ore.
Aſpice quanta fuit noſtræ ſimul urbis & orbis
Provida cura ſeni. pro te Deus omnia fecit,
Quæ fieri voluit. ſolium conſcende paternum,
Et rege ſubjectum Princeps fortiſſime mundum.
Aurea naſcetur vobis regnantibus ætas;
Nec mutans dominos Romana videbitur aula.
Vocibus his flexus ceſſit tandem. itur in arcem
Obſequio comitante patrum, gratiſſima conjux
Subſequitur, non tunc ſolito ſtipata tumultu .
Incedunt media ſecuram nocte per urbem
Fronte parum læti , quamvis gaudente Senatu
Imperium : quamquam omnia tuta viderent,
Divinis animis inerat dolor ille parentis ,
Ante pios oculos mitis verſatur imago:

Illa

Illa monet mentem, penituſque in pectore utroque
Indiviſa manens pia Numina numine complet.
Limen ut Auguſtæ ſacro pede contigit aulæ,
Omnia gallorum ſtrepuerunt culmina cantu:
Exactam noctem primi ſenſere volucres,
Et lætum cecinere diem, alarumque dedere
Plauſibus aſſiduis, & acuta voce favorem.
Excubiæ primum, quæ ſumma Palatia ſervant,
Imperium felix dominis intrantibus optant,
Et cunctos aditus armato milite vallant,
Ne quis in Auguſtam contrarius audeat aulam
Infenſum conferre pedem (devotio tanta
Atque hominum cautela fuit, ſollerſque bonorum
Sollicitudo patrum.) nam quis tentaret obeſſe,
Quum Deus imperium ſancto jam dixerat ore
Juſtino Sophiæque datum? mutoque potenti
Cinxerat, atque armis totam cæleſtibus aulam?
Omnia diſponens, munivit providus arcem,
Tiberius, domini ſemper cui maxima cura
Utilitatis erat: namque illum maximus orbis
Communis Benefactor alens, & ab ubere matris
Suſcipiens primis puerum prælegit ab annis;
Utque pater genitum nutrivit, fovit, amavit,
Paullatimque virum ſumma in faſtigia duxit.
Hinc etiam juvenis tota virtute laborans
Pro rerum dominis animam, vitamque periclis
Non dubitat præbere ſuam: vigilatque, fidemque
Exhibet, & ſummum meruit dominantis amorem.
Hic bene ſuſcepti primordia proſpera regni
Diſcreta ratione, notans properare, fideles
Urgebat famulos, & cuncta parare jubebat.
Aurato interea corpus ſublime feretro
Impoſitum turba famulorum flente jacebat,
Et flentum lacrimis juſtus dolor ora rigabat;
Arbor uti mediis avibus gratiſſima campis,
Annis victa cadens antiquum robur opacis
Servat adhuc foliis, & corpore fuſa ſupino,
Languida per latas expandit brachia terras:
At circum querulæ volitantque, ſedentque volucres,
Mærentesque dolent ſedem cecidiſſe priorem,
Et quærenda novis arbor placet altera nidis:
Sic ſuprema ſuæ ſervans inſignia vitæ
Juſtinianus erat non mutans morte colorem,
Sed ſolito candore nitens, quia vicerat orbem,
Mors veneranda viri ſignis monſtravit apertis.
Ipſe videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia, diademate comtus,
Purpureaque in veſte jacens requieſcere ſomno,
Credere quod poſſes non duro funere corpus.
Haud reor immerito hic lætus, & ore benignus
Ille foret moriens, niſi mens ſibi conſcia recti,
In cælum properans ſecuros linqueret artus,
Et tutum imperium firmato hærede locaret.
Huc ubi magnanimus ſacra cum conjuge venit,
Cara per exanimum circumdans brachia corpus,
Cum lacrimis Juſtinus ait: lux urbis & orbis,
Juſtiniane pater, dilectam deſeris aulam?
Cognatos, famulos, & tantos linquis alumnos?
Contemnis terras? feſſo non proſpicis orbi?
En Avares, Francique truces, Gypideſque, Getæque,
Totque aliæ gentes commotis undique ſignis
Bella movent; qua vi tantos ſuperabimus hoſtes,
Quum virtus Romana jacet? hæc patris amore
Verba loquebatur lacrimans. nam pectore toto
Bellorum jam cura fuit, jam ſigna duceſque
Diſpoſiti, claſſes, acies, exercitus, arma
Conſilio moderata novo, taciteque parata.
Juſtini nutu gentes, & regna tremiſcunt:
Omnia terrificat rigidus vigor. hic pietatem
Oſtendit natura ſuam, juſtumque dolorem
Divinis animis nulli evitabilis auxit
Carnis conditio, cunctis mortalibus æqua,
Hic pietas laudanda viri eſt, ſemperque canenda.
Dicite, quis hominum lacrimis ita poſſit amaris
Flere ſenis mortem? regni ſucceſſor & hæres
Imperat & dolet: imperium proferre parenti
Mallet, quam regni ſolium, quam ſceptra tenere.
Nec minus imperii gratum patrem inclyta conſors
Flebat, & humanam ſortem pietate dolebat.
Exſequiis adicit ſolito plus dona paternis,
Ireque contractas denſo jubet agmine turbas:
Et tulit intextam pretioſo murice veſtem,
Juſtinianorum ſeries ubi tota laborum
Nexo auro inſignita fuit, gemmiſque coruſca.
Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
Occiſos reges, ſubjectaſque ordine gentes
Pictor acu tenui multa formaverat arte.
Fecerat & fulvum diſtare coloribus aurum,
Omnis ut aſpiciens ea corpora vera putaret:
Effigies auro, ſanguis depingitur oſtro.
Ipſum autem in media victorem pinxerat aula,
Effera Wandalici calcantem colla Tyranni;
Plaudentem Libyam, fruges laurumque ferentem.
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exerto & nudam geſtantem pectore mammam,
Altricem imperii, libertatiſque parentem.
Hæc ideo fieri vivax ſapientia juſſit,
Ornatum ut propriis funus regale triumphis
Auguſtum in tumulum fatalis duceret hora.
Dum famuli pia juſſa parant, aptantque feretrum,
Vox ingens facta eſt, plauſus & gaudia ſurgunt:
Et fragor ex imis altum petit æthera terris,
Almaque diſcreto placuit concordia vulgo.
Læta per Auguſtam pennis plaudentibus urbem
Fama volans ſomnum populos inopina gravantem
Increpat, impellitque fores, & limina pulſat,
Multiplicatque ſuas felix prænuntia linguas.
Somnus, ea veniente, fugit, ſecumque cadentem
Traxit ſegnitiem, totaque exceſſit ab urbe.
Imminet illa favens & crebro pollice pulſat
Tardantes populos, & ſurgite, ſurgite, clamat.
Caſtigatque moras, & plena palatia narrat
Conventu procerum, ſorti ſenioris ademti
Dilecti numen ſtruerent quo nocte peracta.
Urget, agit, ſtimulat, pulſat latus, imprimit, inſtat,
Accelerant, vacuantque domos, vicoſque per omnes
Gaudentes currunt, & murmura prima moventur
Nondum clara metu, civemque interrogat omnem
Occurrens civis, rumorque per agmina ſerpit.
Solis honore novi grati ſpectacula circi
Antiqui ſanxere patres, qui quatuor eſſe
Solis equos quadam rerum ratione putabant,
Tempora continui ſignantes quatuor anni:
In quorum ſpecie, ſignis, numeriſque, modiſque
Aurigas totidem, totidem poſuere colores,
Et fecere duas ſtudia in contraria partes,
Ut ſunt æſtivis brumalia frigora flammis.
Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit,
Roſeus æſtatis rubra ſic veſte refulgens,
Ut nonnulla rubent ardenti poma calore.
Autumni ventus ferrugine dives & oſtro

Ma-

Maturas uvas, maturas ſignat olivas:
Æquiparans candore nives, hiemiſque pruinam,
Albicolor viridi ſocia conjungitur una.
Ipſe ingens circus, plenus ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem,
Amplectens geminas æquo diſcrimine metas,
Et ſpatium mediæ, qua ſe via pandit, areæ.
Quid Procyclum * referam primas junxiſſe quadrigas,
Et currus armaſſe novos, Pelopemque ſecundum
In ſoceri veniſſe necem. præſtantior alter
Inventus gener eſt plus ſponſæ junctus amore.
Hunc veterum primi ritum non rite colebant,
Eſſe Deum Solem, recta non mente putantes:
Sed factor ſolis poſtquam ſuo ſole videri
Se voluit, formamque Deus de virgine ſumpſit
Humani generis, tunc munere ſolis adempto
Principibus delatus honor, munuſque Latinis,
Et jucunda novæ Circenſia gaudia Romæ.
Huc omnes populi, pueri, juveneſque, ſeneſque
* Dant agmina plauſus, vox omnibus una,
Mens eadem, nomen populis placet omnibus unum.
Ales ut expoſitos cum Phœnix innovat artus
A buſto rediviva ſuo, concentus in unum
Stans avium ſpectat ſolem, ſoliſque volucrem,
Dum veniat, Regemque novum clamore ſalutant:
Sic decus imperii ſanctum, ſic Jota reſurgens
Exortum eſt de fine ſuo, ſeniumque reponens
Nominis & recti Juſtino in Principe vivit
Juſtinianus apex Domini. ſic vulgus amore
Undique conveniens lætarum more volucrum,
Tu vincas, Juſtine, canunt: ingenſque tumultus
Creſcit, & Auguſta luctus diſceſſit ab aula,
Lætitia veniente nova. vox excitat omnes.
Omnia Juſtino præbent elementa favorem.
Omnia congaudent. omnes clamore vocati
Conveniunt proceres: lux ſacra palatia complet.
Ipſum quin etiam exanimum gaudere putares
Corpus in Angelicam mutatum morte figuram.
Signa dedit manifeſta Deus, ſeque ipſe probavit
Juſtino claram regni impoſuiſſe coronam.

LIBER SECUNDUS.

ROſcida purpureos aurora oſtenderat ortus,
Imperio ſacrata Dei, dominiſque jubebat
Sumere conceſſum cæleſti munere regnum:
Ipſe autem procerum magnis oratibus actus
Non primum Imperii regalia ſigna recepit,
Ni ſacrata prius ſupplex oracula poſcens
Effuſis precibus Chriſto ſua vota dicaret.
Ilicet Angelici pergens in limina templi
Impoſuit pia thura focis, ceraſque micantes
Obtulit, & ſupplex lacrimis ita cœpit obortis:
Omnipotens Princeps ſummi Pater inclyte Verbi,
Lux æterna Deus, rerum formator, & auctor.
Cujus ſtelliferum fecit ſapientia Cælum,
Fundavit terram, & veſtivit floribus agros,
Arboribus tribuit ſua germina, vallibus herbas,
Et Cæli liquidos formatrix condidit ignes
Diſcernens a nocte diem, rutiliſque comantem
Ornavit ſolem radiis, & cornua Lunæ
Paulatim minui, paulatim creſcere juſſit:
Formavit varias, habitu diſtante, figuras,
Produxit pronis animalia cetera membris,
Solum hominem rectum, quem mox ratione replevit,
Vivificans ſiccum ſacro ſpiramine limum:
Cujus ſubtracta coſtis ex omnibus una,
Perfecit facto ſimilem, ſociamque dicavit,
Atque creaturam, claro eſt quæ ſubdita Cælo,
Subjectam fecit divini juſſio Verbi:
Quas tibi perſolvet tanto pro munere grates
Parvus homo, immenſi factus factoris imago?
En ego, parva creaturæ pars; ſubditus adſto
Ante oculos, excelſe, tuos, tibi ſervio ſoli,
Atque meum ſubmitto caput, cui flectitur uni
Omne genu, quem cuncta pavent, elementa tremiſcunt:
Quæque vident homines, & non permiſſa videri,
Ante oculos ſunt clara tuos, famulantur, adorant,
Et laudant factoris opus. ſi ſceptra tenere
Me Romana jubes, ſoliumque aſcendere Patris:
Si tibi complacuit populos mihi credere tantos,
Velle tuum fac poſſe meum. tu ſubjicis hoſtes,
Colla ſuperborum, furiataque pectora frangis.
Tu reges ſervire facis. da poſſe volenti,
Ut faciam placitura tibi. Placuere parenti
Orantis pia verba viri, Genituſque precanti
Annuit, & Sanctus regnator Spiritus inquit:
Vox arcana Dei geſtis fit nota peractis,
Non fieret, niſi facta Dei vox illa juberet.
Ipſa etiam ſummi conſors caſtiſſima regni,
Virginis & matris templum ſublime petivit,
Cujus adoratum limen feliciter intrans
Ante pios vultus expanſis candida palmis
Conſtitit, & pronis ſupplex hæc vultibus infit:
Virgo Creatoris genitrix ſanctiſſima mundi,
Excelſi regina Poli, ſpecialiter una
Vera parens, & virgo manens ſine ſemine patris:
Quam Deus elegit Matrem, tu credula Verbum
Concipiens, noſtram genuiſti fœta ſalutem.
O pietas miranda Dei, dictuque tremenda,
Cælorum factor Dominus Deus, unica Patris
Forma Dei, veræ ſeſe velamine carnis
Induit, & ſervi formam de Virgine ſumpſit.
Quos tibi, quos genito dignos ſolvemus honores
Pro tantis, benedicta, bonis? te, gloria matrum,
Auxiliumque imploro tuum: te ſemper adorem,
Te fatear Dominam, ſervatricemque novarum
Juſtini rerum. noſtrum caput, inclyta, ſerva:
Tutare imperium, vitam rege, perfice cœpta.
Da bene diſpoſitis procedant omnia noſtris:
Subde feras gentes juſto mucrone ſuperbi
Depereant: veſtro ſemper tutamine vivam.
Plurima prætereà verbis clementibus orans
Oblatis ceris altam remeavit in aulam.
It ſacrum comitata latus pulcherrima proles,
Luce ſua plenam quæ poſſit vincere Lunam,
Æquiparans humeris matrem: ſic lucida cultu,
Sic niveis formoſa genis, ſimiliſque parenti.
Igne micant oculi, nomen diſtabat, & ætas;
Non tamen egregiæ diſtabat gratia formæ:
Arboris ut matris quæ de radice propago
Naſcitur, & celſis caput erigit ardua ramis,
Æquiparatque novis maternam frondibus umbram:
At mater proprio florentem germine natam
Gaudet habere parem, lætiſque attollit in auras
Felices ramis, & vertice deſpicit arva.
Iam lætus Princeps divalia tecta ſubibat,
Ampliquе gaudentes implebant atria turbæ:
Accelerant fidi, cura eſt ut cuique, miniſtri
Obſequiis præbere manus, promuntque, veruntque

Au-

Auguſtas veſtes, pretioſaque cingula gemmis,
Et capitis diadema ſacri. cultu ipſe priori
Exuitur, tantumque uno veſtitus amictu
Conſtitit, & lumen membris regalibus auxit.
Haud ſecus ut nubes, cum ſe reſcindere denſam
Cœperit, & cælum monſtraverit æthra ſerenum,
Ardentes radios mittit jubar, omnia viſo
Congaudent elementa die, mox erigit herba
Molle caput, vernant ſegetes, & gramina creſcunt,
Ipſaque conſpectis gradiuntur lumina terris.
Hæc eſt illa dies, læti dixere clientes,
Quam pater ille bonus ſancto prædixerat ore.
Egreditur tunicaque pios inducitur artus
Aurata ſe veſte tegens, qua candidus omnis
Enituit, lumenque dedit, fuſcaſque removit
Ætherea nondum prolata luce tenebras.
Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno;
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui ſolet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus Princeps, & barbara colla domare,
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore,
Lectaque pro ſacris tactu molliſſima plantis.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti
Sub quorum eſt pedibus Regum cruor: omne profecto
Myſterium certa rerum ratione probatur.
Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Balteus effulgens lumbos præcinxit heriles.
Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo.
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra:
Aurea juncturas morſu præſtrinxit adunco
Fibula, & a ſummis gemmæ nituere catenis:
Gemmæ, quas Getici felix victoria belli
Præbuit, atque favens dominis Ravenna revexit,
Quaſque a Wandalica Beliſarius attulit aula.
Signa triumphorum, pie Juſtiniane, tuorum,
Soſpite Juſtino, mundumque regente, manebunt;
Amborum nomen per ſecula cuncta canetur:
Narrabunt populi miracula veſtra futuri.
Armati manibus ſacrati circulus auri
Impoſitus collo imperium ſublime dicavit:
Quod faciens ter, ter dextram cum munere tendens,
Auguſti, Juſtine, locum tibi confero, dixit.
Aſt ego, te jubeo, Princeps ait, eſſe tribunum.
Felix armatus, primus qui verba loquentis
Audiit, & primus ſolemnia dona recepit.
Quatuor ingentem clypeis ſublimibus orbem
Attollunt lecti juvenes, manibuſque levatus
Ipſe miniſtrorum ſupra ſtetit, ut ſua rectus
Littera, quæ ſigno ſtabili non flectitur umquam,
Nominibus ſacrata tribus: qui viribus æquis
Imperium rexere ſuum. genus omnibus unum,
Sceptrum continuum, tempus juge, juncta poteſtas.
Succeſſu res acta ſuo eſt: jam regna duorum
In Cælis tranſlata manent, nunc maximus orbis
Communis benefactor adeſt, cui ſubdita reges
Colla patant, nomenque premunt, & numen adorant.
Adſtitit in clypeo Princeps fortiſſimus illo
Solis habens ſpecimen: lux altera fulſit ab urbe,
Mirata eſt pariter geminos conſurgere ſoles
Una favens, eademque dies: mea carmina numine
Menſuram tranſgreſſa ſuam mirabere forſan,
Quod dixi geminos pariter conſurgere ſoles?
Nec vacuis verbis, nec inanibus acta figuris
Ore feras prolata meo, ſi dicta rependis.
Mens juſti plus ſole nitet, non mergitur undis,
Non cedit tenebris, non fuſca obtexitur umbra:
Lux operum æterno lucet ſplendore bonorum.
Poſtquam cuncta videt ritu perfecta priorum
Pontificum ſummus, plenaque ætate venuſtus
Adſtantem benedixit eum: Cælique potentem
Exorans Dominum ſacro diademate juſſit
Auguſtum ſancire caput, ſummoque coronam
Imponens apici, feliciter accipe, dixit.
Intonuit patrum ſubitus fragor, inde clientum
Clamores creſcunt, clamoribus adſonat æther:
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt;
Juſtino vitam ter centum vocibus optant:
Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat.
Mille canunt laudes vocum diſcrimine mille:
Juſtinum, Sophiamque pares, duo lumina mundi
Eſſe ferunt; regnate pares in ſecula, dicunt.
Felices annos Dominis felicibus orant.
Inſonuit vox illa diu, tandemque quievit.
Ipſe coronatus ſolium conſcendit avitum,
Atque Crucis faciens ſignum venerabile ſedit;
Erectaque manu, cuncto præſente Senatu,
Ore pio hæc orans, inquit: ſuper omnia regnans
Regna Deus, regnum nobis conceſſit avitum,
Et patrium diadema dedit, curaſque regendi
Impoſuit rerum genitor, quas ipſe creavit.
Laudamus factoris opus. regemque tremendum
Suſpicimus, grates agimus, grateſque fatemur.
Ipſius eſt quodcumque ſumus, ratione probante,
Et rerum certas nobis præbente figuras.
Pluribus ex membris animal componitur unum,
Sed caput eſt quod membra regit: Deus ergo creator
Componens hominem natus......
Omnibus ut membris caput imperet ipſa regantur.
Conjuncta eſt capiti ſapientia, corporis arcem
Quæ retinens oculis ſpeculetur membra ſerenis:
Et quoſcumque videt vigilanti lumine ſollers
Peſte laborantes ſubjecti corporis artus,
Sanet, & infeſtos pellat medicamine morbos.
Romanum imperium corpus bene ponitur unum,
Compoſitum multis, quod fas eſt dicere, membris.
Nos ſumus ergo caput ſolidati corporis hujus.
Huic ſacro capiti facta eſt ſapientia conſors,
Quæ mihi commiſſum pariter regat inclyta mundum
Sede ſedens una: vos o mihi proxima membra,
Conſcripti Patres, noſtri ſpes maxima regni:
Vos eſtis pectus, vos brachia verticis hujus:
Quorum conſiliis, quorumque laboribus uſa
Publica res domuit gentes, & regna ſubegit.
Summa regendarum cura eſt mihi credita rerum:
At quia ſubjectum noſtrum eſt diſponere mundum,
Nos etiam vobis curas committimus orbis:
Alloquimur fidos, & vos hac voce monemus:
In primis Deus eſt tota virtute colendus
Semper adorandus, ſemper metuendus, amandus,
Omnia qui fecit pulchri miracula mundi.
Nos imitatores factoris, & omnia dantis,
In quantum natura valet, contendimus eſſe:
Utque Deus voluit, propriis caput impero membris.
Juſtitiam populis generaliter omnibus æquam,
Et juris ſervare modos, diſponite plebes,
Ut decet imperii veros diſponere patres;
Utque pedes proprios, & membra minora fovete.
Non minor eſt membris cura impendenda minutis:

Obſequium pedibus naturæ lege videmus
Admotas præbere manus, oculoſque miniſtros
Cernimus eſſe pedum, quibus inferiora tuemur.
Ante pedes planate vias, ne temnite partem
Magnis officiis, ſummiſque laboribus aptam,
Qua vehitur totum ſummo cum vertice corpus.
Qui pedibus rectis graditur, mala nulla veretur:
Non timet offenſam, neſcit via recta ruinam:
Quin nec cauſa rei cultu eſt ornanda diurno.
Nullus vile putet, quod novit corporis eſſe.
Sit cenſura patrum, ſit diſciplina per orbem:
Priventur cædes populorum, jurgia ceſſent,
Nullus lædendi pateat locus, uſus iniquæ
Ceſſet avaritiæ, ſubjectis parcite noſtris,
Colla ſuperborum confringite, culpa nocentes
Puniat ipſa ſuos, ſerventur jura quietis.
Huc aures, totamque viri deflectite mentem,
Quæque ſit ex dictis veſtri ſpes, diſcite, noſtris.
Agricolæ ſua rura colunt, cultuque diurno
Implorant fructus, & terram vomere ſindunt,
Dividiturque bonis gratus labor ille colonis:
Pars ſcindit glebas, pars ſulcis ſemina mandat,
Pars liquidas deducit aquas, hortoſque virentes
Irrigat, ac tractis ſatiat pomaria rivis:
Novit culta ſuos tellus ditare colonos.
Sic bene promeritos donis reſpublica ditat,
Terra velut pinguis, cujus ſpes magna Senatus
Hic floret virtute, fide, gravitate, rigore:
Hanc quicumque colunt, multum mercedis habebunt.
Quod fiſci eſt, nullus rapiat: cognoſcite fiſcum
Ventris habere locum, per quem omnia membra cibantur.
Venter alit corpus: fuerit ſi venter inanis,
Omnia deficiunt, tenuantur robore membra,
Et contracta tigent arentibus oſſa medullis.
Omnia ſufficiunt ſacrati commoda fiſci,
Ex quibus eſt commune bonum: commune levamen
Tutetur fiſcus juſtorum nemine læſo:
Quæ ſua ſunt, capiat, quæ ſunt privata, relinquat,
Juſtitiam colimus, juſtos veneramur, amamus:
Hanc commendamus, hanc vos retinere jubemus.
Plurima ſunt vivo nimium neglecta parente,
Unde tot exhauſtus contraxit debita fiſcus,
Reddere quæ miſeris mori pietate paramus.
Quod minus ob ſenium factumve, actumve parentis,
Tempore Juſtini correctum gaudeat orbis:
Nulla fuit jam cura ſenis, jam frigidus omnis
Alterius vitæ ſolo ſervebat amore:
In Cælo mens omnis erat, jam corporis hujus
Immemor, hanc mundi faciem tranſiſſe putabat.
Et licet exhauſti vacuarit commoda fiſci,
Illa tamen Sancti mecum eſt benedictio patris,
Quæ totum reparare poteſt, & lapſa novare.
Nec patimur quemquam ſacratum lædere fiſcum.
Nec lædi quemquam ſinimus ſub nomine fiſci;
Utantur cuncti propriis, ac jure fruantur.
Hæc poſtquam Princeps tranquillo protulit ore,
Pronus adoravit laudans pia dicta Senatus,
Et ſummi clamor pervenit in aſtra favoris.
Protinus in magni ſurgit faſtigia circi,
Cerneret ut lætos populos, plebemque moneret
Eloquii pietate ſui. tunc ordine longo
Incedunt ſummi proceres, fulgenſque Senatus.
Ipſe inter primos vultu præclarus honoro,
Fratris in obſequium gaudens, Marcellus abibat,
Diſpoſitorque novus Sacræ Badurius aulæ,
Succeſſor ſoceri, factus mox cura palati eſt.
His ætas diſpar, ſed par votum atque voluntas:
Ambo patricii, dilecti Principis ambo
Fulgebant geminis ſimiles radiantibus aſtris,
Aſtris, quæ Cælum flamma meliore perornant,
Solaque prolato poſſunt cum ſole videri
Stellarum fugiente globo, quando omnia pallent
Sidera, & afflatas ortum jubar aſpicit herbas,
Atque operit novus aſtra dies. prænuntius ante
Signa dedit curſor poſita de more lacerna:
Exoritur lætum jucunda per agmina murmur,
Intentos oculos ad ſedem vulgus herilem
Extulit aſſurgens, quoniam plebs læta videre
Felicem Dominum ſummo cupiebat amore.
Egreditur cum luce ſua, frontemque ſerenam
Armavit Sancti faciens ſignacula ligni:
Utque ſalutato tetigit ſubſellia vulgo
Auratum ſcandens ſolium ſedemque paternam
Conſtructam plumis, pulchriſque tapetibus altam,
Aſpexit lætus populos, vultuque modeſto
Circumfuſa videns plaudentum millia, riſit,
Cenſuram ſervans, & plebi gaudia donans.
Ut princeps ſolio ſubnixus ſedit in alto,
Ingens lætitiæ ſonuit fragor: aurea plebes
Tempora principibus centenis vocibus optant:
Juſtino vitam partes utræque reclamant,
Auguſtæ Sophiæ votis quam pluribus orant.
Excutiunt plauſus, ſtudiorum gaudia ſurgunt,
Alterniſque ſibi reſpondent agmina dictis.
Emittunt dextras pariter, pariterque remittunt:
Certatim toto vulgus micat undique circo,
Ut veniunt denſæ manicis albentibus undæ:
Diſponunt cantus, modulos & cantibus addunt:
Nunc ſimul erectis, pronis nunc ardua membris
Dant capita: accedunt pariter, pariterque recedunt,
Fertque, refertque globum moles condenſa virorum.
Exaltata putes placidis bene flantibus euris
Ludere coniferæ frondoſa cacumina ſilvæ,
Et flexis nutare comis, lentoque viciſſim
Vertice fœcundos huc, illuc flectere ramos.
Inde dato populi fecere ſilentia ſigno,
Cunctaque clamoſi tacuere ſedilia circi.
Mollior ut ventis quoties venit aura remotis,
Fluctivagum pelagus, quod tempeſtate movetur,
Manſuetis planatur aquis, tunc ſolis honore
Omnia clara ſilent tranquillis æquora ripis,
Et clamor magnus populi ſtrepituſque quievit.
Divinus Princeps Auguſta voce perorans
Hæc plebi mandata dedit: bene vivite, cives,
Tempus gaudendi eſt, gaudete, hilareſque manete:
Contulit iſta Deus, nullus ſua gaudia turbet.
Priventur cædes, ſtudiorum jurgia ceſſent,
Et jam poſt duros cunctis promitto labores:
Otia ſunt plebi, nobis vigilantia ſollers.
Tranquillam faciam ſecuris civibus urbem;
Nos curam veſtri gerimus, nos veſtra tuemur,
Credite, non patitur ſæclorum ſecta meorum
Injuſtos ſævire diu; componite mores,
A furtis cohibete manus, ceſſate nocere.
Diſcite juſtitiam, legum præcepta tenete:
Juſtitiam quicumque facit, fora nulla timebit:
Omnis erit judex informidabilis illi.
Corripiet ſontes juris vigor. eſte quieti.
Si ſocium ſocius, ſi civem civis amabit,
Non ſolum optati jubeo ſpectacula circi,
Præmia ſed populis, & maxima dona parabo.
Ditabo plebes opibus, nomenque negatum

Con-

Conſulibus conſul poſt tempora cuncta novabo,
Gaudeat ut totus Juſtini munere mundus.
Dona Kalendarum properant vicina mearum,
Vos veſtris adſtate locis, properate, parate,
Promiſſaque die noſtras ſperate curules.
Expavit gaudens inopino nomine vulgus
Conſulis audito: natus fragor, itque tumultus
Per lætos ingens, ingens fremit undique murmur,
Ingeminantque cavos dulci modulamine plauſus.
Interea lati ſpoliant ſubſellia circi;
Undique plorantum deſcendit turba virorum,
Et poſitis totam chartis implevit arenam
Ante ipſam Domini ſedem, largiſque rigantes
Ora viri lacrimis, & terræ corpora dantes
In facies cecidere ſuas: miſerere, perimus,
Inſonuit vox magna diu: lege ſacra parentis
Syngrapha, de tantis rationem collige chartis:
Jam ſervis ſuccurre tuis. nos noſtra jubenti
Credidimus Domino. vobis quis veſtra negaret,
Quum veſtrum eſt, quod mundus habet? ſcis ſumme regen-
Publica quid veſtro proſint commercia fiſco. (tum
Unde tributa tuis ſuccedent annua rebus,
Deficiet ſi noſtra manus? tibi militat omne,
Quod gerimus: nos, quæ tua ſunt, privata vocamus.
Vix nobis vitæ conſtant alimenta diurnæ
Afflictis quæ longa dies, longoque labore
Sors quærit, parvoſque cibos ſub nocte reponit.
Flere diu tantis lacrimis non paſſus acerbis
Condoluit miſerans, & ſe pietate ſubegit
Legibus ultro ſuis. aliena pecunia, dixit,
Reddenda eſt. vivus patri qui ſubſtitit hæres
Theſauros fidis privatos ferre miniſtris
Imperat. innumeræ mox advenere catervæ,
Fortia centenis oneratæ brachia libris:
Depoſuere humeris, turmæ glomerantur in unum,
Et totus fuſo circus reſplenduit auro.
Tunc poſita ratione palam, populoque vidente,
Debita perſolvit genitoris, cauta recepit.
Gaudia quanta illic, quantus favor! undique lætus
Tollitur in Cælum populorum clamor ovantum.
Mirantur proceres, mirantur talia plebes.
Hinc rutili lucent chartis ardentibus ignes:
Hinc radiat fulvum concertans ignibus aurum.
Hinc chartas flammis ſubigunt, hinc pondere fuſos
Exæquant ſolidos, & lancem pollice pulſant.
Tunc finibus plenis abeunt, quæſtuque laborant:
Elatiſque oculis pro vita Principis orant.
Largior inventus patre eſt, clementior idem;
Qua virtute animi mentem calcavit habendi,
Publica privato dum debita redderet auro,
Sponte ſua Dominus ſervis miſeratus egenis?
Priſcorum hoc uno vicit novus omnia facto
Facta prius Princeps, [quamvis meliora ſequantur]
Hoc primum tamen omen erat, quod nullus avorum
Auguſtos umquam cecinit feciſſe priores.
Hinc aliud pietatis opus tam grande ſecutum eſt.
Pro vinctis flentes nuptæ venere maritis,
Matres pro genitis, (neſcit ſervare pudorem
Rebus in afflictis ingens dolor) immemor ibat
Turba ſui ſexus, cultu miſerabilis ipſo,
Per medios populos. poſtquam venere verendam
Cæſaris ante caſam, cunctæ ſua pectora duræ
Illidunt terræ: pius es, potes omnia, clamant.
Cerne pias lacrimas, miſerorum vincula ſolve:
Matribus his natos, his nuptis redde maritos.
Omnibus hæc ſit læta dies, tua gaudia Princeps
Nullus agat triſtis: cunctorum crimina dele,
Gaudeat ut lætus miti te Principe mundus.
Has pius aſpexit lacrimas, precibuſque dolentum
Annuit, & ſolvi cunctos a crimine juſſit
More Dei: Deus eſt, cui verbo competit uno
Juſtificare malos, mediaque a morte levare.
Credite ſimpliciter, vox hæc temeraria non eſt;
Qui facit hoc, Deus eſt, Deus eſt in corde regentum:
Principibus princeps quidquid Deus imperat, hoc eſt.
Terrarum Dominus Chriſtus dedit omnia poſſe:
Ille eſt omnipotens, hic omnipotentis imago,
Plurima præterea ſolemni munere donans,
Dimiſſis populis arcem remeavit in altam.

LIBER TERTIUS.

Contigit ut Princeps Auguſtus limina tecti,
Quamquam feſta dies ſextam conſumpſerat horam,
Non dulces epulas, non pocula grata petivit,
Ni patris primum ſanctum, & venerabile corpus
Ornatum exequiis tumulo mandaret opimis.
Ante fores jam turba fuit, paſſimque per aulam
Porticibus longis ſtabat cum plebe Senatus,
Interius flentes famuli. vaſa aurea mille,
Mille columnarum ſpecies, argentea mille,
Quæ ſuper impoſitis implebant atria ceris,
Ordine cuncta ſuo patrum ſic more parata:
Triſte miniſterium lætam feriebat in aulam.
Alta ſuperpoſitis radiabant ſtramina gemmis,
Tempore quas priſco Romana potentia cœpit:
Quas viridis Nereus, quas protulit Indica tellus,
Et quas Memphitica Cæſar perduxit ab aula:
Quas ſupplex Cleopatra dedit, cum vincula fratris
Frangeret, & rupto pallens cuſtode veniret.
Ex quibus adverſis cernebant fulgura mitti,
Sed lumen, non ignis erat; lux undique fulget
Aurea conſpicui luſtrans laquearia tecti.
Thura Sabea cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco.
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.
Supremum Patri talem celebravit honorem
Auguſto melior Juſtinus Cæſare Princeps.
Ut prius ingrediens corpus venerabile vidit,
Incubuit lactimans, atque oſcula frigida carpſit
Divini patris, verbiſque dolentibus inquit:
Nos flemus triſtes, mentiſque ardore dolemus:
Tu pater Angelicas inter ſanctiſſime turmas
Lætus abis, poſitoque Deum jam corpore cernis,
Et frueris meliore die ſub lumine ſolis.
Nos, cui nullus ait, ſalve, pater inclyte, ſalve,
Æternum, pater alme vale. non plura moratus
Auguſtus nutu tolli ſublime feretrum
Imperat, & tota populus proceſſit ab aula:
Mœſtaque funereas accendunt agmina ceras:
Omnis in exequias ſexus convenit, & ætas.
Quis memorare poteſt tantæ miracula pompæ?
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus; vox æthera pulſat;
Funduntur lacrimæ ritu nivis, imbre madebant
Cunctorum veſtes, proprioque in fonte natabant
Manantes oculi, vultuſque, ſinuſque rigabant.
Attonitæ matres reſolutis crinibus ibant:
Ante fores aliæ, tectis ſublimibus illæ

Implentes altas turba ſtipante feneſtras.
Quantus Hyperborei volucrum concentus in Iſtri
Contrahitur ripis, gelidas quas linquere terras
Aſpera cogit hiems glacie nivibuſque coactis,
Innumeræ glomerantur aves, ſtipantur in unum,
Innectuntque moras, & flumina linquere nolunt.
Tranſitus ob cauſam multi pia thura cremabant:
Undique currebat ſtudio plebs mæſta videndi.
Omnibus unus amor, juſtus dolor omnibus unus
Augebat lacrimas, & viſo funere flebant,
Donec Apoſtolici ſubeuntes atria templi,
Inclyta ſacrata poſuiſſent membra ſepulcro,
Quod pius ipſe ſibi puro conſtruxerat auro.
Poſtquam facta quies, totam plebs læta per urbem
Sacra coronatis ornavit mœnia tectis:
Pratorum ſpoliatur honos, nemus omne refertum
Frugibus, & glaucæ frondes rapiuntur olivæ.
Exornant poſtes, & arundine limina comunt,
Feſtaque per cunctos tendunt velamina vicos.
Ludere tunc juvenes, & laudibus addere laudes
Incipiunt, plaudunt pedibus, mollique reponunt
Crura gradu, miriſque modis nova carmina flectunt;
Juſtinum, Sophiamque pios, duo lumina dicunt:
Organa, plectra, lyræ totam inſonuere per urbem.
Mille voluptatum ſpecies, convivia mille,
Saltatus, riſus, diſcurſus, gaudia, plauſus:
Auguſtis vitam lætis clamoribus optant.
Poſt ſenium dicunt ſeſe juveneſcere: mundus
Gaudet, & antiquæ repetit primordia formæ.
Ferrea nunc abeunt, atque aurea ſecula ſurgunt
Temporibus, Juſtine, tuis, ſpes urbis, & orbis,
Romani jubar imperii, decus addite cunctis
Retro principibus, cujus ſapientia victrix
Obtinuit patrii faſtigia maxima regni,
Ingeminant Sophiæ nomen, lumenque ſecundum
Hanc dicunt, carmenque novum cum plauſibus addunt.
Interea lætus ſacra cum conjuge Princeps
Cœperat auguſtæ felicia carpere menſæ
Gaudia, regales epulas, & dulcia Bacchi
Munera, quæ Sarepta ferax, quæ Gaza crearat,
Aſcalon, & lætis dederat quæ Græca colonis:
Quæve antiqua Tyros, quæ fertilis Africa mittit:
Quæ Meroe, quæ Memphis habet, quæ candida Cypros;
Quæque ferunt veteres maturo robore vites,
Quas manibus propriis Ithacus plantavit Ulyſſes,
Arce ſub Ithacia Laertia limina ſervans,
Nondum Trojani vitans diſcrimina belli:
Quæque Methymnæis expreſſit cultor ab uvis
Pocula, quæ vitreo flagrabant plena Falerno.
Priſca Palæſtini miſcentur dona Lyæi
Alba colore nivis, blandoque leviſſima guſtu.
Fuſca dabant fulvo Riſattica vina metallo,
Quæ natura parit liquidi non indiga mellis:
Et Gariſæi permiſcent munus Iacchi.
Cuncta quis expediat, Dominis quæ parturit orbis,
Romano quæque eſt provincia ſubdita regno?
Hæc magno luxu quamquam cumulata redundent,
Temperie ſolita parvus cibus ore modeſto
Sumitur, & quantum capiat mens ſobria potus,
Cenſura ſervante modum. cura ipſa regendi
Clementiſque animus præſumere parcius eſcas
Jure facit, potumque parum ſapientia quærit.
Aurea purpureis apponunt fercula menſis
Pondere gemmatum plus grandia. pictus ubique
Juſtinianus erat; Dominis pictura placebat,
Gaudebantque ſui genitoris imagine viſa.
Felicis geniti veras ibi credere poſſes
Sacras effigies, vivaſque adſtare putares.
Ars & materies animas ſimul addere poſſunt,
Addendi vitam niſi tu, natura, negares.
Ingeniis hominum poſt mortem vivere fama
Conceſſum eſt, clarum ſervat ſua gloria nomen.
Ipſe triumphorum per ſingula vaſa ſuorum
Barbarico hiſtoriam fieri mandaverat auro,
Tempore quo captis injecit vincla tyrannis
Juſtinianus ovans, quarto cum conſule Princeps
Alta triumphali tereret Capitolia pompa.
Sacris Principibus jucundæ fabula menſæ
De divo genitore fuit: tum nomen honorum
Inter delicias, & dulcia pocula ſummis
Laudibus attollunt, vivumque per ora fatentur.
Sic deceſſorem regnantum nullus amavit,
Quamquam ſceptra patris natus ſucceſſor haberet:
Ante oculos genitor dulciſſimus omni
Tempore ſemper erit, ſemperque in corde manebit.
Poſtquam divinæ ſumſere noviſſima cœnæ
Pocula, & excelſæ ſiluerunt gaudia menſæ,
Contulerat quæ prima dies, ſurrexit ab alto
Lætus uterque toro, ſecretaque tecta petivit:
Sed non in ſegnes ſolverunt pectora ſomnos,
Invigilant animi, quibus eſt pia cura regendi
Tot lætos populos, duros domitare tyrannos,
Conſiliis uti, cauſas diſponere mundi.
Maxima pro rerum quæ diſpoſuere ſalute
Admiranda magis, quam connumeranda fateri
Humanum decet ingenium. quis carmine digno
Tot divinarum miracula pandere rerum
Sufficiat? quibus hæc verbis, qua laude reponat?
Diva Auguſta favens, ſanctum, venerabile nomen,
Immortale bonum, noſtræ ſapientia linguæ,
Auſpiciis hæc ſacro tuis: tua vota canentem
Reſpice, & oranti clemens ſolatia præbe.
Septima gaudentem lux aurea viderat orbem,
Expellens placido brumalia frigora verno;
Omnia ſol oriens radiis melioribus afflans,
Tranquillo gelidas tepefecerat igne pruinas.
Gaudebant elementa ſimul, mollique calebant
Temperie, votiſque ſuis nova Roma favebat.
Ornata eſt Auguſta domus, juſſuque regentis
Acciti proceres omnes, ſcholaque ipſa palati eſt
Juſſa ſuis adſtare locis: jamque ordine certo
Turba decanorum, curſorum, in rebus agentum,
Cumque palatinis ſtans candida turba tribunis,
Et protectorum numerus, mandante magiſtro,
Omnis ſacrorum vis affuit officiorum
Ornato vario, cultuque, habituque, modoque.
Ingens excubitus, divina palatia ſervans,
Porticibus longis, porta condenſus ab ipſa
Murorum in morem lævam, dextramque tegebat,
Scuta ſub erectis conjungens aurea pilis:
Enſe latus cincti, præſcripti crura cothurnis
Adſtabant celſi pariter, pariterque nitebant
Exſtantes latis humeris, duriſque lacertis.
Coniferæ veluti ſacra inter flumina quercus,
Per quas blanda fluens rauco ſonat unda ſuſurro,
Condenſam faciunt frondoſo robore ſilvam,
Excluduntque diem ramis, intonſaque lætæ
Attollunt capita, & vertice ſidera pulſant.
Lævaque, dextraque acies adſtare videres,
Multaque ancipites ſplendeſcere luce bipennes,
Terribiles, ætate pares. imitatur Olympum
Officiis Auguſta domus, ſic omnia clara,

Sic numeris bene compta ſuis, ita luce coruſca:
Aurea convexi veluti rutilantia cæli
Sidera menſura, numeris, & pondere curſus
Perficiunt librata ſuo, ſtabilique receſſu
Firma manent, unumque jubar ſuper omnia fulget:
Omnia ſuccumbunt flammis melioribus aſtra,
Et quo tecta latent regis paſcuntur ab igne.
Hac ſe magnarum Romana potentia rerum
Lege tenens, medias inter ſuper omnia gentes
Regna micat, claro tantum uni ſubdita Cælo.
Atria prælargis extant altiſſima tectis,
Sole metallorum ſplendentia, mira paratu,
Et facie plus mira loci, cultuque ſuperba.
Nobilitat medios ſedes Auguſta penates,
Quatuor eximiis circumvallata columnis:
Quas ſuper ex liquido præfulgens cymbius auro
Immodico, ſimilans convexi climata Cæli,
Immortale caput, ſoliumque ſedentis obumbrat
Ornatum gemmis, auroque, oſtroque ſuperbum.
Quatuor in ſeſe nexos curvaverat arcus,
Par lævam, dextramque tenens victoria partem:
Altius erectis pendebat in aere pennis,
Laurigeram geſtans dextra fulgente coronam.
Mira pavimentis, ſtratiſque tapetibus ampla
Planities, longoque ſedilia compta tenore,
Clara ſuperpoſitis ornabant atria velis:
Vela tegunt poſtes: cuſtodes ardua ſervant
Limina, & indigenis intrare volentibus obſtant
Condenſi numeris, faſtu, nutuque tremendi.
Poſtquam diſpoſitis ornata palatia turmis
Officia explerunt, adytis radiavit ab imis
Inclyta lux, & conſiſtoria tota replevit.
Egreditur Princeps, magno comitante ſenatu:
Affuit obſequio caſtrorum turba virorum;
Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis onerare ſupernis,
Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile.
Internas munire fores, veſteſque parare.
Armiger interea, domini veſtigia luſtrans,
Eminet excelſus ſuper omnia vertice Narſes
Agmina, & Auguſtam cultu præfulgurat aulam
Comptus cæſarie, formaque inſignis & ore.
Aureus omnis erat, cultuque habituque modeſtus,
Et morum probitate placens, virtute verendus,
Fulmineus, cautus, vigilans noctelque, dielque
Pro rerum Dominis, & honora luce coruſcus:
Matutina micans ut Cælo ſtella ſereno
Auratis radiis argentia ſidera vincit,
Vicinumque diem claro prænuntiat igne.
Ut lætus Princeps ſolium conſcendit in altum,
Membraque purpurea præcelſus veſte locavit,
Legatos Avarum juſſos intrare Magiſter
Ante fores primus divinæ nuntiat aulæ,
Orantes ſeſe veſtigia ſacra videre
Clementis Domini: quos voce, & mente benignus
Imperat admitti. miratur barbara pubes
Ingreſſus primos, immenſaque atria luſtrans,
Ingentes adſtare viros, ſcuta aurea cernunt:
Pilaque ſuſpiciunt alto ſplendentia ferro
Aurea, & auratos conos, criſtaſque rubentes:
Horreſcunt lanceas, ſævaſque inſtare ſecures:
Ceteraque egregiæ ſpectant miracula pompæ,
Et credunt aliud Romana palatia cælum.
Spectari gaudent, hilareſque intrare videri:
Non ſecus Hircanæ quoties ſpectacula tigres
Dat populis nova Roma ſuis ductore magiſtro,
Non ſolita feritate fremunt, ſed margine toto
Intrantes plenum populorum millia circum
Suſpiciunt, magnoque metu miteſcere diſcunt,
Deponunt rabiem, gaudent fera vincla ſubire,
Per medios intrare locos, ipſumque ſuperbæ
Quod ſpectentur amant, caveam, turbaſque faventes
Luſtrant, & pronæ ſolium regnantis adorant.
Verum ut contracto patuerunt intima velo
Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti,
Cæſareumque caput diademate fulgere ſacro
Ter gazis ſuſpexit Avar, ter poplite flexo
Pronus adoravit, terræque affixus inhæſit.
Hunc Avares alii, ſimili terrore ſecuti,
In facies cecidere ſuas, ſtratoſque tapetes
Fronte terunt, longiſque implent ſpatioſa capillis
Atria, & Auguſtam membris immanibus aulam.
Ut clemens Princeps legatos ſurgere juſſit,
Officia ſtratos juſſu monituque jubentis
Erexere viros: quod poſcitis, ore ſereno
Clementer regnator ait, memorate, docete,
Et veſtri regis, quæ ſit legatio, ferte.
Hæc poſtquam Princeps tranquilla voce profatus,
Crudus & aſper Avar dictis ſic cœpit acerbis:
Rex Avarum Cagan, debellans intima mundi,
Famoſos ſtravit magna virtute tyrannos,
Innumeros populos, & fortia regna ſubegit.
Cujus Threicium potis eſt exercitus Hebrum
Exhauſto ſiccare lacu, fluviumque bibendo
Nudare, & nondum plene ſatiatus abire.
Quem Perſæ timuere feri, genibuſque minantis
Admovere manus, pacem & meruere precando.
Ni fieret, fruſtra celſis Babylonia muris
Cincta foret, dominos humeris nunc ferre parata.
Rupimus Euphratem, gelidos ſuperavimus amnes,
Hibernaſque nives, curſus qua frænat aquarum
Frigus, & omnigenis fit durior unda metallis.
Vidimus extenſas vitrea teſtudine poſtes,
Stagna, lacus, fluvioſque ſuper, fonteſque jacere
In ſilicis morem, vel ſtratæ marmore terræ:
Cognatos latices, laticum concreta tegebant.
Plauſtra ſuper ſolidas ſtridentia duximus undas.
Illic volventum veſtigia nulla rotarum
Area, nec ſolidos labens dedit orbita ſulcos,
Nec fragilis potuit cryſtalli forma noceri
Præ ſolido ſtringente gelu: fremituſque ſonorum
Cornipedum liquidos ceu terruit ungula campos,
Inſanum volvens ſtrepitum, calcavimus Imorum,
Ivimus in fluctu ſicco pede, præbuit amplas
Nix ſpatioſa vias: præduris gentibus acre
Intulimus bellum, pars altera caſtra locavit,
Miſcuimus pugnas, munitas cœpimus urbes,
Firmaque diruptis dejecimus oppida muris.
Nunc ripas Scythici victor rex contigit Iſtri,
Denſaque per latos figens tentoria campos,
Ad tua nos, Princeps, hæc ſplendida mœnia miſit:
Annua prælargi patris ſolatia veſtri
Sumere tempus adeſt. Sanctus quæ præbuit ille,
Vos etiam præbere decet, ſi fœdera pacis
Intemerata tibi; ſi mavis pacta manere;
Debita quærenti tranſmittite munera regi.
Talia jactantem, nulla commotus in ira
Tranquillus Princeps oculis pietate ſerenis
Aſpexit juvenem, placidoque hæc edidit ore:
Quantum eſt legatis conceſſa licentia fandi,
Tantum legatos animo decet eſſe modeſto,

Et

Et vitæ probitate graves, quique ordine poſſint
Scire, locis humiles quibus, & quibus ora ſuperbi
Expediant, noſtramque petant quod mitiget iram,
Proſpiciantque ſuæ poſcentes fœdera vitæ.
Quod tua ventoſis inflata ſuperbia verbis
Jactitat, ignavæ mentis deformia nudat.
Quid profugos laudas, famaque attollis inani
Extorrem populum? quæ fortia regna ſubegit
Effera gens Avarum? proprias defendere terras
Non potuit, ſedeſque ſuas fugitiva reliquit.
Tu, velut ignarus, falſis rumoribus audes
Vana loqui, turpique dolo nova ſomnia fingis.
Quod tibi nunc viſum eſt veſtro aſſignare labori,
Militibus noſtris ludo ſolet eſſe diurno.
Hoc ſtudium Dominis, ea ſunt ſua feria ſervis:
Sanctum hoc imperium toto ſic floruit orbe
Bella gerens, pacemque tuens. nos more parentum
Pacem diligimus, numquam fera bella timemus.
Pax eſt ſubjectis, pereunt per bella ſuperbi.
Parcimus innocuis; ſonti non parcimus ulli.
Rex Romana Dei eſt, terrenis non eget armis.
Jure pio vivit, bellum non ingerit ultro:
Suſcipit illatum, vel ſi ſervire negabunt
Ingratæ gentes; primum tamen admonet hoſtes
More gubernandi: monitus qui ſuſcipit illos,
Vivit, & a nobis meritos expectat honores.
Quiſquis amat pacem, tutus ſub pace manebit:
Et qui bella volunt, bellorum clade peribunt.
Gens quæcumque auſa eſt Romana laceſſere ſigna,
Horruit extinctas inopino fulmine turmas;
Innumeros cecidiſſe ſuos, regeſque ſuperbos
Vidit per noſtros humiles, fractoſque triumphos.
Ergo ſigna meis Cagan contraria ſignis
Ferre parat; lituoſque mihi, campumque minatur
Gens Avarum, ni pacta damus? terrore putatis
Id noſtrum feciſſe patrem, miſeratus egenis
Et profugis, quod dona dedit? pietate regendi
Hoc facimus, gratiſque dari promiſſa jubemus.
Noſtra manus larga eſt, non prodiga, perdere neſcit:
Jure ſuas diſpenſat opes, quo continet orbem:
Sponte damus dignis, indignis ſponte negamus.
Tu numeros numeris, & vires viribus audes
Exæquare meis? noſtris non fidimus armis,
Quamquam ductores, numeri, forteſque tribuni,
Subjecti reges, & gentes rebus abundent,
Quot Cælum guttas mittit, quot litus arenas.
Quod ſuper eſt, unumque meum ſpeciale levamen
Imperii Deus eſt virtus & gloria noſtri,
A quo certa ſalus, ſceptrum datur, atque poteſtas:
Qui populos clemens ſuper omnia regna Latinos
Conſtituit, pacemque ſuam commendat amari:
Cujus ſpe fruimur, cujus virtute ſuperbos
Dejicimus, cujus populos pietate tuemur.
Qui noſtros auget mira virtute triumphos;
Ipſius laudamus opus, ſolumque timemus.
Hunc unum colimus regem, Dominumque fatemur.
Cognoſcunt Avares, quoniam Deus omnibus hic eſt.
Faſtus non patimur, gentes ſervire volentes
Suſcipimus, doniſque humiles, & honore levamus.
Quiſque ſuas menſuret opes, vireſque ſuorum,
Cum queis bella gerat; ſub qua ſpe ſumpſerit arma.
Divino ſibimet plus conſulat, unde petatur
Auxilium, poterint ſi numina vana potentem
Oppugnare Deum; ſi poſſunt ſponte venire
Perſculpti lapides, ſurdæ mutæque figuræ,
Monſtraque, quæ variis extant conflata metallis,
Si Cælo tellus bellum movet, arma feretis
Vos armis adverſa meis. ſi, barbare, neſcis,
Quid virtus Romana poteſt, antiqua require,
Quæ proavi, patres, & avi potuere Latini.
Quid noſter ſenior potuit pater, inſcie, diſce.
Sub qua Wandalici ceciderunt ſtrage Tyranni,
Edomitique Getæ, pubeſque Alamannica Franci,
Totque aliæ gentes, famoſaque regna per orbem
Ardua ſub noſtris flectentia colla triumphis
Suſcepere jugum, mentes animoſque dedere
Servitio, nobiſque manent ex hoſte fideles.
En, Scultor noſtra ſervire paratus in aula
Legatos nobis, & plurima munera mittit.
Quos contra ingratos defendimus, arma paramus.
Optamus Dominis, profugis damus oſtia ſervis?
Legibus hoc noſtris non convenit, arguo factum:
Indignis præbemus opem, Caganque timeri
Se putat, & bello mea ſigna laceſſere tentat?
Ite, licet; campos, acies & caſtra parate,
Signorumque duces certos ſperate meorum.
Contremuit ſtupefactus Avar, magnoque timore
Diriguit, ſiccis vox humida faucibus hæſit,
Turbatuſque malis Auguſta ab ſede receſſit.
Cetera, conſiliis quæ Princeps providus altis
Diſpoſuit, verbis (fateor) comprendere nullus
Sufficit, & pleni tenor eſt in fine libelli.
Hæc dilata parum, non prætereunda relinquo:
Quæque ſuis aptare locis, rerumque favorem,
In quantum potis eſt, devota mente notabo.

LIBER QUARTUS.

JAm vicina dies ſpectandi conſulis omnes
Urgebat turmas arcus ſtatione replere,
Et loca, quæ populis præfectus deputat urbis,
Conſultor legum, libertatiſque tuendæ
Diſpoſitor, juſti vindex, corrector iniqui,
Cenſuram gravitate regens, multoque rigore
Terribilis, mitique magis pietate tremendus.
Tunc partes munire ſuas, ſpatiumque parare
Accelerant, medioque fori, qua divite dextra
Egrediens Princeps ſacra trabeatus ab aula,
Divitias vulgo ſolemni munere donans,
More nivis ſparſurus erat, nova fabrica ſurgit.
Turbatur tota lignorum venditor urbe
Emptorum numero, ſtudio ruit agmen emendi:
Robora ſilvarum tunc plauſtra gementia ducunt
Magnis ponderibus tractu ſtridente rotarum.
Explicitæ moles; nec ſufficit arida tantum
Ligni materies; ratibus tunc ire per urbes
Finitimas, ferro virides ſuccidere ſilvas.
Rareſcunt luci, campi ſpoliantur opaci,
Arboribus ferrum ſedit; gemit undique feſſus
Conciſor nemorum, crebriſque ſecuribus ictus
Congeminant, nidis volucres fugere relictis,
Horreſcunt ſua luſtra feræ, dulceſque latebras
Linquunt; concuſſæ penitus tremuere cavernæ,
Immiſſamque timent tenebroſa cubilia lucem.
Denſa per antiquas diſcurrunt agmina ſilvas
More apum, quas ver tepidum nova condere caſtra,
Et munire favos ceris jubet æthere captos,
Denſa per herboſas errant examina campos,
Floribus inſidunt variis, roremque madentem
Ore legunt, onerantque humeros, ceraſque liquentes
Confi-

Conficiunt, dulceſque lares in pumice figunt,
Incumbunt operi, gratiſque laboribus inſtant.
Protinus omnigeni ceduntur robora ligni
Quæ ſuis aptanda locis; duriſſima coſtas,
Mollia dant tabulas. quadrata cæſa bipenni
Fraxinus, & crebris cadit ictibus ardua pinus.
Tunc fagi dulces, & ſucco taxus amaro,
Iliceæque trabes forteſque, & pallida buxus,
Pulchra magis pallore ſuo, cecidere ſecuri
Antiquæ quercus, & amictæ vitibus ulmi,
Cedrus olens, ſolidum, numquamque natabile robur,
Eſculus, alnus, acer, Terebinthus, populus, ornus.
In teneras tabulas abies montana ſecatur:
Juniperi, tiliæque leves, & odora cupreſſus.
Mille ſecant in fruſta trabes, tonat æthere pulſans
Malleus, & tractæ ſtrident ſcabredine ſerræ,
Curvaque percuſſo longe ſonat aſcia ligno.
Tanta nec Inachides ſecuerunt robora plebes,
Armatas claſſes ratibus quum mille pararent.
Illa prius lætæ ſpectacula præbuit urbi
Fabrica. mirantur populi, ſtudioque videndi
Omnis concurrens ſexus veniebat & ætas.
Roboribus flexis teretes curvaverat arcus
Artificum prædocta manus, trabibuſque cavatis
Affigens tabulas pendentes ſtruxerat ædes,
Quatuor informans molem ſtationibus unam.
Buxea populeis aptans capitella columnis,
Materiaque ipſa baſes firmaverat imas.
Omnia roboribus ſternunt loca plana politis,
Conjungunt tabulas, & ferri nexibus arctant:
Quæ pondus, ſtrepituſque virum, motuſque faventis
Ferre queant populi. cunctorum terga locorum,
Alternumque latus concluſit ſectile lignum,
Undique munimen, decus, & turamina præbens.
Diſpoſuere gradus, queis ſtaret in ordine longo
Diviſum in turmas, atque in ſua corpora vulgus,
Poſſet & exertas ad munera tendere palmas,
Liberius ſpectare oculis, manibuſque favere,
Et donis aptare ſinus, quæ plurima conſul
In plebes miſſurus erat, palmaſque capaces
Tendere, quo veniens late pluat aureus imber.
Ut labor artificum perfecta mole quievit,
Atque operis tanti nituit decus, omnia late,
Quæ modo lignorum ſquallebant fragmine, mundant,
Exornantque locos, & feſta fronde coronant
Partes quiſque ſuas: fixis tabulata virebant
Palmarum ramis, & amicæ pacis olivæ.
Cuncta triumphalis pendentia culmina laurus
Comit, & amplectens foliis felicibus ambit.
Quos illic ludos, quæ feria vulgus habebat?
Ludere nunc alios, alios ſpectare videres,
Mille voluptatum ſpecies. velamina tendunt,
Ut loca quæque decent; ut plus mirentur, obumbrant:
Quod vulgo eſt, vile eſt: quidquid latet, extat honorum;
Quodque magis tegitur, pretii majoris habetur.
Tunc interclusos nulli tranſire ſub arcus
Conceſſum eſt, cunctis medio via lata patere.
Lux octava novo naſcentis lumine Chriſti
In ſe volventis veſtigia flexerat anni;
More ſuo currens totum compleverat orbem
Circulus alterius referens de fine dierum
Principium, teretemque rotam novus ordine menſum
Urgebat numerus, totum qua volvitur ævum,
Et finit ſine fine dies. jubar axe ſereno
Emicuit, votiſque pie ſeſe obtulit orbi,
Lætificans cunctas felici lumine terras.

Clara coruſcantem lux hauſerat altera lucem,
Cum terris gaudente polo prodibat uterque,
Sol radians, & conſul ovans, nova Roma nitebat,
Certabantque ipſi jucunda palatia cælo.
Dona Kalendarum, quorum eſt ea cura, parabant
Officia, & turmis implent felicibus aulam,
Convectant rutilum ſportiſque capacibus aurum,
Accumulant, onerantque locos, quibus altior ipſa
Sella triumphalis firma eſt ſtatione locata,
Jam fuerat, nondum claro tunc conſule plena:
Hinc vetus argentum formas, ſpecieſque novatum
In varias, preſſum titulis, ſculptumque figuris
Excelſis portant humeris, magniſque laborant
Ponderibus, ciſtæque graves funduntur in unum:
Utraque materies in magnos ſurgit acervos.
Ædibus in magnis miro conſtructa paratu
Extabat ſedes, auro gemmiſque ſuperba,
Lumen habens ſine ſole ſuum: luſtratque propinquos
Gemmarum natura locos, rerumque colores
Mutans, & Phœbi radios fulgentis obumbrans.
Miſcentur teretes quadris viridantibus albæ
Chryſolithi, mireque micant, flammaſque pyropos
Afflans, & propria depellens luce tenebras.
Hanc prius, in media quam ſol præcederet aula,
Auratis gradibus, ſacriſque tapetibus altam
Conſcendit Princeps trabea ſuccinctus avita
Regalem ditans Auguſta fronte coronam;
Cenſuramque piam ſervans gravitate reſedit,
Cæſareos augens habitus, rituſque Gabinos:
Cujus id aſpiciens radiabat purpura gemmis,
Vincens luce diem, plus majeſtate ſedentis
Lucidior, meliorque ſui: primumque ſenatus
Pronus adoravit, vincas, Juſtine, perorans:
Conſule te, felix, te principe, floreat orbis;
Salve, Auguſtorum numeri non ordine prime
Sed meriti; largitor opum, largitor honorum,
Libertatis apex, mundi caput, unica virtus,
Et rerum manifeſta ſalus, reparator opimi
Nominis. antiqui redeunt nova ſecula faſti,
Auguſti primum renovaſti Cæſaris ævum:
Clarius eſt, meliuſque tuum: tua gaudia tecum:
Hinc veſter primus feliciter excipit annus,
Votaque plura tuis celebret nova Roma triumphis.
Inde ſenatorum ſacro recitantur ab albo
Nomina, conſcripti Patres, qui voce citati
Accedunt hilares, ſubeuntque altiſſima ſedis
Culmina: prætendunt dextras, & præmia ſumunt
Conſulis, & mundi Domini; doniſque ſuperbi
Fulvo plena ferunt argentea vaſa metallo.
Qualia fœcundi convectant munera campi
Agricolæ, cum prata virent, pleniſque caniſtris
Lilia cana ferunt, mediumque intermicat aurum
Ruris odoriferi: primordia fertilis anni
Ferre domum gaudent, poſteſque & limina comunt,
Et ſua placandis nectunt donaria templis.
Tunc oratorum geminæ facundia linguæ
Egregias cecinit ſolemni munere laudes
Conſulis Auguſti: dignis fortuna favorem
Præbuit, & juſtis ſucceſſit gratia dictis.
O fortunati, quibus eſt ex rebus abundans
Laudum materies: quid non laudabile dicunt,
Qui vitam tanti, qui Principis acta reponunt?
Quis fuit ille fragor, tantus favor unde repertus?
Tot laudatorum numerus? quibus artibus uſi,
Et quibus ingeniis? quanto conamine niſi
Nunc phalaris phalaras, & laudibus addere laudes?

Non

Non potuere tamen ſanctæ miracula vitæ
Ordinibus numerare ſuis; divina referre
Nec virtus hominum, nec ſenſus ſufficit ullus.
Fontis Niliaci ſi quiſquam aut hauriat undas
Et bibat, aut bibulis rivos inducat arenis,
Ipſe quidem ſatiatur aquis, ſatiantur & agri;
Sic quos ille rigat, fontes & flumina replet,
Et præbet largas haurire volentibus undas.
Quæ circa dominos aptamus vota, probamus;
Dum canimus, colimuſque pios, veneramur ovantes;
Quos dum laudamus, laudem de laude meremur,
Et fruimur majore bono: nam diva propago
Humanæ nil laudis eget, ſed vota clientum
Penſat, devotoſque ſibi pietate coronat.
Fertilis hic auguſta manus, felixque videri
Plus voluit, nullumque ſuo prætertre favori.
Namque illos donis conſcriptis Patribus æquos
Eſſe dedit, quum diſtet honor: vigilantia noctis
Hoc meruit, cariſque favens ſapientia muſis.
Doctior eſt Princeps, novit quod littera rerum
Pars magna eſt, magnuſque labor ſcribentibus inſtet.
Protinus officiis ſummam tutantibus aulam
Ordinibus propriis, & priſco more notatis,
Perque ſcholas, turmaſque vocans pia præmia gaudens
Præbuit, & fidos opibus ditavit alumnos
Pro meritis, gradibuſque ſuis. idem inclytus, omnes
Nutrierat, vivoque etiam genitore regebat
Natus in imperio, media nutritus in aula
Inter alumnorum numeros, cœtuſque fideles.
Nomina cunctorum, cunctorum noverat actus:
Omnes mitis amans; omnes pietate paterna
Semper alens, ſemperque monens, rituque regendi
Continet ipſe ſuos, nutritque, fovetque clientes:
Providus ut paſtor, longo qui tempore tauros,
Lanigeroſque greges herboſis pavit in agris,
Omnia, quæ potuit, taurorum nomina novit;
Creſcere dilectum gaudet pecus, intrat ovile,
Diſcernit teneros, & in unum congregat agnos,
Nomina nota vocans: audita voce ſequuntur,
Agnoſcunt Dominum, pulſantque balatibus auras,
Atque avidi ſumunt virides, quas attulit, herbas.
Interea populus totas compleverat ædes,
Ornatas textis diverſa ex fronde coronis.
Serica per cunctas pendebant vela columnas;
Perque arcus, vicoſque omnes adſtabat utraque
Parte favens vulgus, palmaſque, ſinuſque parabat:
Conſulis adventum ſumma tardantis in aula
Expectant, penduntque moras, cauſaſque morarum
Inquirunt, oculoſque omnes ad regia tollunt
Limina, proceſſumque Auguſti conſulis optant.
Haud ſecus, ut Libyci terra ſitiente coloni
Nubila ſuſpiciunt, moto cum fulgura cælo
Prima micant, crebroque tonans Notus implicat æthram,
Ruricolum ſiccos diſcurrit turba per agros
Spe pluviæ, mundantque locos, aditusque viarum
Librant, & curſus omnes moderantur aquarum,
Unde fluant liquidi per prata virentia rivi:
(Cogit dura ſitis) cumuloſque arentis arenæ
Objiciunt, pinguiſque ſoli declivia claudunt.
Poſtquam opibus fidos conſul ditavit alumnos,
Auguſto nutu cunctos incedere juſſit,
Ut populis pia dona daret: præcepta faceſſunt.
Tollitur in magnum divalis Sella triumphum
Mille miniſtrorum manibus, gratoque labori
Submittunt humeros, & loris fortibus aptant
Electi juvenes, ætas quibus omnibus una,
Par habitus, par forma fuit, veſtiſque rubebat
Concolor, atque auro lucebant cingula mundo.
Inceſſit lætus præclara in veſte Senatus,
Pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus
Ordo locum, cultumque dabat: divina ſequuntur
Officia, & primis præco clamoribus inſtat
Omnibus imperitans ſectis præcedere turmis.
Incedunt denſæ mixto lictore cohortes:
Hinc armata manus dextram, lævamque tuetur
Cæſarei lateris, clypeis pia terga tegebat
Ingens excubitus, protectorumque phalanges
Fulgebant rutilo pilis ſplendentibus auro.
Ipſe autem conſul ſacro diademate fulgens,
Ornatus trabea, gemmiſque oſtroque nitebat
Ore, humeriſque potens, & ſacri luminis inſtar
Illius aſpectus gemmas vincebat, & aurum,
Angelicis oculis exæquans ſidera cæli.
Contigit ut ſacræ felicia limina portæ,
Tramite qua recto mediam via ducit in urbem,
Terruit inceſſu populos, oculiſque refulſit,
Qualis ab Oceani liquidis ſol aureus undis
Splendentes mittit radios, rutiluſque ſerenum
Fundit ubique diem, mundumque illuminat omnem
Lucis honore ſuæ. viſo tunc conſule, plebes
Plauſibus aſſurgunt, & voces vocibus addunt:
Sic bene quæſitas ut pullis porrigat eſcas,
Mitis hirundo redit, poſtquam ſua tecta videndum
Garrula per patulas fuerit delata feneſtras:
Matris in adventum nido conſurgit ab omni
Turba loquax, flagitantque cibos, fidæque patentis
Oribus ora petunt, & apertis faucibus adſtant;
Illa ſed impendens nidum circumſpicit omnem,
Diſtribuitque pias, ut cunctos nutriat, eſcas.
Sanxerat Auguſtus Sophiæ cognomine templum,
Romanum Princeps quum Juſtinianus haberet
Imperium, Chriſtoque vovens ſua vota dicarat
Mens Auguſta, reor, jam non ignara futuri,
Aut magis ignarum recto Deus ordine ducit
Ante futurorum quæ ſunt arcana bonorum
Auſpiciis ſacrare piis. Theodora regebat
Tempore, quo ſacram fundavit conditor arcem,
Et Sophiæ nomen nondum regnantis habere
Arx meruit: ſceptri fuerant ea ſigna futuri.
Ingens myſterium, magna quod mole latebat,
Perfectum patefecit opus: via lucida noſtris
Nunc facta eſt oculis: manifeſta luce videmus
Olim promiſſum cæleſti munere regnum
Juſtino, Sophiæque piis, paruitque quod ante
Clauſum erat, & nulli velamen viſibus obſtat.
Rem Sophia dignam certo Sapientia fecit:
Inſtituit pulchrum, ſolidavit robore templum,
Cœpit, perfecit, doniſque ornavit, & auxit.
Jam Salamoniaci ſileat deſcriptio templi,
Cedant cunctorum miracula nota locorum:
Inclyta præclarum duo ſunt imitantia Cælum
Conſilio fundata Dei, venerabile templum,
Et Sophianarum ſplendentia tecta novarum.
Principis eſt hæc aula Dei: Deus illud utrumque
Glorificavit opus, ſed majeſtatis honore
Plus templum terroris habet: namque inde probatur,
Quam ſit ubique Deus præſens, ſimul omnia complens
Internis oculis. illic pia cernitur eſſe
Indiviſa manens Patris Genitique poteſtas:
Spiritus & Sanctus ſubſtantia creditur una.
Tres ſunt perſonæ, ſubſiſtunt, nomina fulgent:
Utque Pater Deus eſt, Genitus Deus, æquus honore,

Spi-

Spiritus & Sanctus pariter Deus. ex tribus una,
E cælo veniens mundi perſona redemptrix
Humani generis formam de Virgine ſumpſit,
Sponte ſua venit, factorque, & conditor orbis
Factus homo eſt, veruſque Deus non deſtitit eſſe,
Natus non factus: plenum de lumine lumen:
Una in naturis extans perſona duabus
Conſimilis Deitate patris, omnique profecto
Conſimilis: ſine peccato peccata relaxans,
Plurima per populum faciens miracula Chriſtus
Calcavit mortem moriens, vitamque reſurgens
Vita dedit cunctis in ſe credentibus ipſe:
In Cælum aſcendens a dextris ſedit honori
Æquævi Patris, judex venturus in orbem,
Et regnum ſine fine tenens. hunc mente fideli
Regnator Juſtinus amans, trabeatus ab aula
Egrediens, templum primus ſublime petivit,
Atque Deo grates ſolita pietate peregit.
Plurima votorum ſacravit dona ſuorum,
Immenſoque pium ditavit munere templum.
Obtulit & ceras, ſed mitis voce petivit,
Corde humilis, dextraque Dei benedictus abivit
Plus exaltatus, plus juſtificatus in ipſum
Quod ſe humilem ſtans ante Deum, veramque fatetur
Quam retinet pietate fidem; quum diligit ipſe
Diligitur; quum Chriſtus amat Rex magnus, amatur.
Ipſe regit Reges, ipſe & non ſubditur ulli.
Juſtinus Princeps hoc protectore quietus
Imperat, hunc ipſum ſolum ſpe certus adorat.
Ut pius expleris templorum limina votis
Liquit, in ingentem vectatus conſulis arcem
Conſcendit gaudens, & ſeptus lumine ſedit.
Ante pedes Domini, faciunt qui juſſa, clientes
Adſtabant læti; vultuque & veſte nitebant
Romani populi Patres ſine ſemine facti.
Patricius, ſenio fulgens Calinicus honoro,
Qui pater imperii meruit jam factus haberi
Gratior Auguſti ſervans pia gaxa Sacelli:
Namque illi moriens mox Juſtinianus honores
Contulerat, fidæque prius narraverat auri
Conſilii ſecreta ſui: vocor, inquit, alumne,
Et properat ſuprema dies, juſſuque creantis
A regnis in regna vehor. Deus omne Latinum
Juſtino dedit imperium: tu fide, memento
Verborum, quæ mando tibi; quum carne relicta
Spiritus aſcendens claram penetraverit arcem,
In medium procerum Juſtini ad limina perge:
Invitato virum, nolit licet ille ſubire
Sorte mea triſtis, veniet, conſentiet iſthinc,
Ne dubitare velis, nullus contemnere poſſit
Terribilis præcepta Dei: cognoſcet amantes,
Quos fidos habui mihi; qui nocuere, nocebit.
Ipſum etiam facto ſimili tentare parabunt,
Ut pereant, juſtaſque ſuo dent ſanguine pœnas.
Sed pietas Auguſta malos caſtigat alumnos
Conſilii bonitate ſui, dum perdere non vult
Suſpectum ſibi quidquid erat: ſic punit iniquas
Carnivoras animas, ut mortis pœna recedat,
Non maneat, breviuſque luant; cruciantia tantum
Præteritura pati, ſatis eſt; æterna tremiſcant
Supplicia; inflictaſque timeant in ſecula pœnas:
Ultio commiſſum lenit ſcelus illa profecto.
Paucorum multis proſunt exempla malorum,
Quorum poſt mortem noſtræ monumenta perhorrent,
Et damnant leges. erit unius utile multis
Exitium, ceſſantque doli, dum pœna timetur.

Legiſlatores ſtatuit Deus ipſe per orbem.
Hæc animo retinens ſincera mente fidelis
Paruit, & domino meruit dilectus haberi.
Nec non enſipotens membrorum robore conſtans,
Aſpectu mentis, non a gravitate benignus
Adſtabat Narſes, ſedemque ornabat herilem
Splendida ſigna gerens, qualis pretioſus achates,
Aut medius fulvo Parius lapis enitet auro
Artificis formante manu; ſic luce coruſcus,
Sic animo placidus, mitis, ſic gratior ore
Terga tegens domini claris fulgebat in armis.
Adfuit & ſacræ domino gratiſſimus aulæ
Tiberius, curaſque omnes implebat, & actus
Implens officii . . . .
Obſequiis inſtare ſuis tranquillus alumnus.
* * * * * * * * *

PANEGYRICI

IN LAUDEM JUSTINI AUGUSTI MINORIS.

FRAGMENTUM.

Deus omnia regna

Sub pedibus dedit eſſe tuis, regeſque ſuperbos
Subdidit, hoſtileſque manus decreſcere fecit.
Illa colubrimodis Avarum gens dura capillis,
Horribilis viſu, crudiſque aſperrima bellis,
Imperio ſubjecta tuo, ſervire parata,
In media ſupplex diffuſis crinibus aula
Exorat pacem, nec fidere millibus audet
Tot numeroſa ſuis Romana laceſſere ſigna:
Quæ toties victos numeret per prælia Francos,
Edomitoſque Getas, captos, ſtratoſque Tyrannos,
Longobardorum populos, Gepidumque feroces,
Mutua per latos inter ſe vulnera campos
Miſcentes feritate ſua, cum milite tuto
Alternas gentes Domini fortuna necaret.
Pars inimicorum cecidit tum magna tuorum
Perfidia punita ſua: nunc Marte peracto,
Victores victique una famulantur in aula.
Solum excellentem conſcendere juſſit in arcem
Te, Pater Omnipotens, ſummaque in ſede locavit.
Mater conſilii placidis vigilantia veſtris
Semper ineſt oculis; quamque omni pectore geſtas,
Alma Auguſta tui conſors ſapientia regni.
Tu quoque, Juſtitiæ nomen de nomine ſumens,
Frena regendorum retines firmiſſima regum.
Nominibus tribus his regitur, quodcumque movetur.
Certatim gentes Romana ad fœdera currunt.
Principe pro juſto Romanum nomen amatur,
Nomine ſubque pio cuncti bene vivere quærunt,
Ille etiam, ſolis qui ſe ſubjactat amicum
Ardua ſuſpiciens minuentis cornua Lunæ,
Noctivagoſque colens aſtrorum conſulit ignes,
Urgetur terrore tuo, properatque ſuperbum
Inclinare caput, ſubjectaque ponere colla.
Quid Libycas gentes, quid Syrtica prælia dicam
Jam libris completa meis? majora canendi
Tempus adeſt: ſenio dextram, pie, porrige feſſo.
Tu mihi materiam dicendi carminis aptam,

Ingenium, ſtudiumque dabis, cui vincere fas eſt
Indomitas gentes, & barbara ſubdere regna.
Vince meæ ſævam fortunæ, deprecor, iram:
Vincere fortunam plus eſt, quam vincere bella;
Nudatus propriis, & vulnera plurima paſſus
Ad medicum veni, precibus pia pectora pulſans;
Ad medicum, verbo peſtem qui ſummovet uno,
Et ſine compoſito medicamine vulnera curat.
Huic ego ſananti, ſi qua eſt fiducia ſervis,
Grates ſemper ago, & pro carmine munera poſco.

ITEM PANEGYRICUM EJUSDEM.

IN LAUDEM ANASTASII QUÆSTORIS ET MAGISTRI.

IMmenſam ſilvam laudum, vir juſte, tuarum
Aſpiciens, celſos nitor contingere ramos,
Grandiaque a ſummis decerpere poma racemis.
Sed parvus majora peto: nec prendere poſſum
Menſuram transfuſa meam, longeque remota.
Suſpicio, mirorque videns, & brachia tendo
Ingenii, ſtudiique mei. ſtat fertilis arbor
Sacrorum in medio nemorum, pulcherrima viſu,
Per mundi ſpatium ramos quæ tendit opacos,
Fructibus omnigenis, etiam ſine tempore plena,
Et nova maturis admiſcens germina pomis:
Cujus apex ſummi contingit ſidera Cæli,
Et radix de fonte bibit, ſacriſque fluentis
Expandit ſatiata comas, & nubila ſupra eſt.
Arboris, & fontis, ſi fas componere magnis
Parva datur, juſtas videor poſuiſſe figuras:
Sin aliter videar, veniam petit, optime Quæſtor,
Simplicitas ignara mali. tu fertilis arbor
Auguſto de fonte bibens; fons maximus aulæ eſt
Communis benefactor herus, fons omnia ditans,
Qui tua per latas eduxit brachia terras,
Et populos veſtra requieſcere fecit in umbra.
Hoc mihi da, de fonte bibam, tu pabula præbens,
Fons mihi dulcis aquas. hæc inter amœna libenter
Nutriar, & veſtra ſatiatus protegar umbra,
Summe magiſtrorum, procerum decus, arbiter orbis,
Principis auſpicio leges, & jura gubernans,
Juſtitiæ vindex, inopum pater, omnia curans.
Judiciis relevare piis, quia munera temnis,
Spernis avaritiam, fulvum quia reſpuis aurum,
Quæſtor Anaſtaſi, quem Chriſti munere fidum
Cognovit Princeps, geminoque ornavit honore.
Felix eſt totus Juſtino Principe mundus;
Felix hæc ætas, in qua ſapientia regnat:
Felices populi, te judice, quos facis ipſe
Sub Dominis gaudere piis. generaliter orbi
Quamquam provideas, miſeri ſpecialiter Afri
In te oculos, atque ora ferunt: agit Africa grates,
Et veſtram jam ſentit opem, gaudetque quod ampla
Semper Anaſtaſii referunt ſolatia cives.
Me quoque gaudentem, Quæſtorum maxime, redde;
Quod labor indulſit, quod feſſis provida muſis
Alma per inſomnes meruit vigilantia noctes,
Hi ſacri monſtrant apices: lege, ſumme Magiſter,
Et cauſam defende meam: tibi ſanctio veſtrum
Commendat famulum: veſtro de fonte creatur
Rivulus iſte meus, ſub cujus nomine geſto
Principis officium. feſſæ miſerere ſenectæ,
Vulneribuſque meis ſolita pietate medere;
Ut grates tibi lætus agam, ſacroſque triumphos
Principis invicti felici carmine dicam.

VENAN-

VENANTII HONORII FORTUNATI
PICTAVIENSIS EPISCOPI
OPERA.

DE PARTU VIRGINIS.

LIBER PRIMUS.

Lingua prophetarum cecinit de virgine partum,
Nuncia fert terris Angelus iſta poli.
Conſona vox hominum memorat hoc ferre puellam,
Quod daret abſque viri germine virgo virum.
Hoc Evangelio concordans pandit Eſaias,
Quæ Deus inſpirat, hæc cauit ipſe tuba,
Eloquio torrens, & rite profunda locutus,
Emanuel noſtrum virgine dante canens.
Prædicens olim ut de matre, Tonantis honore,
Radicis florem Jeſſea virga daret.
Virgo hæc virga fuit, de qua flos Chriſtus obortus,
Cujus odor vivax membra ſepulta levat.
Laxus morte jacens, de cujus aromate tactus,
Poſtque diem quartum Lazarus ore reflat.
Hanc Jeremias utero ipſo ſanctificatus,
Monſtrans voce pari ſic quoque vatis ait,
Ecce dies venient, & David ſuſcito germen,
Et regnabit rex, atque erit hic ſapiens.
Hoc germen juſtum virgo eſt, & rex ſuus infans,
Judicium faciens arbiter, orbis herus.
Pſalmographi plectro cantata eſt iſta virago,
Cum daret arte melos vox, lyra, chorda, chorus,
Mater Sion dicit homo, & homo factus in illa eſt,
Ipſe hanc fundavit, factus in ipſa & homo eſt.
Sic quoque qui fundavit eam, eſt altiſſimus ipſe,
Nec Sion mater, virgo Maria fuit.
Hic tamquam ſponſus thalamo procedit ab alto,
Exultatque gigas Chriſtus, eundo viam.
O uteri thalamus, nova junctio facta ſalutis,
Qua Deus atque caro nupſit honore novo.
Quod Deus amplexus carnem eſt, caro juncta cohæſit,
Stat deus, atque homo fit, Chriſtus utrumque genus.
Non Deus in carnem eſt verſus, Deus accipit artus,
Non ſe permutans, ſed ſibi membra levans.
Cujus non poterat Deitas per aperta videri,
Velamen ſumpſit carne videndus homo.
Unus in ambabus naturis, verus in ipſis,
Æqualis matri hinc, par Deitate patri.
Non ſua confundens, ſibi noſtra ſed omnia nectens,
Quem ſine peccato gignit uterque virum.
De patre natus habens divina, humanaque matre,
De patre ſublimis, de genitrice humilis.
Quando incorporeus ſibi corporis induit artus,
Æqualis matri fit, minor inde patri. [ungues,
Carnem, animam, oſſa, cutem, nervos, ventrem, femur,
Servus ut aſſumens, eſt minor inde patri.
Sed redeo, qua virgo trahit, mihi laude canenda,
Qualis nulla fuit, nulla futura venit.
Quemque pluunt nubes juſtum de rore ſuperno,
Hæc ſalvatorem germine Terra dedit.
Hæc porta eſt clauſa, in quam intrat vir nemo, nec exit,
Ni dominus ſolus, cui quoque clauſa patent.
Cujus in adventu exiluit de ventre Joannes,
Infans perſonuit munere præco novus,
Trans uterum matris, quaſi per ſpecularia cernens,
Materna & puero membra feneſtra fuit.
Quando exultavit ventrem de ventre ſalutans,
Dum pede non potuit, motibus exit iter.
Credo & proſtratus jacuit: palmaſque tetendit,
Ante redemptorem parvula membra movens.
Corrigiamque pedum quoniam eſt non ſolvere dignus,
Pronus adoravit credo tremente genu.
Nobilis Elizabeth, de qua canit alta prophetans,
Hæc operante Deo germina læta refert.
O benedicta inter mulieres, unde mihi hoc, me
Ut mater Domini viſitet alma mei?
Hanc Gabriel vocitat benedictam laude puellam,
Et merito extollit quæ nova dona gerit:
Quæ genitura foret benedictum germine fructum,
Quem Jeremias voce tonante refert.
Hic Deus eſt noſter, non abſque illo alter habetur,
Poſt hoc in terris viſus, homo eſt habitus.
Quem Daniel ſanctum ſanctorum prædicat unum,
De monte exciſus qui angulus & lapis eſt.
De quo Moſes ait: Deus excitat ecce prophetam
Vobis, ex veſtris fratribus, orbis opem.
Si qua anima hunc non audierit, qui exterminat illum,
De populo vindex ipſe propheta ſuo eſt.
David dixit: adorabunt hunc munere reges,
Servibunt gentes, & Saba dona dabunt.
Accipiens Simeon manibus quem juſtus utriſque,
Annis decrepitus hæc pia verba dedit:
Nunc dimitte in pace tuum ſervum, auctor ab alto,
Viderunt oculi jam quia vota mei.
Quando ſalutare hoc merui, tua verba ſecundum,
Ferre manu, & viſu cernere jure Deum.

O ſacra virgo Dei talem generando Maria,
Per quem lumen habet plebs tenebroſa prius.
In regione umbræ mortis lux ipſa refulſit,
Admirabilis hic, conſiliarius hic.
Qui Deus eſt fortis pater atque in ſecula princeps,
Imperii cujus pax ſine fine manet.
Rorarunt cæli nubes, juſtumque pluerunt,
Quem ſalvatorem germine virgo dedit.
Ægyptus, labor Æthiopum, diteſque Sabæi,
Ad quem tranſibunt, mente ſequendo Deum.
Eſt in quo tantum Deus,& non eſt Deus abſque hoc,
Hic Deus abſconſus, qui Deus Iſrael eſt.
Cujus Juſtitia eſt lumborum cingulum, & idem
Ejus renis adeſt cinctoriumque fides.
Reguli & aſpidis auſa manus penetrare foramen
Ablactatus agens, nec nocet ullus ei.
Aſtans in ſignum populorum, ejuſque ſepulchrum
Nobile, adorandum gloria quanta tegit!
Quem dominatorem terræ miſit Moabitis,
Petra ex deſerti qui pius agnus adeſt.
De quo Zacharias: exulta filia Sion,
Juſtus ſalvator, rex tuus ecce venit,
Aſcendens aſinam ſuper, aut aſinæ quoque pullum,
Et currus perdens ex Efraimo, & equum.
Unde & Micheas, & tu, inquit, Bethleem Ephrata,
Parvis in Juda millibus ipſa manes.
Egredietur, qui dominatur in Iſrael, ex te,
Egreſſuſque potens ejus ab initio.
Lumen ſanctorum in ſplendoribus, ex utero quem
Ante & luciferum progenuitque pater.
Livores ſanans noſtros livore beato,
Et veteres maculas ſanguinis amne lavans.
O virgo inſignis, mater pia, nobile ſemen,
Quam Deus implevit totius orbis ope,
Quæque creatorem meruiſti ventre tenere,
Et generare Deum concipiente fide.
Mundatura novo partu de crimine mundum,
Atque ſacro fœtu progenitura Deum.
Humano generi genuit quos Eva dolores,
Curavit genitus, Virgo Maria, tuus.
Peccati jaculo defixa in ſtirpe cicatrix,
Ulcera nulla gerit, nec ſua ſigna patent.
Succus amarus enim vetiti de cortice ligni,
Stante redemptoris de cruce dulce ſapit.
Sub pomi ſpecie mors tunc de fronde pependit,
Nunc tuus eſt uterus, hinc cibus, inde ſalus.
Fructu ſancta pio renovaſti tempora rerum,
Lucidiorque dies te generante nitet.
Poſt tenebras ſolem tua revocat alvus in orbem,
Cum Domini jubaris irradiavit apex.
In te habitans mundi lumen ſtatione coruſca,
Floruit interius per tua membra Deus.
Nunc vivax fulgor penetrans & ad ima profundi,
Orbem alit, aſtra regit, tartara luce replet.
Cujus mundi uno eſt hæc machina tecta pugillo,
Clauditur in fibris caſta puella tuis.
Supportans fabricata fabrum, atque humana tonantem,
Virgula radicem facta creantis opem.
Qualiter illa novum tenuerunt viſcera lumen,
Quod decus intus erat, quiſve honor inde foras?
Gaudia quanta ſinus hilaris tuus ille vehebat,
Cum tua membra premens plus relevabat onus?
Tum genitrix de faſce levis, de prole ſalubris
Rem ſplendoris habens, lux neque pondus erat.
Auxilium de flore gerens, de fruge levamen,
Et cæli panem ſpica novella ferens.
Cujus ſtella erat, & ſol matutinus in alvo,
Infra arcam abſcondens fulgida luna jubar.
Anniculum portans agnum, antiquumque gigantem,
Deque tribu Juda qui leo fortis erat.
Cornua producens vitulus ceu Rhinocerotis,
Arduus, elatis naribus alta fremens.
Regulus atque aſpis, cedunt cui cuncta venena:
Vipera, cherſydros, ſeps, draco, cenchris, hydra.
Parvulus ipſe puer perſona vetuſta dierum,
Egreſſus cujus ſtat ſine principio.
Cujus diffuſa in labiis eſt gratia florens,
Inſignis forma præ genitis hominum:
Cujuſque eſt oriens ex alto nomen honoris,
Qui nos, lumen agens, viſitat in tenebris.
Qui venit de Edom, de Boſra veſte cruenta,
Pulcher, ſanguineus, candidus, atque ruber
Calcaturus erat qui torcularia ſolus,
In cruce pendendus, membra cruore lavans.
Unde ſibi miſta eſt ſtola candida, tincta rubore,
Quem poſt, anteve quem, non Deus ullus erit.
Cujus tranſcendit ſacra magnificentia cælos,
Cuncta tegens palma ſidera, rura, freta.
Quis te tunc ſenſus, Domini pia mater, habebat,
Cum tibi talis erat fœtus honore novus?
Præmia quanta uterum implebant & gaudia pectus,
Cælorum artificem cum tua ferret humus?
O forma radians, dic virgo, putaſne videbas
Angelicos curſus ire redire novos?
Militiam cæli cum te ſervare viciſſim
Sentires animo, ſæpe levata manu.
Quæ circa te acies, vel quando iter ire parares,
Millia prægreſſus concomitando tuos?
Quid Michael faceret ductor, ſub principe celſo,
Quid gereret Gabriel nuncius ille ſacer?
Qualiter aut Raphael occurſum impenderet almæ,
Te portante, Dei dum putat eſſe thronum.
Credo alter cuperet plantis ſubſternere palmas,
Ille excuſſa ala ſolveret ipſe viam.
Duceret iſte auras, ne te gravis ureret æſtus,
Ille levans pinnas, verteret ut imber aquas.
Iſte ad fræna manum retinens, ne ſarcina lapſet,
Neu pes offendat, pendula turba volat.
Quot vigiles turmæ, cum te ſopor altus haberet,
Solaque dormitans tot vigilare dares?
Sidereo obſequio meriris digniſſima virgo,
Cum te divinis cingeret ala choris.
Cujus honore ſacro ſol ipſe tremiſceret ortum,
Lunaque ſub pedibus quæreret eſſe tuis,
Artificique ſuo ſe machina ſubderet orbis,
Ac miraretur per tua membra Deum.
O Virgo excellens, vincens ſuper omnia matres,
Quam genus erexit, cui Deus alta dedit!
Cujus fructus adeſt, & flos non perdit honores,
Quæ nato es genitrix, & tibi virgo manes.
Felix quæ generi humano ſub tartara lapſo,
Ad cælos facta es ſors, via, porta, rota.
Aula Dei, ornatus paradiſi, gloria regni,
Hoſpitium vitæ, pons penetrando polos.
Arca nitens. & theca potens gladii bis acuti,
Ara Dei aſſurgens, luminis alta Pharos.
Celſa ſuper cedros, & vaſta cacumina montis,
Subque tuis plantis & rota ſolis adeſt.
Virgineo cœtu dux, & ſexu prima ſecundo,
Prælata aſtrigeris ſola puella choris.
Figmentum figuli ſuper omnia vaſa decorum,
Atque creaturæ fulgida maſſa novæ,

Cande-

Candelabrum pulchrum verbi capiendo lucernam,
Quam formam ſculpſit tam ſuper aſtra faber.
Ornans Hieruſalem ſanctam ſpecioſa venuſtas,
A facie templi vas in honore Dei.
Exuperans portas Sion ſplendore coruſco,
Stans merito fidei, gemma ſuperba throni.
Ore diem jaculans, radios a fronte, ſagittas
Luminibus rutilis, lumen honore rotans.
Sidereum ſpeculum, illuſtris domus omnipotentis,
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Nomen honoratum benedicta Maria per ævum,
Ad laudem artificis nobilis artis opus.
Dulcis & Angelico pretioſa puella relatu,
Omnes ultra homines dona decoris habens.
Inde rubore roſas, candore hinc lilia vincens,
Flos novus e terra, quem polus arce colat.
Cryſtallum, electrum, aurum, oſtrum, concha alba, ſmaragdus,
Quo tua forma nitet, cuncta metalla jacent.
Nix premitur candore tuo, ſol crinis honore,
Palleſcunt radii, virgo, decore tui.
Lychnites hebes eſt, cedit tibi lucifer ardens,
Omnibus officiis lampade major ades.
Occulti in terris ſacramenti conſcia ſummi,
Et ſecreta poli ſunt patefacta tibi.
Dignus ager domini generans ſine ſemine frugem,
Et ſine caſta ſeges meſſe repleta places.
Sola ſine exemplo fœcunda & libera nexu,
Ignara amplexus, mater opima ſinu.
Virgo intacta manens, fidei ubertate marita,
Inſcia conjugio fœta negante viro.
Accipis, ut neſcis: ſic reddis, ut integra conſtes.
Nec violata paris, nec pariendo doles.
Et tamen eſt genitus Deus atque homo, verus & unus,
Spiritus atque caro Chriſtus, utrumque genus,
In Deitate patri æqualis, ſed corpore matri,
Et ſine peccato de genitrice caro.
Factor dans legem, factus ſub lege miniſter,
Ipſe pater mundi, filius ipſe tibi.
Unde tuum, mater, generas natum atque parentem,
Hinc prolem, inde patrem: hoc Deus, illud humus.
Cujus honore ſacro genitrix tranſcendis Olympum,
Et ſuper aſtrigeros erigis ora polos.
Conderis in ſolio felix regina ſuperbo,
Cingeris & niveis lactea virgo choris.
Nobile nobilior circumſiſtente ſenatu,
Conſulibus celſis celſior ipſa ſedes.
Sic juxta genitum regem regina perennem,
Ornata ex partu mater opima tuo.
Occurrunt proceres, & gloria magna Joannes,
Notus & ante Deum quam pateretur homo.
Fratribus adſcitis. Paulo reliquiſque beatis,
Doctor Apoſtolicus fulgida palma Petrus.
Diligit has portas Sion ſuper omnia Jacob,
Pro patribus genitos quos in amore Deus.
Qui omnes obryzo ornati, ſuper aſtra coruſcant,
Si ſic diſcipuli, quid pia mater erit?
Hinc patriarcharum numero ſociante prophetæ
Conveniunt celſo munera ferre throno.
Martyrii hinc atque inde cohors redimita coronis,
Principe cum Stephano civica turba poli:
Primitiæ florum, Bethlemitica paſſio lactans,
Quæ meruit naſcens vivere morte magis.
Italiæ mundique caput quos Roma retentat.
Urbs vel Alexandri, aut Antiochenus ager:
Quos Hieroſolymis, aut quos Byzantion oris,
Quos Patra, quos Epheſus, Naddaver arce tenet.
Quos oriens, occaſus habet, quos Africa, & Arctos,
Quoſque ſepultat humus, cingit & oceanus.
Natio, gens, populus, regiones, agmina, reges,
Undique currentes ad nova dona patris.
Æthiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,
Aurora & Veſper, Perſa, Britannus adeſt.
Intrantes in regna Dei pietate redempti,
Gaudia viſuri regis in arce poli.
Quos recipit ſacra porta Petri, quos janua Pauli,
Poſtis ad Andreæ limen Achaia patet.
Mattheus Æthiopes, Epheſinos valva Joannis,
Et quem quiſquis amat, hunc ſua porta rogat.
Horum ante adventum te qualiter ornat amator,
Portavit quem uterus virgo beata tuus?
Dans tibi larga poli, cui tu domus arcta fuiſti,
Ventris pro hoſpitio reſtituendo thronum.
Componendo caput niveum diademate fulvo,
Et gemino rutilam comit honore comam,
Annectens niveo pretioſa monilia collo,
Fulgore & vario pectora pura tegens.
Quam ſpecioſum humeris imponit honoris amictum,
Splendore ardeſcens purpura tincta nitet!
O quoties coctum zonæ micat aura per aurum,
Pallida nec pallæ eſt fimbria luce nitens!
Quis tibi digna canat, quantum decus exeat ore,
Aut de veſte tui gemma virore micet?
Quando ſtrata jacet pedibus ſpecioſa ſmaragdus,
Quando pavimentis alba tophazus ineſt.
Quæque oculus non vidit agens, non audiit auris,
Ornamenta tibi hæc pia virgo nitent.
Cum regio ergo poli, totuſque exercitus aſtri
Te ornatam inſpiciet, laudibus ora movent.
Incipiens Michael præconia ferre beata,
Cumque ſuis turmis hæc tibi virgo refert.
O decus excellens, o femina fama ſalutis,
Partus fruge potens, virginitate placens.
Per quam eſt ſe naſci dignata redemptio mundi,
Et reparare genus, quod tulit Eva ferox.
Hanc tibi mater opem legionum millia mille,
Per claſſes reſonant carmine, voce, lyra.
Angelus inde tuos repetit paranymphus honores,
Qui tibi de cælis nuncia ſancta vehit.
Dicens, o felix imitari neſcia virgo,
Cujus & agnus ovis conterit ora lupi.
Tartara diſrumpens, patriæ captiva reducens,
Et libertati poſt juga preſſa refers:
Excipit has iterum ingeminans pars altera laudes,
Perſtrepit & cunctis vox revoluta choris.
Incipit inde alios producere terra favores,
Zachariæ genitus vox, tuba, præco, ſonus,
Cum Petro, & Stephano ducibuſque in millibus amplis
Agminibus, mixtis plauſibus alta canens.
O Virgo inſignis benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terræ, fulgor honorque poli.
Ecce tuus florens uterus quæ præſtitit orbi,
Te pariente, fide nos paradiſus habet.
Quid ſumus aut fuimus? quos merſerat Eva profundo;
De limo in cælum nos facis ire ſinu.
Laudibus his, domini genitrix, fragor intonat aſtris,
Militiæque poli hæc tibi clangor agit.
Aſt ego ferre volens, videor ſubducere laudes:
Nam tibi quiſque cupit voce favere ſacræ.
Mens oret genitum, ſic matri digna loquatur,
Cujus amore pio vivis honore novo.
Pulchra ſuper gemmas ſplendorem ſolis obumbrans,
Alta ſuper cælos & ſuper aſtra nitens.

Vel-

Vellere candidior niveo, rutilantior auro,
Fulgidior radio, dulcior ore favo.
Suavior & roſeo nimium rubicundior oſtro,
Vincis aromaticas mentis odore comas.
Cara, benigna, micans, pia, ſancta, verenda, venuſta,
Flos, decus, ara, nitor, palma, corona, pudor.
Omnes nam fines terræ meruere ſalutem
Per Chriſtum genitum, virgo Maria, tuum.
A patre perpetuo, certo tibi tempore natum:
Qui mihi ſpes veniæ, cauſa ſalutis. Amen.

DE VITA SANCTI MARTINI.

PROŒMIUM.

NAuta rudis tumido cum vult dare vela profundo,
Atque procelloſas neſcius intrat aquas.
Raucisono latrante ſalo cum perſtrepit æquor,
Et vaga terrifico murmurat unda freto,
Exiliens pelagus colles ubi volvit aquoſos,
Planaque dorſa maris mobile rupe tument,
Naufragii cumulos rapiens per confraga pontus,
Qua crepitat rubidus monte natante liquor,
Certatim implicitam quatiunt vada cærula cymbam,
Cum liquidi campi penſile tranſit iter;
Si fera creſcat hiems ut ſpumis verberet auras;
Et mare cæruleum tollat ad aſtra caput:
Fluctibus excuſſus per nubila navita currit,
Intrat & aerias pendula prora vias.
Pars ſubit una ratis, pars altera vergit arenis,
Nutat & in dubio lubrica libra freto.
Nunc ſurſum inſpicitur pelagi furibunda ruina,
Pontus & iratas deſuper armat aquas.
Nunc quoque proſiliens Zephyri pelagique repulſu
Fluctibus ex imis evolat acta ratis.
Afficitur tremulis temerarius arbiter undis,
Et ſtupet implicitas quas petat arte vias,
Attonitus, trepidus, hebetans, vagus, anxius, anceps,
Confuſo ingenio mox ope nauta caret.
Jamque gubernaclum amittens ratione gerendi
Pondere victus aquæ neſcius arte jacet.
Sic ego de modicis minimus, venerabilis Agnes,
Cum Radegunde ſacra, quas colo ſorte pia:
Tendere pollicitum quia cogor ad ardua greſſum,
Imperiis tantis viribus impar agor.
Fluctuat ingenium, cui non natat unda camœnæ,
Senſus arenoſus non rigat ore lacus.
Nam celſum meritis Martinum ad ſidera notum,
Cum ſint vota mihi, non valet arca loqui.
Poſcendum eſt vobis, ne naufraga prora laboret,
Flatibus ille ſuis ſed mea vela juvet.
Credere tunc p tero ad portum mea carbaſa ferri,
Aſpirante fide ſi ſua flabra favent.
Ferte precanter opem, & de Verbo poſcite verba;
Si fons ille rigat, rivulus iſte meat.
Vos date quod vobis cum fœnore reddat alumnus,
Addam & theſauris parva talenta ſuis.

LIBER I.

ALtithronus poſtquam repedavit ad æthera Chriſtus,
Carne triumphali victricia ſigna reportans,
Inclytus inferni ſpoliato carcere dives,
Tartarei reprimens feralia jura tyranni,
Et Stygis omnipotens adamantina clauſtra revellit,
Sede fera populi longa caligine tecti,
Captivum retrahens foribus bipatentibus agmen
Millibus ereptis. ergo eſt ut reddi.us aſtris,
Et patris in ſolio ſedit ſua dextera dexter,
Quæ converſatus dederat miracula terris
Multa Evangelici referante volumine libri,
Hebraicus cecinit ſtylus, Atticus atque Latinus,
Proſaico digeſta ſitu, commune rotatu:
Primus enim docili diſtinguens ordine carmen,
Majeſtatis opus metri canit arte Juvencus.
Hinc quoque conſpicui radiavit lingua Seduli,
Paucaque perſtrinxit florente Orientius ore,
Martyribuſque piis ſacra hæc donaria mittens
Prudens prudenter Prudentius immolat actus.
Stemmate, corde, fide pollens Paulinus & arte
Verſibus explicuit Martini dogma magiſtri,
Sortis Apoſtolicæ quæ geſta vocantur & actus
Facundo eloquio vates ſulcavit Arator.
Quod ſacra explicuit ſerie genealogus olim
Alcimus egregio digeſſit acumine præſul.
Aſt ego ſenſus iners Italæ quota portio linguæ,
Fæce gravis, ſermone levis, ratione pigreſcens,
Mente hebes, arte carens, uſu rudis, ore nec expers,
Parvula Grammaticæ lambens refluamina guttæ,
Rhetorici exiguum prælibans gurgitis hauſtum
Cote ex juridica, cui vix rubigo receſſit,
Quæ prius addidici dediſcens, & cui tantum
Artibus ex illis odor eſt in naribus iſtis:
Non prætexta mihi rutilat toga, penula nulla.
Jam mea nuda fames ſupereſt de paupere lingua.
Scilicet inter tot Sanctorum culmina Vatum
Fulmina Doctorum & gemmantia prata loquentum
Nullo flore virens ego tendam texere ſertum,
Mellis & irrigui hæc auſtera abſynthia miſcam:
Quod tamen ut facerem, fieri res illa coegit,
Quo minus ipſe reus pro crimine redderer amplo:
Convenienter enim ratio quia plena popoſcit
Hujus Pontificis ſolvi præconia verbis,
Cujus cauſa fuit hac me regione venire.

Ubi veſtivit pauperem chlamyde.

Ergone dignus ero Martini geſta beati
Pannonia geniti, qua clara Sabaria vernat,
Attrectare manu trepida, vel pangere lingua?
Non eget ille meis tenebris, quia luce coruſcans
Gallica celſa Pharus fulgorem extendit ad Indos:
Qui puer in teneris vix pubeſcentibus annis
Frigore ſub gelido terras criſpante pruina,
Cum undas triſtis hiems fræno glaciale ligaſſet,
Et vaga libertas fluviorum incluſa lateret
Aſperiore gelu de ſe ſibi vincula nectens,
Plus aqua frigidior tunica veſtita rigoris.
Occurrenti igitur portæ Ambianenſis egeno,
Qui ſibi reſtiterat, chlamydis partitur amictum,
Et fervente fide membris algentibus offert:
Frigoris iſte capit, partem capit ille teporis;
Inter utroſque inopes partitur fervor & algor,
Et nova mercandi fit nundina frigus & æſtus,
Unaque paupertas ſatis eſt diviſa duobus.
Hac ſe veſte tamen tectum obtulit ipſe Creator,
Martinique chlamys texit velamine Chriſtum:
Nulla Auguſtorum meruit hunc veſtis honorem;
Mili-

Militis alba chlamys plus eſt quam purpura Regis.
Prima hæc virtutum fuit arra & pignus amoris.

De Baptiſmo & hoſtibus ſuperatis.

Poſt fera barbaries peteret cum Gallica clauſtra,
Ac prope Vangionum premeret loca fervidus hoſtis,
Militiæ Sanctus cuncta emolumenta recuſat.
Hic cum cæſareas fremuit Julianus in iras;
Imperat ut clauſum teneat cuſtodia juſtum,
Ac veniente die primus properaret in agmen.
Quo tamen ante aciem ſacer ire fatetur inermis.
Venerat ergo dies belli, pacem expetit hoſtis,
Atque orante uno cecidit furor omnibus armis,
Innumeraſque acies ſolus ſine ſanguine vicit.

Ubi latronem ad fidem Chriſti convertit.

Hinc loca latronum incedens, ratus ire per Alpes,
Vinctis poſt tergum manibus, deductus ab uno,
Tempore ſub mortis hoſtis compendia tractans,
Credit latro Deum, dum prædicat iſte, colendum:
Et dare qui voluit mortem, capit ore ſalutem.
Ducitur ille ferox a religione ligatus,
Atque ſuus prædo Martini præda fit ultro.
Quam bonus ille iſti! ſed plus pius hic fuit illi:
Servantur ſimul; ille fide, hic corpore vivens:
Ambo valent, dum nemo cadit, ſic vicit uterque.

Ubi dæmonem a ſe repulit.

Hinc loca præteriens pulcherrima Mediolani,
Florea rura terens per amœna vireta viator,
Obvius occurrit vetus & temerarius hoſtis,
Mentitus ſpeciem humanæ ſub imagine formæ,
Falſiloquax pereunte fide, male doctus in arte,
Quod peteretur iter, quærit: Cui cominus ille
Huc properare refert, qua ſe Deus ire vocaret:
Cui ferus hoſtis ait: Quacumque accedere tendes
Tecum pergo nocens, vota in contraria currens:
Voce prophetali Sanctus cui protinus infit;
Eſt meus adjutor Dominus, mala nulla verebor,
Ne timeam timidum, timor eſt, Deus arma timentum;
Tutus in adverſis gradior rectore ſuperno:
Inſidiis via nulla patet ſub tegmine divo.
Hæc ait; & validi transfixus cuſpide verbi
Dæmon abeſt. ſic umbra fugit, quam Chriſtus obumbrat.

Ubi matrem ſuam baptizavit.

Interea matrem gentili errore reſolvens,
Illa iſtum mundo, hic illam generavit Olympo,
Decrepitamque ſenem ſancto facit amne renaſci,
Et meliore ſinu generant ſua viſcera matrem.

De Ariana hæreſi.

Dogmaque ſacrilego quod fuderat Arius ore,
Tempeſtate gravi totum populaverat orbem,
Per magis Illyricum male naufraga lingua natabat.
Hinc quoque cœperunt naſci nova prælia juſto,
Fortior ut fieret reparatis belliger armis,
Ad virtutis opus per multa pericula creſcens.
Vir pius ergo ſagax, fideique athleta fidelis
Sparſa venena hereſis reprimendo dimicat hoſti,
Suppliciis lacerus, flagris datus, urbe repulſus.
Nam Patris ac Geniti æqualem vel Spiritus almi
Vim, genus & ſpecimen, virtutem, lumen, honorem,
Unum velle trium ſua per tormenta fatetur:
Dulcia membra viri per amara flagella cavantur,
Et Chriſti juvenem veterata piacula torquent:
Sed gravior fit pœna levis per nomen amantis.

De exilio S. Hilarii & cella conſtructa.

Et quia ſummus apex fidei, virtutis, honoris,
Hilarius famæ radios jactabat in orbem,
Rite Sacerdotii penetralia jura gubernans,
Buccina terribilis, tuba legis, præco Tonantis,
Pulchrior electro, ter cocto ardentior auro,
Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,
Uberior Nilo, generoſo ſparſior Hiſtro,
Cordis inundantis docilis ructare fluenta,
Fontibus ingenii ſitientia pectora rorans.
Mens Evangelici bis bini plena libelli,
Quatuor ore ſuo manans nova flumina mundo,
Ornatum Eccleſiæ pollens diadema coruſcum
In membris Chriſti capitis velut infula fulgens,
Pectore belligerans, adamantinus arte topazos,
Ad virtutis opus mens inconcuſſa palæſtris,
Gemmifer eloquiis, radiantior ore lapillis,
Doctor Apoſtolicus vacuans ratione Sophiſtas,
Dogmate, luce, fide, informans virtute ſequaces.
Hoſtibus hic quoniam gravis inſuperabilis eſſet,
Ducitur exilio qua longa Seleucia tendit,
Regis & auxilio petit hinc ſua præmia miles.
Cujus in abſceſſu errori vaga Gallia cedit,
Et regio titubat tanta ſe turre movente.
Hoc ubi perpropere Martinus comperit, inde
Conſtituit cellam ſub vertice Mediolani,
Expulit unde virum tum Auxentius auctor iniquus.

Ubi Gallinariam inſulam expetiit.

Hinc pius exul adit qua Gallinaria turget
Inſula, frugis inops vivens radicibus herbæ:
Ergo venenatum elleborum mox ſumpſit ab ore,
Incipit inde mori qua vivere credidit eſcis;
Sed grave virus agens oratio ſola fugavit,
Et vivente viro intra ſe ſua mortua mors eſt.

De reditu S. Hilarii, & mortuo reſuſcitato.

Rurſus ut Hilario redeundi eſt ceſſa facultas,
Excurrit properus ſua poſt veſtigia juſtus;
Excipit hic cupidum cupiens, & amator amantem,
Fitque monaſterium Pictava comminus urbe.
Jungitur inde ſacro catechumenus ore docendus,
Atque abſente viro rapuit grave funus amicum.
En ſubito Martinus adeſt, qui defuit abſens:
Ecce redit pietas, redit & ſimul arra ſalutis.
Ergo ubi conſpexit gelidum de febre cadaver,
Flet, gemit, accurrit, dolet, ejulat, uritur, angit,
Concipienſque fidem cella omnes juſſit abire,
Excluſitque foras foribus, ſine teſte relictus:
Tunc ſuper algentis corpus proſternitur ardens
Judicis exactor, revocant ut Tartara functum.
Interea geminis ſpatio remorante ſub horis,
Ecce redit facies, ſaliunt per membra vapores:
Stat rubor inde genis, oculos pupilla repingit;
Rurſus & inſertus renovat ſpecularia viſus:
Vena tumet rivis animato fonte cruoris,

Paula-

Paulatim aſſurgit ſabrica titubante columna,
Erigiturque jacens pariter domus & ſuus hoſpes;
Ipſe iterum poſt ſe vivens idem auctor & hæres:
Qui redivivus ait ſe judicis ante tribunal,
Ductum damnandum Martino orante reductum.

De ſervo Lupicini ſuſcitato.

Lupicini demum celerans dum præterit agrum,
Comperit heu famulum crudeli funere raptum
Elidendo ſuum fera per ſuſpendia collum:
Acceſſitque ubi ſic male pendula præda jacebat;
Expulit hinc cunctos, ſolus ſolita arma requirens.
Incubuit ſuper exanimis pallentia membra,
Et premit arca ſacri, hunc ne deprimat arca ſepulcri:
Mox tamen ore precem ut defuncti miſit in aurem,
Mors pede verſa retro prædam fugitiva reliquit,
Evomuitque vorax avida de fauce rapinam.
Protinus exiluit lento conamine functi
Jam levior ſe terra movens, animata calore,
Languida colla levans oculoſque ex morte ſoporos,
Vix referans gravido vigilantia lumina viſu;
Mortis odoreque adhuc remanente in naribus illis:
Sed præſtante manu totos ſimul erigit artus,
Et ſtetit intrepidis membrorum machina plantis:
Vivificatus enim greſſum meditando rediſcens
Reddidit obſequium vitæ pro munere ſancto,
Uſque ad veſtibulum domus illum ducere tendens,
Defunctum eripuit ſubito qui ex limine mortis;
Pro mercede manens hæc compenſatio juſto,
Gloria Chriſte tibi, facis hæc qui mira per orbem.

De ordinatione Epiſcopatus.

Accidit ut Turonum præſul peteretur ad urbem.
Nec tamen educi poſſit de limine cellæ:
Ruricius quidam, ſimulata febre jugalis,
Obtinet egreſſum ſancta ad veſtigia ſupplex:
Urbibus ex reliquis nova conciliabula currunt,
Lætificata ſimul ſanctam ſe ferre rapinam.
Ne tamen effugiat, juvum cuſtodia valiat.
Interea, paucis tunc obſiſtentibus, inſons
Eligitur, trahitur, ſacratur, & arce locatur.
Æmulus unus erat Defenſor Epiſcopus, obſtans
Ne Martinus oves paſtor curaret aleodas.
Nec mora, judicio Domini, lectore canente
Verſiculo pſalmi Defenſor ſponte notatur.
Ex ore infantum & lactentum perfice laudem.
Nunc Defenſorem qui ſic bene deſtruis, inquit.
Mox fragor aſtra petit, clamor vagus atria complet,
Et docet ille favor de Defenſore reatum,
Addictuſque vir eſt, ſe judice, teſte Propheta.

De monaſterio ſub alta rupe conſtructo.

Inde monaſterium ſibi condit rupe ſub alta
Vir monachus præſtans in pontificatus honore,
Plurima conveniunt ubi ſancta examina fratrum.
Ergo aderat propius locus & celeberrimus olim,
Ampla vetuſtatis cum tempora tranſiluiſſent,
Martyris eſſe pium ſpargebat opinio cultum:
Qua ſacer exorans tumulo ſalit umbra ſepulcri
Læva ex parte loquens meritis, res ipſa ſiniſtra:
Imperat ut nomen fateatur imago, vel actum:
Nil cum Martyribus ſibi participare beatis,
His quia palma manet, cum ſe male pœna teneret.

Omnibus auditur, Martino cernitur uni,
Illa ſuperſtitio tali ſub ſorte vetatur.
Sic altare ſimul removetur, larva fugatur.

De gentilibus in uno loco fixis.

Poſt iter arripiens comitatu relligioſo
Exequiis ſubito gentilibus obvius exit,
Dum putat inde vehi cultu ſimulacra profano,
Pingit in adverſos ſignum Crucis: illa cucurrit
Ante virum ſua bella gerens pietatis amica.
Obvia turba riget, greſſuque extorpuit ægro,
Ante immota gradu vertigine rapta rotatur.
Additur illud onus, deponunt colla cadaver,
Nec jam terre valent, & mors in pondere creſcit,
Tunc ſacer inſpiciens opus hoc eſſe exequiarum,
Juſſit abire procul, digitis crucis arma repingens;
Unde ligavit iter, miſeratus inde reſolvit,
Una eademque manu mandata per aera mittens,
Hoc mirum faciens de ſuſpicione Sacerdos.

De pinu ſigno crucis a ſe repulſa.

Protinus antiquum cupiens exurere fanum
Juſſit, & acclivem propius ſuccidere pinum;
Obvia congreditur cui ruſtica concio pugnax,
Ne ſuccidatur res nata & debita flammis.
Proinde paciſcuntur hac lege excidere pinum,
Si Martinus eam valeat retinere ruentem.
Annuit hoc populus, hoc ſpondet ſponte Sacerdos:
Mollia ſubduntur rigido ſuo ſtipite membra,
Et ſuſpectatur pini peritura ruina.
Interea rapidis ſonat icta bipennibus arbor,
Atque ſubincrepitans caſura cacumine nutat:
Paulatim inclinans jam victa ſecure ruebat:
Turbari monachi ſpectant extrema magiſtri,
Credentes ramis transfigere viſcera juſti:
Vir tamen intrepidus periſtat, pinoque cadenti
Obtulit arma crucis, cumulans ſua bella triumphis;
Extimuit fugitiva virum repedabilis arbor,
Et ruitura procul ſuſpendit in aera lapſum.
Excutiens retro verſa comas, ſine morte caducum
Continuit ſaltum ſeſe per inania librans
Contra naturam ſucciſa & curva repugnans.
Mox petit illud iter, qua non ſua pondera torquent;
Hinc ad ruricolas vertigo infeſta rotatur,
In montem exiliens vindex ut puniat hoſtes;
Reſque parata neci fuit ultio facta ſalutis.
Fit fragor in partes. monachi per gaudia deflent;
Gentiles ſtupidi nova per miracula pallent,
Judicio ligni eſt hominum mollita voluntas:
Expetit arma crucis converſa errore repulſo;
Et timor hic pini Martinum fecit amari:
Majorem generans fructum cum decidit arbor.

Ubi fano incenſo ignem a domo repulit.

Hinc jubet alterius ſuccendere culmina Fani:
Viciuamque domum cum flammea ligna vorarent,
Viribus ardor agens totis, laxatus habenis,
Obvius ipſe volat quantum globus igneus ibat,
Scandens tecta domus: Hinc verba precantia mittit;
Mox tota in ventos revoluta incendia fervent,
Et contra Boream Vulcanius ardor anhelat,
Seditione movent elementa domeſtica rixas.
Adverſis zephyris videas pugnare favillas.

Hinc

Hinc furor Auſtralis premit, hinc velocibus alis
Flamma volans Borinas mordebat in aere pennas,
Obluctata diu, tandemque evicta per auras,
Quas armare ſoleut, fugiebant flamina flammas,
Conditione nova, ſatis eſt res mira per orbem:
Flabra timent ignem, timet ignis ligna vorare,
Atque avidæ flammæ ſua nutrimenta paveſcunt,
Paulatimque focis elanguida ligna reſorbet:
Urere qui ſolet a ſeipſo conſumitur ignis;
Martinique fides ſine nubibus intulit imbres.

De Angelorum auxilio.

Rurſus ut hinc aliud cuperet ſubvertere templum,
Ruſtica turba vetat divelli Fana profana,
Unde repulſus adit loca proxima: ſed biduano
Conrectus cinere & ſetis jejunia ducens,
Numinis auxilium ad templa imminuenda precatur.
Militiæ Angelicæ coram duo protinus adſunt
Siderei proceres, haſtas & ſcuta tenentes:
Comminus hi Sanctum compellant vocibus ultro:
Præſidiis Martine tuis delabimur aſtris:
Squalidus ipſe ſedes, ſed ſit tua cura Tonanti,
Suffragiiſque tuis cæli fremit arduus axis,
Belliger & totis conſpirat Olympus in armis,
Ut cœpta efficias, per nos tibi militat æther;
Mittimur a Domino gemini tua caſtra regentes;
Hac pro parte duces, melior qua cauſa laborat.
Nunc age rumpe moras, neu ruſtica turba rebellet,
Arma miniſtra vides, noſtrum eſt ſuperare ſuperbos.
Irrue; ne trepides, ope noſtra, ad templa ruenda,
Nec titubare decet, favor eſt ubi numinis almi.
Tum Sacer aggrediens properus diſſolvere templum
Idola comminuit, Fana eruit, obruit aras,
Totaque ſublimis jacuit ſub pulvere moles.
Ruſticitas inimica prius, favet ipſa ruinæ:
Inſtat & excidio quæ defendebat iniquum,
Idola projiciens, numen confeſſa Tonantis,
Uno eodemque ictu hoc reſpuit, eligit illud.

De percuſſore oratione ſuperato.

Poſt Eduorum dum templum divellere tentat,
Obſtant inculti cultores ruricolares,
Ne colerent melius, ſua ſi cultura periret:
Ex quibus audaci niſu male fortior unus,
Dum cuperet gladio caput obtruncare ſacratum,
Cui nuda cervice pater ſeſe obtulit ultro:
Aſt ubi mente ferox totas collegerat iras,
Exacuens rabiem, ſed cordis acumine tonſus,
Acrius inſiliens totos ſuſpenderat artus,
Bis furor armatus juguli ruiturus in ictum,
Tam gravius feriens quantum alte educitur enſis,
Aſtrictis capulo digitis dum temperat ungues
Noxius horrifica meditatus vulnera dextra;
Mortis amicus, amans facinus, crudeliter auſus:
Jam ferro incumbens capiti mucrone reducto
Sternitur ipſe ſolo, qui ſic pendebat in ictum,
Ac reſupinat humo qui pronior ibat in auſum;
Mittit & ore precem, cum membra ſuperba jacerent,
Juſto ſtante cadens, quo credit ſtare cadente;
Dum vice diverſa ſtat inops, ruit ille ſuperbus.

Ubi gladius percuſſoris excuſſus non comparuit.

Rurſus opus peragens dum verteret Idola pernix,
Vir quidam tractans Martini de nece, cultrum
Dum rapit, eripitur rapienda rapina rapaci,
Excuſſumque fugit ſine more volatile ferrum
Jam leviore via, neque poſt comparuit uſquam.
Sic cultro ablato manibus, latro exitit inſons,
Redditur & mitis, poſtquam fit nudus ab armis,
Nec furor ante animi periens, ni tela periſſent:
Invita hæc pietas quæ perdidit unde noceret.

Ubi contradicentibus Paganis fana deſtruebat.

Sæpe Beatus idem contradicentibus ipſis
Agricolis, præſtante fide, ſe orante jubebat,
Ut male culta ſuis caderent fera Fana miniſtris:
Sic quoque Pontificem ſoliti impugnare rebelles,
Dum templa evertunt, ipſi ſunt arma Beato,
Hoſtilique manu Martini bella geruntur,
Partibus atque ſuis alieno milite vincit.

De paralytica, quam curavit Treveris.

Quinetiam fuerit curatio quanta patrono,
Quanta medelifero manarit gratia tactu,
Laudibus in tantis muta eſt facundia mundi,
Quem cunctis vidiſſe, fuit meruiſſe ſalutem.
Eſt ſatis ipſe ſuus teſtis generoſus & auctor,
Qui quondam ingrediens Trevirorum mœnia mitis,
Qua reſoluta diu per viſcera fluxa rigebat
Tabida paralyſis gelido languore puella,
Flatibus extremis quaſi jam de funere vivens;
Cujus erant oculi vigiles cuſtodia mortis,
Funeris exequias reddentia lumina membris,
Solvere feſtinans animatæ vincula carnis;
Spiritus arcano vix mobilis ibat anhelo,
Fine trahens dubio perituram naribus auram:
Pes, manus, ora, genæ recubabat imago ſepultæ,
Nec tumulata quidem, ſed portio tota ſepulcri.
Cujus amore pio patris exanimata ſenectus,
Dilacerata genis, niveis male compta capillis
Cum impatiens ageret, nec adeſſet cura medelæ,
Comperit ut Sanctum advectum dignanter ad urbem,
Advolat inde ſenex vetulis juveniliter annis,
Impiger exiliens, curſu ſua tempora vincens.
Pontificum vallante choro, populoque fremente
Irruit in medios clamoribus inverecundus:
Nam dolor inſignis non reſpicit arma pudoris.
Corruit ergo ſenex Sancti ad veſtigia pronus
Genua, manus plantaſque per oſcula mollia lambens:
Vix gemitu laxante, loqui ſic incipit æger.
Vir Martine Dei, populi patrone ſalutis,
Vir cunctis bonitate parens, tibi ſuggero luctus,
Ne miſeri pereant lacrimæ pietatis amicæ,
Quem mea cauſa trahit loca tam longinqua venire,
Ut labor iſte viæ tribuat compendia vitæ:
Eſt mihi nata domi decumbens vulnere morbi
Exequiis vicina ſuis, ſine ſorte medelæ,
Quæ quondam incolumis ſtabat mea ſola voluptas,
Obſequiis intenta piis, placabilis, in qua
Vita mihi; hæc quæ dulcis erat ſolando ſenectam,
Ecce perit, ſecumque trahit mea viſcera leto,
Canitiemque patris miſerandi in tartara ducit:
Ire ſed ipſe prior cuperem ſi forte liceret.
Quæ nam vita ſeni, vel quo mihi vita parenti,

 Spe

Spe pereunte patris cum nomine prolis ademptæ?
Qua nubente viro, per dona futura nepotum
Aridus in ramis poteram revireſcere prolis;
Cum magis hæc reputem præſentis damna ſalutis
Me ſpectante, rapi natam mea lumina luci:
Ordine diſpoſito melius cui cauſa placeret,
Ut ſenis illa patris oculorum clauderet orbes.
Unde, Sacer, dignare avidam ſuſpendere mortem;
Atque miniſter opis rapiendæ occurre puellæ:
Si mora ſit, mea cauſa perit; ſuccurre duobus:
Nam me cura necat, ſi illi curatio ceſſat.
Qua Sacer erubuit confuſus voce Sacerdos,
Indignum ſeſe tali virtute miniſtrum.
Sed pater inſtabat compellans vocibus iſdem;
Debitus inſanis medicus venis, exere curas:
Sentiat adventum medici purgatio morbi.
His impulſus adit qua laſſa puella jacebat.
Turba aſtante foris, faceret quid paſtor ovili?
Hinc ſua bella gerens orator ad arma recurrit,
Sternens membra ſolo, ſenſu ſuper aſtra reducto.
Hinc ubi conſurgens faciem conſpexit alumnæ,
Illico vox rediit peregrinis ſedibus hoſpes,
Et rediviva ſuæ cecinerunt organa linguæ:
Paulatimque artus liquor ut penetravit olivi,
Vivificata pedum geminis ſtetit arca columnis,
Et fundata ſuo viguerunt culmina greſſu.

De ſervo Tetradii a Dæmone liberato, & ipſo liberato. XXI.

Poſt quoque Tetradii famulus Proconſulis expes,
Mancipium alterius ſub hoſpite Dæmone factus,
Dentibus ut rabies alienis frenderet armis,
Nec ſua ſed hoſtis fieret ſe milite pugna:
Quem Dominus famulum ſupplex purgare precatur,
Sed duci ad Sanctum vetuit ferus hoſpes & hoſtis,
Tetradius rurſus juſti veſtigia lambens
Supplicat, ut pergat ubi ſævus latro latebat.
Sed Sacer ipſe domum gentilis adire recuſat.
Spondet Tetradius humilis cum faſcibus altis,
Hoſti ſi famulum eripiat ſe credere Chriſtum:
Impoſita ergo manu puero fera larva recedit,
Et mala jucundum paſtorem beſtia fugit.
Tetradius pariter catechumenus eſſe meretur,
Atque ſaluti feri baptiſmatis amne novatur.
Sic puer & Dominus maculis purgantur ademptis:
Iſte hoſtis laqueis: erroribus ille ſolutus:
Ille carens animæ pœnis, hic carnis erumnis;
Liber uterque manens gemino micuere triumpho.
Conditio famuli libertas facta patroni,
Accipit iſte fidem, cum de illo perfidus exit.

Ubi Dæmoniaco furenti digitos in os intulit.

Nec longo ſpatio ſub eodem tempore Sanctus
Forte domum ingrediens in limine ſubſtitit ipſo,
Terribilem referens ſe cernere Dæmonis umbram,
Arreptoque coco vexat fera bellua prædam,
Dentibus armatis lacerans ſe, ſive ſodales.
Terga dabant ſocii, nec quiſquam ire obvius audet.
Vix loca tuta fugæ capientes præpete ſaltu.
Hoc ſatis eſſe ſuum vel ſe ſubducere morſu.
Martius ergo chalybs, Martinus belliger armis
Nec pede diffugit, nec ſivit abire fugacem,
Peſtem ſtare jubens; acuit qui fauce molares:
Cui digitos vir Sanctus in os dum mitteret, infit:
Si potes, ecce vora oblatam, lupe noxie, prædam,
Quam peteres alibi datur ultro dentibus eſca.
Quo dicto, fauces geminæ revocantur utrimque,
Non mordet digitos, ſuſpendit Bellua rictus,
Et manibus tangi timuit, qui eſt dente voraci.
Qui dum intra obſeſſum pœnis ageretur acerbis;
Nec tamen ob digitos exire per ora liceret;
Fœda miniſterii fœdus veſtigia linquens,
Sordidus egreditur qua ſordibus eſt via fluxu.
Tale iter arreptum ſic te decet ire, viator.

Ubi civitatem de metu Barbarorum liberavit.

Hinc cum barbariem ſparſiſſet fama per urbem,
Proventumque trucem crudelia femina ferrent,
Paſtor adeſſe jubet quemdam ex grege dæmonis, illi
Imperat, ut prodat, ſi nuncia vera vagarent,
Ore reus tortus veluti ſub judice miſſus,
Greſſibus humanis advectus larva fatetur
Hanc famam populo bis quino Dæmone fuſam,
Ut cogente metu Martinus abiret ab urbe.
Barbara tempeſtas tranquilla lege quieſcit,
Formidanda tibi nulla eſt irruptio Gentis,
Nec cauſam armorum verearis pacis amator.
Martino præſente aditum fallacia perdit,
Mendax vera refert, & certum nunciat error.
Inſatiata malis, quæ ſic fremit ore cruento,
Beſtia bella movens revocavit munera pacis.

Ubi leproſum oſculo ſuo purgavit.

Inde Pariſiacam Sacer intrans concite portam
Obviat in faciem leproſum verſus euntem,
Qui ſibi diſpar erat; nec jam a ſe cognitus ibat.
Vir maculis varius, cute nudus, vulnere tectus,
Tabe fluens, greſſu æger, inops viſu, aſper amictu,
Mente hebes, ore putens, lacerus pede, voce refrictus:
Induerat miſerum peregrino tegmine pallor,
Improviſus enim hunc ſanctus ſua ad oſcula traxit,
Aſtringenſque virum fuſo medicamine laxat.
Nam ſimul ut tetigit benedictas ore ſalivas,
Effugit unguiferum languoris ſarcina tactum;
Merſa figura redit, faciem cutis advena veſtit,
Ad ſpeculum remeat peregrina fronte caracter,
Et deleta diu reſcribitur oris imago,
Virtutum quam celſa fides ubi concite ſancti
Pacis ab officio perierunt prælia morbi,
Complexu res dira fugit languoris iniqui,
Peſte cadente novam geſſerunt oſcula pugnam.
Inclyta relligio Martini, cujus honore,
Fœdere, ficta fides formoſat fœda, fidelis.
O felix regio, Sancti pede, lumine tacta!
Illuſtris luſtrante viro loca, luſtra, liguſtra,
Urbes, rura, domos, templa, oppida, mœnia, villas,
Quæque viri inſignis tam inſignia ſigna mereris,
Cujus ab ore ſacro magnalia cetera vincens,
Leproſi ad curam Jordanis in oſcula fluxit,
Et fontem fluidæ maculæ lavat unda ſalivæ.

LIBER II.

PEndula jamdudum laxavi carbaſa pinu,
Dum pelagus componit iter, dum nauta reſumit,
Et reſtricta ſemel levius ſe ſarcina ducit.
Me quoque jam primi finita parte libelli

Ad

Ad curſum levis aura vocat, paro lintea ventis.
Spiritus altevolans imple mea vela ſecundus,
Ne trepidam claſſem contraria flabra flagellent.
Martinum mea prora vehat, ſancta emptica nautæ,
Dulcis apex, ſpes fida ratis, leve pondus amantis,
Mercis onus ſuave eſt, & ſi veheretur in ulnis,
Qui tetigit quodcumque manu, vel tactus ab illo eſt,
A digitis ſalit alta ſalus, fluit unguen ab ungue.
Fimbria quinetiam quod nobilis attigit umquam,
Sparſit abundantem modica de veſte ſalutem,
Fontis & hujus aquis reſtricta eſt unda cruoris,
Siccavitque ſuo refluamina fluxa fluento,
Sumens æger opem per furta ſalubria fili:
Dum neſcit medicus, finit diſcrimina morbus.
Arbiter Arborius, vir præfectorius idem,
Quartano genitam graviter cruciante camino,
Plurima dum faceret, neque cura mederet alumnæ,
Miſſa beata viri reſtinxit epiſtola febrem,
Quæ ſuper impoſita charta recubante puella,
Mox ſudoris aquas ubi littera ſicca rigavit,
Febris ab internis reſtincta eſt arida membris,
Axe ſerenato madidans ſine vellere nimbi,
Rore atramenti reſtincta eſt flamma camini,
Iſraelitarum veluti Moyſiticus alter,
Ne vapor excruciet, protendit pagina nubem.
Cur mirum, artificem dantem per ſcripta ſalutem,
Sic operabatur, præſens ubi non erat ipſe,
Quæ patre ab Arborio Martino offertur opimo
Conſecranda manu qua ſalva facta ſit ipſa.
Quam bene bis ſanam cum virginitate puellam
Reddidit iſte patri proprio, pater ille ſuperno:
Sic meruit geminam ſolo curante medelam,
Dum caram ſobolem morti ſubduxit utræque.
Paulinique oculum tetra caligine merſum,
Impoſitis manibus radius penetravit acutus,
Atque ſerena dies deterſa nube refulſit,
Lumen & emicuit facies non luſca gemellum,
Martini digitis oleo manante lucernæ
Cuncta ſalutifero ſuperans collyria tactu.
Ipſe etiam caſu ſcalarum vertice lapſus,
Dinumeranſque cadendo gradus, capite, ore, reliſus,
Attritus membris deſcendens ſaltibus altis,
Multorum medicus quam plurima vulnera portans,
Dum cellæ recubat graviter ſub nocte ſopora,
Pervigilis Domini venit Angelus aere fultus,
Ulcera quæque viri tractans dum ſingula palpat,
Tangens membra manu ſolidat veſtigia greſſu,
Excutiturque lues fugitivo tabida ſaltu,
Et ſudibus laceros rediit cutis una per artus,
Craſtinus incolumi proceſſit corpore comptus,
Angelicamque fidem teſtis præſentia fecit:
Nec perferre pium longinqua flagella decebat,
Quando flagellari graviter non pertulit ullum.
Prætereunda mihi neque ſunt hæc maxima rerum,
Maximus Auguſtus nece regis maximus armis,
Imperium indeptus civili clade ſuperbus,
Dum regit inſolitas frenorum infrenus habenas,
Pontificum cui tunc adulatio laxa favebat
Principis, & nutu cleri tum circulus ibat,
Martino veniente tamen rex ipſe precatus,
Ut ſanctum ad menſam habeat, qui ſæpe repulſus
Tandem promeruit fieri conviva beati,
Imperio plaudente ſimul ſedet urbe favente,
Convivam cæli quod terrena excipit aula.
Conveniunt proceres, præfectus, conſul, honores,
Certatim, acciti regalia feſta colentes,
Principe poſtpoſito miraturi acta ſacrati.
Auguſti obſequiis fremit undique concitus orbis,
Divitias pariter producens delitiaſque,
Quas habet Indus, Arabs, Geta, Thrax, Perſa, Afer, Hiberus.
Quod fert meridies, Arctos, Occaſus & Ortus,
Quod Boreas, Aquilo, Libs, Circius, Auſter & Eurus,
Quod Geon, & Phiſon, Tigris, Eufrateſque redundant,
Rhenus, Atax, Rhodanus, Tibris, Padus, Hiſter, Orontes,
Quod mare, terra, polus, piſce, alite, fruge miniſtrat,
Emblema, gemma, lapis, toreumata, thura, falerna,
Gazaque Creta, Samos, Cyprus, Colophona, Sareptis,
Lucida perſpicuis certantia vina lapillis,
Vix diſcernendis cryſtallina pocula potis,
Inde calix niveus variat per vina colores,
Hinc mentita bibunt patera fucante falerna,
Hic abacum picto bombycina flore decorant,
Arte loborata & vel qualia penſat Arachne,
Serica purpureis ſternuntur vellera velis,
Inlita blatta toris, aurumque intermicat oſtro,
Totaque permixtis radiant velamina gemmis.
Inde pari pariter rutilant ætate miniſtri,
In cunctis varius habitus, nitor omnibus unus,
Quod valet ore loqui potuit ſub principe ferri.
Ordine Cæſareo Martino hæc pompa paratur,
Qui modicis contentus erat ſatiandus in uno.
Accubat interea Princeps, ſimul ordo ſenatus,
Presbyter inde thoro veneranda acclinat in ulna.
At juxta regem ſella ſacer adſidet arta,
Porriget hinc regi mox pocula prima miniſter,
Qui ſancto jubet ante dari, quo poſſit ab ipſo
Auguſtus calicem excipere & potare ſecundus.
Martinus patera oblata ut bibit ore parumper,
Divino ſitiens potius ſe fonte rigari,
Principe poſtpoſito, partem libaminis imam
Presbytero tribuit, noſcens quod dignior eſſet.
Miratur Princeps, proceres, conviva, miniſtri,
Judicioque ſuo ſe penſavere minores.
Illico percurrit res geſta palatia complens
Hoc quod apud ſanctum fuit ordine presbyteratus,
Auguſtus conviva minor, vox una per urbem
Martinum feciſſe canit ſub Principis ora,
Judicis in minimi menſa quod nemo valeret.
Erubuitque aliud hinc dicere turba ſatelles,
Si quid enim voluit pro ſupplice forte precari,
Induperatori Martinus & imperat ipſi.
Qui tamen Auguſto prædixit ſorte ſatura,
Proſpera quæ mereret, quæ mox contraria ferret,
Motibus Italiæ pugnante Valentiniano,
Maximus ut cecidit poſt bella ſecunda tyrannus,
Qui grave ſuccubuit Aquileia protinus urbe,
Martini dictis & verbo libra pependit.
Cætibus Angelicis viſus ſæpe atque locutus,
Miſcuit humanas armis cæleſtibus aures,
Voce ſalutatus, vel nutibus ipſe ſalutans
Aligeros proceres tenuata per aera lapſos,
Mitibus alloquiis ageret, quid ſæpe monerent,
Qui cælo expeterent terrena ſede parentem,
Et conſanguineum quaſi longa in ſecula civem,
Voce requirentes & amore perenne vocantes.
Quid faceret terris anima hæc tam libera culpis,
Ut ſubeat cælis peregrinus & hoſpes ab arvis?
Dæmonicas etiam ſpecies, falſaſque figuras,
Quaslibet in formas ſe verteret inficiator
Perſpicuas habuit penetralis acumine viſus,
Martinique oculos neque falſa fefellit imago.
Nam quamvis varia tegeretur larva figura,

Sancto nuda fuit, cum non ſe abſconderet umbra:
Et quia perfectis illuſio nulla valebat,
Prenſus in arte ferox jaculabat probra beato,
Et cum fraus ceſſat, hoſtis convicia jactat:
Tempore nam quodam cornu bovis ecce cruentum,
Ipſe cruentus habens infert ad tecta ſacrati,
Irruit in cellam, cauſamque exponit iniquam:
Quo virtus, Martine, tua eſt? hoc aſpicis, inquit,
Unum namque tuum nuper hac cæde peremi,
Et mihi præda jacet pecuali capta miniſtro,
Injunctumque nefas ſceleris hoc armiger implet:
Damno creſco tuo congaudens ubere fletu.
Protinus his dictis fratres ſacer advocat omnes,
Et pater ore refert quidquid ferus indicat hoſtis,
Sollicitus ne quid lupus abripuiſſet ovili.
Perquirunt ſocios monachi, numerumque recenſent,
Sed grege de niveo modicus neque defuit agnus,
Conductus mercede tamen deeſt ruſticus unus
Ligna trahenda focis nemorum vectore bubulco,
Quo propero jubet ire gradu, cauſamque requiri:
Semianimem inveniunt miſſi ſuprema gementem,
Indicat atque necem, dum adhuc ſuper halitus errat,
Quod ſua laxato taurus foret inguina cornu,
Explicitaque fide vitam cum voce reliquit.
Nec ſanctum hoc errare facit, quod fecerat error.
Additur hinc etiam rerum mirabilis ordo,
Mille nocendi artes dum perfidus exerit hoſtis:
Nunc Jovis in faciem, nunc ſe mentitus Anubim,
Sæpe habitu Veneris, ſæpiſſime fronte Minervæ
Sedulus inſidiis ſancto ſua feria rumpens,
Diverſis formis, ut terror creſceret, offert,
Et varium generet ſpecie variante timorem,
Qui virtute nequit, ſuperatus ut arte rebellet.
Sed tamen intrepidus perſiſtit inania temnens,
Semper in adverſis jaculans crucis arma beatus,
Belliger hoc clypeo hoſtilia tela reliſdens,
Qua penetrante acie ſe machina falſa reſolvit.
Sæpe etiam in ſanctum vacuos acuere tumultus
Inficiatores, falſo minitante flagello.
Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,
Oppoſitiſque minis interritus ipſe reſiſtit,
Nec fundata decet contra evacuata moveri.
Hinc quoque letiferi ſuffuſus felle veneni
Perfidus, horribilis, trux, lubricus, invidus anguis
Ore cruentatis Martinum provocat armis,
Cur habeat monachos oneroſo crimine preſſos,
Cur maculoſa cohors habitet pia ſepta magiſtri,
Ne rea turba malis violet conſortia juſti,
Morbida neu reliquos vitii contagia fricent,
Qui male polluerint lavacri venerabilis undam,
Ac ſua perdiderint baptiſmata crimine merſi,
Nec redeat miſeris ultra indulgentia Chriſti,
Nec via ſit veniæ, periit quibus orbita lapſis,
Cum ſemel in foveam vix eſt revocare ruentem,
Ac neque reſtitui vaſtato in corpore florem.
Tunc Martinus ait hæc contra dæmonis iram:
Perfide deſipiens, quia non tua commoda cernis,
Hoſtis inique tibi, tibi noxie te pereunte,
Sic nunc pœniteas, ſi nunc reſipiſcere velles,
Præcipitare animas ut jam per crimina nolles,
Nec tua ſævirent alienæ tela ruinæ,
Et oreſque tuos damnares, ultime judex.
De pietate Dei fidens promittere poſſim,
Ut tibi tam miſero miſereri Chriſtus haberet,
Et cito donaret ſcelerata piacula culpæ.
Ob hoc arce poli deſcendit ad arva redemptor
Perdita ut eriperet, peritura nec ipſa perirent.
Immaculatus enim maculas detergere venit,
Vulneribuſque ſuis curaret ut ulcera mundi.
Funeris ordo ſui noſtræ fuit arra ſalutis,
Sputa, flagella, chlamys, fel, acetum, lancea, clavi,
Crux pia, mors, tumulus, lapis, inferus, umbra, tyrannus,
Victa ſimul triduo premit & redit auctor ad aſtra,
Deſcenſuſque ſuus meus eſt aſcenſus in altum,
Nec peccatoris mortem magis eligit ultor,
Quando ſuis pœnis nobis dedit arma ſalutis.
Sic pius indomitam peſtem manſueſcere tentat,
Promiſitque lupo bona paſtor ovilia reddi.
Quanto magis homini reſerari præmia Chriſti,
Propter quem ipſe Deus homo fit, jacet atque reſurgit!
O pietas & celſa fides; præſumptio dulcis,
Quæ promittit opem deceptori & perituro!
Explicuit votum, ſi non valet ire, juvandum,
Cui minus in poſſe eſt, ſatis eſt oſtendere velle,
Nam totum impendit qui non abſcondit amorem.
Hinc clarus placidis adoleſcens moribus expers
Martinum amplectens patrem & ſua cuncta relinquens,
Tempore quiſque brevi micuit virtute fideque,
Cum prope pontificem habitacula conſtituiſſet,
Ac ſua complures peterent conſortia fratres,
Huic ſe tunc monachus ſocians Anatolius addit:
In commune prius humilis cenſura ſodalis,
Qui rudis ingenii verſute illuſus ab hoſte
Poſt ait, ad ſeſe quod cælitus Angelus iret,
Ac reſerare ſibi myſteria clauſa Tonantis,
Et cito ſiderea volitent ſua nuncia penna,
Atque remiſſa viri reſponſio nubila tangat
Inter ſe & dominum memorans iter eſſe propinquum,
Ac ſibi contigui jactat confinia cæli,
Se ſecreta Dei ſciendo jam eſſe prophetam,
Sed clarum, ut credat, nec opinio falſa movebat,
Tunc ſine more furens Anatolius aſſerit audax,
Quod ſibi de cælo dominus tranſmittat amictum,
Induat ac veſtem delatam nocte ſilenti,
Ut ſigna ſtupeant cujus modo verba cavillant.
Elevat hic varium monachorum turba tumultum,
Et ſuſpenſa tenet ſpectatio vana ſodales.
Interea medias quaſi nox tranſcurrerat horas,
Et rota flexa æquo gyrabat cardine metam.
Fit ſubito ſtrepitus, quatitur locus, arva moventur,
Et concuſſa ſimul vario fremit aula ſuſurro,
Murmure rauciſono frangente lepore loquelas
Credas pugnaces volitare per aſtra phalanges,
Et videas rapidas diſcurrere turbine turmas.
Hic ubi concuſſis redierunt otia turbis,
Motaque tempeſtas tranquilla ſilentia ſumpſit,
Advocat ex monachis confeſtim Anatolius unum,
Cominus & tunicam oſtentat jactantior albam,
Qui vacuo tumidus falſo umbrabatur honore,
Candidus exuviis, ſed nigri dæmonis arte,
Inde ciet reliquos, occurrit Clarus & ipſe,
Palpat mollitiem veſtis candore nivali.
Serica confingunt tenuato ſtamina filo,
Nec contacta manu diſcerni vellera poſſunt.
Ducitur interea monachis nox pervigil hymnis,
Et compacta choris Davidica canna reſultat,
Ut coram altithronus velamina viſa revelet.
Jam ſpumabat equis auroræ auriga rubores,
Sol quoque luciſluas curru flectebat habenas,
Atque renata dies revocabat in arva labores:
Mox Clarus monachum Martino oſtendere tendit

Nos-

Noſcens pontificem phantaſmata nulla latere,
Cum ſancti ante oculos vario fuit una figura,
Decipulamque ſuam deceptor perdit in illum.
Cœperat his demens Anatolius ergo reniti,
Interdicta ſibi Martini occurrere ovili,
Dum tamen invitis traheretur paſſibus hærens,
Tegmina ſalſiloqui vaneſcunt alba nigelli,
Et male deſtituunt monachum vaga pallia nudum,
Nec ſtat imagineis ſimulatilis umbra figuris,
Territa Martini ſic nomine larva refugit.
Hoſtis iners majora ſuis dehinc viribus audens,
Perfidus, & totiens eliſus, nec ſibi credens,
Debilis arma movens, & degener ardua tentans,
Ut ſua laus fieret vel ſollicitaſſe potentem,
Creſceret & titulis fortem pulſaſſe ſagittis.
Denique cum ſanctus recubaret in aggere fuſus,
Inſinuando preces domino pro plebe ſacerdos,
Conſtitit ante oculos deformis forma rebellis,
Sulphurea ſub luce micans radiatilis umbra,
Lumine mentito tenebroſus, & atra vorago,
Fulgidus exuviis, regali veſte ſatelles,
Tectus bracteolis, vacuo diademate pulcher,
Ordine gemmarum numeroſa luce coruſcus,
Falſa veſte potens, cui calceus illitus auro,
Lætior & tumido jactans ſe pompa triumpho,
Cujus ad aſpectum ſanctus habet ore repreſſo,
Mutuaque ambo diu tenuere ſilentia faſtu,
Mirans ille virum, dum deſpicit iſte ſuperbum.
Quem prior alloquitur reus & temerarius hoſtis:
Quæ dudum, Martine, cupis penetrante precatu,
Jam pia vota tenes, ego ſum tua gloria Chriſtus.
Exigis ut veniam varios recreare labores,
Et ſudata tuis ut ſolers bella triumphis,
Debita militiæ dare oportet munera regem:
Deſcenſurus enim ad terras huc dirigo greſſum,
Ut tua ſollicitis requieſcant pectora curis.
His ſacer intrepidus nolens reſponſa referre.
Diſpicit & reticet, tractat, neque verba relaxat,
Mens ſolidata manens, rimans alta atque profunda,
Cardine nec tremulo, vento neque flante rotatur.
Lubricus hinc repetit mordacia ſibila ſerpens.
Credere quid dubitas proprio quod lumine cernas:
En ego ſum Chriſtus, tecum qui confero voces,
Et loquor hæc ſecreta palam dignando futura.
Neu de me trepides, teſtis mihi fulgida lux eſt.
Spiritus ut verax Martini ignivit acumen,
Ac patefecit iter, ne clauſa venena laterent,
Hoſtis & anguinei poſſit diſcernere fraudem,
Libertate potens ſanctis ſermonibus inquit:
Non ita ſe dominus venturum dixit in orbem,
Se neque purpureum, nec ſic diademate fultum
Pandit apoſtolicis voce inſinuante columnis,
Cum ſua carnalis raperetur ad aſtra figura,
Atque piis plantis ſtraverunt flamina pennas,
Cum pede preſſa ſacro ſervirent aera regi.
Angelicis vectus manibus, celer æthera calcans,
Ingrediens teneras, neque frangens greſſibus auras,
Pendula planta volans, cum nubila finderet intrans,
Remige pennigero qua non facit aula ſigillum:
Cum Galilæis tunc ſpectantibus Angelus aſtans,
Sic ait, altithronum rediturum qualiter iret,
Unde probanda probo, reprobo reprobantia probra.
Non ſunt ſigna mei regis, ſed caſtra tyranni.
Aſt ego transfixas clavis niſi videro palmas,
Atque beata crucis tum ſtigmata carne gerentem,
Ac latus & foſſas trajecto miſſile coſtas,
Unde cruentati pariunt baptiſmata rivi,
Et ſacra purpureo maculas lavat unda fluento,
Quæ dedit in pretio generoſa talenta redemptor,
Inque crucis trutina pretii numiſmata penſans,
Tantum auctor redimens theſauro corporis orbem.
Cum gemma una fuit, quæ cuncta in vaſa valeret,
Hac niſi veſte tegi videam qua pertulit auctor,
Indicio ſine hoc Chriſtum veniſſe negabo:
Nam decet ut victor doceat per ſigna triumphum,
Plagaque fixa poteſt laudem accumulare trophæi.
Mox inimicus iners vibratus verbere verbi,
Peſtifer aerius tenuata per æthera lapſus,
In propriam ſpeciem rediens ad inane ſolutus,
Effugit ex oculis liquidas quaſi fumus in auras,
Et levis umbriferæ volitavit imago figuræ,
Viſibus excluſis cellam pædore cruminans
Agnitus indiciis ſua per veſtigia ſordens,
Et fætore ſibi comitante ſatellite fugit,
Martinique fidem nec fulgida forma fefellit,
Nec radium mentis deluſit ſplendor inanis,
Luce ſuperfusa qua ſe nox tetra tegebat.
Numquid non poterat humilis ſuperare ſuperbum?
Aut non dejiceret tam mente benignus iniquum?
Pacificis armis doctus domitare rebelles,
Cujus dulcis erat favor, honor altus amoris,
Non ſolum abluere alterius, ſed lambere plantas,
Hoſpitis atque novi veſtigia tergere lingua.
Semper aquam manibus tribuens venientibus ipſe,
Cæleſti cupiens homini ſervire miniſter,
Et manus alma pedes de peccatore luebat,
Cum ſua porrigeret vel fimbria tacta ſalutem,
Qui illecebras mundi fugiendas inſtituebat,
Et ſeclo ſua lucra dari, nil quærere terris,
Ut cenſum fugeret, qui aſcendere vellet olympum,
Ut grave pondus quæ vel nummi nullus haberet, *
Nec retineret opes, qui cælo occurreret hæres:
Namque onus aſcenſum vetat, & deſcendere præſtat.
Imum verſa trahunt, nec in altum pondera ducunt,
In montem gradiens titubat ſub faſce columna,
Deficit & fragilis valido ſub pondere planta,
Mergit in undoſum cumulatam ſarcina proram,
Ut petat ad portum rerum facit emptica jactum.
Qui pater illuſtris Paulini geſta beabat,
Floruit Italiæ quo poſt antiſtite Nola,
Quæ regio campana ſedet rectore ſupremo,
Dives agris, opulens famulis, locupletus acervis,
Vir cenſu vaſtus, lare celſus & ore rotundus,
Ditior ipſe fide, pro Chriſto fit ſibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos,
Cujus ſparſa ſolo migravit ad aſtra facultas.
Fecit & in cælum pigras aſcendere terras
Uno ſtando loco, & dant bruta ad ſidera ſaltum.
Ergo Evangelicum Paulino implente relatum,
Martinus monitat cunctis talem eſſe ſequendum,
Tramite difficili potuit quia pergere dives,
Depoſitoque onere aſcendit qui liber in arcem,
Exemploque monens vocat altius ire ſequaces:
Jam quoque Martini quæ fabula fluxerat ore,
Quæ gravitas fuerit, quam acer de lege diſertus,
Quæſtio nec latuit cæleſti jure peritum,
Vir reſerare valens quodcumque ænigma negaret,
Ingenii dulcis prudentia larga redundans,
Fonte perenne bibens, quod rivulus ille rigaret,
Sermo pius, promptus, placidus, catus, aptus, amandus,
Intentis animis cæli poſſeſſor in arvis,
Pervigil orator mandando negotia Chriſto,

Jud-

Judicis in vultus inopum querimonia pandens,
Doctus in arte ſacra miſerorum exponere cauſas,
Aſſertor validus, ſuperans fora, jura togatos,
Nobilis aſtructor, facundus concionator,
Qui prece profuſa domini vadimonia placans,
Quantum voce valens viduis atque orphanotrophis,
Cujus & ipſa polum taciturna ſilentia pulſant,
Mens fundata Deo ſine fuco proxima cælo,
Otia nulla terens, & nulla negotia carnis.
Quidquid agendum eſſet, totum velociter implens,
Sed mora Chriſtus erat, ſimulans ſibi nocte dieque,
Nam cibus & ſomnus, niſi quod natura neceſſat,
Tardus edax, velox, vigilans ſopor, eſca ſub ictu;
Nec faceret niſi quod ſine iis caro vivere neſcit,
Tempus utrumque dicans cauſis repetendo duabus.
Lectio nunc reſonans ſibi, nunc oratio currens,
Cujus erat requies tantum mutare labores.
Si foris iſſet, erat homo jugiter intimus orans,
Cælo non carnis ſed tendens lumina cordis,
Nec dolus incluſus latuit, nec ab ore refluxit.
Vir ſine mundanis, domini poſſeſſio munda,
Nullum judicio damnans, mala nulla rependens,
Hæc ſua forte fuit ſi facta injuria fratri eſt:
A minimis læſo nonnumquam erat ultio dulcis,
Deque gradu proprio neque reppulit officialem,
Carus & adverſis, pius æquis, blandus iniquis,
Ira, tumor, riſus, mœror ſtetit exul ab illo,
Non in fronte tenens nubem, nec in ore cachinnum,
Idem ſemper erat facie, cute, corde, colore.
Nec variabat opus vir adhuc in corpore conſtans,
Immortale aliquid mortali ab imagine promens,
Ora Deus, ſenſum pietas, pax corda tenebat,
Pro ſe parva gerens aliena miſertus agebat,
Naturæ ut ſeriem poſtponens Angelus eſſet,
Alta ſupergrediens, mente ultra nubila tendens,
Liber ab humanis intrabat ſidera curis,
Inclyta ſigna gerens, & multa futura prophetans,
Stabat adhuc terris, cæleſtibus intimus hæres,
Noſcens clauſa Dei, quaſi conciliator amici,
Cum ſua participat caro ſe certa clienti.
Vir cui Chriſtus amor, Chriſtus honor, omnia Chriſtus,
Hujus in affectu, inſertus, ſolidatus, adultus.
Ac velut arbor agri, ſecus eſt ubi curſus aquarum,
Flore, comis, foliis, & fluctu præpete gaudens,
Ornata æternæ fert poma perennia vitæ,
Inter Apoſtolicas acies ſacroſque prophetas,
Martyriique choros atque agmina fulgida cæli,
Rege ſub invicto qua exercitus ille coruſcat
Per turmas, proceres, legiones: atque cohortes,
Milite ſeu comite, & gradibus duce, conſule creſcens,
Lacteus iſte toga, rutilus micat ille corona?
Hunc prætexta nitens, illum diadema facetum,
Hos chlamys, aſt illos armilla topazi decorat.
Balteus hinc radiat, hinc infula crine coruſcat,
Alter palmatæ, trabeæ nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byſſus;
Nec videt hoc oculus, quod habet ſuper aſtra ſenatus.
His frueris, Martine, bonis ſub principe cæli,
Cœtibus Angelicis ſociabilis, & Patriarchis,
Compar Apoſtolicis meritis, æquande prophetis,
Addite martyribus, rubricat quibus unda cruoris,
Fulgide confeſſor candentia lilia vincens,
Lumine purpureo redimite, decore, coruſce,
Liberius gradiens per celſa palatia regis,
Vir tranſcripte potens, æterna in ſecula civis,
Signifer arma crucis fers nobilitata triumphis,
Dulcis, adorande, & mihi pectore, voce colende,
Cujus proſaicus cecinit prius acta Severus.
Verſibus intonuit Paulinus deinde beatus,
Æquiparare valens illuſtris uterque relator,
Materia victi, ſed & ipſi carmine cedunt,
Luminibus tantis ego nubilus inferor audax,
Ex minimis minimus, de magnis maxima tentans,
Qui pede ſubtitubo, balbutio faucis anhelo,
Et rudis eloquio carpo, quod condere certo.
Da veniam, quia te cecinit rea lingua relatu,
Fer pietatis opem miſero, miſerando miſertor,
Rector ut altithronus cum venerit arbiter orbis,
Tum memor obtineas delicti oblivia noſtri,
Inter me ac dominum mediator adeſto benigne,
Quem ſua culpa ligat, tua ut interventio ſolvat,
Spes Fortunati fit fida ſalutis egeni,
Suppliciter humilem tibi ſe ſtraviſſe patrone,
Qui lepræ maculas medicata per oſcula purgas,
Mortis & extremæ revocas in origine finem,
Carnis adhuc fragilis quondam ſub imagine conſtans,
Nunc opus ut mites pietas tua commodet aures:
Nam prece poſſe vales apud illum, cujus haberis,
Quod peto tu poteris, quia totum præſtat amicis,
Sic tibi quæque petis tribuat præſentia regis.

LIBER III.

HActenus in bibulis fixa ſtetit anchora terris
Otia lenta trahens, & inerti dente quieſcens,
Leviter alludens dum ſibilat aura ſoporem,
Et nos umbra tegit viridante crepidine ripæ,
Ecce ſerena dies rutilata crepuſcula profert,
Et pelagus rate nauta petit, jam ſolvo rudentes,
Littus arundineum linquens levo carbaſa ventis,
Ante per Hadriacas ſpumas dare vela videbar,
Turbine raptus aquæ per murmura rauca fragoris
Cum duce Sulpitio, bene cujus ab ore venuſto
Martini ſacros dulcis ſtilus edidit actus.
Quos ego ſub geminis claudo pede curto libellis,
Infimus egregii contexens geſta patroni.
Rurſus in oceani videor mihi tendere fluctus,
Majus iter gradiens ubi ſe vada glauca relidunt.
Et creſcit terrore timor, rate, nube, profundo:
Dum tamen alta peto, reſonet mihi gallus in aure
Geſta beata viri, qua mitiget unda tumorem,
Et ſermone viam relevet tale fabula dulcis:
Deferor ecce freto, fugiunt & littora viſum,
Remiget hic Gallus, Martinus vela gubernet,
Flamina Chriſtus agit, portum quibus unda reducat,
Nunc quoque geſta taciti, dum navigo, nauta loquatur.

Incipit Liber Tertius ejuſdem. Quia intra amphibolum ſibi tunicam latenter induxit, & pauperem veſtivit.

MEnſibus hybernis dum boſphorus alligat undas,
Et liquidos campus vetat imber arare carinis,
Oceanuſque negat commercia ferre Britannis:
Cum ſata ſub rigido ſua germina frigore celant,
Ac penetrante gelu riget unda, & herba liqueſcit,
Aſtitit ante fores orans veſtem æger egenus,
Lingua ligata gelu nec ſolveret ore loquelas,
Ut tegeretur inops, lacer imperat ergo miniſtro,
Ipſe remota petens, populi caret atque tumultu.
Comperit ut ſanctus nihil accepiſſe trementem,

Exui-

Exuitur tunica, algentemque obtexit amictu,
Quam ſine teſte dedit latitans, & abire coegit.
Ecce miniſter adeſt rogitans procedere ſanctum,
Sed ſacer ante monet veſtiri tegmine nudum.
Hoc memorante pio, ſtupidus hebet archidiaco■,
Quid faceret, nudum dum non ibi cerneret ullum,
Noſcere nec poterat reſidente antiſtite nudum,
Qui tunicæ interius non inſpiciebat amictum,
Amphibali exterius dum membra obtecta laterent.
Angit in ancipiti, quid hoc ænigma beati
Quæſtio tanta ligat, neque problema ſolvat egenti.
Tunc ait ipſe ſacer, mihi tegmen defer abollæ,
Nec pauper deſit, qui veſtibus indiget illis.
Succenſus graviter tegmen fert vile miniſter,
Ante pedes jactans ait, en ſine paupere veſtem,
Induitur ſancto hirſuta bigerrica palla,
Vix cui digna foret ſtola lactea, & aurea fulva,
Proceſſit tum ſummus honor, ſed pauper amictu
Deſpectus tunica cæleſti in ſede ſenator.
Interea populis cerimonia ſancta retractans,
Cum holocauſta ſacræ manibus benediceret aræ,
Protinus a capite emicuit globus ignis amici
Lambens colla, comas, & flamma benigna volabat
Tactu mollis, honore potens, ſplendore coruſcans,
Crinem ornans, meritum prodens, pro tegmine fulgens,
Præbuit obſequium, minus impendente miniſtro,
Geſta occulta index in lucem lumine mittens:
O dives pauper, tunica contente nec una,
Qui nec habes aliam, neque vis retinere vel ipſam,
Dum ſupereſſe putas veſtitum ſimplicis uſus,
Cui gravis eſt vel palla levis, dum clamat egenus
Tegmine pro nudi cupiens procedere nudus.
Nec partiris opem, ſed totum cedis egenti,
Hæc tu ſola putans petitus ſi nulla negaſſes,
Ut magis eſſes inops, inopi dum cuncta dediſſes,
Nec puduit, verecunde pater, ſine veſte ſedentem.
Sed nihil erubuit pietas impenſa fidelis,
Nec minimam retinens fuerit quo major honore
Eſt mihi velle loqui ſpecioſa negotia nudi,
Sed rapiunt avidum reliquarum inſignia rerum.
Dum recubaret humo fluitans Evantius, æger,
Feſſus, & extremus cum jam ſuper halitus iret,
Pontificem precibus celer evocat ut properaret,
Et via cœpta ſacri fieret ſibi vita reducti.
Nec cunctatus iter Martinus adire viator.
Vix medio ſpatio emenſus gradiente ſenecta,
Ante ſalutis opem miſit quam viſus adeſſet,
Atque medela ægro data nunciat ire beatum.
Significans etiam curſor medicina ſequentem,
Dum pede tardat heros, præceſſit cura volatu,
Adventuſque pii fert aura ſalubris odorem,
Ut cito ſuccurrant, unguenta per aera fumant,
Sol veluti radiis dat longius ore calores,
Sic Martinus opem, & quo non eſt, exhibet arte.
Admiranda nimis res eſt, ubi peſte fugata,
Aurea quam medicus pulſum tenet, exilit æger
Obvius occurrens ſancto, obſequiumque rependit.
Duxit & ipſe domum, qui ſe ſibi luce reduxit,
Nunc alacer ſaltu recubans paulo ante grabato.
Interea miris Evantius actibus expers
Supplicat incolumis, domui ut mora craſtina tardet,
Hoſpitis & tanti tenet una diecula vultum:
Sed mora tum fuit hæc occaſio danda ſalutis.
Illico percutitur puer atro dente chelydri,
Membraque percuſſi diſtenderat ira veneni,
Cum ſpatium vitæ mors importuna negaret
Flebile, & in toto regnaret corpore virus.
Expoſuit puerum ante pedes Evantius almi,
Omnia confiſus Martinum poſſe mereri;
Sanctus enim tactu mox ſingula membra peterrat,
Atque manu medica morientia viſcera palpat,
Inde ſuper vulnus, qua beſtia fixerat ictum,
Ut poſuit digitum, fluit undique vena veneni,
Et repedavit iter, dederat qua vipera virus.
Hinc ſacer inſpiciens collecta tabe tumorem,
Pollice ſubducto, quam ſuderat ulcere ſerpens,
Cuncta veneni vis per hiatum vulneris exit,
Sanguine concreto ſtillans velut ubere capræ.
Turgida plaga necem vomuit de vulnere filans,
Concretam ſaniem vena ſaliente relaxans.
Effert virus iners refluentem carne liquorem,
Et data letiferum revocat retro fiſtula rivum,
Expugnante fide morſus vim perdidit anguis.
Et quia non perimunt, perierunt arma veneni.
Stat puer incolumis, remanet neque pallor in ore,
Miratur famulum, dominus ſtupet & domus omnis,
Currere ſervitio, quem crederet ire ſepulcro.
Hinc pius antiſtes loca ſingula more requirens,
Hiſpidus occurrit rhedæ fiſcalis amictu,
Quo jumenta, ſacri dum pallia pendula cernunt,
Fervida ſubductum rapuere per invia currum.
Dimiſſis auriga rotis, & miles habenis,
Martinum flagris & fuſtibus urget iniquis,
Sed de cæde viri pecudi datur ultio triſtis.
Ipſe tamen patiens jaculorum grandine preſſus,
Atque flagellantum dum debacchatur Erinnys,
Vulnera nulla refert manibus, nec ab ore ſuſurros.
Hinc gravius cruciat cædentem ignobilis ira.
Hic quia dum tolerat, ſe irrideri putat alter,
Et magis ille furit, dum ſuſtinet iſte libenter.
Interea ad rhedam redeunt graſſante querela.
Dum ſatiat vindicta famem lymphatilis iræ,
Mulas ire movent, qua publicus advocat agger,
Voce premunt & fuſte dolent lacerantque flagello.
Sed neque compulſæ rapiunt juga lora quadrigæ,
Fixa manent, nec feſſa movent velut ærea ſigna,
Ceu liquefacta novo ſe glutine terra ligaſſet,
A putre ut credas animalia pulvere nexa.
Agnovere viri ſe numinis arte teneri,
Accurrunt celeres, inquirunt nomen euntis,
Martinum inveniunt a ſe crudeliter actum.
Confuſi, flentes rubicante pudore reclivi,
Ante pedes ſancti ſternuntur, & ore precantur,
Ut veniam errori tribuat, ſinat ire ligatos.
Quos tamen ante ſacer prædixerat eſſe retentos,
Rem probat, ulcus amat, veniam dat, abire perorat,
Quos virtus vinxit, pietas mollita reſolvit,
Ore pependit iter, verba arctant, verba relaxant,
Et juga, frena, rotas, mulas auriga recepit.
Carnotum hinc etiam dum prætereundo veniret,
Ethnica per campos paſſim obvia turba fluebat,
Excita amore ſacri, licet hoc non crederet ipſa,
Ad ſpeculare novum concurrens undique viſum,
Cum necdum his Chriſti radiaret honore character,
Nec ſacra verbigenæ flueret ſuper unda Tonantis.
At Martinus ovans, domino reſerante profunda,
Senſit adeſſe locum, quo fertile ſurgeret arvum,
Incipit alloquiis fera pectora cultor arare,
Ore ſacer nitido dumoſa novalia purgans,
Proſcindens, iterans, bis terque quaterque reſulcans,
Paulatim ad fructus ſtupidos animaverat agros.
Hinc rudibus populis Chriſti nova ſemina jactat,

Sen-

Senſibus humanis lactantia germina ſurgunt
Leniter, & rigidis coaleſcunt gramina ſulcis.
Quid faceret ſanctus, turbis coeuntibus amplis,
Meſſe in tam multa veniens operarius unus?
Excolit, includit, ſerit, inſerit, alligat, ambit.
Interea mulier defuncto peodula nato
Brachia diſtendens offert ante ora cadaver,
Funeris increpitans miſero ſera cantica planctu,
Dum dolor ad lacrimas trahit, hæc vix explicat ore.
Fortis amice Dei, toto venerabilis orbe,
Quem ſemper lamenta movent pietate propinqua,
Ardens quid cupiam, corpus tibi nunciet algens,
Ecce obiit miſeræ mihi filius ubere raptus,
In quo mater eram: nec ſpes neque reſtitit hæres,
Occubuit genitus, cecidit domus, & mihi fructus,
Nulla remanſerunt uteri ſolatia duri,
Nec ſupereſt quod dulce vocem, quo feſſa reclinem,
Ubere quod recreem, totus perit ordo parentis.
Qui reſtas, precor, affer opem medicamine verbi,
Redde genus, ne ſit matris mihi nomen inane;
Ni ſoboles redeat, ſecum mea funera ducat.
Adjuvat hanc populus clamans, Sacer annue votis,
In cunctis vox una ſonat, miſerere precanti.
Tunc pius antiſtes genibus proſtratus in arvis
Sternitur ante oculos domini pro plebe ſatagens.
Ut mereretur ovem, per quam grex plurimus eſſet,
Annuit Omnipotens famulo dans culmen honorum,
Mox bonus ore preces orator miſit in aures.
Ordine diſpoſito poſtquam ſe oratio complet,
Erigitur ſenior, ſimul infans vivificatur;
Porrigiturque ſuæ populo ſub teſte mamillæ.
Fit fragor, & populi nova pectore vota volutant,
Mirantes hominem læte mutaſſe vigorem,
Et qui in morte manet, morti ſua jura tuliſſe.
Inde catervatim Chriſtum Dominumque Deumque
Confeſſi exorant fieri ſe lege beatos.
Fit ſubito in campo populus catechumenus omnis:
Non templa expectant nec clauſtra dicata ſacelli,
Eccleſiæque typum campus generoſior explet,
Quodque ſolet tectis, pratis adhibetur apertis.
Unica mors pueri ſic vitæ parturit agmen,
Dumque unus terræ rediit, plebs aſtra recepit;
Sub duce Martino felix exercitus hic eſt.
Dum regeret princeps data jura Valentinianus,
Romuleis opibus mundo famulante ſuperbus,
Tum pia cauſa ſacrum ad comitatum compulit ire,
Quem quia præſenſit ſe poſci talia Cæſar
Quæ nollet præſtare viro, jubet arce repelli,
Et vetat a foribus penetrare palatia juſtum.
Inſtat ad hæc uxor, cui tunc erat Arius auctor.
Sed ſacer ut vidit tali ſe fraude repelli,
Hinc aula excluſus, redit arma domeſtica ſumens.
Contegitur ſetis, reſpergitur atque favillis,
Ordine miles agens removet potumque cibumque,
Nocte dieque vacans orandi jugiter uſu.
Septimus ergo dies aderat, quo ſanctus amore,
Fortia caſtra movens his deſudabat in armis.
Angelus aſſiſtens jubet ire palatia juſtum,
Fretus in auxilio Martinus pergit ad arcem.
Limine nullus obeſt, ad principis ora perintrat,
Qui ſanctum inſpiciens quod adeſſet, frenduit ore,
Atque aſtante pio, ſolio neque ſurgit ab alto,
Regalem ſellam mox ignibus ardor obcirat,
Et vaga flamma natat, qua molle ſedile coruſcat,
Undique fuſa furens, ſed culpæ Cæſaris ultrix,
Cervicis duræ ſolvens ardore rigorem,
Inde flagella coquunt, hinc regem incendia cædunt;
Vapulat & rapidis flammis auguſta poteſtas.
Hinc celer exiluit rapiens ſe Cæſar, & ardens
Martini genua amplectens, pedibuſque volutans,
Sicque ſuperbum hominem ſe agnoſcere pœna coegit,
Vilia regna probans, & celſa cacumina curvans,
Imperiale caput ſancti ad veſtigia ſubdens.
Nec ſpectare preces patitur reverentia juſti;
Præſtitit ante tumens quam ſupplex danda rogaſſet,
Regia rite parans convivia ſæpe beato.
Obtulit inde favens abeunti munera princeps:
Paupertate potens ſed reppulit omnia ſanctus,
Donaque deſpiciens meruit plus principe ab ipſo,
Tantum majus habens, quantum minus ambit avarus:
Omnia ſunt ſoli qui nulla requirit habendi.
Hinc quoque Romuleam regeret cum Maximus arcem
Vir capiens apicem per publica geſta triumphis,
Sæpius hic ſanctum per celſa palatia duxit,
Huc toto ſermone loquens de luce futura,
Quis ſit honor juſtis, laus, gloria, palma, corona,
Nec regina pedes ceſſat lacrimoſa rigare,
Sternens membra ſolo, ſuſpendens gaudia voto,
Inde precatur ovans convivia ut ipſa pararet.
Obtinet hoc bonitas, quod non valet alta poteſtas,
Ipſa manu ſellam poſuit menſamque paravit,
Dans manibus lymphas, rurſus regina miniſtrat
Læta modeſta ſuis palmis quas coxerat eſcas.
Quo reſidente ſacro, ſtetit illa immobile planta,
Fercula ſubducens, & pocula porrigit ipſa.
Una miniſtra viro ſuffecit ad omnia ſoli.
Cœnula finitur, ſed adhuc regina ſatagit
Fragmina, reliquias, cruſtas & fruſta recondens,
Omnia præponens hæc imperialibus eſcis.
Hoc Martinus agit, quo clauſos carcere laxet,
Exilio ductos laribuſque reducat avitis.
Sed tibi, ſancte pater, minus eſt Auguſta quod explet:
Hoc magis obſequio crevit regina peracto.
Eſt locus in Turonum fine & confine Biturgum,
Incola quem vicum vocitavit Claudio magum,
Manſio forte fuit Martino prætereunti,
Eccleſiæ domini qua ſecretaria pollent,
Virgineique chori ſancto abſcedente requirunt,
Quo ſtetit, aut ſedit, jacuit genua atque reflexit,
Lambunt cuncta ſimul, vel ad oſcula ſingula ducunt.
Diviſere ſui venerandi ſtramina lecti,
Atque leves paleas virtutis pondere penſant,
Quam tetigit ſtipulam ſanctus non ibat inanis:
Denique poſt fragilis confregit fortia culmus.
Nam graviter quemdam ut rabies invaſerat hoſtis,
Et truculentus agens erroris ſpiritus iret,
Dum rapiendo rotat veſano cardine prædam,
Hunc ſuſpenſa viri collo feſtuca fugavit,
Immanemque hoſtem palearis ariſta removit.
Tibia fruge ferax larvam jugulata ſagittat,
Et ſtipula exilis quaſi dura falarica fixit:
Nec ſic ullius ferri expaviſſet acumen,
Spicula nec tantum timuiſſet miſſa per arcum
Lubrica pennigero venientia tela volatu,
Parthica ſeu timidum ſi transfodiſſet arundo,
Plaga & vicino gravius laceraſſet ab ictu,
Stramina ſic metuit trepidans adamantinus hoſtis,
Ac velut ex ſtipulis coqueret ſe flamma camini,
Vir ſtetit incolumis fugiente volucriter umbra,
Deſerit & prædam lupus ingens & leo frendens.
Inde revertenti Trevirorum ex urbe beato,
Obvia forte datur medio feta bucula campo,

Quam

Quam dæmon dorſo incumbens agitabat anhelo
Pendulus aerio quatiens auriga flagello.
Peſtifer arte nova curſu bove nempe veredo
Cornigeri pecudis propulſor multo triſtis,
Exagitatur iners reſidens per terga bubulcus.
Hic ubi millimodas animalis adegerat iras,
Ibat ubique fero furibunda juvenca miniſtro,
Sub tortore gravi per curva, per invia curſans.
Acceſſit propius ſancto furiatile cornu,
Elataque manu pecudem conſiſtere mandat;
Quæ ſterit affixo minus improba bucula greſſu,
Quem ſacer inſtantem mox vidit comminus, inquit:
Perge ferox, fuge ſæve, redi male, cede cruente,
Innocuam pecudem deſiſte agitare nocive.
Tunc animalis enim linquit fera bellua tergum,
Et recipit proprium mitiſſima bucula ſenſum.
Sternitur ante pedes ſancti veneranter adorans,
Flexit & ipſa genu, quæ non habet intellectum,
Contra naturam diſcernens geſta beati,
Obſequiumque dedit, meriti quæ neſcit honorem:
Inde magis humilis, quia libera colla gerebat
Ante ligata tumens a peſte ſoluta reclivis.
Quæ ſtetit ore fremens, cecidit poſt vincula ſupplex,
Et ſine voce favet armo jactata priore.
Tum ſacer Antiſtes pecudem præcepit abire,
Moxque gregem repetit paſtoris voce revincta.
Id geſtum eſt illo ſub tempore, quando beati
Per credia flammas nec fimbria ſenſerat ignis.
De minimis etiam referantur maxima rerum:
Tempore nam quodam dum vicos circuit almus,
Obvia venandi ſtudio volat agmen equorum;
Nare ſagace canum hi præda reperta frutetis,
Tranſiliunt campos equites & voce ſequuntur.
Intendunt leporem fugitivum agitare moloſſi
Saltibus excuſſi, latratu & dente minaci:
Diffuſi excurrunt celeres in amore rapinæ.
Alter in alterius miſcent veſtigia ſaltus,
Iſte ſequax tacitu petit, hic clamoribus auras,
Hic frutice in vacuo deluſus odore rotatur
Motibus arboreis, ſaltu ſuſpenditur alter,
Capturæ unius cunctorum frendet hiatus.
Sæpe ſuper leporem morſu deceptus inani
Unguibus injectis, dum præda volubilis exit,
Ac ſe turba premit, ſic lubrica beſtula fugit.
Non erat interea quo calle lepuſculus iret,
Mons, vallis, petra, ſilva, frutex defecerat omnis
Per patulos campos, fugienti tegmine nudo,
Poplite deficiens, pede laſſo, nare recliva,
Totus ab ore canis per ſingula murmura pendens.
Senſit adeſſe tamen Martini ſigna beati,
Flexit iter trepidus hirſutas fraude per herbas,
Auribus acclivis, vagus, exagitatus, anhelus
Corruit ante pedes titubans lepus advena ſupplex.
Si non voce poteſt, fletu pro voce precatur,
Sic fera parva jacet Martini tegmine tuta,
Et recubat dulci defenſa ſub arboris umbra.
Tunc ſacer ex ſolito miſeratus more ſalubri
Imperat, ut catuli ceſſent abeunte fugace.
At ſacer ille canum mox ſermo cucurrit in aures,
Torpeſcunt agiles, verbo figente lyciſcæ
Greſſibus inſtabiles pendentes ſaltibus ipſis,
Et rediere canes quaſi per veſtigia cancri,
Effugit incolumis per aperta lepuſculus arva,
Et cane ſepoſito tutus terit alta viator,
Hic fugit, ille redit, nullus perit, ecce ſalutem:
Sic quoque beſtiolis pacem ſacer intulit ipſis,

Debilitaſque canum facta eſt pietatis imago,
Qui potius vetito didicerunt parcere morſu:
Et quia deſuerant homines, ubi mira faceſſit,
Nil de laude perit, miracula beſtia ſenſit.
Quanta etiam ſancti ſermonis gratia fulſit,
Qui cum nuper ovem vidiſſet vellere tonſam,
Hæc Evangelii dicens mandata peregit:
Namque duas tunicas geſtans, unam obtulit inſons,
Et nudata ſuo de tegmine texit egentem.
Inſpiciens itidem ſanctus per rura ſubulcum
Nudum pellicea tantum ſub veſte trementem,
Ecce Adam, quondam Paradiſi ſede repulſus,
Exul ab Elyſio paſcit gregis ora ſuilli;
Depoſito veteris Adam carnalis amictu,
Adam nempe novi nos induere inſtar oportet.
Hinc iterum cernens vernantia prata beatus,
Pars paſtus, pars foſſus erat, pars floreus agris,
Sed ſue confoſſus, bove paſtus, flore comatus,
Comparat ergo tribus ſanctus tria nomina rebus:
Turpis adulterii ſpecies eſt foſſa carectis,
Herbaque conjugii retinet detonſa figuram.
Eſt par virginibus violiſque vernat imago,
Herbis luxurians, fœno apta & flore decora,
Digna Deo gemmis gratior, radiantior aſtro.
Miles item monachum profeſſus ſingula linquens
Conjuge cum propria cuperet quia degere vitam,
Mutavit meliore via tranſcurrere metam,
Jure ſacerdotum monitor hoc ordine diſcens,
Belligeratori valeat ne femina jungi,
Sola aciem melius componit maſcula virtus,
Debilior teneat murorum clauſtra caterva,
Et ſexus fragilis ſeſe intra ſepta recondat.
Hoc ſatis, ut mulier timeat res ipſa timori,
Miles ad arma potens pergat galeatus in agmen
Loricæ triplicis ſquama radiante coruſcus,
Thoraca ex humeris indutus, niſus in haſta,
Aſſuetus clypeo, tranſmittens vulnus ab arcu.
Hinc capulum vibrans, hinc torquens miſſile telum,
Ferratæ tunicæ rivos ſub pondere ſudans.
His dictis mulcens juvenem reſipiſcere cogit,
Conjuge poſtpoſita, & repetit eremita coronam.
Jugiter interea quia ſalſa, & ſancta canebat,
Nec ſerie recipi, neque poſſunt ſcripta teneri.
Quænam vita ſacri fuerit, quis ſingula currat,
Quanta fides animi, quam celſa & pura voluntas?
Ad quem non ſolum homines longo orbe venirent,
Verum etiam cæleſtis honor viſebat amanter,
Angelicuſque chorus properabat ad ora frequenter,
Colloquiis placidis ut feſſum animaret amicum,
Et quaſi complexum recreet per verba parentem.
Res probat iſta ſequens quæ geſta priora renarrat.
Concilium allectum fuerat ſynodale Nemauſo,
Quo ſacer Antiſtes mediator adeſſe recuſat:
Ergo ratem ſcandens celerem parat ire per amnem,
Gentibus in mediis habitans eremita remotus:
Ipſe in puppe ſedens, cunctos ſua prora ſequeſtrat,
Angelus ecce tamen domini venit aliger alto.
Ipſa nempe die, qua ſe conventus abegit,
Quidquid Pontifices celebrabant ordine narrans,
Pro vice Martini peragens ſynodalia præſens,
Atque ſui cura longinqua per æthera tranat:
Quem pendente via nec in aera penna fatigat,
Sed natat ala celer donec nova nuntia portet,
Quæ mandat dominus, nihil abſconſurus amico.
Rettulit ut prius hæc ſacer & poſt cuncta probavit,
Nec frangunt prædicta fidem, neque prodita fallunt.

Accidit hinc demum foribus ſedente Severo
Compare cum Gallo doctis & amore miniſtris,
Murmure multivago completur cella beati.
Oſtia clauſa tenens diei geminante ſub hora,
Audivere loqui, ſed quid, neſcire fatentur.
Senſerunt ſtrepitum, neque verba loquacia norunt:
Pars fuit hæc meriti vel ſic ſenſiſſe ſuperna,
Agnita ſi non ſunt, ſatis eſt audita mereri.
Poſt ſacer egrediens cellam majore Severo
Sulpitio poſcente diu quæ geſta fuiſſent,
Vix motus precibus, tandem rem ex ordine pandit.
Indicat hic Agnem, Teclam, Mariamque locutam,
Sanctarum exponens vultus habitumque beatus.
Quæ facies, oculi, gena, pes, manus, arca, figura,
Lumine tam puro vidit ſæpe ora ſororum:
Quis color atque decus, quæ forma, & gratia quanta,
Et ſermone pari placidam dixiſſe ſalutem,
Hic petit ad fratres, illæ petiere ſorores.
Sed redit iſte gradu, illæ nam rediere volatu.
Culmen Apoſtolicum, celſas & honore columnas,
Sæpe Petrum meruit Paulumque videre licenter,
Dæmonicas etiam tolerans ſæpiſſime pugnas,
Nomine quemque ſuo increpitans cogebat abire,
Maxime Mercurium infeſtum referebat adeſſe:
Brutum namque Jovem & hebetem memorabat haberi,
O ſinceri oculi, nulla caligine preſſi!
Mens radiata ſopho, retinens ſine nube ſerenum,
Inſpicis aeriam carnali lumine Theclam,
Atque vides Agnem redimita fronte corona,
Cernis & egregiam pretioſa luce Mariam.
Vidiſti templum domini diademate fultum,
Vidiſti thalamum ſponſi ſuper omnia pulcri
Compoſitum gemmis, auroque oſtroque decorum,
Qualis iaſpis erat pedibus laterique topazus,
Qui digitis anuli viridi fulgore venuſti;
Quales armillæ dextræ ardeſcente hyacintho,
Quanto zona die lapidum radiabat honore,
Cycladis aut qualis catacliſtis effora raſis,
Quæ palla ex humeris mixto chryſopraſo beryllis,
Quodve monile decens collo rutilabat in illo.
Forſan erat niveis Amethyſtinta vita capillis,
Sculptilis impreſſis & inauribus alba ſigillis,
Luminis ac varios ſpargens diadema vitores.
Quæ frons, ora, oculi, facies, gena, pes, manus, ulna,
Inde repercuſſis florebant gramina gemmis?
Dic, bone paſtor, ovi quæ fabula veſtra cucurrit?
Quod, rogo, quando Petrum & Paulum tam ſæpe videbas,
Prima miniſterii radiantia vaſa ſuperni,
Aurea pulcra nimis gemmata, venuſta, coruſca,
Illa putas quanto rutilabant ora ſereno?
Dogmata quæ Chriſti totum ſparſere per orbem,
Quæ dixere prius: tu es Chriſtus filius almi,
Altithronique Dei dominantis & omnipotentis,
Ac ſuper hac Petra fundata Eccleſia regnat,
Quam nec flabra movent, neque vertit turba procellæ,
Nec trahit undivagam pluviatilis imber arenam,
Hæc quia viva tenet Petra fundamenta ſalutis;
Contra quam portæ inferni numquam arma valebunt.
Quid ſacer ille ſimul Paulus, tuba gentibus ampla?
Per mare, per terras Chriſti præconia fundens,
Europam atque Aſiam, Lybiam ſale, dogmate, complens,
Et qua ſol radiis tendit, ſtylus ille cucurrit,
Arctos, meridies, hinc plenus veſper & ortus,
Tranſit & oceanum, vel qua facit inſula portum,
Quaſque Britannus habet terras atque ultima Thyle.
Buccina concrepuit regiones una per omnes;
Dogmate tantorum Chriſti data munera pangit
Hebræus, Græcus, Romanus, Barbarus, Indus,
Iſraelita canit, ſimul Atticus, atque Quiritis,
Principibus geminis fidei ſub principe Roma,
Carnis Apoſtolicæ quo ſunt duo celſa ſepulcra.
Prima tenet terris, & utrique priora ſupernis,
Dogmatis ore pares, & ſedis honore curules,
Ambo triumphantes ſpargunt nova dona per orbem:
Una nempe die quos paſſio ſancta beavit,
Et ſacra ſic geminus ſignavit tempora conſul,
Quis ſplendor paribus rutilabat ab ore coruſcus
Lucifer, ut radiis premeretur vultibus illis,
Quippe nec ipſa micat tantum rota fulgida ſolis.
O dulces oculi, facies cernendo beatas,
Vidiſti Syon ſpecioſas ordine portas,
Vidiſtis Syon ternas quater ordine portas,
Quas amat omnipotens ultra omnia culmina Iacob,
Gemmarum vario redimitas lumine valvas,
Sculptas bracteolis, inſcriptas arte ſmaragdis,
Chryſolithis rutilas, niveas ſtillantibus albis.
Quidquid amor potuit, quo totum gratia fudit,
Omnicolora decens & omnibus una topazus.
Per quas huic populi genus illud nobile regni,
Intrant ſideream meritorum greſſibus urbem,
Et ſine fine manent conſcripti in ſecula cives.
Inter quos proceres & culmina celſa potentum
Patriciis mixtus generoſis, Conſulibuſque,
Proximus & regi reſides Martine ſenator,
Cui dedit arma fides, & cui fiducia rex eſt,
Miles amore cliens, & factus honore cohæres.
Qui potes, oro, mei veniam depoſce reatus,
Et viriata tibi quod lingua remurmurat audi,
Ut de fonte pio fluat indulgentia læſo,
Ac te orante ſacer redeat medicata cicatrix.

LIBER IV.

PROLOGUS.

POſt mare fluctivagum repetens ad littora portum
Floribus albicomis, dum lilia pollice carpo,
Ungue recido roſas, & per violaria currro
Ruris amœniferi varios ſitus inter odores.
Obripit inde ſopor, feſſus quoque colla reclino,
Fultaque gramineo jacuerunt membra grabato.
Sed redit ecce dies, & jam luceſcit, eundum eſt,
Dum matutino nos ore ſalutat Hirundo,
Ac ſe nocte brevi celerata crepuſcula rumpunt:
Quo torpore natent quamvis mea lumina, ſurgam,
Evigilanſque oculis detergam pollice ſomnum,
Et quod iter repeti Gallus vocat, ibo ſodales,
Fluctibus in trifidis ignarus nauta libellis.
Ac velut ambiguas inter Symplegadis undas
Jonii, Ægei, Maleique ſequace procella,
Me tamen in bibulis ne mergeret auctor arenis,
Summa gubernavit Martini vita patroni,
Quam nitor ſcabris indignus ſcalpere verbis,
Ruſticus arte rudis tentans formare monile,
Quod nec lima polit, neque malleus addit acumen,
Nec incude terit, fornaxque examinat igne,
Non mordax gemino forceps trutinavit obunco.
Sed magis incomptum profert mea lingua metallum,
Res tamen illa juvat ſine qualibet ullius arte;
Quod per ſe pulcram præfert ſua gratia gemmam.

Atta-

Attamen officii quæ reſtant debita ſolvam,
Et cui magna nimis modo debeo, parva rependo.
Carnotus interea genitam pater anxius ægram
Ex utero mutam profert ſacro ore medendam,
Sex geminos graviter hebetem ſine voce per annos.
Nec differt Martinus opem pietatis amicam.
Sternitur ergo ſolo tacitus prece ſidera pulſans,
Corpore fuſus humi, volitans ſuper æthera ſenſu.
Senſit ut effectum fidei meruiſſe precatu,
Sanctificaturum ferri ſibi poſcit olivum,
Infuditque ori benedictum fruge liquorem,
Atque tenens digito linguam miſerando puellæ,
Ipſe patris nomen geniale requirit alumnæ.
Mox reſoluta movet faucis lyra tinnula plectrum,
Atque inſueta canit cameratı conchia palati,
Dente reliſa cavo producens verba ſtrillo,
Reſponditque patris nomen pia filia dulce.
Ventre prius genita, hic viſa eſt quaſi voce renata,
Reddit adulta vetus lactantes ore ſuſurros,
Incipiens tenero proſcindere verba rotatu,
Motu pigra rudi decurrens lingua gradatim,
Implicito ſonitu rauca novitate cicuta,
Donec plena ſuo cecinit ſymphonia flatu.
Tuuc genitor genua amplectens veneranda beati,
Vociferans, & voce data ſua gaudia plorans
Lætitiæ voto reboat præconia Chriſto.
Judicis inde feri conjunx ægra Avitiani
Dirigit ad ſanctum morbi ſperando medelam.
Vas olei vitreum lance æqua dimidiatum,
Unde ſalutifero depelleret unguine morbum,
Mox ſuper ampullam fecit crucis ipſe ſigillum.
Surgit ad ora liquor, ſpumanſque exæſtuat unguen,
Ubertate nova vitrea ſub cortice obortum,
Et vaſe in ſicco generoſus naſcitur humor,
Currit in aſcenſum qui vergere novit ad imum,
Fluxibus & liquidis olei petit alveus altum.
Sed quem non genuit radix oleagina ſuccum,
Nec Syra bacca dedit merito virtutis adultum,
Creſcit & ad ſummum patulo qua clauditur ore,
Nec contentus agit liquor, ut vos expleat illud:
Nam cumulata olei mox defluit unda ſuperne,
Nec ſeſe urna capit, tanta eſt benedictio dextræ,
Exundanſque omnes pueri madefecit amictus,
Et digiti de fonte rigans manavit olivum,
Ac poſtquam irriguæ fluviali more cucurrit
Vas plenum fidei merito matrona recepit.
Nec minus inde ſubit rerum admiratio facti,
Idem vas vitreum benedictum nobile reddens,
Cum puer incautus poſuiſſet in ore feneſtræ,
Utpote carbaſeo venerans velamine tectum,
Lintea dum retrahit fluitantia neſcius alter.
Lapſa pavimento ampulla ſtat marmore tenſo,
Sed nec ſaxa vitrum perdunt, nec vaſa liquorem,
Integra ſervatur volitans quaſi penſile pluma,
Aut ſubvecta levis geminis deſcenderet alis,
Nullaque rima patet, nec facta in vaſe cicatrix.
Sic liquor interior facit exteriora tueri,
Et quem tutari decuit ſua tegmina texit.
Ne vitra depereant, olei cuſtodia ſervat;
Incluſuſque humor proprium defendit amictum,
Ac fragmen fragile ſtatuit benedictio forte.
Cujus diſcipuli pariter dum comminus irent,
Et canis horrificus latratu inſiſteret amplo,
Unus amore pio Martini in nomine dixit:
Præcipio taceas, neque nos clamore fatiges.
Mox præciſa canis rabidi vox ore pependit,
Clamoremque vagum media de fauce reſorbet,
Et fragor ille ferox avido ſub gutture obhæſit,
Stans rictu ſtupido frenata voce moloſſus,
Cum furor urgeret, quia ſe nec hiare liceret.
Sic redit incluſo tremula ſine voce ſuſurro,
Profuit & nomen ſancti quo defuit ore.
Ergo iter inceptum lento pede pergere tendam,
Dum licet ire viam, dum me vocat aura ſalubris,
Et trahit hora dies veſtigia tarda moventem,
Moribus ut tumidus comes Avitianus agebat,
Terribili officio Turonas ſuffultus adivit.
Agmina conveniunt, & longa catena reorum
Accreſcente coma, quorum caro tota fluebat,
Et conſumpta artum laxabant brachia ferrum,
Confectam macie vix declarante figuram,
Pœnarum genus omne jubet plus more parari.
Deflentem videas populum ſpatiare per urbem,
Indixitque nefas proceſſu ad triſte tribunal,
Unde truces oculi ſpectarent membra cremari.
Comperit ut ſanctus feralia juſſa ſatagi,
Tempore ſub noctis ſæva ad prætoria tendit,
Et pietatis iter ſolus parat ire viator.
Pervenit ut ſenior greſſu miſeranter anhelo,
Sternitur ante fores per limina dira benignus,
Qua recubat judex torpente ſopore ſepultus.
Angelus interea penetrat mox aliger aulam,
Intonat & comiti dormitanti ore minaci:
Te ſopor hic retinet, Martinus ſtat foris, inquit,
Tu requie frueris, & ſuſtinet ille labores,
Molliter ipſe thoro, jacet ille in marmore duro.
Excutitur trepidus mox ex ſomno Avitianus,
Martinum exclamans foribus recubare ſacratum,
Imperat & famulis, reſerent ut clauſtra beato,
Ne ſervum Chriſti venerandum injuria vexet.
Hinc famuli illudunt domino crepitante cachinno,
Dicentes ſtupidi ſe ſomnia vana videre,
Præ foribus nullum reſidere vel eſſe virorum.
Ruiſus præcipiti premitur ſomno Avitianus,
Angelus inde virum violentior excitat urgens,
Concutit & graviter, ne cederet ipſe ſopori.
Territus hinc judex, ultra neque credulus ulli,
Poſtpoſitis famulis, celer ad ſua limina pergit,
Atque ibi Martinum reperit ceu ſenſerat olim.
Tunc ferus alloquitur ſanctum his vocibus ultro:
Quid Martine mihi facis hoc venerande ſacerdos?
Non mecum æquali fateor certamine pugnas,
Abſolvendo reos venis, & me verbere torquens.
An me pro cunctis pœnas abſolvere mavis,
Eligis aut facinus mea per tormenta paciſci?
Sub tortore novo mutantur tempora cædis,
Pœna diurna reos cruciat, me nocte fatigas.
Serve Dei, patuit quam ſit tibi celſa poteſtas,
Quando flagellatur graviter te judice judex.
Hinc tamen ipſe probas mecum ſit qualiter actum,
Cum per me venio, nec amicum, nec rogo ſervum:
Non patitur differre moras, quem pœna coercet.
Nil opus eſt verbis: tacito te noſco quod optas:
Cede, precor, diſcede loco, concede quod oro,
Ne tua me graviter cito puniat ultio vindex.
Hæc ait, & propero pede diſcedente patrono,
Avitianus inops animi vocat officiales,
Et reſerare jubet tormenta, ergaſtula, clauſtra.
Cumque relaxaſſet, procul ipſe recedit ab urbe,
Et gravis ira fugit, ſibi fit timor ipſe timori,
Ordine perverſo, & pacem fuga judicis auget,
Ac ſine cæde lupum ſalvo grege paſtor abegit.

Quique monaſterio quotiens properaret ad urbem,
Sive pedem cellæ foris adveniendo tuliſſet,
Agmina larvarum trepidabant ore rotatu,
Et cum neſcirent populi adventare patronum,
Deſignabatur gemitu quoque dæmoniorum.
Adproperante ſacro pendentia membra videres
In ſublime procul ſublata per aera duci.
Aſt alios pedibus ſuperactis rurſus in altum,
Et caput inferius veluti de nube ruentes,
Nec tamen his veſtes fluerunt verecunda tegentes,
Crimina vel merita edentes ſub judice miſſi,
Et ſua præcipites examine facta fatentes.
Ille Jovem ſtolidum, hic ſe fatetur Anubim,
Vaſa miniſterii ſe dæmonis eſſe nefandi;
Sed tortore pio feritas cruciata fugatur,
Quinetiam Senonum pago quid geſſerit edam.
Cum compacta gelu premeret ſata grando quotannis,
Cultorumque ſeges defraudaretur inanis,
Nec meſſoris opus flaveſcens ſpica rogaret,
Agricolæque manum tritura vetaret adempta:
Incola maturis totiens deceptus ariſtis,
Cum jejuna ſuo torperent jugera ſulco,
Ac lapidata cibum populis ſeges ægra negaret,
Mittitur ad ſanctum legatio fida precatu,
Ut removeret humo furibunda procella flagellum,
Celſa viri quæ mox oratio ſola peregit.
Nam ſtatim atque preces fudit bonus ore ſacerdos,
Tempeſtate graves ſiccarunt nubila nimbo,
Et viduæ ſegetes ſe fertilitate maritant:
Quæque quater quinos per quos ſuper extitit annos
Intemerata ſacri viguerunt dona patroni.
Vir tamen ipſe Dei, ut ſublatus ad aſtra receſſit,
Oblitæ incubuit rediviva procella rapinæ,
Præſule ſubducto vaſtat fera clades agellum,
Ac male captivas imber populatur ariſtas,
Defenſorque obit, & mox prædam grando requirit,
Martini abſceſſu repetunt elementa flagellum.
Vir quoque juſtus item cum occurreret Avitiano,
Aſpicit inſtantem huic ſævi dæmonis umbram,
Horrificam faciem, truculentam corpore peſtem,
Quam procul intendens ſanctus flatu oris abegit.
Judex dum in ſeipſum putat exſufflaſſe beatum,
Cur, bone paſtor, ait, tua nos injuria vexat,
Indignoſque facit deſpectio flatilis auræ?
Quem pater egregius reſponſo affatur amico:
Hæc tibi non facimus probroſi ſorte reatus,
Sed male quæ incubuit cervici, flavimus umbræ.
Mox tamen illa fugit ſubſellia larva ſatelles,
Et cervice ſedens invaſa ſedilia liquit.
Libertate nova ſurgunt colla Avitiani:
Exoneratus enim judex revocatur honori,
Mitior, atque fuit gravis implacabilis olim.
Mirum aliud vico quod contigit Ambacienſe,
Idola turrito fuerant educta metallo,
Eximie ſaxis moles onerata politis,
In ſublime thronum procedens æde ſuperba,
Falſa ſuperſtitio, deceptio vera precantum,
Grande opus ad facinus faciens nihil eſſe colentes.
Quod cum ſanctus ovans mandaſſet rite tuendum
Humanis opibus, neque hoc avelleret ullus,
Tunc ſacer Antiſtes aſſueta per arma recurrens,
Pervigil inſiſtens nocturnis excubat horis,
Alloquiis domini taciturna ſilentia rumpens.
Sed cum mane recens auroram ſpargeret orbi,
Tenderet & croceum per nubila Phœbus amictum,
Ecce repens oritur variante fragore procella
Stridula ſidereo volitatu, & multa tumultu,
Auxiliis fremebunda tuis Martine ſatagens,
Et tua caſtra movens armata ferocibus auſtris:
Quæ fanum ut tetigit rapidæ vertiginis ictu,
Impulit ac fabricam furibundo impacta rotatu,
Idola comminuit, molemque in pulvere ſolvit,
Altaque turrigero ceciderunt mœnia faſtu.
O ſacer Antiſtes, dulce & memorabile nomen,
Quis ſe non ſubdat tibi, pro quo & nubila pugnant?
Hæc quoque mira loquar parili virtute peracta:
Stabat celſa, rigens, informis, forma columnæ,
Immanis habitu, tractu inſuperabilis amplo,
Quæ ſuperimpoſitum ſimulacrum hoſtile gerebat:
Quam pius ut voluit, valuit neque ſolvere molem,
Rurſus ad orandi victricia ſigna cucurrit,
Belliger eliciens ad ſe arma potentia cælis,
Stratus humo recubans, precibus ſuper aſtra relatus.
Quo exorante diu multoque in pulvere fuſo,
Cælitus eſt oculis deſcendere viſa columna,
Molliter aerio diſſulcans nubila lapſu,
Quæ molem oppoſitam ut vibrato perculit ictu,
Fragmine diſſiluit compago ſoluta columnæ,
Lapſaque diſperſo pereunt ſimulacra metallo,
Et mentita novo feriuntur numina telo,
Falſa quidem veram ſumentia numinis iram.
Quæ ſubverſa ſuis genuerunt lucra ruinis,
Ac reſoluta feris creverunt templa favillis.
Pandere quinetiam decet illud honore beati:
Pallida cum mulier ſtillante rubore cruoris,
Cujus ſe irriguo ſiccarunt viſcera fluxu,
Naufraga membra trahens ſecum vaga ſanguinis unda
Tempeſtate ſuæ pluviæ defeſſa laborans:
Ipſa ſibi generans ſecreti turbinis imbres,
Fluctibus & propriis jam ſubmerſura ruebat,
Nec ſuper ullus erat portus ſibi norma ſalutis:
Cui ſemel ut tacta eſt benedicti fimbria fili,
Nobilis ac ſummi palpantur ſtamina panni,
Exilit inde ſalus, digitos prius unguine complens,
Tranſit in arcanum fiducia tanta medelæ:
Protinus irrigui ſiccatur origo fluenti,
Prona etiam patulos damnavit fiſtula curſus,
Et reſtricta fluens redit inſonti unda cruoris,
Aſſidui fluxus fugiens cava vena meatus.
Veſte ſacra medici ſolidantur glutine rivi,
Et virtute viri ſenſerunt frena liquores,
Incolumiſque redit de furto femina felix,
Atque ſalutis opem medico ignorante reſumpſit.
O Martine ſacer neſcis, & munera donas.
Inde procul greſſum celerans Antiſtes abibat,
Obvius ecce venit ſerpens adnando per amnem,
Pectoris impulſu ſulcans vaga remige cauda,
Squamea terga movens, ſpiris vaga cærula findens,
Quem ſacer inſpiciens ait hæc: in nomine Chriſti
Impero dira tibi, pete curſum beſtia retro.
Quæ procul in fluvium ſinuamina lenta reflexit,
Atque retorſit iter mox ſarcina tanta veneni:
Inde petit bibulas ripæ interioris habenas,
Gurgite lapſa natans, totaſque renavigat undas,
Obſequiis famulans, & vipera perdidit iras,
Imperiis juſti nec iniqua venena repugnant.
Forte dies aderant paſchalia feſta gerentes,
In quibus Antiſtes partem quoque piſcis edebat,
Addebatque bonus tum fercula reptile guſtu.
Sollicitat monachos, ſi copia piſcis adeſſet:
Reſpondit, cui cura foret commiſſa, miniſter,
Se toto piſcante diu captura negaſſe,

Nil

Nil valuiſſe hamum, ſetis ab arundine jactum,
Nec potuiſſe aliquam vel retia ducere prædam.
Cui conſtanter ait placido moderamine paſtor:
Perge modo ad fluvium, tibi nec captura negatur.
Artificem ſpes certa movet, petit impiger amnem,
Implentur pariter monachorum examine ripæ,
Ut ſacra Martini ſperarent dicta prophetæ,
Quem ſcirent non caſſa loqui, neque verba refelli.
Projicit ut fluvio caſſem de puppe magiſter,
Molliter ac vitreo Ligeri trahit humida lina,
Mox ingentem eſocem modico ſub rete coercet,
Et trahitur cognatus aquis ad littora piſcis,
Non rete artificis ſed Martini ore ligatus,
Uſibus & ſancti ſe præda natatilis offert.
Tali morte magis vitæ pro munere currens,
Nobile quinetiam ex præfecto Arborius effert
Signum, quod vidit ſe teſte fidelis in urbe,
Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ceremonia diva ſacraret,
Munera vel Chriſti benediceret ore ſacerdos,
Impoſita altari rara corporis atque cruoris,
Emicuit ſubito manus alma decore ſuperbo,
Nobilium vario lapidum ſplendore coruſcans,
Undique viſa rotæ ſpargens radiatile lumen,
Brachia purpureis vibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad ſolis radians lux fulva metallis,
Credula quo potius fierent miracula rerum.
Vir ſimul ipſe potens ſe tunc Arborius inquit,
Gemmarum gravium crepitantem audiſſe fragorem.
Sic geminante fide juſti pia dextera fulſit,
Inque loco manicæ micuit tranſlata ſmaragdus.
O Martine decens lapidum velamine compte,
Cur nova palla tibi, cui vix textura coruſcans
Trama topazus erat rutilans, & flamen iaſpis,
Et tunicæ inſignes currunt pro vellere gemmæ?
Quæ manus artificis cataclyſtica fila rotavit?
Quis fuit hic opifex, ubi lana hyacinthina currit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæc venerando magis poterunt quam ſando referri.
Quid ſecreta petis, nec in abdita luminis intras?
Eſt homo quod ſtupeas, ubi nectit gratia telas.
Hiſtoriæ nobis oritur hic longior ordo,
Sed breviore via data per compendia curram.
Maximus imperii moderans quaſi rector habenas,
Præcipit Itachium tum armorum jure tueri,
Ne quis eum peteret damnandum lege forenſi,
Accuſatorem veterati Priſciliani,
Mittit ad Hiſpanos armata ſorte tribunos,
Relliquias hæreſis qui quærant & bona tollant,
Inventoſque pares capitali crimine damnent;
Sic tamen, ut cunctos occaſio ſæva feriret.
Pluribus ergo malis bonitas impulſa beati
Leucadio pariter pro præſide prompta precatur,
Occurrit Treviros, aliis quoque mota querelis.
Pontifices adeunt prædicti principis aures,
Ne Martinus eat, ſynodi niſi pace recepta,
Sed ſacer aſſeruit Chriſti ſe in pace manere.
Quo prius abſtinuit ſanctus ſic cætibus illis,
Pontifices iterum occurrunt ad Cæſaris aulam,
Cogat ut innocuum ſe participare nocivis,
Provocat alloquio quem molliter induperator,
Ut ſociaretur reliquis communio juſti:
His Theoniſtum etenim ſolum diſceſſe querelis,
Cui non complacuit communio noxia fratrum.
Hinc quia non valuit flecti vehementia ſancti,
Abripit ex oculis ſe principis alta poteſtas.
Mox percuſſores gladio minitante relaxat,
Qui ſemel offenſos jaculo figente trucident.
Comperit ut ſanctus reſeratæ fraudis amictum,
Pollicitus regi ſe participare miniſtris,
Et pietate calens deponit amore rigorem,
Mens rea cujus abeſt, par fit communio culpæ;
Hinc ſe proripiens propere Martinus abegit.
Æſtuat interea gradiens gravis, anxius, angens,
Quo vel ad horale ſpatium conſenſit iniquis.
Inde iter emenſum per vaſta ſilentia ducens,
Progreſſis ſociis, ibi ſe Andethanna propinquat.
Ecce viro inſigni ſacer obvius Angelus adſtat,
Præſenti alloquio confeſſus publice vultus,
Atque revelata facie, ſic comminus infit.
Quam merito, Martine, loco compungeris iſto,
Nec properas exire aliter, niſi juſſa faceſſis,
Inter utrumque nefas mercatus acerba doloris!
Nunc age conſtanter, repara virtutis honorem,
Et tibi te revoca trepidum ne noxia frangant,
Gloria ne pereat, neu proſpera lubrica perdant.
Utere more tuo, te deinde rediſce magiſter,
Fortis athletæ animos caſus non obruit unus.
Acrius inſequitur hoſtem manus icta dolore,
Plagaque fixa ſolet mentes armare viriles,
Atque pudore recens creſcit diro ulcere virtus,
Ac datur armigero victoria vulnere crebro.
Fraterno alloquio ſic Angelus explicat ore,
Et vice germani monitis animavit amantem,
Tanta eſt cura Dei Martinum avellere lapſu,
Ulterius ſynodo neque ſe promiſcuit inſons,
Virtutiſque ſuæ damnis nova lucra paravit.
Res probat ipſa tamen ſacro venerabilis actu:
Namque ad Pſeudoforum cellæ dum accederet æger,
Quem male vexabat nimium fera dæmonis ira,
Ingenioque gravi torquebat iniquior umbra,
Ante monaſterii quam limina tangeret almi,
Martini faciem refugit ferus hoſpitis hoſtis,
Et benedicta viri terror fuit ora videri,
Non ſufferre valens res obſcuriſſima lumen,
Nec vaga conſtantem, fugit infida corde fidelem,
Sæva bonum, furioſa pium, truculenta benignum,
Sic quoque nigranti retinetur janua lucis.
En medicina ſacri ſatis unica, cujus opimum
Hoſpitium vidiſſe, fuit meruiſſe ſalutem.
Sanctus in æde latet, foris exit origo medelæ,
Et cura ante datur medici quam forma videtur.
Nec ſatis eſt mirum dederit quid corpore præſens,
Nomine ſub cujus ſparguntur dona per orbem:
Navita cum quidam Tyrrhenum curreret æquor,
Fert iter ad Romam, quod velificante volatu
Turbinis impatiens oritur violentia venti:
Exiliunt fluctus, feriunt cava vela rudentes,
Nutat pinus iners, rapiuntur ſigna ceruchis,
Lenis & antennæ coeuntia cornua frendent,
Artis inops, ſtupidus reſilit de puppe magiſter.
Stant undæ, armatura cadit, fragor æquoris urget,
Prora bibit, dum nauta vomit, perit ars, jacet uſus,
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, morſque minatur,
Caſibus in dubiis certi vergente ſalute.
Dum trepidant omnes, Ægyptius hæc ait unus,
Qui necdum Chriſti chariſmata ſenſerat exſors,
Martini Deus eripe nos: mox dira procella
Corruit, & pelagi tumor altus ad ima reſedit.
Sternitur unda rati, liquidi ſtetit area campi,
Atque immota loci jacuerunt murmura ponti,
Gurgitis optati trabe curritur æquor amicum,

Littoris ora legunt flabris data vela ſecundis,
Atque petens portum, vada, complet nauta celeuma,
Sic bene pro meritis famulo dat Chriſtus honores,
Cujus eunte fide terras, mare, ſidera ſupplet.
Pangere geſta libet reliquo veneranda relatu,
Indoles a patribus generoſa Lycontius olim
Clarus honore, fide locuples, ab origine currens,
Cumque domum propriam lues exitialis adiſſet,
Cunctaque tabifluus penetraſſet acumine morbus,
Quo miſerabilium famulorum ſive clientum
Una ſtrages erat, diviſa per ulcera languens,
Dicere quo poſſes proſtrata cadavera telis:
Rex extrema etenim nil nobilitatis honorat,
Præſidii ſpes ſola manet Martinus in orbe.
Mittitur ad ſanctum veneranter epiſtola curſu,
Auxilium rogitans, hoc corde, hoc flagitat ore;
Ni cito ſubveniat, rapit omnia peſtis acerba,
Per ſpatium ferale trahens in tartara cunctos,
Et graſſata diu quid agant contagia perdunt.
Qui potes affer opem pendenti in morte catervis,
Deſperata ſalus ſolatia fida requirit.
Quæ pius ut ſenſit divino illata flagello,
Sed nec poſſe timet facili exorare precatu,
Attamen excipiens votum miſerantis amici,
Septem nempe dies, totidem ſuo ſidere noctes
Pervigil incubuit, jejunia nulla relaxans,
Continuata trahens per tempora mille precatus:
Nec prius abſiſtit, niſi ſupplicis illa Lyconti
Vota recepta daret domuique medela rediret,
Et rediviva ſalus fugitivum expelleret ulcus,
Qui tamen ut didicit ſancti obtinuiſſe laborem,
Advolat, & grates devoto corde rependit,
Ereptaque domo ſua gaudia munere penſat,
Pro merito fidei donum vice Centurionis,
Iſraeli dominus quem prætulit ore potenti,
Et prius hauſit opem genitæ quam intraret in ædem.
Denique ſaucto offert argenti pondera magna,
Ter tricena decem ſuperaddita merce patroni,
Addit & has voces recreato pectore ſupplex:
Quid tibi, celſe pater, vitæ pro munere ſolvam,
Cum pretio non poſſit emi hæc lux, neque vendi,
Unius aut animæ mercari vita valebit?
Cum vero illa meæ domui lues una noceret,
Nec ſupereſſet opis reliquum quod redderet ullum,
Præſidio ecce tuo mihi nempe tot agmina vivunt,
Sexus & ætatis numeroſa caterva meorum,
Cum ſtupeam ſolidæ revocata cadavera vitæ,
Et quibus obſequerer morientibus, ecce miniſtrant.
Nam ſtatim ut vox penetralis ad aſtra volavit,
Et viſa eſt meritis curvare cacumina cæli,
Quo vicina tibi fierent oracula Chriſti,
Expoſitæque preces ante ora fuere Tonantis,
Ac recitata fuit pia vox dominantis in aurem,
Mox bonitas indulſit opem præſente medela,
Corpora deſeruit membratim tabes acerba
Qui potuere mori, ſubitæ rediere ſaluti,
Et viguerunt ſpe, pede, viſcere, lumine, voce,
Ac languor moritur viventi in carne ſepultus.
Unde, pater, modicum pro vivis ſume tributum,
Fœnore vel minimo tolerans dum debita ſolvo.
Sed neque ſuſcepit, neque reppulit ille quod offert,
Ante monaſterii ſed quam bene limen adiret,
Captivis tribui redimendis pondera juſſit.
Sic uno ex caſu fert dona gemella beatus:
Hic libertatem dedit, illis unde ſalutem,
Ut modo captivi duris laxantia pœnis
Ac concordi animo cecinerunt guadia planſu.
Hoc idem eſt mirum, niteant ſi verba relatu,
Occurrit cellæ cum quidam e fratribus algens,
Carbone ingeſto ardebat fornacula ſancti.
Conſidet ergo celer rapiens quaſi lucra vaporis,
Inguine nudato, pede jacto, poplite panſo,
Vir ſacer incluſus de cella protinus inquit:
Quis foris inceſtat nudus habitacula noſtra
Corpore detecto, puro genu, & inguine nudo?
Quid fuit hoc, docti vos dicite, quæſo, ſophiſtæ,
Martini ante oculos paries quaſi lintea lucet,
Aut quaſi filo agiles contexit aranea telas,
Retia vel nexis per rara foramina filis.
Unde hic tam tenuis ſtructura pateſcit hiulca?
An ſe ſaxa levant, aut reddunt ſciſſa feneſtram:
Seu duri lapides lento ſe glutine ſolvunt?
An caſa materiæ vitreo ſe margine tendit,
Aut ſpeculare dedit quo ſanctus lumine tranſit?
An levior paries revoluto ceſſit in arcu,
Et ſtetit incolumis rapido ſuſpenſus in ictu?
Nobilis aut acies oculorum & marmora tranſit,
Clarior ac viſus per cuncta obſtacula pergit?
Penniger an clauſi volitavit ad ora miniſter,
Ac per opertum aperit, & in invia nuntius intrat?
An quia lumen erat totum foris, intus habebat,
Carne ſedente loco, velox an ſpiritus ibat?
Pandite doctiloqui, comprendite clauſa diſerti,
Qui numeris atomis, ratione poteſtis & ore.
Hic fugit ars oculos, niſi Chriſtum nulla videtis.
Quanta Dei virtus, Martini eſt gratia quanta!
Hic ope mirificus homo complet, quod homo neſcit,
Explicat ac fidei merito quod obſtat origo.
Quod ſupereſt etiam memoretur honore patroni,
Conſummanda ſuo properat quia pagina textu.
Forte ſacer reſidens per dura ſedilia ligni,
Proſpicit hinc larvas pendenti rupe gemellas,
Tegmine pullatas, triſti terrore ſonoras,
Fraude laborantes, jaculantes ſpicula fellis,
Nequitiæ artifices rebus gravia arma ſiniſtris,
Voce venenata verba hæc anguina rotabant.
Quid valet ira tumens, eia te Brictio monſtres.
Hoc iterum reperunt, donec male Brictie motus
Irruptis foribus ſancto convicia vergit,
Jurgia multa movens turbata mente ſatelles,
Se meriti melioris ovans quam ſanctus haberet.
Sic geſtu rabidus neque ſe agnoſcebat amarus,
Vitæ geſta ſuæ temerarius arbiter inflans,
Intolerabilium per inania bombica jactans,
Vento motus iners ſimulans foliatilis umbræ,
Excuſſa cervice rigens, levitate rebellis,
Exagitans animum pede jacto, pectore tenſo,
Irrationalis, tumido gliſcente cothurno,
Nec ſe mente capax, ſenſu ſpatiante vacillans,
Inque ſacerdotem truculenter acerba redundans.
Sed quid in abjectum Martinum hæc turbida volvit?
Quid humili, placido, tam dira, ſuperba minatur?
Cur animæ nimium dulci tot amara miniſtrat?
Non decet hæc audire pium, neque ferre benignum,
Durus erat graviter, qui melli abſynthia miſcet,
Ille tamen pietate calens nihil intulit hoſti.
Excipit iratum placatus amanter amarum,
Oblectans rabidum, & per mollia famina mulcens,
Et neſcit non eſſe pater ſine felle vel hoſti,
Qui tamen exorante viro larviſque fugatis,
Dum redit ad mentem furioſus Brictio pridem,
Pontifici occurrit voto, prece, corpore ſupplex,

Sed

Sed bonitate pii celer indulgentia fluxit,
Non apud hunc opus eſſe diu lacrimando rogari,
Aut prece multiplici veniam ſperare nocenti,
Qui magis expetiit culpas donare reatus.
Credidit, & damnum quidquid non præſtitit ultro,
Hæc ſua lucra putans dimittere debita noxæ,
Obvius occurrens quærenti munera pacis,
Iraſci nulli cupiens, ignoſcere cunctis,
Fœdera ſola ligans celer, & delicta relaxans,
Effugiens nequando ſibi daret ultio damnum,
Rem pietatis agens: ſatis eſt clementia vindex,
Quæ pia dona metens fieri non indiget ultrix,
Omnibus aucta bonis, cui dos & gloria pax eſt.
Vir tamen ipſe ſacer pietatis ab agmine miles
Fœdera ſemper amans, & pacis in arma triumphans,
Supplicis ad vocem miſerantia viſcera laxat,
Inque ſinu veniæ trepidum mulcendo reduxit,
Atque reum ſolita patria pietate recepit.
Hæc tua dulcis erant holocauſta, ſacraria, templa,
Hæc tibi divitiæ, theſauri, regna, talenta,
Flos, odor, eſca, ſapor, mera cinnama, balſama, thura:
Hæc ſacer omnis erat, hæc tota, hæc unica cura,
Chriſtum corde pio, Chriſtum meditarier actu,
Reddere nolle vicem miſeris, & parcere culpæ,
Criminis indultor, veniæ memor, ara reorum,
Spes miſerabilium, fuga larvarum, arma ſequentum,
Præda catervarum, errantum via, cura medentum,
Omnibus una ſalus, amor omnibus, unus amator.
Quis tibi digna loqui valeat, quem mundus honorat?
Quid, pie vir, ſatis eſt, cui laudis debitor orbs eſt?
Quæque referre volens neque totus id explicat axis?
Jugiter amplexu Chriſtum corde, ore retentans,
Nec ſine te patiens dominum diſcedere quoquam,
Tecum ſemper habens vinctum pietate Tonantem,
Aſtrictus precibus, neque ſe ſolvebat amator,
Cujus amica fides tantum ſibi contulit arcis,
Ut ſolem radiis & lunam curſibus æques,
Qui ſplendore nitens pulcher quaſi lucifer axis,
Ac fulgore Dei vir fulgidus ipſe coruſcas.
Tegmine vir niveus, miro diademate fulvus,
Supplicis uſque memor, famuli exauditor opime,
Fortunati inopis, trepidi ſibi ſorte reatus,
Morbida quem rabide circum ſua crimina latrant,
Et fera delicti penetraliter ulcera mordent.
Intercede precor veniam, vir adepte coronam,
Eripe paſtor ovem, ne clauda vel extera reſtet:
Porrige celſe manum, rege greſſum, dirige ſenſum,
Exceſſuſque graves leviori examine penſes,
Ac potius pietas opulens miſerando precetur,
Mitis & exortes placident fomenta medelæ,
Inter & ipſe Deum atque reum mediator adeſto,
Defixis genibus, tenſis ad ſidera palmis,
Vocibus incluſis, animis penetrantibus auras,
Obtineas meritis, judex cum venerit orbis,
Tu quoque juſſus oris dextro reſidere ſedili,
Arbiter in populos tribuum, pavor ante tribunal,
Qualiter effugiam flamma ſtridente caminum?
Tunc precor, ut fragilem ſacro velamine celes,
Et tua me trepidum defendat ab igne lucerna:
Nam ſcio poſſe reum quemvis tibi cedere Chriſtum,
Quem ſociat proprio manſura in ſecula regno:
Sis precor in domino famuli memor alme per ipſum,
Cujus erit tibimet lumen ſine fine videndum,
Da veniam dulcis, pie, blande, benigne patrone,
Condere dum volui, quia læſi carmine flores.
Sed tua laus nullo breviabitur ampla relatu,
Quam Deus in terris pariterque tetendit & aſtris,
Pone libelle modum, tepido verecunde relatu,
Multiplices faciens diffuſo ſtamine rugas:
Nec bene fila ligans nodo ſubit aſpera texta,
Hiſpida cameli rigido quaſi vellere texta,
Serica dum decuit Martini pallia duci,
Aut prætexta micans auro ſub tortile necti,
Vel toga permixtis hyacinthina curreret albis,
Pingere ſeu variam roſa, lilia, gemma coronam,
Marcida lingua tacet, veniam tibi poſce libelle.
Contentus tantum Turonum pete mœnia ſupplex,
Qua Martinus habet veneranda ſepulcra ſacerdos,
Cujus honor tumuli facit hic ſua rura tueri,
Qui pietatis opem tribuas, nam largus ubique
Scit nihil eſſe meum, ſua ſed ſibi dona recurrunt.
Sic tamen urgebis, ut adhuc temerarius intres,
Inde Pariſiacam placide properabis ad arcem,
Quam modo Germanus regit & Dionyſius olim.
Si pede progrederis, venerato ſepulcra Remedi,
Atque pii fratris complectere templa Medardi:
Si tibi barbaricos conceditur ire per amnes,
Ut placide Rhenum tranſcendere poſſis & Hiſtrum,
Pergis ad Auguſtam, qua Virdo & Licca fluentant,
Illic oſſa ſacræ venerabere martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Baioarius obſtat,
Qua vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido qua gurgite volvitur Oenus.
Inde Valentini benedicti templa require,
Norica rura petens, ubi Birrus vertitur undis,
Per Dravum itur iter, qua ſe caſtella ſupinant,
Hic montana ſedens in colle ſuperbit Aguntus,
Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur Alpes
Altius aſſurgens, & mons in nubila pergens:
Inde foro Juli de nomine principis exit,
Per rupes Oſope tuas, qua labitur undis,
Et ſuper inſtat aquis Reuniarelia montis.
Hinc Venetum ſaltus campeſtria perge per arva,
Sub montana quidem caſtella per ardua tendens,
Aut Aquileienſem ſi fortaſſe acceſſeris urbem,
Cantianos domini nimium venereris amicos,
Ac Fortunati benedictam martyris urnam.
Pontificemque pium Paulum cupienter adora,
Qui me primævis converti optabat ab annis.
Si petis illud iter, qua ſe Concordia cingit,
Auguſtinus adeſt pretioſus, Baſiliuſque;
Qua mea Tarviſus reſidet, ſi molliter intras,
Illuſtrem ſocium Felicem quæſo require,
Cui mecum lumen Martinus reddidit olim,
Per cenetam gradiens & amicos Duplavenenſes,
Qua natale ſolum eſt mihi ſanguine, ſede parentum,
Prolis origo patrum, frater, ſoror, ordo nepotum,
Quos colo corde, fide, breviter, peto; redde ſalutem.
Si Patavina tibi pateat via, pergis ad urbem;
Hic ſacra Juſtinæ rogo lambe ſepulcra beatæ,
Cujus habet paries Martini geſta figuris.
Quove ſalutis opus celſo depende Joanni,
Atque ſuis genitis ſociis per carmina noſtris:
Hic tibi Brinta fluens iter eſt Retenone ſecundo,
Ingrediens Atheſin Padus excipit; inde phaſelo,
Mobilis unde tibi rapitur ratis amne citato.
Inde Ravennatum placitam pete dulcius urbem,
Pulpita ſanctorum per religioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis & Urſicini parili ſub ſorte beati:
Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe,
Fuſus humi ſupplex, & templa per omnia curre;

Expe-

Expete Martini loculum, quo jure ſacelli
Jam deſperatum lumen mihi reddidit auctor,
Munera qui tribuit, ſaltem rogo verba repende:
Eſt ibi baſilicæ culmen Pauli atque Joannis.
Hic paries retinet ſancti ſub imagine formam,
Amplectanda ipſo dulci pictura colore:
Sub pedibus juſti paries habet ante feneſtram,
Lychnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna:
Huc ego dum propero valido torquente dolore,
Diffugiente gemens oculorum luce feneſtræ,
Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et præſens medicus blando fugat unguine morbos,
Non oblita mihi mea lumina munere ſancti.
Nam redit ante oculos oculorum cura fidelis,
Et memor illud ero, dum luce & corpore conſto.
Promptius affectu, precor, inde require ſodales,
Si ſociis loqueris, veniam pietate mereris,
Porrigo materiam quibus hanc ego, ut ore rotundo
Martini geſtis florentia carmina pangant,
Et claro ingenio texant ſpargenda per ortum.
Vir radians, meritis licet ille nec indiget iſtis,
Gratia cujus ovans ac fama iter occupat orbis,
Arva capax pelagus intrans ſuper aſtra coruſcans,
Diſtribuens miras populis pro ſtipe medelas,
Qui domino famulando ſuo capit omnia dona,
Et quo Chriſtus habet nomen, Martinus honorem.

P O E M A T U M
L I B E R I.

I. *Ad Vitalem Epiſcopum Ravennenſem.*

ANtiſtes Domini, meritis in ſecula vivens,
  Gaudia qui Chriſti de grege paſtor habes:
Cum te Vitalem voluit vocitare vetuſtas,
  Noverat æternum te meruiſſe diem.
Dignus Apoſtolica præfulgens mente Sacerdos,
  Qui ſacri Andreæ tam pia templa locas.
Quam bene pro meritis Domini conſedit in aula:
  Per quem digna Deo eſt ædificata domus!
Sumpſiſti a Domino culmen, cui culmina condis:
  Qui tibi digna dedit, reddis honore vicem.
Emicat aula potens ſolido perfecta metallo,
  Quo ſine nocte manet continuata dies.
Invitat locus ipſe Deum ſub luce perenni,
  Greſſibus ut placidis intret amando Lares.
Qui loca das populis, Dominum quo ſemper adorent,
  Ut capiant veniam, tu facis eſſe viam.
Gratia, mens, animus, bonitas, dilectio plebis,
  Et gradus, & pietas, te dedit eſſe patrem.
Proſperitas ſe veſtra probat, quæ gaudia ſupplens,
  Intulit egregios ad tua vota viros.
Dux nitet hinc armis, præfectus legibus illinc,
  Venerunt, per quos creſcere feſta ſolent.
Ne tibi deſit honor, populum Deus auxit opimum,
  Qui vidit ſenſum hoc voluiſſe tuum.
Myſterium fides complevit vota petentis,
  Felix cui Dominus quæ cupis ipſa vehit.
Plurima divino celebres ſolemnia dono,
  Adque Dei laudes templa colenda loces.

II. *De templo, quod ædificavit Vitalis Epiſcopus Ravennæ.*

QUiſquis ad hæc ſancti concurris limina templi,
  Si venias ſupplex, hic prece ſumis opem:
Quam ſacer Antiſtes Vitalis condidit arcem,
  Culmine quæ celſo eſt tempore ducta brevi.
Fundavit, ſtruxit, dotavit, deinde dicavit,
  Et meruit templi ſolvere vota ſui.
Quo veneranda pii requieſcunt viſcera Petri,
  Qui meruit ſolus clave ligare polos.
Paulus Apoſtolica ſimul hac retinetur in aula,
  Seductor quondam, qui modo doctor ovat.
Hanc Sacer Andreas propriam ſibi vendicat arcem,
  Et cum fratre pio participata regit.
Hæc ſua templa replet Laurentius igne ſereno,
  Cui pia flamma dedit luce perenne diem.
Vitali domus iſta placet, qui vivus arenis,
  Defoſſus meruit perdere mortis iter.
Sunt loca Martini, qui texit veſte Tonantem,
  Ne magis algeret, ſe ſpoliare dedit.
Ecce Vigili arx eſt, quem ruſtica turba peremit,
  Unde mori voluit, mors magis ipſa fugit.
Incolit hæc pariter Maturius atque Silennus;
  Quos genus, atque fides, & tenet una ſalus.
Sanctus Alexander felixque Cecilia pollent,
  Quos meritis omnes una corona manet.
Hæc bonus Antiſtes, Vitale urgente, Joannes
  Condidit egregio viſcera ſancta loco.
O nimium felix æternum in lumen iture,
  Cujus vita ſuo perficit iſta Deo!

III. *De Baſilica Sancto Stephano Levitæ, a Palladio ædificata.*

GLoria celſa pios Domini circundat amicos,
  Quorum diffuſo vivit in orbe decus.
Pertulit hic martyr pro Chriſto orientis in axe,
  Ecce ſub occaſu templa beatus habet.
Fundatus virtute Dei de morte triumphans,
  Excepit lapides, cui Petra Chriſtus erat.
Gens Judæa ferox Stephanum quem perdere credit,
  Etſi carne, tamen neſcit honore mori.
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam:
  Poſſidet ille polos, tu magis ima petis.
Hæc ſacra Palladius Levitæ templa locavit,
  Unde ſibi fiat non peritura domus.

IV. *De Baſilica, Sancti Martini nomine, Deo a Fauſto Presbytero extructa.*

EMicat aula decens venerando in culmine ducta,
  Nomine Martini eſt ſanctificata Deo.
Cui vitæ merito fiducia tanta coruſcat,
  Ut populis tribuat, quod pia vota rogant.
Extulit hanc Fauſtus devoto corde Sacerdos,
  Reddidit & Domino proſpera dona ſuo.

V. *In Baſilicam Sancti Martini, ubi pauperem veſtivit, rogante Gregorio Epiſcopo.*

QUi celerare paras iter, huc deflecte, viator,
  Hic locus orantem cautius ire docet.
Exul enim terris, cæli incola, ſæpe ſolebat,
  Clauſus Martinus hinc aperire polos.
Æde ſub hac habitans eremi ſecreta tenebat,
  Per medios populos anachoreta potens.

Hic

Hic, ſe nudato, tunica veſtivit egenum,
Dum tegit algentem, plus calet ipſe fide.
Tum vili tunica veſtitur & ipſe Sacerdos,
Proceſſitque inopi tegmine ſummus honor.
Qui tamen altaris ſacra dum myſteria tractat,
Signando calicem ſigna beata dedit.
Namque viri ſacro de vertice flamma refulſit,
Ignis & innocui ſurgit ad aſtra globus:
Ac brevibus manicis, fieret ne injuria dextræ,
Texerunt gemmæ qua caro nuda fuit.
Barchia nobilium lapidum fulgore coruſcant,
Inque loco tunicæ pulcra ſmaragdus erat.
Quam bene mercatur, qui dum veſtivit egenum,
Tegmine pro tunicæ brachia gemma tegit!
Tu quoque qui celſis habītas Martine precator,
Pro Fortunato fer pia verba Deo.
Imperiis parere tuis, pie, care Gregori,
Quantum poſſe valet, plus mihi velle placet.

VI. *Item de Baſilica S. Martini, quam Leontius in colle ædificavit, Placidina vero exornavit.*

QUi cupit æterna ſociari in ſede beatis,
Hos ſibi participes per pia vota facit,
Nec patitur differre diu quod oportet agendo,
Cum bona quæ dederit, hæc ſua lucra putet.
Condidit ergo arvis delubra Leontius alma,
Talibus officiis intret ut ipſe polos.
Martini meritis & nomine fulta coruſcant,
Quem certum eſt terris ſigna dediſſe poli.
Qui lepræ macula medicata per oſcula purgans,
Pacis ab amplexu morbida bella tulit.
Hæc tamen ingenio ſunt ædificata perito,
Quo nil egregiæ gloria laudis eget.
Additur ad ſpecimen locus ipſe quod eminet arvīs,
Elatoque jugo colle tumente patet.
Altius educto ſub ſe tenet omnia dorſo,
Et quacumque petit, deliciosa videt.
A longe adveniens oculo vicinus habetur,
Jungitur aſpectu diſſociante loco.
Quo feſſus rapitur viſu invitante viator,
Si pede defuerit, lumine tractus adit.
Quæ Placidina ſacris ornavit culmina velis,
Certanteſque ſimul, hic facit, illa colit.

VII. *In honorem Baſilicæ S. Martini, quam Baſilius & Baudegundis, mente una renovaverant & auxerant.*

DIſcite mortales terris nihil eſſe quod obſtet,
Cum ſacra templa Dei flumine fixa manent:
Pulcra per anguſtos ut ſurgeret aula meatus,
Et ſi mons vetuit, præbuit unda locum.
Ut famularetur domui vaga lympha ſupernæ,
Curſibus antiquas ars nova ſubdit aquas.
Cum Baudegunde quo mente Baſilius una
Hoc renovans priſcum reddit & auget opus.
Sic Martine tuus honor amplus ubique meretur,
Ut loca nulla negent, quod tibi feſta ſonant.
Talibus officiis pacatus optime Sacerdos,
Quorum vota vides, redde benigne vicem.

VIII. *De Baſilica Sancti Vincentii ultra Garonnam.*

TEmpore vita brevis meritis fit longior almis,
Anguſtoſque dies tendit honore fides.
Poſt finem ſine fine manet mens dedita Chriſto,
Linquens turbam hominum ſtat ſociata Deo.
Hæc ope ſuſſultus Vincentius extat in ævum,
Gloria martyrii cujus opima viret.
Vertice ſucciſo rapuit qui ex morte triumphum,
Et nova de terris proles ad aſtra volat.
Credidit unde necem, ſancto dedit hoſtis honorem,
Percuſſorque magis morte perenne jacet.
Vicerat ille miſer, hunc ſi jugulare nequiſſet,
Nam abſtulit unda caput, contulit inde polum.
Hujus amore novo pia vota Leontius explens,
Quo ſacra membra jacent ſtannea tecta dedit.
Et licet eniteat meritis venerabile templum,
Attamen ornatum præbuit iſte ſuum.
Præmia ſuccedant operanti longa ſalutis,
Hujus ut obſequiis culmina ſancta micent.

IX. *De Baſilica S. Vincentii Vernemetis, quam condidit Papa Leontius: & de miraculis editis in ejus dedicatione.*

CUltoris Domini toto ſonus exiit orbe,
Nec locus eſt ubi ſe gloria celſa neget.
Sed cujus meritum ſcimus percurrere mundum,
Hujus ubique viri ſurgere templa decet.
Ecce beata nitent Vincenti culmina ſummi,
Munere martyrii qui colit aſtra poli.
Promptus amore pio quæ Papa Leontius olim
Condidit eximio conſolidata loco.
Nomine Vernemetis voluit vocitare vetuſtas,
Quod quaſi fanum ingens Gallica lingua refert.
Auſpicii præmiſſa fides erat ante futura,
Ut modo celſa domus ſtaret honore Dei.
Hic etiam Sanctus Domini ſuffultus amore,
Virtutis ſummæ ſigna tremenda dedit.
Nam cum templa Dei præſul de more dicavit,
Martyris adventu Dæmonis ira fugit.
Redditur incolumis quidam de peſte maligna,
Cui, vidiſſe pii templa, medela fuit.
Emicat aula potens divino plena ſereno,
Ut merito placeat hic habitare Deo.
Nunc ſpecie ſuadente loci ac virtutis honore,
Evocat hic populos, hinc decus, inde ſalus.
Qui plebem accendit venerandæ conditor arcis,
Talibus officiis præmia juſta metet.

X. *De Baſilica Sancti Nazarii martyris, quam dejectam ab imo ſolo fundavit Leontius.*

CUlmina conſpicui radiant veneranda Nazari,
Cujus membra ſolum, ſpiritus aſtra tenet.
Semine terrigeno terrenis viſibus exſors
Immortale bonum pulvere natus homo.
Nil carnale volens, ſed Chriſti præmia poſcens,
Sanguine de proprio victima digna Deo.
Hæc tibi templa Sacer devota Leontius offert,
Majoremque ſuam hinc cupit eſſe domum.
Hic prius anguſto fabricata eſt machina gyro,
Quo neque tunc poterat plebs veneranda capi:
Dejectamque ſolo rurſus fundavit ab imo,
Et dedit hæc quæ nunc ædificata placent.

XI. *De Baſilica Sancti Dionyſii martyris fundata a Leontio, cum altera (populum non capiente loco, & longius) ab Emelio Præſule extructa, ad ejus hæredem veniſſet.*

QUi cupis egregii ſtructorem noſcere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longius hinc olim ſacra cum delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter;
Exiguam dederat hic præſul Emelius arcem,
Chriſticolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem dehinc prole graduque,
Venit ad hæredem hoc opus hicque locus.
Fundavitque piam hanc Papa Leontius aulam.
Obtulit & Domino ſplendida dona ſuo.
Quam venerandus habet propriam Dionyſius ædem,
Nomine ſub cujus ſanctificata nitet.
Qui fervente fide Chriſti ſolidatus amore,
Vertice ſuppoſito colla ſecanda dedit.
Membrorum contemptor erat cupiendo coronam,
Vile putans quidquid ferret amore Dei.
Ut moritura caro donum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio ſe miſit Olympo,
Unde mori voluit, vota ſalutis habet.
Nec congeſta prius ſubtraxit fana Sacerdos,
Hæc niſi perficeret, quæ modo culta placent.
Aſſidue in priſco celebrans ceremonia templo,
Donec rite ſequens conſolidaſſet opus.

XII. *De Baſilica Sancti Bibiani Epiſcopi, olim ab Euſebio præſule fundata, poſtea vero a Leontio (Emerii, ejus anteceſſoris mandato) extructa, & de theca argentea, qua S. Bibiani Reliquias exornavit Placidina.*

DIgna Sacerdotis Bibiani templa coruſcant,
Quo, ſi juſta petis, dat pia vota fides.
Quæ præſul fundavit ovans Euſebius olim,
Ne tamen expleret, raptus ab orbe fuit.
Cui mox Emerius ſucceſſit in arce Sacerdos,
Sed cœptum ut strueret, ferre recuſat onus.
Qui precibus commiſit opus tibi, Papa Leonti,
Cujus ad hoc votum jugiter inſtat amor.
Ultro tale decus tibi ſe ſervavit agendum,
Nec niſi tu fueras, qui loca ſacra dares.
O meritum juſti manſurum in luce perenni,
Per quem ſe cupiunt templa verenda coli!
Sacra ſepulcra tegunt Bibiani argentea tecta,
Unanimis tecum quæ Placidina dedit.
Quo ſuper infuſum rutilans intermicat aurum,
Et ſpargunt radios pura metalla ſuos.
Ingenio perfecta novo tabulata coruſcant,
Artificemque putes hic animaſſe feras.
Sed cui vos animo donaria tanta dediſtis,
Hic agat, ut vobis ſtet diuturna ſalus.
Nec dubitent, qui magna ferunt, ſibi magna rependi,
Dum quoque pro parvis reddat opima Deus.

XIII. *De Sancti Eutropitis, primi urbis Santonicæ Antiſtitis, Baſilica, quam ſenio collapſam Leontius ex divina revelatione renovavit, ornavitque imagineis e ligno iconibus & picturis.*

QUantus amor Domini maneat tibi, Papa Leonti,
Quem ſibi jam Sancti templa novare monent.
Eutropitis enim venerandi Antiſtitis aula
Corruerat ſenio dilacerata ſuo.
Nudataſque trabes paries vacuatus habebat,
Pondere non tecti, ſed male preſſus aquis.
Nocte ſopore levi cuidam veniente miniſtro,
Inſtauratorem te docet eſſe ſuum.
Pro mercede tui meruit magis ille moneri:
O felix, de quo ſit pia cura Deo!
Non meliore via vivit renovata vetuſtas;
Et laſſæ fabricæ flos redivivus adit.
Ætas acceſſit: verum hæc juveneſcit honore:
Unde ſenex fieret, junior inde redit.
Hic ſculptæ cameræ decus interraſile pendet,
Quos pictura ſolet, ligna dedere jocos.
Sumpſit imagineas paries ſimulando figuras:
Quæ neque tecta prius, hæc modo picta nitent.
Urbis Santonicæ primus fuit iſte Sacerdos,
Et tibi, qui reparas, jura priora dedit.
Cum ſua templa tenet Sanctus habitando quiete,
Inſtauratori reddit amore vicem.

XIV. *De calice Leontii Epiſcopi.*

SUmmus in arce Dei pia dona Leontius offert,
Votis juncta ſacris & Placidina ſimul.
Felices, quorum labor eſt altaribus aptus,
Tempore qui parvo non peritura ferunt.

XV. *Item in laudem Leontii Epiſcopi Burdigalenſis* 13. *& Placidinæ, ejus olim conjugis, ſacerdotii vero tempore ſororis.*

INter quos genuit radians Aquitanicus axis,
Egregiis meritis culmina prima tenes.
Civibus ex Gallis ſupereminet alta poteſtas;
Tu potior reliquis, & tibi nemo prior.
Præcedis multos, nulli minor atque ſecundus,
Nec ſupereſt aliquid, quod dare poſſit honor.
Qui, cum ſe primo veſtivit flore juventus,
Parvus eras annis, & gravitate ſenex.
Verſus ad Hiſpanas acies cum rege ſereno,
Militiæ crevit palma ſecunda tuæ.
Cujus primitiæ tanto placuere relatu,
Ut meritis eſſet debitus iſte gradus.
Nec poterant ſubito tibi culmina celſa parari,
Hæc niſi digna tuum promeruiſſet opus.
Nobilitate potens præcellis, Papa Leonti:
Clarus ab antiquis, ſi numerentur avi.
Nam genus & proavi, vel quidquid in ordine dicam,
Per proceres celſus currit origo vetus.
Tempora diffugiunt, & ſtat tamen aula parentum,
Nec patitur lapſum, te reparante, domus.
Nobilitas longos non inclinavit in annos,
Cui magis aſcenſum proles opima dedit.
Inclyta progenies ornavit luce priores,
Hæredis radio ſplendet origo patrum.
De radice ſua veſtita eſt flore vetuſtas,
Quam merito veſtræ laudis obumbrat honor.
Quamvis non aliquis potior modo poſſit haberi,
Tu tibi præcedis amplificando patres.
Emicat altus apex generoſo ſtemmate fulgens,
Cujus apud reges unica palma patet.
Eccleſiæ nunc jura regis, venerande Sacerdos,
Altera nobilitas additur inde tibi.
Pontificalis apex quamvis ſit celſus in urbe,
Poſtquam ad te venit, crevit adeptus honor.
Aula Dei & paſtor vicibus ſibi præmia reddunt,

Illi tu ornatum, ſpem dedit illa tibi.
Munere divino pariter floretis utrique:
Tu mercede places, illa decore nitet.
Tertius a decimo huic urbi Antiſtes haberis,
Sed primus meritis enumerandus eris.
Templa vetuſta Dei revocaſti in culmine priſco,
Poſtque ſuum lapſum nunc meliora placent.
Flore juventutis ſenio fugiente coruſcant,
Et tibi læta favent, quo renovante virent.
Ut tu plus ageres, incendia tecta cremarunt,
Et nunc laude tua pulcrius illa micant.
Nullaque flammicremæ ſenſerunt damna ruinæ,
Quæ modo poſt ignes lumine plena nitent.
Credo quod ex ſeſe voluiſſent ipſa cremari,
Ut labor ille tuus hæc meliora daret.
Poſt cineres conſumpta ſuos tenueſque favillas,
Sic ſolet & Phœnix ſe renovare ſenex.
Inſtaurata etiam ſacri eſt baptiſmatis aula,
Quo maculas veteres fons lavat unus aquis.
Ecce beata ſacræ fundaſti templa Mariæ,
Nox ubi victa fugit ſemper habendo diem.
Lumine plena micans imitata eſt aula Mariam,
Illa utero lucem clauſit, & iſta diem.
Nec ſolum hic, ſed ubique micant tua templa, ſacerdos,
Inter quæ plaudens Santonus illa manet.
Qui loca das populis, ubi Chriſtum jugiter orent,
Unde ſalus veniat, tu facis eſſe viam.
Eccleſiæque domus creſcente cacumine pollet,
Et probat eſſe tuum, quod modo culta placet.
Feciſti, ut libeat cunctos huc currere cives,
Et domus una vocet, quidquid in urbe manet.
Ornaſti patriam cui dona perennia præſtas,
Tu quoque dicendus Burdigalenſe decus.
Quantum inter reliquas caput hæc ſuperextulit urbes,
Tantum Pontifices vincis honore gradus.
Inferiora velut ſunt flumina cuncta Garonnæ,
Non aliter vobis ſubjacet omnis apex.
Rhenus ab Alpe means neque tantis ſpumat habenis,
Fortior Hadriacas nec Padus intrat aquas.
Danubius par eſt, quia longius egerit undas:
Hæc ego tranſcendi, judico nota mihi.
Muneribuſque piis dotaſti altaria Chriſti,
Cum tua vaſa ferunt viſcera ſancta Dei.
Nunc cruor & corpus Domini libamina ſummi,
Rite miniſterium te tribuente venit.
O felix, cujus ditat pia templa facultas,
Cui res iſta magis non peritura manet!
Non ærugo teret mordaci dente talentum,
Nec contra hæc fures arma doloſa movent.
Et data res vivit, facit & bene vivere dantem,
Cum moritur terris, ducitur inde polis.
Hæc poſſeſſor habet quidquid tranſmiſerit ante,
Sola tenet ſecum quæ prius ire facit.
Hæc tibi templa dabunt, & vaſa ſacrata, ſacerdos;
Et quidquid reliquum nec numerare queo.
Eccleſiæ columen per tempora longa gubernes,
Et mercede pia fructus ubique mices.
Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre:
Quæ tibi tunc conjux, eſt modo chara ſoror:
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet auguſtum germen, Avite, tuum.
Imperii faſtus toto qui rexit in orbe,
Cujus adhuc pollens jura Senatus habet.
Humani generis ſi culmina prima requiras,
Semine Cæſareo nil ſupereſſe poteſt.
Sed genus ipſa ſuum ſenſus moderamine vicit,
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, ſerena, decens, ſolers, pia, mitis, opima:
Quæ bona cuncta gerit, quidquid honore placet.
Moribus, ingenio, meritorum luce coruſcans,
Ornavit ſexum mens pretioſa ſuum.
Plurima quid referam, quantis ſit prædita rebus?
Quæ potuit votis nupta placere tuis?
Augeat hæc vobis vitam, cui templa dediſtis,
Culminibuſque ſuis culmina veſtra tegat.

XVI. *Hymnus in honorem Leontii Epiſcopi.*

AGnoſcat omne ſeculum
Antiſtitem Leontium:
Burdigalenſe præmium,
Dono ſuperno redditum.
Bilinguis ore callido
Crimen fovebat invidum,
Ferens acerbum nuncium,
Hunc jam ſepulcro conditum.
Celare ſe non pertulit,
Qui triſte funus edidit,
Etſi nocere deſiit,
Inſana vota prodidit.
Deceptus arte noxia,
Caſſata deflet crimina:
Dum quæ putabat triſtia,
Converſa ſunt in gaudia.
Exempla ſæva protulit,
Calcanda cuncto tempore;
Ut jam ſibi conſcriberet,
Decreta vivo Antiſtite.
Fucata res hæc contigit,
Vitanda caſto pectore;
Superſtite ut præſumeret,
Poſt fata quod vix debuit.
Gravat ſacerdos ordinem,
Qui Epiſcopatum ſic petit:
Præcepta qui complectitur,
Fugit honoris ambitum.
Hoc ſi cui ſit debitum,
Coactus aſcendat gradum:
Non ſe petente callide,
Sed dante Chriſti munere.
Ineptus eſt, qui ſanctæ ſe
Præferre vult Eccleſiæ;
Nam rem ſacratam ſumere
Electio divina ſit.
Catus ſacerdos ordinem
Hilarius non ambiit,
Martinus illud effugit,
Gregorius vix ſuſtulit.
Leges refutant ambitum,
Invaſor omnis pellitur,
Quod reſpuunt prætoria,
Vitat nefas Eccleſia.
Maligna erant certamina,
De ſede non tamen ſua:
Quæ nec pati deſiderat,
Non inferat mens improba.
Nec longiore tempore
Verſantur in hoc murmure,
Dum cogitant ſuccedere,
Redit ſacerdos qui fuit.
Orante plebe, protinus,
Dum nemo credit, redditur.

Quæ confluunt poſt triſtia,
Majora ſunt hæc gaudia.
Plauſu favebat civitas,
Cui redit felicitas:
Orbata quem defleverat,
Patrem recepit anxia.
Quem vix putabat redditum,
Præventa voto proſpero:
Res mira quando cernitur,
Solet ſtupere viſio.
Recolligit rector gregem,
Errore captum ſemitæ:
Paſtoris arce cognita,
Gaviſa ſunt ovilia.
Sumpſit gradum quo tempore,
Regreſſus eſt eo die:
Quis non ſuperno munere,
Hoc contigiſſe prædicet?
Tantum nec ante præmium
Plebi fuit, cum factus eſt:
Lætata quantum tunc fuit,
Quando recepit præſulem.
Venite cives, plaudite,
Et vota votis addite,
Quo facta ſunt miracula,
Servent eum cæleſtia.
Chriſtus ſereno lumine
Circumvolet quem reddidit:
Ut trina creſcat gratia,
Mercede, vita, gloria.
Hymnum canendo concrepet,
Quiſquis Deo non invidet:
Laus ejus eſt qui præſulem
De mortis ore retrahit.
Zelante fido pectore,
Tam vera dici non pudet:
Hæc parva nobiliſſimo
Papæ damus Leontio.

XVII. *Ad Placidam, matrem ejuſdem.*

MUnera parva nimis, pia ſuſcipe quæſo libenter,
Quæ magis ipſa decens munus in orbe micas.
Fluctibus e mediis hæc ut daret inſula vobis,
Oceanus tumidas murmure præſtat aquas.
Quæ loca dum volui properans agnoſcere ponti,
A Borea veniens reppulit unda furens.
Proſperitas ut veſtra tamen ſe plena probaret,
Obtulit in terris quod peteretur aquis.

XVIII. *De Biſſono, villa Burdegalenſi.*

ESt locus, æſtifero quamvis ſit tempore fervor,
Quo viret aſſiduo flore refectus ager.
Reſpirant croceis depicta coloribus arva,
Fragrat odoriferis blandior herba comis.
Incola Biſſonum vocat hunc de nomine priſco:
Millia ſeptem urbs hinc Burdegalenſis abeſt.
Qua poſſeſſor amans prætoria grata locavit,
Partibus atque tribus porticus æqua ſubit.
Straverat ipſa ſolo, ſenio rapiente, vetuſtas;
Perdiderat vultum forma decora ſuum.
Hæc meliore via revocat labor ille Leonti,
Quo præſente domos nulla ruina premit.
Nunc quoque proſperius velut aula ſepulta reſurgit,
Et favet auctori vivificata ſuo.

Reddidit interea priſco nova balnea cultu,
Quo recreant feſſos blanda lavacra viros.
Hic referunt nutriſſe lupos deſerta tenentes:
Intulit hic homines, expulit inde feras.

XIX. *De Vereginis, villa Burdegalenſi.*

INter opima ferax qua volvitur unda Garonnæ,
Vereginis ripis vernat amœnus ager.
Hic brevis aſcenſus leni ſubit aggere clivum,
Carpit & obliquum colle viator iter.
Altior a planis arvis, minor eminet altis,
Necve humilis nimium, necve ſuperbit apex.
Colle ſedet medio domus ædificata decenter,
Cujus utrumque latus hinc jacet, inde tumet.
Machina celſa caſæ triplici ſuſpenditur arcu,
Quo pelagi pictas currere credis aquas.
Exilit unda latens vivo generata metallo,
Dulcis & irriguo fonte perennis aquæ.
Quo ſuper accumbens celebrat convivia paſtor,
Incluſoque lacu piſce natante bibit.
Nunc renovanda venit Papæ mercede Leonti,
Quam dominus cultam tempora longa cupit.

XX. *De Præmiaco, villa Burdegalenſi.*

QUamvis inſtet iter, retraharque volumine curæ,
Ad te pauca ferens carmina flecto viam.
Captus amore tui numquam memoranda tacebo,
Te neque prætereo prætereundo locum.
Cui cum digna loquar, ſi ſillaba quarta recedat,
Præmiacum pollens præmia nomen habes.
Deliciis obſeſſus ager, viridantibus arvis,
Et naturalis gratia ruris ineſt.
Condita quo domus eſt, planus tumor exit in altum,
Nec ſatis elato vertice regnat apex.
Qua ſuper incumbens locus eſt devexus in amnem,
Florea gemmato gramine prata virent.
Leniter appulſus quotiens inſibilat Eurus,
Flexa ſupinatis fluctuat herba comis.
Hinc alia de parte ſeges flaveſcit ariſtis,
Pinguis & altricem palmes opacat humum.
Piſcibus innumeris non deficit unda Garonnæ,
Et ſi deſit agris, fruges abundat aquis.
Sed te quærebant hæc munera tanta, Leonti,
Solus defueras, qui bona plena dares.
Nam quod pulcra domus, quod grata lavacra niteſcunt,
Conſolidatorem te cecinere ſuum.
Attamen acquirant ut adhuc fabricanda decorem,
Temporibus longis hæc tua dona regas.

XXI. *De Ægicio flumine.*

LAus tibi forte minor fuerat, generoſa Garonna,
Si non exiguas alter haberet aquas.
Lubricat hic quoniam tenuato Ægicius hauſtu,
Profert divitias paupere fonte tuas.
Denique diſſimilem ſi comparet ullus utrumque,
Hic ubi fit rivus, tu, puto, Nilus eris.
Te famulans intrat, hunc ſed tua regna refrænant,
Gallicus Euphrates tu fluis, iſte latet.
Nam quantum oceanum tumidis tu curſibus auges,
Tantum de lymphis excitat iſte ſuis.
Torrida præſertim cum terris incubat æſtas,
Ac ſitiente ſolo triſtis anhelat ager.
Cum Titan radiis ferventibus exarat arva,

Et

Et calor ignifero vomere findit humum,
Languidus arentes fugiens vix explicat undas,
Et cum piſce ſuo palpitat ipſe ſimul.
Flumine ſubducto vacuatas lambit arenas,
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In limo migrante lacu conſumitur amnis,
Terraque fit ſterilis, quo fluit unda rapax.
Deficiunt uſto ſolatia cuncta rigore,
Nomine cum proprio triſtis & æger eget.
Forte viator iter gradiens non invenit hauſtus:
Unde alios recreet qui ſitit ipſe ſibi?
Se cupit infundi fluvius, ſi porrigis undas,
Si tamen eſt fluvius quem madefactat homo.
Gurgitis impreſſas labens rota ſignat aberas,
Atque reſudantes orbita ſiſtit aquas.
Si venias equitando diem ſub tempore cancri,
Vix tamen inſidens ungula mergit equi.
Vidimus exiguum de limo ſurgere piſcem,
Qui renitente luto naufragus errat humo.
Nil fluvius, nec campus adeſt, nec terra, nec unda,
Piſcibus inhabilem nullus arare poteſt.
Sola palude natans querulos dat rana ſuſurros;
Piſcibus excluſis advena regnat aquis.
At ſi forte fluat tenuis de nubibus imber,
Vix pluit in terris, jam tumet iſte minax.
Ingentes animos parva de nube reſumit,
Fit ſubito pelagus, qui fuit ante lacus.
Turbidus incedens undis eget ipſe lavari,
Semper inæqualis, cui nihil aut ſatis eſt.
Non ripis contentus agit compendia curſus,
Quod de monte bibit, per ſata plena vomit.
Vertice torrenti rapitur quaſi more tyranni,
Indignatus iter munera vaſtat agri.
Diſcurrit ſeges in fluvium, ſtat piſcis in arvo:
Ordine perverſo meſſe natante jacet.
Quæ fuerant ovibus, donantur paſcua ranis,
Prata tenent piſces, & trahit unda pecus.
Obtinet expulſus ſtabulum ſilveſtre Silurus,
Plus capitur terris quam modo piſcis aquis.
Sarcula quos foderent agros, male retia miſcent,
Figitur hic hamus, quo ſtetit ante palus.
Sors una eſt, piſci ſiccent, aut flumina creſcant:
Nunc reſidet limo, nunc jacet exul agro.
Sed cur triſte diu loquimur de gurgite parvo?
Uritur & verbis, nec recreatur aquis.
Sufficiat flagrare ſibi, cur addo vapores,
Atque bis æſtivum creſcere tempus ago?
Unica ſed tandem damus hæc ſolatia laudis,
Quod tribuit piſces evacuatus aquis.

LIBER II.

I. *De Nativitate Chriſti.*

AGnoſcat omne ſeculum
Veniſſe vitæ præmium,
Poſt hoſtis aſperi jugum
Apparuit redemptio.
Iſaias quæ concinit,
Completa ſunt in virgine.
Annunciavit angelus,
Sanctus replevit ſpiritus.
Maria ventre concipit
Verbi fidelis femina,
Quem totus orbis non capit,
Portant puellæ viſcera.
Radix Ieſſæ floruit,
Et virga fructus edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et virgo mater permanet.
Præſepe poni pertulit
Qui lucis auctor extitit,
Cum patre cælos condidit,
Sub matre pannos induit.
Legem dedit qui ſeculo,
Cujus decem præcepta ſunt,
Dignando factus eſt homo
Sub legis eſſe vinculo.
Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit.
Tumens quod ille dejicit,
Humillimus hic erigit.
Jam nata lux eſt & ſalus,
Fugata nox & victa mors:
Venite gentes, credite,
Deum Maria protulit.

II. *De Paſſione Chriſti.*

VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.
Confixa clavis viſcera,
Tendens manus veſtigia,
Redemptionis gratia
Hic immolatur hoſtia.
Qui vulneratus inſuper
Mucrone diro lanceæ,
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda ſanguine.
Impleta ſunt quæ concinit
David, fideli carmine,
Dicendo nationibus,
Regnabit a ligno deus.
Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit ſeculi,
Statera facta eſt corporis,
Prædam tulitque tartari.
Aroma fundis cortice,
Vincis ſaporem nectaris,
Jucunda fructu fertili
Plaudis triumpho nobili.
Salve ara, ſalve victima,
De paſſionis gloria,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam reddidit.

III. *De cruce Domini.*

PAnge lingua glorioſi prælium certaminis,
Et ſuper Crucis trophæo dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.
De parentis protoplaſti fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis morſu in mortem corruit,

Ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret.
Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde hoſtis, unde læſerat.
Quando venit ergo ſacri plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab arce patris natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali carne factus prodiit.
Vagit infans inter arcta conditus præſepia,
Membra pannis involuta virgo mater alligat,
Et pedes, manuſque, crura, ſtricta cingit faſcia.
Luſtra ſex qui jam peracta tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc, paſſioni deditus,
Agnus in crucis levatur immolandus ſtipite.
Hic acetum, fel, arundo, ſputa, clavi, lancea,
Mite corpus perforatur, ſanguis, unda profluit,
Terra, pontus, aſtra, mundus quo lavantur flumine.
Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis,
Nulla talem ſilva profert fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulce ſignum, dulce pondus ſuſtinet.
Flecte ramos arbor alta, tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille, quem dedit nativitas,
Ut ſuperni membra regis miti tendas ſtipite.
Sola digna tu fuiſti ferre pretium ſeculi,
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem ſacer cruor perunxit fuſus agni corpore.

Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit,
Atque cruore ſuo vulnera noſtra lavat.
Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi qua ſacer agnus oves.
Transfixis palmis ubi mundum a clade redemit,
Atque ſuo clauſit funere mortis iter.
Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis,
Quæ eripuit Paulum crimine, morte Petrum.
Fertilitate potens o dulce & nobile lignum,
Quando tuis ramis tam nova poma geris.
Cujus odore novo defuncta cadavera ſurgunt,
Et redeunt vitæ qui caruere die.
Nullum uret æſtus ſub frondibus arboris hujus:
Luna nec in noctem, Sol neque meridie.
Tu plantata micas, ſecus eſt ubi curſus aquarum,
Spargis & ornatas flore recente comas.
Appenſa eſt vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia ſanguineo vina rubore fluunt.

IV. *Item verſus in honorem Sanctæ Crucis vel Oratorii domus Eccleſiæ apud Turonos.*

Virtus celſa Crucis totum rite occupat orbem,
Hæc quando mundi perdita cuncta refert.
Quodque ferus ſerpens infecit felle veneni,
Chriſti ſanguis in hac dulce liquore lavat.
Quæque lupi fuerant raptoris præda ferocis,
In cruce reſtituit Virginis agnus oves.
Tenſus in his ramis cum plantis bracnia pendens,
Eccleſiam ſtabilit pendulus ipſe Cruce.
Hoc pius in ligno reparans deperdita pridem,
Quod vetiti ligni poma tulere boni.
Addita quinetiam virtutum flamma coruſcat,
Dona quod obſequiis crux parat ipſa ſuis.
Denique ſancta cruci hæc templa Gregorius offert,
Dum pallas coperit, ſigna gerendo crucis.
Dona repente dedit divina potentia Chriſtus,
Mox fuit & voti cauſa ſecuta pii.
Pallia nam meruit, ſunt quæ cruce textile pulchra,
Obſequiiſque ſuis crux habet alma cruces.
Serica qua niveis ſunt agnava blattea telis,
Et textis crucibus magnificatur opus.
Sic cito Pontifici dedit hæc devota voluntas,
Atque dicata cruci conſcia vela placent.
Unde ſalutifero ſigno tibi clare ſacerdos,
Hoc, cui complacuit, reddere magna valet.

V. *De Sancto Saturnino martyre.*

Janua celſa poli terra pulſante pateſcit,
Et recipit natos, quos generavit humus.
Admiranda hæc eſt occaſio facta ſalutis,
Ut de morte ſua præmia lucis emant.
Saturninus enim cupiens ſe nectere Chriſto,
Carnali in habitu noluit eſſe diu.
Vincula corporei diſſolvere carceris optans,
Plenius ut Domino ſe ſociaret homo.
Tempore maturo cum jam ſpes eſſet adulta,
Sumpſerunt pretium vota beata ſuum.
Dumque ſacerdotio frueretur in urbe Toloſa,
Et populis Chriſtum panderet eſſe Deum:
Oſtendens verbis, addens miracula factis,
Ut quod ſermo daret conſequeretur opus.
Gentiles animas rapiens de fauce Tyranni,
Subdebat regi, qui dedit arma ſibi.
Sed viriata malis, & plebs infecta venenis,
Curari effugiens, ægra jacere volens,
Comprendit male ſana virum, ad Capitolia duxit;
Atque ſuo medico vulnera plura dedit.
Pro pietate dolum, pro melle venena rependens,
Contra tutorem noxia bella movet.
Subligat indomiti Sanctum ad veſtigia tauri,
Et ſtimulat, fieret ne fuga tarda feri.
Peſſima mens hominum, diri nova beſtia monſtri,
Nec tauri indomiti ſufficit ira tibi.
Naturæ rabidæ feritatem adjungere noſti:
Quod per ſe neſcit, te ſtimulante furit.
Turba cruenta, nocens, hujus te vulnere perdis,
Et ſi non illi, parcere diſce tibi.
Hinc ferus impatiens mox curva per avia raptus
Paſſim membra pii fudit in urbe viri.
Tum mulier collegit ovans & condidit artus,
Una ſed famula participante ſibi.
Hæc fuit inſignis rapiendæ cauſa coronæ,
Gloria martyrii ſic celebranda nitet.
Ante ſepulcra pii dantur modo dona ſalutis,
Et corpus lacerum corpora multa fovet.
Dic ubi mors inimica jaces, ubi victa recumbis,
Quando vides Sancti funere vota dari?
Quæ male credebas obitu finire ſalutem,
Dat vitam multis, & tenet ipſe ſuam.
Nunc captiva cubas quæ te regnare putabas,
Invadendo peris, teque furendo necas.
Te tua pœna premit, tua te fera vincula torquent,
Quos dare vis gemitus, ipſa ferendo gemis.
Martyr ovans cælos retinet, tu livida, triſtis
Mors, inimica tibi Tartara nigra colis.
Florigera nunc ſede manet ſine fine beatus,
Inter odoratos thure calente choros.
Non aliquas meruit placato judice cauſas,
Præmia ſed miles victor habenda petit.
Digna triumphantem, quæ reſtat palma, ſequetur,
Pro te Chriſte mori, eſt gloria, vita, quies.

VI. *De Launebode duce, & Beretrude ejus conjuge, qui ædificaverunt templum Sancti Saturnini.*

LAudibus humanis reliquorum corda reſultent,
 At mihi de juſtis commemorare licet.
Nam pietatis opus victores texere libris,
 Admonet ingenium res ratione duplex.
Una quod eſt habilis de magnis magna fateri,
 Nam bona qui reticet, criminis auctor erit.
Altera cauſa monet, quoniam ſuccenſus amore,
 Et meliora cupit, qui ſua facta legit.
Saturninus enim martyr venerabilis orbi,
 Nec latet egregii palma beata viri.
Qui cum Romana properaſſet ab urbe Toloſam,
 Et pia Chriſticolis ſemina ferret agris.
Tunc veſana cohors Domini comprendit amicum,
 Inſtituitque pii membra terenda trahi.
Implicitus tauri pede poſteriore pependit,
 Tractus in obliquum dilaceratus obit.
Hac ope de terris animam tranſmiſit Olympo:
 O felix, cujus funere mors moritur!
Sed locus ille quidem, quo Sanctus vincula ſumpſit,
 Nullius templi fultus honore fuit.
Launebodes enim poſt ſecula longa Ducatum
 Dum gerit, inſtruxit culmina ſancta loci.
Quod nullus veniens Romana gente fabrivit,
 Hoc vir barbarica prole peregit opus.
Conjuge cum propria Beretrude clara decore,
 Pectore quæ blando clarior ipſa nitet.
Cui genus egregium fulget de ſtirpe potentum,
 Addidit ornatum vir venerando Deum.
Quæ manibus propriis alimonia digna miniſtrat,
 Pauperibus tribuens ſe ſatiare cupit.
Indefeſſa inopes Chriſti per templa requirit,
 Jugiter excurrens ad pietatis opus.
Nudos veſte tegit, ſitienti pocula profert,
 Se magis æterno fœmina fonte replet.
Proficit hoc etiam, quidquid gerit illa marito,
 Anxia pro cujus vota ſalute facit.
Dux meritis in gente ſua qui pollet opimis,
 Celſus ubique micans nobilitatis ope.
Sed quamvis altum teneat de ſtirpe cacumen,
 Moribus ipſe ſuos amplificavit avos.
Ergo pari voto maneant in ſecula juncti,
 Et micet ambobus conſolidatus amor.

VII. *Ad Clerum Pariſiacum.*

CŒtus honorifici decus & gradus ordinis ampli,
 Quos colo corde, fide, relligione, patres:
Jamdudum obliti deſueto carmine plectri,
 Cogitis antiquam me renovare lyram.
En ſtupidis digitis ſtimulaſtis tangere chordas,
 Cum mihi non ſolita currat in arte manus.
Scabrida nunc reſonat mea lingua rubigine verba;
 Exit & incompto raucus ab ore fragor.
Vix dabit in veteri ferrugine cotis acumen,
 Aut fumo infecto ſplendet in ære color.
Sed quia dulcedo pulſans quaſi malleus inſtat,
 Et velut incudi cura relifa terit.
Pectoris atque mei ſuccenditis igne caminum,
 Unde miniſtratur cordis in arce vapor.
Obſequor hinc, quia me veluti fornace recocto,
 Artis ad officium veſter adegit amor.

VIII. *Item in laudem Pariſiaci cleri.*

CElſa Pariſiaci cleri reverentia pollens,
 Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor.
Carmine Davidico divina poemata pangens,
 Curſibus aſſiduis dulce revolvis opus.
Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo;
 Illos canities, hos ſtola pulcra tegit.
Illis pallor ineſt, rubor his in vultibus errat,
 Et candent rutilis lilia mixta roſis.
Illi jam ſenio, ſed & hi bene veſtibus albent,
 Ut placeat ſummo picta corona Deo.
In medio Germanus adeſt Antiſtes honore,
 Qui regit hinc juvenes, ſubregit inde ſenes.
Levitæ præeunt, ſequitur gravis ordo Ducatum,
 Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ipſe tamen ſenſim incedit velut alter Aaron,
 Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, cidarim, aurum, purpura, byſſus,
 Exornant humeros, ſed micat alma fides.
Iſte ſatis melior veteri quam lege Sacerdos,
 Hic quia vera colit, quod prius umbra fuit.
Magna futura putans, præſentia cuncta refellens,
 Antea carne carens, quam caro ſine ruens.
Sollicitus quemquam ne devoret ira luporum,
 Colligit ad caulas paſtor opimus oves.
Aſſiduis meritis ad paſcua ſalſa vocatus,
 Grex vocem agnoſcens currit amore ſequax.
Miles ad arma celer ſignum mox tinnit in aures,
 Erigit excuſſo membra ſopore thoro.
Advolat ante alios myſteria ſacra requirens,
 Undique quiſque ſuo templa petenda loco.
Flagranti ſtudio populum domus irrigat omnis,
 Certatimque monent quis prior ire valet.
Pervigiles noctes ad prima crepuſcula jungens,
 Conſtruit Angelicos turba verenda choros.
Greſſibus exertis in opus venerabile conſtans,
 Vim factura polo cantibus arma movet.
Stamina pſalterii lyrico modulamine texens,
 Verſibus ordirum carmen amore trahit.
Hinc puer exiguis attemperat organa cannis;
 Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.
Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
 Diſparibuſque tropis fiſtula dulce ſonat.
Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,
 Atque hominum reparant verba canora lyram.
Leniter iſte trahit modulos, rapit alacer ille,
 Sexus & ætatis ſic variatur opus.
Triticeas fruges fervens terit area Chriſti,
 Horrea quandoquidem conſtruitura Dei.
Voce creatoris reminiſcens eſſe beatos,
 Quos Dominus vigilans, dum redit ipſe, videt.
In quorum meritis, animo, virtute, fideque,
 Tegmine corporeo lumina quanta latent!
Pontificis monitis clerus, plebs, pſallit & infans,
 Unde labore brevi fruge replendus erit.
Sub duce Germano felix exercitus hic eſt,
 Moyſes tende manus, ut tua caſtra juves.

IX. *De Situ Pariſiacenſis Eccleſiæ.*

SI Salomoniaci memoretur machina templi,
 Arte licet par ſit, pulchrior iſta fide.
Nam quæcumque illic veteris velamine legis
 Clauſa fuere prius, hic reſerata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,

Clarius

Clarius hic Chriſti ſanguine tincta nitet.
Illam aurum, lapides, ornarunt ligna cedrina,
Huic venerabilior de cruce fulget honor.
Conſtitit illa vetus ruituro ſtructa talento:
Hæc pretio Mundi ſtat ſolidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia major ineſt.
Prima capit radios vitreis oculata feneſtris,
Artificiſque manu clauſit in arce diem.
Curſibus Auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque ſuis radiis hic ſine Sole micat.
Hæc pius egregio Rex Childebertus amore,
Dona ſuo populo non moritura dedit.
Totus in affectu divini cultus adhæreos,
Eccleſiæ juges amplificavit opes.
Melchiſedech noſter merito Rex atque Sacerdos,
Complevit laicus relligionis opus.
Publica jura regens, & celſa palatia ſervans,
Unica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illic meritorum vivit honore,
Hic quoque geſtorum laude perennis erit.

X. *De Eccleſia Moguntiæ civitatis.*

Ardua ſacrati baptiſmatis aula coruſcat,
Quo delicta Adæ Chriſtus in amne lavat.
Hic paſtore Deo puris grex mergitur undis,
Ne maculata diu vellera geſtet ovis.
Traxit origo necem de ſemine, ſed pater orbis
Purgavit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antiſtes Sidonius extulit arcem,
Qui Domini cultum templa novando fovet.
Struxit Berthoaræ voto complente Sacerdos,
Quæ decus Eccleſiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei ſplendor pietate coruſcans,
Templorum cultrix prodiga pauperibus.
Seminat unde metat fruges ſpargendo recondens:
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna patri te Theodeberte reformans,
Rexiſti patriam qui pietate patris.
Et comitante fide revocaſti ex hoſte triumphos,
Sed capti pretio mox reddere tuo.
Eccleſiæ fultor, laus Regum, paſtor egentum,
Cura Sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cujus dulce jugum nullus gemuiſſe fatetur,
Vivis adhuc meritis Rex in amore tuis.

XI. *De Baſilica Sancti Georgii martyris, quam ædificavit Sidonius Archiepiſcopus Moguntinus.*

Martyris egregiis pollens micat aula Georgi,
Cujus in hunc mundum ſpargitur altus honor,
Carcere, cæde, fame, vinclis, ſite, frigore, flammis,
Confeſſus Chriſtum duxit ad aſtra caput.
Qui virtute potens Orientis in axe ſepultus,
Ecce ſub Occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces & reddere vota viator,
Obtinet hic meritis quod petit alma fides.
Condidit Antiſtes Sidonius iſta decenter,
Proficiant animæ quæ nova templa ſuæ.

XII. *De Oratorio a Traſaico conſtructo.*

Lucida perſpicui nituerunt limina templi,
Quo capit haud dubiam ſpem veneranda fides.
Hæc eſt aula Petri, cælos qui clave catenat,
Subſtitit & pelagus quo gradiente lapis.
Sedibus his habitat Paulus tuba Gentibus una:
Et qui prædo prius, hic modo præco manet.
Martini domus eſt Chriſtum qui veſtit egentem,
Regem tyro tegens, atque homo jure Deum.
Ecce ſacerdotis ſacri micat aula Remigi
Qui tenebras mundi liquit & aſtra tenet.
Cultor opime Dei templum Traſaice locaſti,
Has cui perſolvis, reddit amator opes.

XIII. *De Sanctis Agaunenſibus.*

Turbine ſub mundi cum perſequerentur iniqui,
Chriſticolaſque daret ſæva procella neci;
Frigore depulſo ſuccendens corda peregit,
Rupibus in gelidis fervida bella fides.
Quo pie Maurici ductor legionis opimæ,
Traxiſti fortes ſubdere colla viros.
Queis poſitis gladiis ſunt arma e dogmate Pauli,
Nomine pro Chriſti dulcius eſſe mori.
Pectore belligero poterant qui vincere ferro,
Invitant jugulis vulnera chara ſuis.
Hortantes ſe cæde ſua ſic ire ſub aſtra,
Alter in alterius cæde natavit heros.
Adjuvit rapidas Rhodani fons ſanguinis undas,
Tinxit & Alpinas ira cruenta nives.
Tali fine polos felix exercitus intrans,
Junctus Apoſtolicis plaudit honore choris.
Cingitur Angelico virtus trabeata ſenatu,
Mors fuit unde prius, lux fovet inde viros.
Ecce triumphantum ductor fortiſſime tecum,
Quatuor hic procerum pignora ſancta jacent.
Sub luteo tumulo latitat cæleſte talentum,
Divitiaſque Dei vilis arena tegit.
Qui faciunt ſacrum paradiſi creſcere cenſum,
Hæredes Domini luce perenne dati.
Sydereo chorus iſte throno cum carne locandus,
Cum veniet judex, arbiter orbis erit.
Sic pia turba ſimul feſtinans cernere Chriſtum,
Ut cælos peteret, de nece fecit iter.
Fortunatus enim per fulgida dona Tonantis,
Ne tenebris crucier, quæſo feratis opem.

XIV. *De Sancto Hilario Pictavorum Epiſcopo.*

Si Hilarium quæris qui ſit cognoſcere, lector;
Allobroges referunt Pictaviis genitum.
Cum populum regeret divina mente Sacerdos,
Servabat legis fœdera ſollicitus.
Improbus ut vidit plebes quod ſcinderet error,
Græcorum virus protulit in medium.
Vipereo promunt ſemper qui ex corde venena,
Filius ut dicant eſt creatura Dei.
Queis magis auxilium præſtat ſapientia mundi,
De ingenito genitum quæ negat eſſe Deum.
Quam male complexus cupiens calcare prophetas,
Arius infelix cum retinet, crepuit.
Egregius Doctor veterum monumenta ſequutus,
Quem Stephanus vidit, comprobat eſſe Deum.
Victus amore Dei, contempto principe mundi,
Intemerata fide pertulit exilium.
In Patre quique potens Deus eſt cognoſcere natum,
Divinis tantum vocibus inſinuat.
Perpetuum lumen Chriſtum Dominumque Deumque
Biſſenis populos edocet eſſe libris.

Lux

Lux ſincera animi ſemper mihi dulcis Hilari,
Quamvis abſentem quem mea cauſa videt.
Cujus honeſtus amor tantum mea corda replevit,
Ut ſine te numquam mente vacante loquar.

XV. *De Sancto Medardo Epiſcopo.*

INter Chriſticolas quos actio vexit in aſtra,
Pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet.
Qui ſic vixiſti terrenis hoſpes in oris,
Ut cælos patriam redderes eſſe tuam.
Exilium ubi mundus erat, cænoſa caventi,
Et modo te gaudet cive manente polus.
Exutus tenebris, veſtitus tegmine lucis,
Poſt obitum frueris liberiore die.
De tellure ſatus factus poſſeſſor Olympi,
Et matrem linquens cum patre læta tenes.
Humani victor vitii ſuper aſtra triumphas,
Atque cremans carnem das animæ requiem.
Te inter mundanos vepres gradiente, fatemur
Calcatis ſpinis promeruiſſe roſas.
Flore refertus ager ſuaves tibi fundit odores,
Balſama, thura replent, quæ paradiſus habet.
Cauta per anguſtum figens veſtigia callem:
Sic dedit arcta tibi ſemita lucis iter.
Lata voluptatum via quæ ſubmergit Averno,
Dulcia carnis alens mortis amara parat.
Hoc nunquam ſacros flexiſti tramite greſſus;
Nec potuere tuos prava tenere pedes.
Durum iter ad laudes, gravior via ducit in altum,
Quo labor eſt potior, gloria major erit.
Quæ prius incipiam ſacri miracula facti,
Cum quicquid facias, omnia prima micent.
Dum fugit ad ſuperos humano in corpore vita,
Ex oculis fugiens lux tibi cordis erat.
Si cæcus venit, rapuit palpando ſalutem,
In mediis tenebris fulſit aperta dies.
Qui voluit furti cauſas penetrare latentes,
Te religante ſedet, te reſerante fugit.
Fur ſine perfecto voto deceptus inani,
Omnia reſtituens, crimina fraudis habet.
Nam ſemel ut molles carpſerunt palmitis uvas,
Non valuere gradus inde referre foras.
Nec potuit raptor pedibus ſubducere prædam,
Raptori abduxit ſed ſua præda pedes.
Ecce ſuis laqueis cœpit miſer eſſe ligatus:
Venerat ut caperet, captus at ipſe fuit.
Nec tetigit muſtum, ſed iniqua mente rotatur,
Antea quam biberet, ebria turba jacet.
Incepit ſervare magis quam ferre racemos:
Et datus eſt cuſtos, qui cupit eſſe rapax:
Donec Sancte tuis verbis juſſiſſes abire,
Ut fructum impleret, doctus ab hoſte redit.
Quæ manet hæc animi pietas, Sanctiſſime præſul,
Lædentem auxilio qui facis ire tuo?
Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere ſolet.
Abſconditque ſinu, fœno præcludit hiatum,
Et tenet ipſe manu, ne manifeſtet opus.
Te veniente, Sacer, cauſas patefecit apertas,
Tinnitu incipiens jam quaſi furta loqui.
Nil valet abſcondi, nil claudi, nilve teneri,
Facundo ſtrepitu prodidit omne malum.
Pandebat propriam veluti ſub judice cauſam,
Nil de fure timens liberiore ſono.
Judicat, accuſat, convincit, damnat, acerbat,
Te præſente tamen non licet eſſe reum.
Abſolvis furem ſolitæ pietatis amore,
Addens & monitis, cautus ut intret iter.
Præcipiens querulam ſecum portare rapinam,
Ne vacua triſtis ſpe remearet inops.
Hinc tamen, ut potero, cum raptus ab orbe fuiſſes,
Quæ dederis populis ſigna verenda loquar.
Cum pia compoſito veherentur membra feretro,
Subtractum meruit cæcus habere diem.
Anxius ille ſacra lumen ſuſcepit ab umbra,
Et tua mors illi lucis origo fuit.
Dumque ſepulcra darent, oculi rediere ſepulti,
Et ſopor ille tuus hunc vigilare facit.
Cum fugis a mundo, datur illi lumine mundus,
Te linquente dies, hunc fugiunt tenebræ.
Antiqui vultus lucem ſtupuere modernam,
Et veteri fabricæ prima feneſtra venit.
Compedibus validis alter maniciſque ligatus,
Ut tetigit templum, ferrea vincla cadunt.
Tam grave fragmentum dolor eſt vel cernere pœnam,
Pondera tot miſeros ſuſtinuiſſe pedes.
Si connexa forent, elephantem ſolvere poſſent,
Nec poterat rigidos ipſe movere gradus.
Non minus eſt illi, cui ſubvertente procella,
Littoribus Libycis anchora fracta jacet.
Pœna quidem gravior cecidit creſcente triumpho,
Vincere rem ſævam gloria major erat.
Non habuit tot vincla pati miſer ille ligatus,
Sed tua quo virtus plus mereretur opus.
Cum ſolidarentur, non ſic ſtrepuere catenæ,
Ceu tinniverunt, cum crepuere feræ.
Quæ fuit illa prius nimiis male vincta catenis,
Jam tibi qui ſolvis libera dextra favet.
Lignea vincla gerens alter confugit ad aulam,
Quæ ſimili merito ſciſſa repente cadunt.
Nec mora: vix tetigit ſacrati limina templi,
Fit tonitrus cælis arma ferendo tibi.
Grandia diviſi ceciderunt pondera ligni,
Et qui geſſit onus, corruit ipſe ſimul.
Expavit ſubito de libertate recepta,
Atque magis timuit, quando ſolutus erat.
Quæ ratio fuerit, cecidit cur pronus in arvis,
Gaudia magna quidem ſæpe timere ſolent.
Dum ſtupet unde ſalus laceris eſt reddita plantis,
Admirante animo membra ſoluta fluunt.
Inde vetus mulier pariter naſcente periclo,
Vulnere naturæ mortua membra tulit.
Incluſos digitos morbo numerante tenebat:
Nec poterat ducto pollice fila dare.
Secum nata quidem, ſed non ſua dextra pependit,
Corpore juncta ſuo res aliena fuit.
Tempore ſed tardo, cum jam ſpes fracta jaceret,
Ante tuum tumulum vivificata manus.
Sic inopinatum commendat gratia votum:
Deſperata ſalus dulcior eſſe ſolet.
Mobilis ergo venit digitis torpentibus humor,
Et diſpenſatus fluxit in ungue vigor.
Arida nervorum ſeſe junctura tetendit,
Agnovitque ſuum vena ſoluta locum.
Apta miniſteriis incœpit palma moveri,
Servitium diſcens libera dextra fuit.
Nec tantum profugo pietas tua reddidit artus,
Reddidit & victum penſa trahente manu.
Eripuiſti aliam ſimili de peſte puellam,
Membraque reſtituens plus animæ tribuis.
Deſponſata viro mortali lege jacebat,

Nunc thalamis Chriſti virgo dicata micat.
Sponſa quidem radiat cum virginitate modeſta,
Spe meliore fruens nupta tenenda polis.
Nec fructus uteri ſterilis deperdit honeſti,
Flore pudicitiæ mater habenda placet.
Adquirit cunctos, natum quæ non habet unum,
Progeniemque ſibi gignit amore Dei.
Inde pari morbo deflenda infantia parva,
In lucem veniens membra necata trahit.
Mors & origo ſimul miſera proceſſit ab alvo,
Extinctam generans mater anhela manum.
Commendata tuo rediit medicata ſepulcro,
Quod de matre perit, de tumulo recipit.
Dum jacet alter inops viſu caligine clauſo
Cæcus, nec miſero lumine lumen erat.
Longaque nox oculos quarto jam menſe premebat,
In lucem obſcurus, vivus imago necis.
Vocibus hunc medicis monuiſti tempore ſomni,
Tenderet ut velox ad tua templa gradum:
Mox veniente die, ſed non ſibi forfice preſſa,
Enituit Chriſti vertice tonſus ovis.
Detrahit hic crines, nitidos ut haberet ocellos,
Et mercante coma munera lucis emat.
Qui titubante gradu tractus pervenit ad aulam,
Per biduum recubans ante ſepulcra fuit.
Tertia lux rediens nocturnas ſolverat umbras,
Et cæco occurrit ſic revocata dies.
Undique linitæ cecidere a fronte tenebræ,
Sanguinis unda rigat, luminis atra lavat.
Sicca lucerna novo flagrante refulſit olivo,
Obtinuitque ſuum lux peregrina locum.
Quid referam mutis qui verbo verba dediſti,
Quod gravat ejiciens, quod juvat omne locans.
Cuncta nec e numero tua me præconia vincunt,
Et ſi non potui, velle fuiſſe, vide.
En tua templa colit nimio Sigebertus amore,
Inſiſtens operi promptus amore tui.
Culmina cuſtodi qui templum in culmina duxit,
Protege pro meritis qui tibi tecta dedit.
Hæc pia pauca ferens ego Fortunatus amore,
Auxilium poſco; da mihi vota precor.

L I B E R III.

I. *Verſus in laudem Ephronii Epiſcopi compoſiti.*

QUamvis pigra mihi jaceat ſine fomite lingua,
Nec valeam digitis reddere digna viris:
Attamen, alme pater, Chriſti venerande Sacerdos,
Euphroni cupio ſolvere parva tibi.
Debeo multa quidem, ſed ſuſcipe pauca libenter,
Sit veniale precor, quod tuus edit amor.
Eccleſiæ lampas ſub te radiante coruſcat,
Lumine Pontificis fulget ubique fides.
Gratia præcellens ſincero in pectore vernat,
Quo nullus dolus eſt Iſraelita vir es.
Immaculata tibi feliciter actio currit,
Ut penetres cælos hæc via pandit iter.
Dulcia colloquii ſine fuco dicta refundis,
Non ſic mella mihi, quam tua verba placent.
Quidquid habet ſenſus, hoc lingua ſerena relaxat,
Pectore ſub veſtro fraus loca nulla tenet.
Qui ſine felle manes in ſimplicitate columbæ,
Nec ſerpens in te dira venena fovet.
Advena ſi veniet, patriam tu reddis amatam,
Et per te proprias hic habet exul opes.
Si quis iniqua gemit, triſtis hinc nemo recedit,
Sed lacrimas removens lætificare facis.
Martinus meritis hac vos in ſede locavit,
Dignus eras hæres, qui ſua juſſa colis.
Ille tenet cælum largo dans omnia voto,
Junctus eris Chriſto hunc imitando virum.
Non perit hic veſtrum qui grex ad ovile recurrit,
Candida nec ſpinis vellera perdit ovis.
Non lupus ore rapit prædam paſtore vigente,
Sed fugit excluſus non lacerando greges.
Hæc tibi lux maneat longos, venerande, per annos,
Atque futura dies lucidiora ferat.

II. *Ad Felicem Epiſcopum Eccleſiæ Namneticæ.*

SI veniant linguæ pariter Græca atque Latina,
Pro meritis nequeunt ſolvere cuncta tuis.
Laudibus obſeſſus, votis venerandus haberis,
Felix qui ſenſus luce perennis eris.

III. *Item ad eumdem Felicem, ex ſuo nomine.*

FIda ſalus patriæ, Felix ſpe, nomine, corde,
Ordo ſacerdotum quo radiante micat.
Reſtituis terris, quod publica jura petebant,
Temporibus noſtris gaudia priſca ferens.
Vox procerum, lumen generis, defenſio plebis,
Naufragium prohibes hic, ubi portus ades.
Auctor Apoſtolicus, qui jura Britannica vincens,
Tutus in adverſis ſpe crucis arma fugas.
Vive decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noſter & orbis amor.

IV. *Item ad Felicem Epiſcopum: De dedicatione Eccleſiæ ſuæ.*

CUm Salomon coleret generoſi encænia templi,
Iſraeliticus fecit adeſſe viros.
Levitas, proceres, pueros, juveneſque ſeneſque,
Undique certatim regia pompa trahit.
Mactantur vituli, tauri jugulantur ad aras,
Et populi in votis gaudia cædis erant.
Nunc vero aſſurgit ritu placitura beato,
Tempore decurſo juſtior ara Deo
Proſpera quæ populis Felix modo feſta miniſtrans
Exuperat rebus geſta priora novis.
Convocat egregios ſacra ad ſolemnia patres,
Quo ſtat vera ſalus, & fugit umbra vetus.
Docti clave Petri cælos aperire potenti,
Ac monitis Pauli noſcere clauſa poli.
Ne lupus intret oves, ne morbus vulneret agnos,
Hinc ſunt cuſtodes, inde medela gregis.
Quorum vox refluens populo de fonte ſalutis,
Ut bibat aure fidem, porrigit ore ſalem.
Inter quos medios Martini ſede Sacerdos,
Euphronius fulget metropolita ſacer.
Plaudens in ſancta fratrum coeunte corona,
Et ſua membra videns fortior extat apex.
Lætius inde caput, quia ſunt ſua viſcera ſecum,
Eccleſiæ juncto corpore creſcit honor.
Domitianus, item Victorius, ambo columnæ,
Spes in utriſque manens pro regionis ope.
Domnulus hic fulgit meritis, Maracharius inde,
Jure ſacerdotii cultor uterque Dei.

Inſpe-

Inſpectata diu data nunc memoranda per ævum,
  Votis plena piis fulget in orbe dies:
In qua promeruit ſua gaudia cernere paſtor,
  Officioque ſacro reddere vota Deo.
Tempore qui longo adventu pendebat in iſto,
  Deſpiciens aliud, hoc erat omnis amor.
Omnia tuta timens ſuſpecto in trămite vitæ,
  Ne prius iret iter, quam daret iſta Deo.
Sæpius occultans ſuſpiria laſſa trahebat,
  Cederet ut Dominus hoc properare decus.
Anxius incerto curarum falce laborans,
  Dum votum expectat, pondera tempus erant.
Sed jam feſtus adeſt, ſolvatur ſarcina curæ,
  Lætitiæ cumulus triſte repellat onus.
Proſpera dans populis & gaudia larga per urbem,
  Felix felici cum grege paſtor age.
Hinc te Pontifices circumdant, inde miniſtri.
  Cingit te totum hinc honor, inde favor.
Clericus ecce choris, reſonat plebs inde choraulis.
  Quiſque tuum votum, qua valet, arte canit.
Tarda fuere tibi, quia fit mora ſemper amanti,
  Res ſublimis enim tarda, ſed ampla venit.
Nunc Domini laudes inter tua claſſica canta,
  Et Dictatis opem machina trina ſonet.
Adde medullata in templis holocauſta ſacerdos,
  Quo diuturna mices hoſtia pura Deo.

V. *In honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum reliquiæ continentur in Namnetica Eccleſia.*

SIderei montis ſpecioſa cacumina Sion,
  A Libano gemini flore comante cedri.
Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
  Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apoſtolicas radianti luce coronas,
  Doctior hic monitis, celſior ille gradu.
Hunc per corda hominum reſerantur, & aſtra per illum,
  Quos docet iſte ſtylo, ſuſcipit ille polo:
Pandit iter cæli hic dogmate, clavibus alter;
  Eſt via cui Paulus, janua fida Petrus.
Hic petra firma manens, ille architectus habetur:
  Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Uno fonte pares medicata fluenta rigantes,
  Reſtinguunt avidam dulce liquore ſitim.
Fortia bella gerens quiſquis cupit aſtra tenere,
  Rex dedit hos proceres militis eſſe duces.
Gallia plaude libens, mittit tibi Roma ſalutem,
  Fulgor Apoſtolicus viſitat Allobroges.
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt,
  Quos fidei turres urbs caput orbis habet.
Hi radiant oculi pretioſo in corpore Chriſti,
  Lumine qui proprio cetera membra regunt.
Munere Felicis cæli cape Gallia fruges,
  Pontificiſque tui vota beata cole.
Cujus caſtus amor dedit hanc in honore ſuperno
  Eccleſiæ nuptæ dote perenne domum.
Vertice ſublimi patet aulæ forma triformis,
  Nomine Apoſtolico ſanctificata Deo.
Quantum inter Sanctos meritum ſupereminet illis,
  Celſius hæc tantum culmina culmen habent.
In medium turritus apex ſuper ardua tendit,
  Quadratumque levans criſta rotundat opus.
Altius ut ſtupeas arce aſcendente per arcus,
  Inſtar montis agens ædis acumen habet.
Illic expoſitos fucis animantibus artus,
  Vivere picturas arte reflante putes.
Sol vagus ut dederit per ſtagnea tecta colorem,
  Lactea lux reſilit, cum rubor inde ferit.
Ite redire vides radio criſpante figuras,
  Atque lacunar agit, quod maris unda ſolet.
Fulgorem aſtrorum meditantur tecta metallo,
  Et ſplendore ſuo culmina ſidus habent.
Luna coronato quotiens radiaverit ortu,
  Alterum ab æde ſacra ſurgit ad aſtra jubar.
Si nocte inſpiciat hanc prætereundo viator,
  Et terram ſtellas credet habere ſuas.
Tota rapit radios patulis oculata feneſtris,
  Et quod mireris hic foris, intus habes.
Tempore quo redeunt tenebræ, mihi dicere fas ſit,
  Mundus habet noctem, detinet aula diem.
Dextera pars templi meritis præfulget Hilari,
  Compare Martino conſociante gradu.
Gallia hic proprios diffundit ubique patronos,
  Quos hic terra tegit, lumina mundus habet.
Altera Ferreoli pars eſt qui vulnere ferri,
  Munere martyrii gemma ſuperba nitet.
Obtulit hæc Felix ut ſit magis ipſe Sacerdos,
  Chriſte tuum templum, qui tibi templa dedit.

VI. *In laudem Felicis Epiſcopi.*

ILluxit feſtiva dies, me gaudia cogunt,
  Ut quod plebs poterat, ſolus amore loquar.
Ultima ſit quamvis regio Armoricus in orbe,
  Felicis merito cernitur eſſe prior.
Miſerunt ſimiles Oriens & Gallia ſortes:
  Illa micat radiis Solis, & iſta tuis.
Nam ſplendore novo ſua munera quiſque miniſtrat,
  Tu fers Oceano lumen, & ille Rubro.
Denique ſi ſenſus claro pro lampade fulget,
  Ingenium veſtrum luminis inſtar habet.
Maxima progenies titulis ornata vetuſtis,
  Cujus & a proavis gloria celſa tonat.
Nam quicumque potens Aquitanica rura ſubegit,
  Extitit ille tuo ſanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile culmen in orbe,
  Laudibus in cujus militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
  Eloquii flumen, fons ſalis, unda loquax:
Semina doctrinæ, jus cauſæ, terminus iræ,
  Cujus in ingenium huc nova Roma venit.
Illic quod poterat perplures illa docere,
  Te contenta ſuo Gallia cive placet.
Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
  Et te concelebrant hinc opus, inde genus.
Sed qui terrena de nobilitate nitebas,
  Eccleſiam nunc ſpe nobiliore regis.
Cujus ad ornatum bene cultor jugiter inſtans,
  Ut jam multa Deo ſplendida dona dares.
Nupſiſti Eccleſiæ, felicia vota jugaſti,
  Hanc qui matronam te potiente reples.
Cujus in amplexu ducis ſine crimine vitam,
  Altera nec mulier corde recepta fuit.
Hanc oculis, animo retines & corde pudico,
  Unde tibi nupſit, caſtior inde manet.
Illa tibi prolem peperit, ſed corpore virgo,
  Et populum gremio fudit amata tuo.
Ecce tuos natos divina ex conjuge ſumptos,
  Et modo te gaudent, quos patris umbra tegit.
Proque ſalute gregis paſtor per compita curris,
  Excluſoque lupo tuta tenetur ovis.
Inſidiatores removes vigil arte Britannos,

Nullius arma valent, quod tua lingua facit.
Tu quoque jejunis cibus es, tu panis egenti,
Quæ tibi quiſque cupit, hic ſua vota videt.
Divitias proprias in pauperis ore recondis,
Largas mendici ventre reponis opes.
Tempore quo veniet Chriſtus, tunc omnia vobis,
Judicis in facie ſacculus iſte refert.
Sic tibi fixa ſalus numeroſos ampla per annos,
Perpetuo felix nomine, mente, fide.

VII. *Hymnus de Reſurrectione Domini, ad Felicem Epiſcopum.*

SAlve feſta dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediſſe ſuo.
Tempora florigero rutilant diſtincta ſereno,
Et majore poli lumine porta patet.
Altius ignivomum ſolem cæli orbita ducit,
Qui vagus Oceanas exit & intrat aquas.
Armatus radiis elementa liquentia luſtrans,
Adhuc nocte brevi tendit in orbe diem.
Splendida ſincerum producunt æthera vultum,
Lætitiamque ſuam ſidera clara probant.
Terra favens vario fundit munuſcula fœtu;
Cum bene vernales reddidit annus opes.
Mollia purpureum pingunt violaria campum,
Prata virent herbis, & micat herba comis.
Paulatim ſubeunt ſtillantia lumina florum,
Arridentque oculis gramina tincta ſuis.
Semine depoſito lactans ſeges exilit arvis,
Spondens agricolæ vincere poſſe famem.
Caudice defecto lacrimat ſua gaudia palmes,
Unde merum tribuat, dat modo vitis aquam.
Cortice de matris tenera lanugine ſurgens,
Præparat ad partum turgida gemma ſinum.
Tempore ſub hyemis foliorum crine revulſo,
Jam reparat viridans frondea tecta nemus.
Myrta, ſalix, abies, corylus, ſiler, ulmus, acernus,
Plaudit quæque ſuis arbor amœna comis.
Conſtructura favos apis hinc alvearia linquens,
Floribus increpitans poplite mella rapit.
Ad cantum revocatur avis, quæ carmine clauſo,
Pigrior hyberno frigore muta fuit.
Hinc Philomela ſuis attemperat organa cannis,
Fitque repercuſſo dulcior aura melo.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum Domino vota rediſſe ſuo.
Namque triumphanti poſt triſtia Tartara Chriſto,
Undique fronde nemus, gramina flore favent.
Legibus inferni oppreſſis ſuper aſtra meantem,
Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.
Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat,
Dantque creatori cuncta creata precem.
Nobilitas anni, menſium decus, alma dierum,
Horarum ſplendor, ſcripula cuncta fovens.
Hinc tibi ſilva comis plaudit, hinc campus ariſtis,
Hinc grates tacito palmite vitis agit.
Sic tibi nunc avium reſonant virgulta ſuſurro,
His inter minimus paſſer amore cano.
Chriſte ſalus rerum, bone conditor atque redemptor,
Unica progenies ex Deitate patris.
Irrecitabiliter manans de corde parentis,
Verbum ſubſiſtens, & penetrare potens,
Æqualis, concors, ſocius cum patre coævus,
Quo ſumpſit mundus principe principium.
Æthera ſuſpendis, ſola congeris, æquora fundis,
Quæque locis habitant, quo moderante vigent.
Qui genus humanum cernens merſum eſſe profundo,
Ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Nec voluiſti etenim tantum te corpore naſci,
Sed caro quæ naſci pertulit, atque mori.
Funeris exequias pateris vitæ auctor & orbis,
Intras mortis iter dando ſalutis opem.
Triſtia ceſſerunt infernæ vincula legis,
Expavitque Chaos luminis ore premi.
Depereunt tenebræ Chriſti fulgore fugatæ,
Et terris noctis pallia craſſa cadunt.
Pollicitam ſed redde fidem precor alma poteſtas,
Tertia lux rediit, ſurge ſepulte meus.
Non decet ut humili tumulo tua membra tegantur,
Neu pretium mundi vilia ſaxa premant.
Indignum eſt cujus clauduntur cuncta pugillo,
Ut tegat incluſum rupe vetante lapis.
Lintea tolle precor, ſudaria linque ſepulcro,
Tu ſatis es nobis, & ſine te nihil eſt.
Solve catenatas inferni carceris umbras,
Et revoca ſurſum quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem, videant ut ſecula lumen,
Redde diem qui nos te moriente fugit.
Sed plane impleſti remeans pie victor ad orbem,
Tartara preſſa jacent, nec ſua jura tenent.
Inferus inſaturabiliter cava guttura pandens,
Qui rapuit ſemper fit tua præda, Deus.
Eripis innumerum populum de carcere mortis,
Et ſequitur liber quo ſuus auctor adit.
Evomit abſorptam trepidam fera bellua prædam,
Et de fauce lupi ſubtrahit agnus oves.
Hinc tumulum repetens poſt tartara carne reſumpta,
Belliger ad cælos ampla trophæa refers.
Quos habuit pœnale Chaos, jam reddidit in te,
Et quos mors peteret, hos nova vita tenet.
Rex ſacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cum puras animas ſancta lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,
Et grege de niveo gaudia paſto habet.
Additur hac Felix conſors mercede ſacerdos,
Qui dare vult Domino dupla talenta ſuo.
Ad meliora trahens gentili errore vagantes,
Beſtia ne raperet, munit ovile Dei.
Quos prius Eva nocens infecerat, hos modo reddit,
Eccleſiæ paſtos ubere, lacte, ſinu.
Mitibus alloquiis agreſtia corda colendo,
Munere Felicis de vepre nata ſeges.
Aſpera gens taxo, vivens quaſi more ferino,
Te medicante, Sacer, bellua reddit ovem.
Centeno reditum tecum manſura per ævum,
Meſſi abundantis horrea fruge reples.
Immaculata tuis plebs hæc vectetur in ulnis,
Atque Deo purum pignus ad aſtra feras.
Una corona tibi de te tribuitur ab alto,
Altera de populo vernet adepta tuo.

VIII. *Ad Felicem Epiſcopum, cum alibi detorqueret fluvium.*

CEdant antiqui quidquid meminere Poetæ,
Vincuntur rebus facta vetuſta novis.
Includi fluvios ſi tunc ſpectaſſet Homerus,

Inde

Inde ſuum potius dulce repleſſet opus.
Cuncti Felicem legerent modo, nullus Achillem,
Nomine ſub cujus creſceret artis honor.
Qui probus ingenio mutans meliore rotatu,
Currere priſca facis flumina lege nova.
Aggere compoſito removens in gurgite lapſum,
Quo natura negat, cogis abire viam.
Erigis hic vallem, ſubdens ad concava montem,
Et vice converſa hæc tumet, ille jacet.
Alter in alterius migravit imagine formam,
Mons in valle ſedet, vallis ad alta ſubit.
Quo fuit nuda fugax, crevit pigro obice terra,
Et quo prora prius, huc modo plauſtra meant.
Collibus adverſis flexas ſuper invehis undas,
Et fluvium docilem monte vetante trahis.
Qua rapidus flueret, veniens celer amnis adhæſit,
Et ſubito, nato colle, retorſit iter.
Quæ prius in præceps, veluti ſine fruge, rigabant,
Ad victum plebis nunc famulantur aquæ.
Altera de fluvio meritur ſeges orta virorum,
Cum per te populo parturit unda cibum.
Qualiter incertos hominum ſcis flectere motus,
Qui rapidos fontes ad tua fræna regis.
Stet ſine labe tibi, Felix, pia vita per ævum,
Cujus ad imperium tranſtulit unda locum.

IX. *Ad Nicetium Treverenſem Epiſcopum.*

SPlendor apex fidei venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificumque caput.
Summus Apoſtolico præcellens paſtor ovili,
Auxiſti meritis quidquid honoris habes.
Divino inſiſtens operi terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, ſed non brevis illa beatis:
Cum bona non pereant, jure perennis eris.
Dum tibi reſtrictus maneas & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare crede Deo.
Captivus quicumque redit ſua lumina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit eſcas:
Qui venit eſuriens, hic ſatiatus abit.
Triſtibus imponis curas purganda querelas,
Et ſanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrimas deſiccas gaudia præſtans,
Qui prius ingemuit, vota ſalutis habet.
Te paſcente greges numquam lupus abripit agnos,
Sunt bene ſecuri, quos tua caula tegit.
Templa vetuſta Dei revocaſti in culmine priſco,
Et floret ſenior te reparante domus.
Hic populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas paſtor, ne lacerentur oves.

X. *Ad ipſum Nicetium: De caſtro ſuper Moſella fluvio ſito.*

MOns in præcipiti ſuſpenſa mole tumeſcit,
Et levat excelſum ſaxea ripa caput.
Rupibus expoſitis intonſa cacumina tollit,
Totus & elato vertice regnat apex.
Proficiunt colli, quæ vallibus arva recedunt,
Undique terra minor vergit & iſte ſubit.
Quem Moſella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
Concertantque ſuo paſcere piſce locum.
Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges,
Hæc tibi parturiunt Mediolane dapes.
Quantum creſcit aquis, piſces vicinius offert,
Exhibet hinc epulas, inde rapina venit.
Cernit frugiferos congaudens incola ſulcos,
Vota ferens ſegeti fertilitate gravi.
Agricolæ paſcunt oculos de meſſe futura,
Ante metit viſu, quam ferat annus opem.
Ridet amœnus ager tectus viridantibus herbis,
Oblectant animos mollia prata vagos.
Hæc vir Apoſtolicus Nicetius arva peragrans,
Condidit optatum paſtor ovile gregi.
Turribus incinxit terdenis undique collem,
Præbuit hic fabricam quo nemus ante fuit.
Vertice de ſummo demittunt brachia murum,
Dum Moſella ſuis terminus extet aquis.
Aula tamen nituit conſtructa cacumine rupis,
Et monte impoſito mons erit ipſa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et prope caſtellum hæc caſa ſola manet.
Ardua marmoreis ſuſpenditur aula columnis,
Qua ſuper æſtivas cernit in amne rates.
Ordinibus ternis extenſaque machina crevit,
Ut poſtquam aſcendas, jugera tecta putes.
Turris ab adverſo quæ conſtitit obvia clivo,
Sanctorum locus eſt, arma tenenda viris.
Illic eſt etiam gemino baliſta volatu,
Quæ poſt ſe mortem linquit, & ipſa fugit.
Ducitur in rigidis ſinuoſa canalibus unda,
Ex qua fert populo hic mola rapta cibum.
Blandifluas ſtupidis induxit collibus uvas,
Vinea culta viret, quo fuit ante frutex.
Inſita pomorum paſſim plantaria ſurgunt,
Et paſcunt vario floris odore locum.
Hæc tibi proficiunt quidquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, paſtor opime, gregi.

XI. *Ad Villicum Epiſcopum Metenſem.*

GUrgite cæruleo pelagus Moſella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda comas.
Hinc dextra de parte fluit qui Salia fertur,
Flumine ſed fluctus pauperiore trahit.
Hinc ubi perſpicuis Moſellam curſibus intrat,
Alterius vires implet, & ipſe perit.
Hoc Mettis fundata loco ſpecioſa, coruſcans,
Piſcibus obſeſſum gaudet utrumque latus.
Delicioſus ager ridet vernantibus arvis
Hinc ſata culta vides, cernis & inde roſas.
Proſpicis umbroſo veſtitos palmite colles,
Certatur varia fertilitate locus.
Urbs munita nimis quam cingit murus & amnis,
Pontificis merito ſtas valitura magis.
Villicus æthereis qui ſic bene militat armis,
Stratus humi genibus te levat ille ſuis.
Unde humilis terris te projicis alme ſacerdos,
Orando hinc patriæ ducis ad aſtra caput.
Fletibus aſſiduis adquiris gaudia plebi,
Paſtoris lacrimis lætificantur oves.
Ictibus invalidis quamvis minitetur iniquus,
Tu quibus es mutus vulnera nulla timent.
Et licet incluſo lupus inſidietur ovili,
Te cuſtode gregis nil ibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu ſine nube ſereno,
Cunctorumque animos gratia blanda fovet.
Si poſcat novus hoſpes opem, tu porrigis eſcas,

Inve-

Invenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum ſatias querulum, magis obliviſcitur illas
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui ſua damna refert, gemitus ſubducis ab ore,
Gaudia reſtituens triſtia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu paſcis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore Deus.
Horrea præmittis melius tua condita ſervans?
Quas ſic diffundis dat Paradiſus opes.
Culmina templorum renovaſti Villice cultor:
Cum veniet Dominus, ſtat labor ecce tuus.
Commiſſum video non ſuffodiſſe talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longius extenſos peragas tam digna per annos,
Et maneat ſemper nomen, opime, tuum.

XII. *Item ad eumdem: De convivio.*

PAſtor opime gregis, cunctis tua pabula proſunt,
Qui ſatias animas, quam bene membra foves!
Sic avidos reddis convivas nectare lactis,
Ut ſcutella levet, quod cochleare ſolet.

XIII. *Ad ipſum Epiſcopum: De eadem re.*

CUrrit ovis repetens a te ſua paſcua, paſtor,
Qui cibus eſſe ſoles, da mihi panis opem.

XIV. *De pictura vitis in menſa.*

VItibus intextis ales ſub palmite vernat,
Et leviter pictas carpit ab ore dapes.
Multiplices epulas meruit conviva tenere,
Aſpicit hinc uvas, inde falerna bibit.

XV. *De copia piſcium ſuper menſam.*

REtia veſtra, pater, oneroſo piſce redundant,
Apparet Petri vos meruiſſe vices.

XVI. *Ad Carentinum Epiſcopum Coloniæ.*

CArentine decus fidei, Deitatis amice,
Nomine de proprio care perennis amor.
Pontificem pollens Agripina Colonia præfert,
Frugiferis agris digne colone Dei.
Si videas aliquos quacumque ex gente creatos,
Quamvis ignotos mox facis eſſe tuos.
Quos ſemel affectu aſtringis pietate paterna,
Ulterius numquam diſſociare potes.
Nec ſubito veniens, veluti fugitiva recedit,
Sed conceſſa cito gratia fixa manet.
Verba Dei complens ſicut te diligis ipſum,
A te ita diligitur proximus omnis homo.
Vocis Apoſtolicæ ſectator dignus haberis,
Quæ caros animos præpoſuit fidei:
Tranquillus, placidus, mitis, ſine nube ſerenus,
Cui rabies mundi nil dominare poteſt.
Pectora cunctorum reficis dulcedine verbi,
Lætificas vultu triſtia corda tuo,
Pauperibus cibus es, daſque eſurientibus eſcam,
Rite pater populi dando ſalutis opem.
Aurea templa novas pretioſo fulta decore,
Tu nites, unde Dei fulget honore domus.
Majoris numeri quo templa capacia conſtent,
Alter in excelſo pendulus ordo datur.

Sollicitat pia cura gregis te, paſtor opime,
Nil lupus a ſtabulis quo vigilante rapit.
Tempora longævo teneas felicia tractu,
Et per te Domini multiplicentur oves.

XVII. *Ad Igidium Remorum Epiſcopum.*

ACtibus egregiis venerabile culmen, Igidi,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Subtrahor ingenio, compellor amore parato,
Laudibus in veſtris prodere pauca favens,
Namque reus videor tantis exiſtere cauſis,
Si ſolus taceam quidquid ubique ſonat.
Sed quamvis nequeam digno ſermone fateri,
Da veniam, voto me voluiſſe loqui.
Exiit in mundum geſtorum fama tuorum,
Et meritis propriis ſydus in orbe micas.
Clarior effulges, quam Lucifer ore ſereno:
Ille ſuis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus inſidiis cauto ſubducit ovili,
Te paſtore ſacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cæleſtia dogmata fundis,
Eccleſiæ crevit te monitore domus.
Pontificis ſtudio correctio plebis haberis,
Ne tenebræ noceant, ſemita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui ſatias epulis, paſcis & ore greges.
Præcepta implentur, non ſolo pane cibamur,
Delicias capimus, quas tua verba ferunt.
Ut gaudet corpus, cui mitior eſca paratur,
Sic animæ gaudent, ſi tua lingua ſonet.
Hæreſis ira cadit, forti te milite Chriſti:
Adquiris Regi, qui dedit arma tibi.
Qui purgas agros ſpinis ſermone colente,
Et mundata Deo ſurgit ubique ſeges.
Qui venit huc exul, triſtis, defeſſus, egenus,
Hic recipit patriam te refovente ſuam.
Quæ doluit tollis, gemitus in gaudia vertens,
Exilium removes, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum:
Invenit hic ſemper, quæ bona quiſque cupit.
Conſultum tribuis generaliter omnibus unum,
Qui populi pater es, tot pia rite geris.
Hæc tibi vita diu, Domino tribuente, ſuperſit,
Atque futura micet lucidiore die.

XVIII. *Ad Sanctum Hilarium.*

LUx ſincera animi ſemper mihi dulcis Hilari,
Quamvis abſentem quem mea cura videt.
Cujus honeſtus amor tantum mea corda replevit,
Ut ſine te numquam mente vacante loquar.
Verſibus exiguis mandamus vota ſalutis,
Quæ dedit affectus, ſint tibi cara precor.

XIX. *Ad Bertegrannum Epiſcopum: Quod eum levaſſet in currum.*

CUrriculi genus eſt, memorat quod Gallia thedam,
Molliter incedens orbita ſulcat humum.
Exiliens duplici bijugo volat axe citato,
Atque movet rapidas juncta quadriga rotas.
Huc ego dum famulans comitatu jungor eodem,
Et mea membra cito dum veherentur equos;
Pontificiſque ſacri Bertegranni actus honore,
Comprendente manu raptus in axe levor.

Qua,

Qualiter implumes fœtus pia mater hirundo
 Confovet, & placide pennula tenſa tegit.
Sic bonitate potens, affectu dives opimo,
 In proprium paſtor molle ſedile locat.
Nec ſolum amplectens pia mens, ſed diligit omnes,
 Unde magis populis unicus extat amor.

XX. *Ad eumdem Epiſcopum: De ejus Opuſculis.*

ARdua ſuſcepi miſſis epigrammata chartis,
 Atque cothurnato verba rotata ſopho.
Percurrens tumido ſpumantia carmina verſu,
 Credidi in undoſo me dare vela freto.
Plana procelloſos ructavit pagina fluctus,
 Et velut Oceanus fonte refudit aquas.
Vix modo tam nitido pompoſa poemata cultu
 Audit Trajano Roma verenda foro.
Quod ſi tale decus recitaſſes aure Senatus,
 Straviſſent plantis aurea fila tuis.
Per loca, per populos, per compita cuncta videres,
 Currere verſiculos plebe favente tuos.
Sed tamen in veſtro quædam ſermone notavi,
 Carmine de veteri furta novella loqui.
Ex quibus in paucis ſuperaddita ſyllaba fregit,
 Et pede læſa ſuo muſica clauda gemit.
Nunc, venerande pater, prece, voto, voce ſaluto,
 Commendans animum ſupplice corde meum.
Sit tua vita diu, cujus modulante camœna
 Cogimur optatis reddere verba jocis.

XXI. *Ad Agricolam Epiſcopum Cavillonenſem.*

PRæſul honoris apex generis fideique cacumen,
 Cultor agri pollens, paſtor opime gregis.
Cum mea terra manu meruit genitoris arari,
 Reddatur nati vomere culta ſui.
Nam pater affectu dulci memorabilis orbi,
 Me vobiſcum uno fovit amore duos:
Corde parens, paſtu nutrix, bonus ore magiſter,
 Dilexit, coluit, rexit, honeſta dedit.
Ille pio ſtudio ſulcata novalia ſevit:
 Quod pater effudit, hoc mihi ſemen ale.

XXII. *Ad Felicem Epiſcopum Bituricenſium, ſcriptum in turre ejus.*

QUam bene juncta decent ſacrati ut corporis agni,
 Margaritum ingens, aurea dona ferant.
Cedant Chryſolithis Salomonia vaſa metallis,
 Iſta placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Chriſte tibi Felicis munera ſic ſint,
 Qualia tunc tribuit de grege paſtor Abel.
Et cujus tu corda vides, pietate coæques,
 Par viduæ merito, quæ dedit æra duo.

XXIII. *In C. P. Ad Avitum Epiſcopum Arvernenſem.*

OFficiis intente piis, pater orbis Avite,
 Gloria Pontificum, noſter & altus amor.
Per quem plebs, regio, peregrinus, & hoſpes aluntur,
 In quo cuncta capit, quæ ſibi quiſque cupit.
Ex opere immeritus merui pia dona patroni,
 Ne minimam paſcens immemor eſſes ovem.
Qui trahis ore greges æterna ad pabula Chriſti,
 Qualiter hic vivant, eſt quoque cura tibi.
Semper & abſentes præſens tua protegit ala,
 Quo pede non curris, munere totus ades.
Muneribus veſtris Agnes ſimul aut Radegundes,
 Multiplici orantes ſomite vocis agunt.
Ad cælos penetranda feras pater alte talenta,
 Quæ centena ſuo tempore culta metas.
Per Dominum regemque bonum precor aulice præſul,
 Ut Fortunati ſis memor alme tui.

XXIV. *Ad ipſum Avitum Arvernenſem Epiſcopum.*

PAruimus juſſis, ſacer ac venerande Sacerdos,
 Et pater, imperiis dulcis Avite tuis.
Garrulitate levi potius ſtridente cicuta,
 Quam placeat liquido noſtra camœna melo.
Sed tamen ut veniam tribuas pietatis amator,
 Intende obſequium, nec trutinato ſophum.
Munera pro magno modicus hæc parvula ſolvo.
 Penſetur votis, eſt cui lingua rudis.

XXV. *Item ad eumdem Epiſcopum.*

VIrtutum quid celſa fides mereatur honoris,
 Summe Sacerdotum dulcis Avite probas.
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
 Poſt te care pater pectore capta trahis.
Sed tamen inter eos, tua quos dulcedo replevit,
 Promptus in affectu portio major agor.
Lumen dulce meum, patriæ vigor, altor egentum,
 Spes peregrinorum, ductor honorque patrum.
Si mea vox jugi reſonaret acumine carmen,
 Laude minor loquerer, major amore pater.
Maxima ſed noſtri datur hæc occaſio voti,
 Vel memorare tuum nomen, opime, ſacrum.
Commendantur item veſtræ pietatis amori,
 Agnes voce humili cum Radegunde pari.
Larga ſalutiferos vigeat tibi vita per annos,
 Nam tua quæ fuerit, ſit mea, care, ſalus.

XXVI. *De Domno Agerico Veridunenſi Epiſcopo.*

URbs Veriduna brevi quamvis claudaris in orbe,
 Pontificis meritis amplificata places.
Major in anguſto præfulget gratia gyro,
 Agerice tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudiſti ſemina laudum,
 Quæ matura operis fertilitate metis.
Tempore præſenti victum largiris egenis,
 Unde futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reſeras penetralia paſtor,
 Nec ſolum dapibus, paſcis & ore greges.
Templa vetuſta novas pretioſius, & nova condis,
 Cultior eſt Domini te famulante domus.
Egregios fontes ſacri baptiſmatis exples,
 Tam pia divino fonte repletus agis.
Candida ſincero radiat hæc aula ſereno,
 Et ſi Sol fugiet, hic manet arte dies.
Ad nova templa avidæ concurrunt undique plebes,
 Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te ſolamen inops meruit, te nudus amictum,
 Et ſolus cunctis potus & eſca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
 Tempore tam modico non moritura paras.

XXVII. *Item ad Agericum Veridunenſem Epiſcopum.*

PHœbus ut elatum ſuſpendit in æthera currum,
Purus & igniferum ſpargit ubique jubar:
Effuſis radiis totum ſibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic præſul ſplendore animi cum ſole coruſcas,
Ille ſuis radiis fulget, & ipſe tuis.
Agerice ſacer vivis ſermone colente,
Eccleſiæ ſegetes fertilitate placent.
Terrenis ſterilis rebus, facunde ſupernis,
Humana ſpernens; dives iture polis.
Illecebris mundi mundus laſciva repellens,
Nil cui ſubripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis libera membra vides.
In templis habitando piis ſic purus haberis,
Ut tua corda, pater, ſint pia templa Dei.
Elegit in tali Chriſtus ſe vaſe recondi,
Quam ſibi purgavit, poſſidet ipſe domum.
Non dolus in labiis, nec ſunt fera nubila mentis,
Sinceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen ſalienti fonte refundis,
Et ſenſus ſteriles voce rigante foves.
Ardua cælorum pandis myſteria terris,
Per quem plus Dominum ſcit, timet, orat, amat.
Dogmate divino præſul facunde triumphas,
Dans paſtor monitus, ne premat error oves.
Deliciis reficis, quas cælum, arva, unda miniſtrat,
Et ſatiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, triſtis ſpem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes, omnibus eſſe facis.
Hic tibi longa ſalus maneat, lux inde futura,
Atque diu paſtor pro grege vota feras.

XXVIII. *Ad venerabilem virum Amphionem presbyterum.*

VIr pietate calens, blanda dulcedine vernans,
Cujus in aſpectu mens pretioſa micat.
Quem prius ut merui cognoſcere lumine vultus,
Conſpexi ſenſus lumen ineſſe tibi.
Amphion mihi care pater venerande Sacerdos,
Atque meo ſemper corde tenendus amor.
Qui quemcumque novum videas, facis eſſe propinquum,
Si genus ignores, fit tibi mente parens.
Provocat alloquium cunctos jucunda voluptas,
Cogis & unanimes jugiter eſſe tuos.
Ingenio vivax, ſenſus moderamine firmus,
Pondere conſilii fixus ubique manens.
Qui bene cauta regis maturæ frena ſenectæ,
Qui quem præſtat honor, ſcis moderare gradum.
Promptus ad omne decus larga bonitate redundas,
Cui ſe conjungit quiſquis in orbe venit.
Profluis humane, frugem venientibus offers,
Et tua fit populis omnibus una domus.
Verbis quippe ſuis quem Papa Leontius effert,
Judicio tanti credimus iſta viri.

XXIX. *Ad Paternum Abbatem. De codice emendato.*

PAruimus tandem juſſis, venerande Sacerdos,
Nominis officium jure Paterne geris.
Qui propriis meritis ornans altaria Chriſti,
Tam prece quam voto das placitura Deo.
Supplico, cede tamen ſi quid me forte fefellit,
Nam ſolet iſte meas error habere manus.
Obtineat ſupplex modo pagina miſſa ſalutis:
Hæc quoque cum relegis, me memorare velis.

XXX. *Ad Rucconem Diaconum, poſtea Presbyterum.*

ALtaris Domini pollens bone Rucco miniſter,
Hinc tibi feſtinus mando ſalutis opus.
Nos maris Oceani tumidum circumfluit æquor,
Te quoque Pariſius, chare ſodalis, habet.
Sequana te retinet, nos unda Britannica cingit,
Diviſos terris alligat unus amor.
Non furor hic pelagi vultum mihi ſubtrahit illum,
Nec Boreas aufert, dulcis amice, tuum.
Pectore ſub noſtro tam ſæpe recurris amator,
Tempore ſub hyemis quam ſolet unda maris.
Ut quatitur pelagus, quotiens proflaverit Eurus,
Stat neque ſic animus te ſine chare meus.
Blanda ſerenato tempeſtas pectore fervet,
Atque ad te varia mobilitate trahit.
Sed memor eſto mei, votumque repende petenti,
Ut pariter paribus det ſua dona Deus.
Humanam mentem Chriſti quo gratia ditet,
Ac Domino noſtro ſenſus & ora vacent.

XXXI. *Ad Archidiaconum de Meldis.*

SI mihi vel veſtros licuiſſet cernere vultus,
Munere pro tanto plurima verba darem.
Direxit nobis muſtum tua chara voluntas,
Et dulces animos dulcia dona probant.
Quem non vidiſti, promptus ſatiare paraſti,
Quid facias illi, qui tibi notus adeſt?
Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis, magne miniſter, habes.

XXXII. *Ad Johannem Diaconum.*

PIgnus amicitiæ ſemper memorabile noſtræ,
Verſibus exiguis chare Johannes habe.
Ut cum me rapiunt loca nunc incognita forſan,
Non animo videar, dulcis, abeſſe tuo.
Anthemium patrem per te, venerande, ſaluto,
Cujus in affectu conſolidatus agor.
Hilarium pariter nobis in amore tenacem
Inſero carminibus, quem mea corda colunt.
Perpetuo maneas meritis felicibus ævo,
Hæc quoque cum relegis, me memorare velis.

XXXIII. *Ad Anthemium Diaconum.*

SUſcipe verſiculos, Anthemi, pignus amantis,
Quos tibi ſincero fundit amore tuus.
Cum tua blanditus retineret lumina ſomnus,
Laſſaque feciſſet membra jacere thoro.
Dum dubito, pecco, nolens vexare quietum,
Sic mea culpa tui cauſa ſoporis erit.
Diſcedo tacitus veluti fur indice nullo,
Nec dixi amplexans, frater amate, vale.
Non licuit mandata animo committere caro,
Nec tenuit verbis hora vel una tuis.
Teſtificor Dominum, mihi fortiter eſſe moleſtum,
Quod ſic abſcedo, nec tua dicta fero.
Sed qui plura volens poteram tunc dicere præſens,
Nunc faciat paucis pagina miſſa loqui.

Hæc

Hæc tamen ante Deum rogo te mihi munera præſtes,
Omnibus ut ſemper charus ubique mices.
Nemo mihi veſtem, denaria nemo miniſtret,
Quod dulcedo monet, hoc mihi nemo neget.

XXXIV. *Ad Sindulfum Diaconum.*

FRater amore Dei digno memorabilis actu,
Pectore fixe meo, Frater amore Dei.
Carpe libenter iter, quod ducit ad ætheris aulam,
Altius ut ſurgas, carpe libenter iter.
Fer patienter onus, neque te pia ſarcina laſſet,
Unde manet requies, fer patienter onus:
Subdere colla decet, quia ſunt juga dulcia Chriſti,
Quo mereamur opem, ſubdere colla decet.
Qui ſua rura colit, ſolet horrea plena tenere,
Nec jejunus erit, qui ſua rura colit.
Per mare nauta volat, quo multa pecunia creſcat,
Mercibus ut placeat, per mare nauta volat.
Non timet ille necem rabie turbante procellæ:
Ut lucretur opes, non timet ille necem.
Miles ad arma venit quærens per vulnera palmam,
Ut redeat victor, miles ad arma venit.
Prælia ſume libens mihi tu quoque care ſodalis,
Unde triumphus erit, prælia ſume libens.
Quiſquis amore venit, neſcit ſe ferre laborem,
Nemo labore jacet, quiſquis amore venit.
Carmina parva ferens tibi debita reddo ſalutis,
Des meliora precor, carmina parva ferens.

LIBER IV.

I. *Epitaphium Evemerii Epiſcopi Namneticæ civitatis.*

QUamvis cuncta avido rapiantur ab orbe volatu,
Attamen extendit vita beata diem.
Nec damnum de fine capit, cui gloria vivit,
Æternumque locum miſſus ad aſtra tenet.
Hoc igitur tumulo requieſcit Evemerus almo,
Per quem Pontificum ſurgit opimus honor.
Stemmata deducit fulgens ab origine culmen,
Et meritis priſcos creſcere fecit avos.
Emicuit populis geminum memorabile donum,
Inde gradu judex, hinc pietate pater.
Dulcis in eloquio, placidus moderamine ſacro,
In cujus ſenſu perdidit ira locum.
Alterius motus patienti pectore vicit,
Ut levitas læſit, hoc gravitate tulit.
Si quis ab externis properavit ſedibus hoſpes,
Mox apud hunc proprios ſenſit habere lares.
Hic habitare volens patriis rudis exul ab oris,
Oblitus veterem hujus amore patrem.
Gaudens arriſit, probat is ſe cernere flentem,
Alterius lacrimas mox facit eſſe ſuas.
Partitus cum ventre vices pietate magiſtra,
Unde tulit luctus, mox ibi vota dedit.
Pauperibus dives cenſum transfudit egenis,
Ante bonus tribuit, quam peteretur, opem.
Semina jactavit centeno pinguia fructu,
Cui modo de reditu meſſis adulta placet.
Unica cura fuit, cunctos ut viſeret ægros,
Ipſe quibus medicus vixit & ipſe cibus.
Extulit Eccleſiæ culmen, quod reddidit unum,
Venit ad hæredem, qui cumularet opus.
Felix ille abiit, Felicem in ſede reliquit,
Hæredis meritis vivit in orbe pater.

II. *Epitaphium Gregorii Epiſcopi civitatis Lingonicæ.*

POſtquam ſiderius diſrupit Tartara princeps,
Sub pedibus juſti mors inimica jaces.
Hoc veneranda ſacri teſtatur vita Gregori,
Qui modo poſt tumulos intrat honore polos.
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior geſtis nunc ſuper aſtra manet.
Arbiter ante ferox, exhinc pius ipſe Sacerdos,
Quos domuit judex, fovit amore patris.
Triginta & geminos pie rexit ovile per annos,
Et grege de Chriſti gaudia paſtor habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica ſalus.

III. *Epitaphium Tetrici Epiſcopi Lingonicæ civitatis.*

PAlma Sacerdotii venerando Tetrice cultu,
Te patriæ ſedes, nos peregrina tenet.
Te cuſtode pio numquam lupus abſtulit agnum,
Nec de fure timens paſcua carpſit ovis.
Sex qui luſtra gerens & per tres inſuper annos,
Rexiſti placido paſtor amore gregem.
Nam ut condirentur divino corda ſapore,
Fudiſti dulcem jugiter ore ſalem.
Summus amor Regum, populi decus, arma parentum,
Eccleſiæ cultor, nobilitatis honor:
Eſca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officiis omnia paſtor eras.
Sed cui præbebat varie tua cura medelam,
Funere rectoris plebs modo triſte gemit.
Hoc tamen, alme pater, ſperamus; dignus in aſtris,
Qualis honore nites, hic pietate probas.

IV. *Epitaphium Galli Epiſcopi Arvernicæ civitatis.*

HOſtis iniquus Adam Paradiſo fraude repellis,
Ecce Deus famulis præſtat adire polos.
Invide, ſic tua mors homini meliora paravit,
Tu expellis terris, hic dat & aſtra ſuis.
Teſtis & Antiſtes Gallus probat iſta beatus,
Nobilis in terris, dives eundo polis.
Qui Chriſti auxilio fultus, nec adultus in annis,
Se majora petens odit amare lares.
Effugit amplexus patrios, matremque relinquit,
Qui monachum regeret quæritur Abba parens.
Illic tyro rudis generoſo cœpit ab ævo,
Militiæ Domini belliger arma pati.
Quintiano demum Sancto erudiente magiſtro,
Pulcrior eſt auro corde probatus homo.
Inde Palatinam Regis translatus in aulam,
Theodorice tuo vixit amore pio.
Mox ubi deſtituens terras petit aſtra magiſter,
Ceſſit diſcipulo cura tuendo gregem.
Pontificatus enim moderans ita rexit habenas,
Paſtor ut officiis eſſet, amore pater.
Manſuetus, patiens, bonus, æquus, amator, amandus,
Non erat offenſæ, ſed locus hic veniæ.
Si qua ſupervenit, facta eſt injuria virtus,
Unde furor poterat, inde triumphus erat.
Plebem voce fovens quaſi natos ubere nutrix,
Dulcia condito cum ſale mella rigans.
Hoc opus exercens præſcivit dona futuri,

Se paſtore nihil poſſe perire gregi.
Sic pater Eccleſiam regit in quinquennia quinque,
Bis terdena tamen luſtra ſuperſtes agens.
Hinc meliore via Sanctum ad cæleſtia vectum,
Non premit urna rogi, ſed tenet ulna Dei.

V. *Epitaphium Ruriciorum Epiſcoporum Lemovicinæ civitatis.*

INvida mors rapido quamvis miniteris hiatu,
Non tamen in Sanctos jura tenere vales.
Nam poſtquam remeans domuit fera Tartara Chriſtus,
Juſtorum meritis ſub pede victa jaces.
Hic ſacra Pontificum toto radiantia mundo
Membra ſepulcra tegunt, ſpiritus aſtra colit.
Ruricii gemini flores, quibus Aniciorum
Vincla parentali culmine Roma fuit,
Actu, mente, gradu, ſpe, nomine, ſanguine nexi,
Exultant pariter hinc avus, inde nepos.
Tempore quiſque ſuo fundans pia templa Patroni,
Iſte Auguſtini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius, hic ferius, ille ſerenus,
Certantes pariter quis cui major erit.
Plurima pauperibus tribuentes divite cenſu,
Miſere ad cælos, quas ſequerentur opes.
Quos ſpargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter apoſtolicos credimus eſſe choros.
Felices qui ſic de nobilitate fugaci
Mercati in cælis jura Senatus habent.

VI. *Epitaphium Exotii Epiſcopi Lemovicinæ civitatis.*

QUamvis Pontificem premeret tremebunda ſenectus,
Attamen hæc voluit plebs ſupereſſe patrem.
Aut ſi naturæ mutari debita poſſent,
Pro paſtore ſuo grex properaſſet iter.
Sed quia non licuit, populum ſpes conſulat illa,
Hunc quod pro meritis vexit ad aſtra fides.
Immaculata Deo conſervans membra pudore,
Exotius meruit jam ſine fine diem:
Pectore ſub cujus regnans patientia victrix,
Fluctibus in tantis anchora ſenſus erat.
Ille gerens animum placida dulcedine paſtum,
Neſcit in offenſis jure referre vices.
Templorum cultor, recreans moderamine cives,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Qui tria luſtra gerens in Pontificatus honore,
Pergit ad antiquos plebe gemente patres.
Nunc decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
Poſt tenebras mundi quem tenet aula poli.

VII. *Epitaphium Calacterici Carnotenæ civitatis Epiſcopi.*

ILlacrimant oculi, quatiuntur viſcera fletu,
Nec tremuli digiti ſcribere ducta valent.
Dummodo qui volui vivo, dabo verba ſepulto,
Carmine vel dulci cogor amara loqui.
Digne tuis meritis Calacterice Sacerdos,
Tarde note mihi, quam cito chare fugis!
Tu patriam repetis, tu noſque ſub urbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos tenebroſa dies.
Ecce ſub hoc tumulo pietatis membra quieſcunt,
Dulcior & melli lingua ſepulta jacet.
Forma venuſta, decens, animus ſine fine benignus,
Vox ſuavis legem præmeditata Dei.
Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Cura propinquorum, promptus ad omne bonum.
Organa pſalterii cecinit modulamine dulci,
Et tetigit tardi plectra beata Dei.
Cautere eloquii bene purgans vulnera morbi,
Quo paſcente fuit fida medela gregi.
Sex qui luſtra gerens octo bonus inſuper annos,
Ereptus terræ juſtus ad aſtra redis.
Ad Paradiſiacas epulas te cive reducto,
Unde gemit mundus, gaudet honore polus.
Et quia non dubito quanta eſt tibi gloria laudum,
Nec debes fleri talis amice Dei.
Hæc qui, Sancte pater, pro magnis parva ſuſurro,
Pro Fortunato quæſo precare tuo.

VIII. *Epitaphium Chronopii Epiſcopi Petrocorici.*

SI terrena ſacer tibi quondam cura fuiſſet,
Carmine plus lacrimas quam modo verba darem.
Sed quia tu mundus, nec ſunt tibi crimina mundi,
Nos gaudere mones, qui ſine morte manes.
Antiſtes pietate calens venerande Chronopi,
Membra ſepulcra tegunt, ſpiritus aſtra tenet.
Ordo Sacerdotum cui fluxit utroque parente,
Venit ad hæredem pontificalis apex.
Hunc tibi jure gradum ſucceſſio ſancta paravit,
Ut quaſi jam merito debitus eſſet honor.
Nobilis antiquo veniens de germine patrum,
Sed magis in Chriſto nobilior merito.
Sic vultu ſemper placidus, ceu mente ſerenus,
Pectore ſincero frons ſine nube fuit.
Cujus ab eloquio nectar per verba fluebat,
Vinceret ut dulces ore rigante favos.
Nudorum tu veſtis eras, algentis amictus,
Qui ad tua tecta fugit, tectus & ipſe redit.
Divitias omnes inopum ſub ventre locaſti,
Unde tibi ſemper viva talenta manent.
Eſuriens epulum, ſitiens te ſumere potum,
Cernere te meruit triſtis & exul opem.
Impleſti propriis viduatam civibus urbem,
Viderunrque ſuos te redimente lares.
Quam lupus a ſtabulis tulerat frendente rapina,
Te paſtore gregi reddita plaudit ovis.
Templa exuſta celer revocaſti in culmine priſco,
Hinc tua ſed cælis ſtat ſine labe domus.
Ipſe bis octono vixiſti in corpore luſtro,
Nunc tibi pro meritis eſt ſine fine dies.

IX. *Epitaphium Leontii Epiſcopi anterioris Burdegalenſis civitatis.*

ULtima ſors avido graviter properavit hiatu,
Paſtorem rapiens, qui fuit arma gregis.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quo ſtetit eximium pontificale caput.
Quem plebs cuncta gemens confuſa voce requirit,
Hinc puer, hinc juvenis deflet, & inde ſenex.
Defenſoris opem hic omnis perdidit ætas,
Et quantum coluit, nunc lacrimando docet.
Nemo valet ſiccis oculis memorare ſepultum,
Qui tamen in populo vivit amore pio.
Egregius nulli de nobilitate ſecundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Hic pietate nova cunctis minor eſſe volebat,
Sed magis his meritis & ſibi major erat.
Quo præſente viro meruit diſcordia pacem,

Expul-

Expulſa rabie corda ligabat amor.
Eccleſiæ totum conceſſit in ordine cenſum,
Et tribuit Chriſto, quod fuit ante ſuum.
Ad quem pauper opem, pretium captivus habebat,
Hoc proprium reputans quod capiebat egens.
Cujus de terris migravit ad aſtra facultas,
Et plus iſte Deo, quam ſibi vixit homo.
Cordis in amplexu retinens & pectore plebem,
Diceret ut populum ſe generaſſe patrem.
Namque ſuos cives placida ſic voce monebat,
Teſtareris ut hunc ad ſua membra loqui.
Ingenio vigilans, dives quoque dogmate Chriſti,
Et meruit ſtudio multiplicare gradum.
Largior in donis abſens ſibi junxit amantes,
Et quo non fuerat munere notus erat.
Principibus charus, hujuſque amor unicus urbis,
Feſtinans animis omnibus eſſe parens.
Luſtra decem pollens, ſeptem quoque vixit in annos,
Mox urgente die raptus ab orbe fuit.
Sed quis cuncta canat, cum tot bona ſolus habebat?
Nunc uno in tumulo plurima vota jacent.
Hæc tibi parva nimis, cum tu merearis opima,
Carmina Theudoſius præbet amore tuus.

X. *Epitaphium Leontii Epiſcopi ſequentis Burdegalenſis civitatis.*

OMne bonum velox fugitivaque gaudia mundi,
Proſperitas hominum quam cito rapta volat!
Mallem cui potius nunc carmina ferre ſalutis,
Perverſo voto flere ſepulcra vocor.
Hoc recubant tumulo venerandi membra Leonti,
Quem ſua Pontificem fama ſub aſtra levat.
Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte Senatus habet.
Et quamvis celſo flueret de ſanguine patrum,
Hic propriis meritis creſcere fecit avos.
Regum ſummus amor, patriæ caput, arma parentum,
Tutor amicorum, plebis & urbis honor,
Templorum cultor, tacitus largitor egentum,
Suſceptor peregrum diſtribuendo cibum.
Longius extremo ſi quis properaſſet ab orbe,
Advena mox vidit, hunc ait eſſe patrem.
Ingenio vivax, animo probus, ore ſerenus,
Et mihi qualis erat! pectore flente loquor.
Hunc habuit clarum qualem modo Gallia nullum,
Nunc humili tumulo culmina celſa jacent.
Placabat Reges, recreans moderamine cives,
Gaudia tot populis heu tulit una dies.
Luſtra decem felix & quatuor inſuper annos
Vixit, & a noſtro lumine raptus obit.
Funeris officium magni ſolamen amoris,
Dulcis adhuc cineri dat Placidina tibi.

XI. *Epitaphium Victoriani Abbatis Monaſterii Agaunenſis.*

QUiſquis ab occaſu properas huc, quiſquis ab ortu,
Munus in hoc tumulo, quod venereris, habes.
Reſpice ditatum cæleſti dote talentum,
Cujus ſemper habet pectoris arca Deum.
Religionis apex, vitæ decus, arma ſalutis,
Eximiis meritis Victorianus adeſt.
Dignum opus exercens, qui fructificante labore,
Cunctis, non ſoli vixit in orbe ſibi.
Plurima per patriam monachorum examina fundens,
Floribus æternis mellificavit apes.
Lingua potens, pietas præſens, oratio jugis,
Sic fuit ut jam tum totus ad aſtra foret.
Plura ſalutiferis tribuens oracula rebus,
Sæpe dedit ſignis vita beata fidem.
Biſſenis rexit patrio moderamine luſtris,
Rite Deo placitas paſtor opimus oves.
Calle ſequens recto ſacra per veſtigia Chriſtum,
Nunc fruitur vultu, quem cupiebat amor.

XII. *Epitaphium Hilarii Presbyteri.*

OMnes una manet ſors irreparabilis horæ,
Cum venit extremus lege trahente dies.
Sic furit ira necis, neque nos fugit orbita mortis,
Pulvere facta caro non niſi pulvis erit.
Hæc, tamen inſignes animas ſpes non vaga paſcit,
Quod qui digna gerit, de nece nulla timet.
Hoc jacet in tumulo venerandus Hilarius actu,
Copore qui terras, & tenet aſtra fide.
Vir bonus egregia de nobilitate refulgens,
Inter honoratos germinis altus apex.
Connubio junctus ſimili, ſed conjuge rapta,
Stans in amore Dei, non fuit alter amor.
Utilis in propriis, doctus moderamine legis,
Cujus judicium pondere libra fuit.
Juſtitiam tribuens populis examine recto,
Vendita res pretio non fuit ulla ſuo.
Funeris officio lacrimans Evantia charo,
Contulit hæc genero membra ſepulta ſuo.

XIII. *Epitaphium Servilionis Præsbyteri.*

QUamvis longa dies, brevis hic atque hoſpita lux eſt,
Sola tamen neſcit vita beata mori.
Hoc igitur tumulo Servilio clauſus habetur;
Nobilis & merito nobiliore potens.
Ipſe Palatinam rexit moderatius aulam,
Commiſſæque domus creſcere fecit opes.
Presbyter inde ſacer manſit venerabilis orbi,
Servitioque Dei libera vita fuit.
Orphanus hic patrem, viduæ ſolatia deflent,
Unde magis cælis gaudia vera tenet.
Pontificem genitum videt hinc de munere Chriſti,
Raptus ab orbe quidem lætus ad aſtra redit.

XIV. *Epitaphium Præſidii Abbatis.*

VIta brevis hominum, ſed non brevis illa piorum,
Dum migrante die proſperiora tenent.
Qui meruere magis de carcere carnis euntes,
Poſt tenebras mundi luce perenne frui.
Ex quibus hic recubans meritis Præſidius almis,
Carne tenet tumulum, flaminis igne polum.
Pectore de proprio Chriſti reſponſa rigando,
Multorum extinxit fonte fluente ſitim.
Invitans inſtanter oves ad paſcua Regis,
Diſtribuit dulcem fratribus ore ſalem.
Nam quotiens monachus peccati eſt vulnere fixus,
Miſſus ad artificem certa medela fuit.
Ibat ad Abbatem famulans ſanctumque magiſtrum
Diſcipulus humilis, qui fuit ante tumens.
Talibus officiis intentus amore Tonantis,
Angelicos inter fulget honore choros.

XV. *Epitaphium Boboleni Diaconi.*

INnumeris hominum ſubjecta eſt vita periclis,
Caſibus & variis ſors inimica premit.
Nam recubando thoro Bobolenus honore Diacni,
Dum fruitur ſomno, mors rapit atra virum.
Hoſtis in inſidiis ſecuro cæde ſecuris,
Percutiens cerebrum fecit obire dolo.
Dic tibi quid prodeſt ſcelus hoc peragendo nefande?
Ille Deo vivit, tu moriture peris.
Martyris ille decus meruit, tu damna latronis,
Hinc ſibi palma placet, ſed tibi pœna manet.

XVI. *Epitaphium Theodechildis Reginæ.*

QUamvis ætatis ſenio jam flecteret annos,
Multorumque tamen ſpes cito rapta fuit.
Si precibus poſſent naturæ debita flecti,
Plebs ageret lacrimis hanc ſupereſſe ſibi.
Gaudia quanta inopum tumulo ſunt clauſa ſub uno,
Votaque quot populis abſtulit una dies.
Inclyta nobilitas genitali luce coruſcans,
Hic properante die Theodechildi jaces.
Cui frater, genitor, conjunx, avus, atque priores,
Culmine ſucciduo regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, viduæ nudæque jacentes,
Matrem, eſcam, tegmen hic ſepeliſſe dolent.
Unica res placuit tumulo mercedis opimæ,
Antea cuncta dedit quam peteretur, opem.
Occultans ſua dona ſuis, ne forte vetarent,
Sed quæ clauſa dedit, judice teſte docet.
Templorum Domini cultrix, pia munera præbens,
Hoc proprium reputans, quidquid habebat inops.
Una mori ſors eſt & terræ reddere terram,
Felix cui meritis ſtat ſine fine dies.
Actibus his inſtans, terrena in luce redacta,
Ter quino luſtro vixit in orbe decus.

XVII. *Epitaphium Vilitruthæ.*

OMne bonum velox, fugitivaque gaudia mundi
Monſtrantur terris, & cito lapſa ruunt.
Ut dolor acquirat vires cum perdat amantem,
Ante placere facit, durius inde premit.
Heu lacrimæ rerum, heu ſors inimica virorum,
Cur placitura facis, quæ dolitura rapis?
Vilitrutha decens Dagulphi chara jugalis,
Conjugis amplexu diſſociata jacet.
Corpore juncta thoro, plus pectore nexa marito,
Lucis in occaſu vincula rupit amor.
Tempora cui poterant adhuc in flore manere,
Principium vitæ finis acerbus habet.
Sanguine nobilium generata Pariſius urbe,
Romana ſtudio, barbara prole fuit.
Ingenium mite torva de gente trahebat,
Vincere naturam gloria major erat.
Numquam mœſta maneus, vultu nova gaudia portans,
Nubila fronte fugans, corde ſerena fuit.
Fudit ab ore jubar ſpecies redimita decore,
Protulit & radios forma venuſta ſuos.

XVIII. *Ad cives Turonicos: de adventu Gregorii Epiſcopi digniſſimi.*

PLaudite felices populi, nova vota tenentes,
Præſulis adventu reddite vota Deo.
Hoc puer exertus celebret, hoc curva ſenectus,
Hoc commune bonum prædicet omnis homo.
Spes gregis ecce venit, plebis pater, urbis amator,
Munere paſtoris lætincentur oves.
Sollicitis oculis quem proſpera vota petebant,
Veniſſe aſpiciant, gaudia feſta colant.
Jura ſacerdotii merito reverenter adeptus,
Nomine Gregorius, paſtor in urbe gregis.
Martino proprium mittit Julianus alumnum,
Et fratri præbet quod ſibi dulce fuit.
Quem patris Ægidii Domino manus alma ſacravit,
Ut populum recreet quem Radegundis amet.
Hic Sigebertus ovans favet & Brunichildis honori,
Judicio Regis nobile culmen adeſt.
Quo paſcente greges per paſcua ſancta regantur,
Et Paradiſiaca germine dona metant.
Immaculata pii qui ſerves ovilia Chriſti,
Ne pateant rapidis dilaceranda lupis:
Pervigili cura ſtabulum ſine labe gubernet,
Commiſſumque gregem nulla rapina gravet.
Muniat incluſos pretioſi velleris agnos,
Atque ſoporantes protegat ipſe vigil.
Florea divino pingueſcat vinea cultu,
Et matura ſuo ſit ſpecioſa botro.
Fructibus æternis ut compleat horrea cæli,
Unde animæ vivo fonte fluenta bibant.
Ne ſitis excruciet digiti quo Lazarus udo,
Leniat ut flammam, ferre petatur opem.
Sed magis in gremio Abrahæ vernante locandas
Paſtor oves placido ducat ad aſtra ſinu.
Ut bene commiſſo ſeſe duplicante talento,
Introeant Domini gaudia vera ſui.
Lætus agat ſub clave Petri, per dogmata Pauli,
Inter ſidereos luce micante choros.
Fortis Athanaſius, qua clarus Hilarius aſtant,
Dives Martinus, ſuavis & Ambroſius.
Gregorius radiat, ſacer Auguſtinus inundat,
Baſilius rutilat, Cæſariuſque micat.
Quorum geſta ſequens & dicta fideliter implens,
Perpetuæ vitæ participatus ovet:
Atque coronatus digna mercede laborum,
Obtineat miles Regis in arce locum.

XIX. *In Natalitio Gregorii Epiſcopi; cum Antiphonam dicere rogaretur, in Miſſa dictum.*

MArtini meritis per tempora longa Gregori,
Turonicum foveas paſto in urbe gregem.
Conciliis ſacris ſis norma, & vita priorum,
Exemploque tuo creſcat adeptus honor.
Lumen Apoſtolicum populis tua lingua miniſtret,
Et cæli donum te radiante micet.

XX. *Quomodo Judæi crediderunt in Chriſtum.*

IN venerabilibus famulis operator opime,
Condecet, ut ſemper laus tua Chriſte ſonet.
Inſpirans animum, votum effectumque miniſtrans,
Et ſine quo nullum prævalet eſſe bonum:
Lumine perſpicuo fœcundans pectora vatum,
Ut populis generent viſcera ſancta fidem.

Supra

Supra Candelabrum poſiti, quorum ore coruſco
  Dogmatis igne micans luceat alma domus.
Et velut eſt oculus capitis qui dirigit artus,
  Sic pia paſtoris cura gubernet oves.
Pectora Pontificum ditans virtute ſuperna,
  Tu Deus omnipotens, ſumme, perennis apex.
Spiritus alme ſacri labiis infuſus Aviti,
  Per famulum loqueris, creſcat ut ordo gregi.
Qui non contentus numero, quem accepit ab illo,
  Villicus ad Dominum dupla talenta refert.
Plebs Arverna etenim ſubito diſciſſa tumultu,
  Urbe manens una, non erat una fide.
Chriſticolis Judæus odor reſidebat amarus,
  Obſtabatque piis impia turba ſacris.
Extollens cervix Domini juga ferre recuſans,
  Sic tumidis animis turget inane cutis.
Quos in amore Dei monitabat ſæpe Sacerdos,
  Ut de converſis iret ad aſtra ſeges.
Sed caliginoſi recubans velaminis umbra,
  Pectora terra premens cernere clara vetat.
Venerat ergo dies, Dominus qua eſt redditus aſtris,
  Ac homo ſidereum pendulus ivit iter.
Plebs armante fide Judaica templa revellit,
  Et campus patuit quo Synagoga fuit.
Tempore quo Chriſti repedavit ad alta poteſtas,
  Ille quod aſcendit, res inimica ruit.
Hic tamen Antiſtes Moyſei lege rebelles
  Alloquitur blande, quos dabat ira truces.
Quid facis, o Judæa cohors, nec docta vetuſtas?
  Quo veterem renoves, credere diſce ſenex.
Lactea canities ſapiat majora juventa,
  Senſum pone gravem, quo puerile fuit.
Non pudeat meliora ſequi vel tarda vetuſtas,
  Corpore deficiens creſcat honore ſenex.
Eſt Deus, alta fides, unus tria, trinus & unus,
  Perſonis propriis ſtat tribus unus apex.
Nam pater & genitus, quoque Sanctus Spiritus idem:
  Sic tribus eſt unum jus, opus, ordo, thronus.
Legifer hoc reboat, Patriarcha hoc credit Abraham,
  Hinc pater eſt nobis, eſt quia noſtra fides.
Tres videt æquales, unum veneratus adorat,
  Unum voce rogat, tres quoque pelve lavat.
Sic patruo ſimilis Loth ſuſcipit hoſpes euntes,
  Quos cibat in Sodomis, hi rapuere Segor.
Cum a Domino Dominus pluit ignem triſte Gomorræ,
  Filius & pater eſt a Domino Dominus.
Qui tuus, ipſe meus, ſtat conditor atque creator,
  Hujus plaſma ſumus, qui eſt Trinitate Deus.
Unius eſtis oves, heu cur non uniter itis?
  Sit rogo grex unus, paſtor ut unus adeſt.
Rennuis? an recolis quod canna Davidica pangit,
  Quodque prophetali virgine fœtus agit?
In cruce transfixus palmis pedibuſque pependit,
  Sed corrupta caro non fuit ex tumulo.
Poſt triduum remeans, ſanat nos vulnere longo,
  Quod rediit cælis, teſtis & iſta dies.
Crede meis ac crede tuis, convicta ſenectus,
  Si fugis ac trepidas, negligis iſta legens.
Protrahimus verbum brevitatis tempore longum,
  Aut admitte preces, aut rogo cede loco.
Vis hic nulla premit, quo vis te collige liber,
  Aut meus eſto ſequax, aut tuus eſto fugax.
Redde colone locum, tua duc contagia tecum,
  Aut ea ſit ſedes, ſi tenet una fides,
Hæc pia verba viris miti dedit ore Sacerdos,
  Ut, ſibi quo libeat, ſemita cordis eat.
Aſt Judæa manus ſtimulante furore rebellis,
  Colligitur, rapitur, conditur inde domo.
Chriſticolæ ut cernunt tunc agmina Manzara jungi,
  Protinus inſiliunt qua latet ille dolus.
Si fremerent gladiis, ſentirent juſta cadentes,
  Vincere quo poſſint, aut daret arma fides.
Legati occurrunt vati mandata ferentes:
  Nos Judæa manus jam tua caula ſumus.
Ne pereant, adquire Deo, qui vivere poſſunt,
  Si mora ſit, morimur, & tua lucra cadunt.
Tende celer greſſum, properes niſi præpete curſu,
  Funera natorum ſunt tibi flenda, pater.
Fletibus his victus rapitur miſerando Sacerdos,
  Ut ferat afflictis rite ſalutis opem.
Perveniunt quo clauſa loco fera turba latebat,
  Quæ occurrens lacrimis, ingemit ore preces.
Mens eſt tarda boni Judaica jura tenenti,
  Lucem ſero videt prætereunte die.
Sic oculis cordis velum eſt ab origine tenſum,
  Cæcus ut ignoret, quo via recta meat.
Sed tandem ſequimur, paſtor, quo ſæpe monebas,
  Qui ſale tam dulci currere cogis oves.
Credentes jam crede tuos nec fallere credas,
  Nos lavacrum petimus, ſit tibi præſto lacus.
Senſimus aſpectu quod aiebas rite precando,
  Quod hominem per te nos Deus ipſe monet.
Hinc trahit ad lucem quos texerat umbra negantes,
  Militiæque novæ nox aperibat iter.
Agmina conveniunt quondam diverſa ſub unum,
  Partibus & geminis ſit Deus unus amor.
Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus,
  Aſperſuque ſacro ſit gregis alter odor.
Ecce dies aderat qua Spiritus almus ab alto
  Miſſus, Apoſtolicis fluxit in ora viris.
Res ſacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
  Certatimque aditus ad pia feſta terunt.
Abluitur Judæus odor baptiſmate divo,
  Et nova progenies reddita ſurgit aquis.
Vincens ambroſios ſuavi ſpiramine rores,
  Vertice perfuſo chriſmatis efflat odor.
Ingenti numero celebratur Paſcha novellum,
  Ac de ſtirpe lupi progenerantur oves.
Excepit populus populum plebs altera plebem,
  Germine qui non eſt, fit ſibi fonte parens.
Undique rapta manu lux cerea provocat aſtra,
  Credas ut ſtellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc veſtis color eſt, hinc lampade fulgor
  Ducitur, & vario lumine picta dies.
Nec feſtiva minus quam tunc fuit illa coruſcans,
  Diverſis linguis quæ dedit una loqui.
Quis rogo Pontificis fuit illic ſenſus Aviti,
  Quam validus fervor, cum daret iſta Deo.
Inter candelabros radiabat & ipſe Sacerdos,
  Diffuſo interius Spiritus igne micans.
Tunc ſibi qualis erat tam vera holocauſta ferendo,
  Cum libat vivo hoſtia viva Deo!
Si Patriarcha placet, quoniam natum obtulit unum,
  Qui tantos offert quam placiturus erit!
Moyſes non valuit fidei quos ſubdere noſtræ,
  Qui Chriſto adquirit, quod ſibi munus erit?
Fudit aromaticum Domini libamen ad aram,
  Incenſumque novum miſit ad aſtra Deo.
Obtinuit votum, quia veræ junxit olivæ,
  Et grege de niveo gaudia paſtor habet.
Hæc inculta tibi reputa, pater alme Gregori,
  Qui Fortunato non valitura jubes.

Adde

Adde quod exiguum me portitor impulit inſtans,
Et datur in ſpatiis vix geminata dies.
Novimus affectu potius quod diligis illum,
Hunc quem corde vides, ſemper & ore tenes.
Hoc tibi nec ſatis eſt, hujus quod es ipſe relator,
Compellis reliquos plaudere voce ſibi.
Non fuit in vacuum, quod te provexit alumnum,
Sic cui mente fidem, reddis amore vicem.
Annuat Omnipotens longo memoraliter ævo,
Ut tu laus illi, laus ſit & ille tibi.
Me quoque vos humilem pariter memoretis utrique,
Et pro ſpe veniæ voce feratis opem.

XXI. *Ad Felicem Epiſcopum Namneticum.*

SEntio, ſumme pater, lumen venerabile cunctis,
Orbis dulce caput, mihi nomen amabile Felix:
Amplectens quem corde gero pietatis in ulnis,
Pondus ſuave meum, nec onus gravat iſtud amantem.
Cur humilem me, ſumme, vocas loca viſere blanda,
Quæ te, chare, tenent? tecum modularer in illis,
Qua tua rura lavat vitrea Liger algidus unda,
Cariaci ſpecioſus ager devexus in amnem?
Hinc tibi flumen aquis recreat, hinc pampinus umbris,
Et crepitans Boreas tot prata comata flagellat:
Uber nempe ſolum piſcoſo littore pulcrum,
Sed Fortunatum facies tua reddit amœnum.

XXII. *Ad Gregorium Epiſcopum Turonenſem poſt iter.*

CUlmen honoratum, decus almum, lumen opimum,
Paſtor Apoſtolicæ ſedis amore placens.
Amplectende mihi ſemper ſacer ore Gregori,
Nec divulſe animo vir venerande meo.
Gaudeo quod rediit Turonis Antiſtes honore,
Lætificorque mihi te remeaſſe patrem.
Plaudimus inſtanter communia vota tenere,
Civibus & patriæ te revocaſſe diem.
Præſentem famulum mecum commendo Sacerdos,
Optantes longe vos moderare gregem.

XXIII. *Item ad eumdem Gregorium.*

OFficiis generoſe piis pater alme Gregori,
Mente ſalutifera qui petis aſtra palam.
Et quicumque tuis monitis animatur inermis,
Militiæ ſacræ victor habebit opem.
Commendans humilem famulum me, ſolvo ſalutem,
Semper amore pio vir benedicte Deo.
Pagina ſi brevis eſt, non eſt brevis ardor amantis,
Nam plus corda colunt, quam mea verba canunt.

XXIV. *Ad ipſum Epiſcopum: de libro præſtito.*

CArmina diva legens, proprioque e pectore condens,
Participans aliis ſit tibi palma parens.
Hæc quoque quæ pridem tribuiſti paſtor ovili,
Grates perſolvens debita laudo libens.
Vos tamen hic maneant donaria celſa Tonantis,
Qui ſacras inopi das bene largus opes.
Quem cum percontare queam pro munere tanto,
Tunc magis ore meo gratia veſtra ſonet.
Præſentem famulum pro munere, ſumme Sacerdos,
Commendo ſupplex, dulcis amore pater.
Cui ſua concedens juſtæ moderamina libræ,
Creſcat honore Dei palma futura tui.

XXV. *Item ad eumdem Epiſcopum: pro invitatione.*

INvitans pietate patris Sacer ire Gregori,
Qua Domini Turonis paſcis amore greges.
Quo ſacer Antiſtes meritis Martinus opimis,
Quas prius obtinuit, has tibi ceſſit oves.
Nunc quoque per caulas & florea paſcua Chriſti,
Rite gubernantes ducitis ambo greges.
Sed mihi vim faciens vellet modo frater honore,
Ad vos ne properem, nempe retorſit iter.
Sæpe rogans voto, mandato & miſſile verbo,
Et conjuratus ſum ſive pollicitus.
Vir bonitate placens & paſtor pacis amator,
Fœderis ob ſtudium ſit veniale precor.
Vos quoque ſed genitæ propriæ venerando ſalutant,
Aſt ego commender, quæſo, beate pater.

XXVI. *Ad ipſum de Commendatione mulieris.*

SUmme pater patriæ, ſpecimen pietatis opimæ,
Dulce caput Turonis, relligionis apex;
Jugiter alta ſequens clementi corde Gregori,
Unde animæ decus eſt hac ratione petens.
Quam commendaſti venientem, celſe Sacerdos,
Hanc redeuntem ad te ſuſcipe more patris.
Sis quoque longævus cunctorum chare recurſus,
Et mihi vel reliquis ſit tua vita ſeges.

XXVII. *Ad eumdem: de itinere ſuo.*

JUgiter opto libens, ſacer amplectende Gregori,
Cernere vos oculis. quærere litterulis.
Dulce videre mihi, ſi deſit copia cerni,
Spes erit oranti vel dare verba patri.
Nuper ab aſpectu diſcedens concite veſtro,
Per glaciem vitreas me loquor iſſe vias.
Sed crucis auxilio Martino operante patrono,
Perveni ad matres ſalvus, opime pater.
Quæ vos multiplici veneranter honore ſalutant,
Aſt ego pro reditu vota ſalutis ago.

XXVIII. *Ad ipſum Epiſcopum ſalutatoria.*

SUmme Sacerdotum, bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo;
Officiis venerande ſacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meæ.
Florens in ſtudiis, & ſacra in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ergo precans terram, freta, ſidera teſtor,
Ut velis ore ſacro me meminiſſe tuum.

XXIX. *Item ad eum: pro pomis & graphiolis.*

OFficiis generoſe piis ſacer arte Gregori,
Abſenti præſens munere, ſumme pater.
Qui mihi tranſmittis propria cum prole parentes,
Inſita cum fructu ſurcula, poma ſimul.
Det Deus Omnipotens, meritorum fruge repletus
Mala legas avide, quæ Paradiſus habet.

XXX. *Ad eumdem: de commendatione puellæ.*

CUm graderer feſtinus iter, pater alme Gregori,
Qua præceſſoris ſunt pia ſigna tui;
Quo fertur convulſa jacens radicitus arbor,

Mat-

Martini ante preces exiluiſſe comis.
Quæ fidei merito nunc ſtat ſpargendo medelas,
 Corpora multa medens, cortice nuda manens.
Fletibus affuit hic genitor genitrixque puella,
 Voce implendo aures & lacrimando genas.
Figo pedem, ſuſpendo aurem, mihi panditur ore
 Vix per ſingultus vendita nata ſuos.
Quæro adhuc, queſtus perhibet, nullo indice furto,
 Furto ex objecto hanc pater ire jubet.
Se voluiſſe dare, & jurantes ordine teſtes,
 Nomine quemque tenens, nec potuiſſet egens.
Non aderat judex, erat accuſator adurgens,
 Hic ego quid facerem, poſſe vetante ſacro?
Si pius hic, dixi, præſens Martinus adeſſet,
 Non permiſiſſet perdere paſtor ovem.
Sed tamen invalui recolens te, ſumme Sacerdos,
 Spem præceſſoris qui pietate refers.
Diſcute, diſtringe, ac ſi ſit ſecus, eripe dulcis.
 Et pater adde gregi, hanc quoque redde patri.
Me ſimul officio famulum tibi chare ſubactum,
 Protege perfugio, paſtor opime, pio.

XXXI. *Item ad ipſum; de commendatione peregrini.*

VIr bone pro meritis adipiſcens culmen honoris,
 Nobile præſidium, pontificale caput:
Quem gradus & genium fructu pietatis opimo
 Dignius attollunt amplificante Deo.
Ut tibi ſit famulans memoratus amore benigno,
 Fortunati humilis te pater orat apex.
Hic peregrinus item lætetur, ſumme Sacerdos,
 Paſtorem & patriam te meruiſſe ſuam.

XXXII. *Ad eumdem Epiſcopum: Salutatorium.*

PAſtor honoris apex, venerabilis ore Sacerdos,
 Et decus alme patrum, & relligionis amor.
Gloria Pontificum meritis pia palma Gregori,
 Aſſurgente gradu nobile, jure, caput.
Fortunatus opem tribui quam poſcit Olympi,
 Per te chare pater, quo mereatur, age.

XXXIII. *Item ad ipſum: Salutatorium.*

VIſitat a vobis dignanter epiſtola currens,
 Me, facer Anriſtes, vir pietate pater.
Hanc avidus captans oculis animoque recurro,
 Soſpite te gaudens quod referebat apex.
Longius hinc veſtro ſub nomine, Papa Gregori,
 Pagina me recreet miſſa ſalutis ope.

XXXIV. *Dominis Sanctis atque Apoſtolicis in Chriſto patribus Eccleſiæ Pontificibus, Fortunatus: pro commendatione peregrini.*

GLoria Pontificum, veneratio Chriſticolarum,
 Norma Sacerdotum, culmen & orbis honor:
Qui loca perſpicitis propriæ mercedis amore,
 Succurrendo viris, veſter ut extet apex.
Ecce venit præſens Italus peregrinus & hoſpes,
 Cernens paſtores ne precor erret ovis.
Qualiter ad patriam properet, ſolatia poſcit,
 Inveniat munus vos vagus, exul, inops.
Me Fortunatum proprium pietate parentum,
 Conciliate polo quæſo precando Deum.

XXXV. *Ad Aredium Abbatem: Salutatorium.*

OPto benigne pater verbo tibi ferre ſalutem,
 Si minus hinc oculo cernere te valeo.
Eſt etenim veſtri tantus mihi cultus honoris,
 Ut pro me occurrat hinc tibi miſſus apex.
Quæſo, beate, tamen per pabula dulcia Chriſti,
 Me quoque commemores, cum dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi paſtor Aredi,
 Si Fortunati ſis memor alme tui.
Pro me etiam ſanctam genitricem, chare, ſaluta,
 Cum redit iſte puer, redde loquentis opem.
Vos itidem genitæ propriæ, pater ample, ſalutant,
 Agnes amore pio cum Radegunde ſimul.

XXXVI. *De ordinatione Sigeberti Regis.*

VEre novo tellus fuerit dum exuta pruinis,
 Si picturato gramine veſtit ager.
Longius extendunt frondoſa cacumina montes,
 Et renovat virides arbor opaca comas.
Promittens gravidas ramis genitalibus uvas,
 Palmite gemmato vitis amœna tumet.
Præmittens flores gracili blandita ſuſurro,
 Delicioſa favis mella recondit apes.
Progeniem reparans caſto fœcunda cubili,
 Artifices natos gignere cauta cupit.
Nexibus apta ſuis pro poſteritatis amore,
 Ad fœtus properans garrula currit avis.
Semine quiſque ſuo ſenio juveneſcit in ipſo,
 Omnia dum redeunt, gaudia mundus habet.
Si modo cuncta favent, dum proſperitate ſuperna
 Regia Cæſareo proficit aula jugo.
Ordine multiplici felicem in ſecula Regem,
 Undique cinxerunt lumina tanta ducum.
Culmina tot procerum concurrunt culmen ad unum,
 Mars habet ecce duces, pax habet ecce decus.
Cunctorum adventu feſtiva palatia fervent,
 Conjugio regis gens ſua vota videt.
Vos, quorum irrigui fontis meat unda, favete,
 Judicio veſtro creſcere parva ſolent.

LIBER V.

I. *De Nuptiis præfati Regis, Brunichildiſque Reginæ.*

FŒlicem Sol pande diem, radiiſque ſerenis
 Sparge comas, thalamos ſincero lumine complens.
Sigebertus ovans ad gaudia noſtra creatus
Vota facit, qui nunc alieno liber amore
Vincula chara ſubit, cujus moderante juventa
Connubium mens caſta petit. laſciva retundens
Ad juga confugit, cui nil ſua ſubripit ætas.
Corde pudicus agens, rector tot gentibus unus,
Et ſibi fræna dedit, ſed quod natura requirit,
Lege maritali amplexu eſt contentus in uno,
Quo non peccat amor, ſed caſta cubilia ſervans
Inſtaurat de prole lares, ubi luſerit hæres.
Torſit amoriferas arcu ſtridente ſagittas
Forte Cupido volans. terris genus omne perurit,
Nec pelagus defendit aquas, mox vilia corda
Subdit vulgus iners. tandem dehinc ſenſus opimus
Regis anhelantem placidis bibit oſſibus ignem,
Molliter incumbens & inhæſit flamma medullis.

Rega-

Regalis fervebat apex, nec nocte ſopora
Cordis erat requies oculis animoque recurrens
Ad vultus, quos pinxit amor, mentemque fatigans
Sæpe per amplexum falsa ſub imagine luſit.
Mox ubi conſpexit cælo ſuperante Cupido
Virginea mitem torreri lampade Regem,
Lætus ait Veneri: Mater, jam bella peregi,
Pectore flagranti mihi vincitur alter Achilles,
Sigibertus amans Brunechildis carpitur igne,
Quæ placet apta thoro maturis nubilis annis
Virginitas in flore tumens, complexa marito,
Primitiis placitura ſuis, nec damna pudoris
Suſtinet; unde magis pollens Regina vocatur,
Hoc quoque virgo cupit, quamvis verecundia ſexus
Obſtet, amata viri dextra leviore repellit,
Ignoſcitque ſibi culpas quas intulit ignis.
Sed modo læta veni; quoniam te vota requirunt.
Mox Venus ambroſio violas admiſcet amomo,
Demetit ungue roſas, gremioque recondit avaro,
Et pariter levibus fregerunt nubila pennis,
Et venere ſimul thalamos ornare ſuperbos.
Hinc Venus egregiam præponere cœpit alumnam,
Inde Cupido virum, nubentibus ambo faventes,
Et litem fecere piam. ſic deinde Cupido
Matri pauca refert: Tibi quem promiſimus hic eſt,
Sigebertus, amor populi, lux nata parentum,
Qui genus a proavis longo tenet ordine Regum,
Et Reges geniturus erit, ſpes gentis opimæ,
Quo crevit natale decus, generoſa propago.
Hac melior de ſtirpe redit, famamque priorum
Poſteritas excelſa fovet: hic nomen avorum
Extendit bellante manu, cui de patre virtus,
Quam Nabis ecce probat, Thoringia victa fatetur,
Perficiens unum gemina de mente triumphum.
Nec Dictheuberto pietas venialia pendit.
Iſte duos reddit, pro ambobus ſufficit unus,
Cardinis occidui dominans in flore juventæ,
Jam gravitate ſenum, teneriſque ſupervenit annis,
Legem naturæ meruit præcedere factis.
Quamvis parva tamen nullum minor impedit ætas.
Qui ſenſum mature gerit, generoſior hic eſt,
Quiſquis in anguſto fuerit moderatior ævo.
Sic fovet hic populos ipſis intrantibus annis,
Ut pater & Rex ſit; nullum graviter regit, omni
Nulla dies ſine fruge venit, niſi congrua præſtet,
Perdere plura putat, ſi non conceſſerit ampla,
Gaudia diffundit radianti lumine vultus,
Nubila nulla gravant populum ſub Rege ſereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas.
Unde alii peccant, ignoſcendo iſte triumphat,
Doctus enim, quoniam prima eſt in principe virtus,
Eſſe pium quia ſemper habet qui parcere novit.
Corrigit in ſe prius quod poſcit ut alter emendet.
Qui ſibi cenſura eſt, reliquos bene lege coercet,
In quo digna manent quidquid de Rege requiras,
Solus amat cunctos, & amatur ab omnibus unus.
Incipit inde Venus laudes memorare puellæ:
O virgo miranda mihi placitura jugali,
Clarior ætheria Brunichildis lampade fulgens,
Lumina gemmarum ſuperaſti lumine vultus,
Altera nata Venus regno ditata decoris,
Nullaque Nereidum de gurgite talis Hibero,
Oceani ſub fonte natat non ulla Napæa
Pulcrior, ipſa ſuas ſubdunt tibi flumina Nymphas,
Lactea cui facies incocta rubore coruſcat.
Lilia mixta roſis, aurum ſi intermicet oſtro,
Decertata tuis numquam ſe vultibus æquant.
Sapphirus alba, adamas, cryſtalla, ſmaragdus, iaſpis,
Cedant cuncta, novam genuit Hiſpania gemmam.
Digna fuit ſpecies, potuit quoque flectere Regem.
Per hiemes validas, nivis Alpem, perque Pyrenem,
Perque truces populos vecta eſt duce Rege ſereno.
Tu Regis Regina thoris ſuper ardua montis
Planum carpis iter: nihil obſtat amantibus unquam,
Quos jungi divina volunt. quis crederet autem
Hiſpanam tibimet dominam, Germania, naſci,
Quæ duo regna jugo pretioſa annexuit uno?
Non labor humanus potuit tam mira parare,
Nam res difficilis divinis utitur armis.
Longa retro ſeries Regi hoc vix contulit ulli,
Difficili niſu ſuperantur ardua rerum.
Nobilitas excelſa nitet, genus Athanagildi,
Longius extremo regnum qui porrigit orbi,
Dives opum quas mundus habet, populumque gubernat
Hiſpanum ſub jure ſuo pietate canenda.
Cur tamen egregii genitoris regna renarrem,
Quando tuis meritis video creviſſe parentes?
Quantum virgo micans turbas ſuperare videris
Femineas, tantum tu Sigeberte maritos.
Ite diu juncti membris & corde jugari,
Ambo pares genio, meritis & moribus ambo,
Sexum quiſque ſuum pretioſis actibus ornans,
Amplexu cujus ſint colla revincta ſub uno,
Et multos placidis peragatis luſibus annos.
Hoc velit alterutrum quidquid dilexerit alter,
Æqua ſalus ambobus eat, duo pectora ſervet,
Unus amor vivo ſolidamine junctus aleſcat.
Auſpiciis veſtris cunctorum gaudia ſurgant,
Pacem mundus amet, victrix concordia regnet.
Sic iterum natis celebretis vota parentes,
Et de natorum teneatis prole nepotes.

II. *Item in laudem Sigeberti Regis atque Reginæ Brunichildis.*

Victor ab occaſu, quem laus extendit in ortum,
Et facit egregium principis eſſe caput.
Quis tibi digna ferat, nam me vel dicere pauca
Non trahit ingenium, ſed tuus urget amor.
Sic nunc Virgilius, ſi forſitan eſſet Homerus,
Nomine de veſtro jam legeretur opus.
Sigeberte potens, generoſis clare triumphis,
Hinc nova te virtus, prædicat inde genus.
Cujus rapta ſemel ſumpſit victoria pennas,
Et tua vulgando proſpera facta volat.
Saxona Thoringo reſonet ſua damna moventes
Unius ad laudem tot cecidiſſe viros.
Quod tunc ante aciem pedibus prior omnibus iſte,
Hinc modo te Reges unde ſequantur habent.
Proſperitate nova pacem tua bella dederunt,
Et peperit gladius gaudia certa tuus.
Plus tamen ut placeas, cum ſit victoria jactans,
Tu magis unde ſubis, mitior inde manes.
Eſt tibi ſummus honor, ſed mens præceſſit honorem.
Moribus & veſtris debitus extet apex.
Juſtitiæ cultor pietatis amore coruſcas.
Quod te plus habeat, certat utrumque bonum.
Lingua, decus, virtus, bonitas, mens, gratia pollens,
Ornarent cunctos ſinguli veſtra viros.
Cunctorum cauſas intra tua pectora condis,
Pro populi requie te pia cura tenet.
Omnibus una ſalus qualis datus ordine ſacro,
Tem-

Tempore præſenti gaudia priſca refers.
Catholico cultu decorata eſt optima conjux,
Eccleſiæ crevit te faciente domus.
Reginam meritis Brunichildem Chriſtus amore
Tunc ſibi conjunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis melius quia munere Chriſti,
Pectora juncta prius, plus modo lege placent.
Rex pie Reginæ tanto de lumine gaude,
Adquiſita bis eſt quæ tibi nupta ſemel.
Pulcra, modeſta, decens, ſollers, pia, grata, benigna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamvis tantum meruiſſet ſola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet ecce Deo.
Secula longa micans chara cum conjuge ducas,
Quam tibi divinus conſociavit amor.

III. *In laudem Chariberti Regis.*

INclyta magnarum proceſſit gloria rerum,
Et de Rege pio ſparſit ubique decus.
Quem gravitate, animo, ſenſu, moderamine legum,
Prædicat occiduus Sol orienſque virum.
Qui quadripartiti mundi ſub partibus amplis,
Fructificante fide ſemina laudis habet.
Hinc cui barbaries, illinc Romania plaudit,
Diverſis linguis laus ſonat una viri.
Dilige regnantem celſa Pariſius arce,
Et cole tutorem qui tibi præbet opem:
Hunc modo læta favens avidis amplectere palmis,
Qui jure eſt dominus, ſed pietate pater.
De Childeberto veteres compeſce dolores,
Rex placidus rediit qui tua vota fovet.
Ille fuit mitis, ſapiens, bonus, omnibus æquus,
Non cecidit patruus, dum ſtat in urbe nepos.
Dignus erat heres ejus ſibi ſumere regnum,
Qui non eſt illo laude loquente minor.
Charibertus adeſt, qui publica jura gubernans,
Tempore præſenti gaudia priſca refert.
In tantum patruo ſe prodidit eſſe ſequacem,
Ut modo ſit tutor conjugis iſte nepos.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Ejus natarum eſt frater & ipſe pater.
Quæ bene defenſæ placito moderamine Regis,
In conſobrino ſpem genitoris habent.
Maxima progenies generoſa luce coruſcans,
Cujus ab excelſis gloria currit avis.
Nam quoſcumque velim veterum memorare parentum,
Stirpis honorificæ regius ordo fluit.
Cujus celſa fides eduxit ad aſtra cacumen,
Atque ſuper gentes intulit illa pedes.
Hoſtes calcavit tumidos, erexit amicos:
Fovit ſubjectos, terruit atque feros.
Cur tamen hic repetam præconia celſa priorum,
Cum potius tua laus ornet honore genus?
Illi auxere armis patriam, ſed ſanguine fuſo,
Tu plus adquiris, qui ſine clade regis.
Quos prius infeſtis laſſarunt bella periclis,
Hos modo ſecuros pacis amore foves.
Omnia læta canunt felicia tempora Regis,
Cujus in auſpiciis floret opima quies.
Per quem tranquilla terrarum fruges abundat,
Devotis populis eſt tua vita ſeges.
Cum te naſcentem meruerunt ſecula Regem,
Lumine majori fulſit in orbe dies.
Poſteritate nova tandem ſua gaudia cernens,
Creſcere ſe dixit prolis honore pater.
Qui quamvis eſſet ſublimi vertice rector,
Altius erexit te veniente caput.
Lætus in heredis gremio ſua vota reclinans,
Floruit inde magis ſpe meliore ſenex.
Ante alios fratres regali germine natus,
Ordine qui ſenior, ſic pietate prior.
Prædicat hinc bonitas, illinc ſapientia plaudit,
Inter utrumque decus te ſibi quiſque rapit.
De patruo pietas, & de patre fulget acumen,
Unius in vultu vivit uterque parens.
Quas habuere ambo laudes, tu colligis omnes,
Et reparas ſolus lege favente duos.
Semita juſtitiæ, gravitatis norma refulges,
Et ſpeculum vitæ dat pretioſa fides.
Tranquillis animis moderatio fixa tenetur,
Qui portum in proprio pectore ſemper habes.
Tempeſtas nullo penetrat tua corda tumultu,
Ne ſenſu titubes, anchora mentis adeſt.
Conſtantes animos non ventilat aula ſuſurrans,
Nec leviter facili mobilitate trahit.
Hinc bene diſpoſito comitatur gloria curſu,
Quod ſe mature mens moderata regit.
Conſilium vigilans alta radice retractas,
Et res clauſa aliis, eſt manifeſta tibi.
Publica jura movens proceres tecum regis omnes,
Spes eſt conſilii te monitore ſequi.
Hinc quoties felix legatio denique pergit,
Ingreditur caute quam tua lingua regit.
Quod tam mirifico floret patientia cultu,
Magna quies vitæ ſunt tibi divitiæ.
Juſtitiæ rector, venerandi juris amator,
Judicium ſapiens de Salomone trahis.
Tu melior fidei merito: nam principis ampli
Trajani ingenium de pietate refers.
Quid repetam maturum animum, qui tempore noſtro
Antiqui Fabii de gravitate places.
Si veniant aliquæ variato murmure cauſæ,
Pondera mox legum Regis ab ore fluunt.
Quamvis confuſas referant certamina voces,
Nodoſæ litis ſolvere fila potes.
Obtinet adveniens fructum, cui juſta petuntur,
Quem ſua cauſa fovet, præmia victor habet.
Cujus clara fides valida radice tenetur,
Antea mons migrat, quam tua verba cadant.
Spes ſtat promiſſi nullo mutabilis actu,
Cui ſit pacta ſemel, perpetuata manet.
Illa domus proprio ſub pondere tuta tenetur,
Quæ fundamento ſtat bene fixa ſuo.
Cum ſis progenitus clara de gente Sicamber,
Floret in eloquio lingua latina tuo.
Qualis es in propria docto ſermone loquela,
Qui nos Romanos vincis in eloquio!
Splendet in ore dies deterſa fronte ſerenus,
Sinceros animos nubila nulla premunt.
Blanda ſerenatum circumdat gratia vultum,
Lætitiam populus Regis ab ore capit.
Muneribus largis replet tua gratia cunctos,
Ut mea dicta probes, plebs mihi teſtis adeſt.
O bonitas immenſa Dei, quæ divite cenſu,
Quod famulis tribuit, hoc putat eſſe ſuum!
Erigis abjectos, erectos lege tueris,
Omnibus in totum factus es omne bonum.
Protegat omnipotens pietatis munere Regem,
Et dominum ſervet quem dedit eſſe patrem.
Cives te cupiant, tu gaudia civibus addas,
Plebs placeat famulans, Rex pietate regat.

IV. *De Theudechilde Regina egregia.*

INclyta progenies regali ſtirpe coruſcans,
Cui celſum a proavis nomen origo dedit.
Currit in orbe volans generis nova gloria veſtri,
Et ſimul hinc frater perſonat, inde pater.
Sed quamvis niteat generoſa propago parentum,
Moribus ex veſtris multiplicatur honor.
Cernimus in vobis quidquid laudatur in illis,
Ornaſti antiquum, Theodechilde, genus.
Mens veneranda, decens, ſollers, pia, cara, benigna,
Cum ſis prole potens, gratia major adeſt.
Evitans odii cauſas micat ampla poteſtas,
Quæ terrore minor plus in amore venis.
Mitis ab ore ſonus, ſuaviſſima dicta reſultant,
Verbaque colloquii ſunt quaſi mella favi.
Femineum ſexum quantum præcedis honore,
Tantum alias ſuperas & pietatis ope.
Si novus adveniat, recipis ſic mente benigna,
Ac ſi ſervitiis jam placuiſſet avis.
Pauperibus feſſis tua dextera ſeminat eſcas,
Ut ſegetes fructu fertiliore metas.
Unde foves inopes ſemper ſatiata manebis,
Et quem ſumit egens, fit tuus ille cibus.
Pervenit ad Chriſtum quidquid largiris egeno,
Etſi nemo videt, non peritura manent.
Cum venit extremus finis concludere mundum,
Omnia dum pereunt, tu meliora petis.
Eccleſiæ ſacra te diſpenſante novantur,
Ipſa domum Chriſti condis, & ille tuam.
Tu fabricas illi terris, dabit ille ſupernis,
Commutas melius, ſic habitura polos.
Stat ſine fraude tuum quod mittis ad aſtra talentum,
Quas bene diſpergis, has tibi condis opes.
Quæ Domino vivis, ſummos non perdis honores,
Regna tenes terris, regna tenenda polis.
Sit modo longa ſalus pro munere plebis in urbe,
Felix quæ meritis luce perennis eris.

V. *De Berthilde ſacra virgine.*

MEns devota Deo Berthildis corde coruſcans,
Pectore ſub cujus Chriſtus amore manet.
Deſpiciens mortale malum, vitalia ſervans,
Unde fugis terras, hinc petis aſtra magis.
Immaculata nitens neſcis contagia mundi,
Sordibus humanis libera membra geris.
Digna pudicitiæ debentur præmia ſacræ,
Virgo dicata Deo hinc rapienda polo.
Ille tenet cælos, cui tu complexa videris,
Quo tuus eſt ſponſus, hic eris ipſa ſimul.
Non cupis auro humeros, nec collum pingere gemmis,
Sed melius caſto pectore pura micas.
Mutaſti veſtem, mutaſti gentis honorem,
Cum thalamis Domini ſponſa juganda venis.
Quam meliore via meruiſti vota tenere,
Quando creatori forma creata places!
Pauperibus largas das eſurientibus eſcas,
Neſcit habere famem, qui tua tecta petit.
Qui ſine veſte jacet, tegmen pietate miniſtras,
Unde calet nudos frigora nulla timens.
Te redimente pia captivi vincula laxant:
Quæ ſolvis vinctos, libera ſemper eris.
Diſtribuis cenſum, nulli ſua vota negando,
Divitiaſque tuas omnibus eſſe facis.
Colligis in cælis quidquid diſpergis in arvis.
Semina nunc fundes, poſt meliora metes.
Quidquid habet mundus fugitivo tramite tranſit,
Tempore tu modico ſemper habenda facis.
Hic tibi longævis ſit vita ſuperſtes in annis:
Rurſus in æternum ſit tibi vera ſalus.

VI. *De Goiſuinta & ejus filia Geleſuinta.*

CAſibus incertis rerum fortuna rotatur,
Nec figit ſtabilem pendula vita pedem.
Semper in ambiguo ſeclum rota lubrica volvit,
Et fragili glacie lapſibus itur iter.
Nulli certa dies, nulli ſua certior hora,
Sic ſumus in ſtatu debiliore vitro.
Dum greſſu ancipiti trahit ignorantia fallens,
Huc latet ars foveæ, quo putat eſſe viam.
Neſcia mens hominum quid ſit necis atque ſalutis!
Lucifer an vita eſt, mors ſibi veſper erit.
His premimur tenebris ignari ſorte futuri,
Et vaga tam fragile hæc tempora tempus habent.
Toletus geminas miſit tibi, Gallia, turres,
Prima ſtante quidem fracta ſecunda jacet.
Alta ſuper colles ſpecioſa cacumine pulcro,
Flatibus infeſtis culmine lapſa ruit.
Sedibus in patriæ ſua fundamenta relinquens,
Cardine mota ſuo non ſtetit una diu.
De proprio migrata ſolo nova merſit arena,
Exul & his terris heu peregrina jacet.
Quis valet ordiri tanti præſagia luctus,
Stamine quo cœpit texere flenda dolor?
Cum primum algentes jungi peteretur ad arctos,
Regia regali Geleſuinta thoro.
Fixa Cupidineis caperet ut frigora flammis,
Viveret & gelida ſub regione calens.
Hoc ubi virgo metu audituque exterrita ſenſit,
Currit ad amplexus Gioſuinta tuos.
Tu matris collecta ſinu male ſana reclinans,
Ne divellatur ſe tenet ungue manus.
Brachia conſtringens nectit ſine fine catenam,
Et matrem amplexu per ſua membra ligat.
Illis viſceribus retineri filia poſcens,
Ex quibus ante ſibi lucis origo fuit.
Committens ſecura ejus ſe falce levari,
Cujus clauſa uteri pignore tuta fuit.
Tum gemitu fit mœſta domus, ſtrepit aula tumultu,
Reginæ fletu plorat & omnis honor.
In populi facie lacrimarum flumina ſordent,
Infans qui affectum neſcit, & ipſe gemit.
Inſtant legati, Germanica regna requiri,
Narrantes longe tempora tarda viæ.
Sed matris moti gemitu ſua viſcera ſolvunt,
Et qui compellunt, diſſimulare volunt.
Dum natæ amplexu genitrix nudata tenetur,
Prætereunt duplex, tertia, quarta dies.
Inſtant legati nota regione reverti,
Quos his alloquitur Goiſuinta gemens.
Si feritate trucis premerer captiva Geloni,
Forſan ad has lacrimas & pius hoſtis erat.
Si nec corde pius, cupidus mihi cederet hoſtis,
Ut natam ad pretium barbara præda daret.
Si neque ſic animum velit inclinare cruentum,
Matri præſtaret quo ſimul iret iter.
Nunc mora nulla datur, pretio neque flectimur ullo,
Qui nihil indulget ſævius hoſte nocet.
Poſt uteri gemitus, poſt multa pericula partus,
Poſtque laboris onus, quod grave fœta tuli;

Quæ

Quæ genui natæ matrem me non licet eſſe,
Ipſaque naturæ lex mihi tota perit.
Affectu jejuna meo lacrimoſa repellor,
Nec pietas aditum, nec dat origo locum.
Quid rapitis? differte dies, dum diſco dolores,
Solamenque mali ſit mora ſola mei.
Quando iterum videam, quando hæc mihi lumina claudet,
Quando iterum natæ per pia colla cadam?
Unde precor teneræ greſſum ſpectabo puellæ,
Oblectetque animum matris & ipſe jocus?
Poſt cauſas, quas regna gerunt, ubi mœſta reclinem?
Quis colat affectu, lambat & ore caput?
Extenſis palmis quis currat ad oſcula, vel quæ
Cervici inſiliant pendula membra meæ?
Quem teneam gremio blando ſub faice laborans,
Aut leviore manu verberer ipſa joco?
Nec te ferre ſinu, quamquam ſis adulta, gravarer,
Quæ mihi dulce nimis & leve pondus eras.
Cur nova rura petas illic, ubi non ero mater?
An regio forſan non capit una duas?
Quæ genuere ergo lacerentur viſcera luctu,
Gaudia cui pereunt tempora fletus erunt.
Plorans perdam oculos, duces mea lumina tecum,
Si tota ire vetor, pars mea te ſequitur.
Tum proceres, famuli, domus, urbs, Rex ipſe remugit,
Quaque petiſſet iter vox gravis una gemit.
Proceſſere foras tandem ſed turba moroſa,
Solvere dum properat, ſe properando ligat.
Hinc tenet affectus, rapit inde tumultus euntes,
Sic per utraſque vices flebile fervet opus.
Alter abire monet, rogat alter amore redire,
Sic variante fide hic trahit, ille tenet.
Dividitur populus per regna novella vetuſtus,
Stat pater, it genitus, ſtat ſocer, itque gener.
Aſtans qui trepidam patriam migrare putaret,
Et quaſi captivum crederet ire ſolum.
Procedunt portis ferrato in ponte retenti,
Protulit hoc fletu Geleſuinta caput.
Sic gremio ſolere tuo nutribar, ut ægra
Excludar portis triſtis alumna tuis?
Quoque magis crucies prodens mea vulnera luctu,
Stas felix regio, cui ego præda trahor?
Antea clauſa fui, modo te conſidero totum,
Nunc mihi nota prius quando recedo ferox.
Hinc te dinumero currens per culmina viſu
En ego de numero non ero ſola tuo.
Crudeles portæ, quæ me laxaſtis euntem,
Clavibus oppoſitis nec vetuiſtis iter!
Antea vos geminas adamas petra una ligaſſet,
Quam daret huc ullam janua panſa viam.
Urbs pia plus fueras, ſi murus tota fuiſſes,
Me ire ut ne fineres, cingeret alta ſilex.
Pergo ignota locis trepidans, quidnam antea diſcam,
Mores, gentem, animos, oppida, rura, nemus.
Quem precor inveniam peregrinis advena terris,
Quo mihi nemo venis civis, amice, parens?
Dic, ſi blanda poteſt nutrix aliena placere,
Quæ lavet ora manu, vel caput ornet acu.
Nulla puella choro neque collactanea ludat,
Hic mea blanditiesʼ, hic mea cura jaces.
Si me non aliter vel nuda ſepulcra tenerent,
Vivere non licet hic, hic mihi dulce mori.
Non fruor amplexu, neque viſu plena recedo,
Quæ me dimittis, dura Tolete, vale.
Sic accenſi animi lacrimarum flumina rumpunt,
Fixus & irriguas partuit ignis aquas.

Hinc iter arripiunt genitrix, nata, agmina flentum,
Nec piget obſequiis mater anhela ſequi.
Deducit dulcem per aprica viatica natam,
Implentur valles fletibus, alta tremunt.
Frangitur & denſus vacuis ululatibus aer,
Ipſa repercuſſo murmure ſilva gemit.
Dat cauſas ſpatii genitrix ut longius iret,
Sed fuit optanti tempus iterque breve.
Pervenit quo mater ait ſeſe inde reverti,
Sed quod velle prius, poſtea nolle fuit.
Rurſus adire cupit, via qua fert invia matrem,
Quam proceres retinent, ne teneretur iter.
Hærebant in ſe amplexæ paritérque reflexæ:
Incipit hic gemitum Goiſuinta dolens.
Civibus ampla tuis, anguſta Hiſpania matri,
Et regio ſoli tam cito clauſa mihi:
Quæ licet a Zephyro calidum percurris in Eurum,
Et de Tyrrheno tendis ad Oceanum;
Sufficiens populis quamvis regionibus amplis,
Quo eſt mea nata abſens, terra mihi brevis es.
Nec minus hic ſine te errans & peregrina videbor,
Inque loco proprio civis & exul ero.
Quælo quid inſpiciant oculi, quæ nota requirant,
Quæ mea nunc tecum lumina ducis amor?
Tu dolor unus eris quiſquis mihi luſeris infans,
Amplexu alterius tu mihi pondus eris.
Currat, ſtet, ſedeat, flear, inter & exeat alter,
Sola meis oculis dulcis imago ſedis.
Te fugiente errans aliena per oſcula curram,
Et ſuper ora gemens ubera ſicca premam.
De facie infantum plorantia lumina lambam,
Et teneras lacrimas inſatiata bibam.
Tali potu utinam vel parte refrigeret ulla,
Aut plorata avide mitiget unda ſitim.
Quidquid erit, crucior, nulla hic medicamina proſunt,
Vulnere diſtillo, Geleſuinta, tuo.
Qua, rogo, nata manu cara hæc coma pexa nitebat,
Quis ſine me placidas lambiat ore genas?
Quis gremio foveat, genibus vehat, ambiat ulna?
Sed tibi præter me non ibi mater erit.
Quod ſupereſt, timibundus amor hoc mandat eunti,
Sis precor o felix, ſed cave, vade, vale.
Mitte avidæ matri vel per vaga flabra ſalutem,
Si venit ipſa, mihi nunciet aura boni.
Filia tunc validis genitricis onuſta querelis,
Triſtis, inops animi, nec valitura loqui;
Clauſa voce diu, vix fauce ſolubile fandi,
Pauca refert cordis vulnere lingua gravis.
Majeſtas ſi celſa Dei mihi tempora vellet
Nunc dare plus vitæ, non daret iſta viæ.
Ultima ſed quoniam ſors irrevocabilis inſtat,
Si jam nemo vetat, quo trahit ira ſequar.
Hæc extrema tamen loquar & memoranda dolori,
Hinc tua non tua ſum, Goiſuinta vale.
Oſcula ſic rumpunt, & fixa ori ora repellunt,
Dum ſe non poſſunt, aera lambit amor.
Hinc pilentre petens loca Gallica Geleſuinta,
Stabat fixa oculis triſtis eunte rota.
E contra genitrix poſt natam lumina tendens,
Uno ſtante loco pergit & ipſa ſimul.
Tota tremens agiles raperet ne mula quadrigas,
Aut equus impatiens verteret axe rotas.
Sollicitis oculis circumvolitabat amantem,
Illuc mente ſequens qua via flectit iter.
Sæpe loquebatur quaſi ſecum nata ſederet,
Abſentemque manu viſa tenere ſua.

Prendere ſe credens in ventos brachia jactat,
Nec natam recipit, ſed vaga flabra ferit.
Inter tot comites unam ſpectabat euntem,
Sola videbatur qua ſuus ibat amor.
Plus genitrix ſuſpenſa animo, quam filia curru,
Hac titubans votis ibat, & illa rotis.
Donec longe oculis ſpatioque evanuit amplo,
Nec viſum attingit dum tegit umbra diem.
Ipſa putat dubios natæ ſe cernere vultus,
Et cum forma fugit, dulcis imago redit.
O nomen pietate calens, o cura fidelis!
Quamvis abſenti quid niſi mater eras?
Fletibus ora rigans, lamentis ſidera pulſans,
Singula commemorans dulcia, dura, pia.
Mobilis, impatiens, metuens, flens anxia mater,
Quid ſequeris, lacrimis augurat alter amor.
Illa tamen pergit qua trita viam orbita ſulcat,
Quiſque ſuis vacuos fletibus implet agros.
Inde Pyrenæas per nubes tranſilit Alpes,
Quaque pruinoſis Julius alget aquis.
Qua nive candentes fugiunt ad ſidera montes,
Atque ſuper pluvias exit acutus apex.
Excipit hinc Narbo, qua littora plana remordens
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.
Poſt aliquas urbes Pictavas attingit arces,
Regali pompa prætereundo viam.
Inclytus ille quibus vere amplus Hilarius oris
Et ſatus & ſitus ac ore tonante loquax.
Thrax, Italus, Scytha, Perſa, Indus, Geta, Daca, Britannus,
Hujus in eloquio ſpem bibit, arma capit.
Sol radio, hic verbo generalia lumina fudit,
Montibus ille diem, mentibus iſte fidem.
Hanc ego nempe urbem conſpexi prætereuntem
Molliter argenti turre rotante vehi.
Materno voluit pia quam Radegundis amore
Cernere ferventem ſi daret ullus opem.
Sæpe tamen miſſis legatis dulcis adhæſit,
Et placide coluit quod modo triſte dolet.
Turonicas terras Martini ad ſidera noti
Inde petit, lento continuante gradu.
Vigennæ volucer tranſmittitur alveus alno,
Turba comes rapidis alacris exit aquis.
Excipit inde tepens vitrea Liger algidus unda,
Quo neque vel piſcem lævis arena tegit.
Pervenit qua ſe piſcoſo Sequana fluctu
In mare fert, juncto Rhotomagenſe ſinu.
Jungitur ergo thoro regali culmine virgo,
Et magno meruit plebis amore coli.
Hos quoque muneribus permulcens, vocibus illos,
Et licet ignotos ſic facit eſſe ſuos.
Utque fidelis ei ſit gens armata per arma,
Jurat, jure ſuo ſe quoque lege ligat.
Regnabat placido componens tramite vitam,
Pauperibus tribuens advena mater erat.
Quoque magis regno poſſit ſupereſſe perenni,
Catholicæ fidei conciliata placet.
O dolor inſignis qui differt tempore fletus,
Lugubreſque vices plura loquendo tacet!
Improba ſors hominum, quæ improviſo abdita lapſu,
Tot bona tam ſubito ſorte volante fugas!
Nam breve tempus habens conſortia nexa jugalis,
Principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti caſu volucri præventa ſub ictu,
Deficit, & verſo lumine lumen obit.
Infelix nutrix audito funere alumnæ,
Exanimum ad corpus vix animata volat.
Ipſa inter famulas incumbens prima fidelis,
Hæc tandem potuit clauſa dolore loqui.
Sic placidæ matri promiſi peſſima nutrix,
Te longe incolumem, Geleſuinta, fore.
Sic extincta meum mea cernunt lumina lumen,
Pallida ſic facies, qua rubor ante fuit.
Dic aliquid miſerans, miſeræ mihi redde loquelas,
Quid referam ad matrem, ſi remeare licet?
Hoc propter tantos peregrina ſecuta labores,
Pro vice tale mihi munus alumna refers?
Optabas pariter nobis vitam atque ſepulcra,
Quæ tecum vixi, me ſine paſſa mori.
Ordo utinam vitæ juvenique ſenique fuiſſet,
Te ſtante incolumi, me prius ire neci.
Vix paucos profert, vocem rapit alter ab ore,
Nec valet una loqui quod videt aula gemi.
Interea vehitur triſti lacrimata feretro,
Solvit & obſequias obſequialis amor.
Ducitur, ornatur, deponitur, undique fletur,
Conditur & tumulo ſic peregrina ſuo.
Naſcitur & ſubito rerum mirabile ſignum,
Dum pendens lychnus lucet ad obſequium,
Decidit in lapidem, nec vergit, & integer arſit,
Nec vitrum ſaxis, nec perit ignis aquis.
Fama recens reſides Germanæ perculit aures,
Affectuque pio ſic movet ora ſoror.
Hanc rogo Germanæ mandaſti cara ſalutem,
Scripta tuis digitis hoc mihi carta refert.
Sollicitis oculis expectabam unde venires,
Quale precata fui, non agis illud iter.
Optavi Gallis te ut huc Hiſpania ferret,
Non te hic cara ſoror, non ibi mater habet.
Extremo obſequio non huc Brunichildis adivi,
Si tibi nil vivæ mortis honore darem.
Cur peregrina tuos non clauſi dulcis ocellos,
Auribus aut avidis ultima verba bibi?
Officium triſti nihil impendi ipſa ſorori,
Membra, manus, faciem nec manus iſta tegit.
Non licuit fundi lacrimas, nec ab ore reſorbi,
Frigida nec tepido viſcera fonte lavo.
Nutritas pariter, junctas regionibus iſdem,
Cur ad mortis iter dividis alte dolor?
Sicque relicta ſoror caſu laceratur ademptæ,
Hæc vocat, illa jacet, nec repetita redit.
Germanæ validos audit Germania fletus,
Quaque recurrit iter queſtibus aſtra ferit.
Nomine ſæpe vocans te Geleſuinta ſororem,
Hoc fontes, ſilvæ, flumina, rura ſonant.
Geleſuinta taces, reſponde ut muta ſorori,
Reſpondent lapides, mons, nemus, unda, polus.
Anxia ſollicitans ipſas interrogat auras,
Sed de Germanæ cuncta ſalute ſilent.
Nuncius hic ſubito fluvios tranſcendit & Alpes,
Mœroriſque gravis tam cito penna volat.
Optandum fuerat, poſtquam loca cuncta repleſſet,
Tardius ad matrem hic dolor iret iter.
Sed quod fama refert, qui plus amat, & prius audit,
Ac dubium credit dante timore fidem.
Mox igitur matris jaculans dolor attigit aures,
Anxia ſuccifo poplite lapſa ruit.
Audita de morte una mors altera pulſat,
Et pene incolumi corpore funus erat.
Pallida ſuffuſo tum Geleſuinta rubore,
Molliter hæc, anima vix redeunte, refert.
Siccine me tenero natæ ſolabar amore,
Ut mea nunc gravius viſcera vulnus alit?

Si noſtrum jam lumen obit, ſi nata receſſit,
Has ad quid lacrimas invida me vocitas?
Erraſti mors dura nimis, cum tollere matrem
Funere debueras, ſors tibi nata fuit.
O utinam merſis creviſſent flumina ripis,
Naufraga ſeu fuſis terra nataſſet aquis.
Alta Pyrenæi tetigiſſent ſidera montes,
Vitrea vel glacies conſolidaſſet iter.
Quando relaxavit te Geleſuinta ſub arcto,
Ut nec rheda rotis, non equus iſſet aquis.
Hoc ergo illud erat, quod meos præſaga timebat,
Non poſſe amplexu vellere nata meo.
Paruimus votis alienis juſſa ſequentes,
Promiſſa exiſti non reditura mihi.
Hoc erat altus amor placida dulcedine natæ,
Quod teneris labiis ubera preſſa dedi.
Cur hinc lactis opem produxit vena mamillæ,
Cur alimenta dedi, nec habitura fui?
Sæpe ſoporantem furtiva per oſcula ſuxi,
Ut leve dormires viſcera ſuppoſui.
Optaſſe extremum de te quid profuit illud;
Luderet ut gremiis parvula neptis avis?
Nec felix vota, aut infelix funera vidi,
Perdidit heu nimius hoc labor, illud amor.
Partitis lacrimis ſoror hinc, inde anxia mater,
Vocibus hæc Rhenum, pulſat & illa Tagum.
Condolet hinc Rhenum, gemit illinc Bæticus axis,
Perſtrepit hoc Vachalis, illud Hiberus aquis.
Tot lacrimas ſtillaſſe ſat eſt, ſed ab imbre vaporis,
Non relevanda ſitim gutta miniſtrat opem.
Affectus ſi forte poteſt miteſcere, dicam,
Non ea flenda jacet, quæ loca læta tenet.
Dicite, ſi quid ei nocuit, quam tempore lapſo
Mortis iter rapuit, vita perennis alit.
Quæ modo cum Stephano cæleſti conſule pergit,
Fulget Apoſtolico principe clara Petro.
Matre ſimul Domini plaudens radiante Maria.
Rege ſub æterno militat illa Deo.
Conciliata placet, pretioſo funere fulget,
Depoſita veteri nunc ſtola pulcra regit.
Atque utinam nobis illos accedere vultus
Cedat amore Deus per mare, per gladios.
Vitæ ſigna tenet vitreo cum vaſe cadente,
Non aqua reſtinxit, nec petra fregit humi.
Tu quoque mater habes conſultum voce Tonantis,
De nata & genero, nepte, nepote, viro.
Credite Chriſticolæ vivam, quia credidit illa:
Non hanc flere decet, quam Paradiſus habet.

VII. *De horto Ultrogothonis Reginæ.*

HIc ver purpureum viridantia gramina gignit,
Et Paradiſiacas ſpargit odore roſas.
Hic tener æſtivas defendit pampinus umbras,
Præbet & uviferis frondea tecta comis.
Pinxeruntque locum variato germine flores,
Pomaque veſtivit candor & inde rubor.
Mitior hic æſtas, ubi molli blanda ſuſurro,
Aura levis ſemper pendula mala quatit.
Hæc magno inſeruit Rex Childebertus amore,
Carius iſta placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta ſaporem,
Forſan & hic tacitos miſcuit ille favos.
Regis honore novis duplicata eſt gratia pomis,
Nare ſuavis odor, dulcis amore ſapor.
Qualiter ille hominum potuit prodeſſe ſaluti,
Cujus & in pomis tactus odore placet.
Felix perpetua generetur ab arbore fructus,
Ut de Rege pio ſit memor omnis homo.
Hinc iter ejus erat, cum lumina ſancta petebat,
Quæ modo pro meritis incolit ille magis.
Antea nam vicibus loca ſancta terebat amatus,
Nunc tamen aſſidue templa beata tenet.
Poſſideas felix hæc Ultrogotho per ævum,
Cum geminis natis tertia mater ovans.

VIII. *De villa Cantublando.*

VEnimus ad Cantum felici tramite blandum,
Aregium læto quo reperiſſe patrem.
Quod petit inſtigans avido gula noſtra barathro,
Excipiunt oculos aurea poma meos.
Undique concurrunt variato mala colore,
Credas ut pictas me meruiſſe dapes.
Vix digitis tetigi, fauce hauſi, dente rotavi,
Migravitque alio præda citata loco.
Nam ſopor ante placet, quam traxit naris odorem,
Sic vincente gula, naris honore caret.

IX. *De coco, qui ſibi navem tulit.*

CUr mihi tam validas innectis cura querelas,
Heu mea vel tandem deſere corda dolor.
Quid revocas caſus? jam me mea ſarcina laſſat,
Quod jactare puto, cur duplicatur onus?
Triſtius erro nimis, patriis vagus exul ab oris,
Quam ſit Apolloniis naufragus hoſpes aquis.
Venimus ut Mettin, cocus illic regius inſtat,
Abſenti nautas abſtulit atque ratem.
De flammis ardente manu qui diripit eſcas,
Ille rati neſcit parcere tutus aquis.
Corde niger, fumo ſparſus, fuligine tinctus,
Et cujus facies cacabus alter adeſt.
Cui ſua ſordentem pinxerunt arma colorem,
Frixuræ cucumæ, ſcafa, patella, tripes.
Indignus verſu, potius carbone notetur,
Et piceum referat turpis imago virum.
Res indigna nimis, gravis eſt injuria facti,
Plus juſcella coci, quam mea jura valent.
Nec tantum codex quantum ſe cacabus effert,
Ut mea nec mihi ſit participata ratis.
Sed tamen auxilium ſolito porrexit amore,
Qui Domini paſcens villicus auget oves.
Præſtitit, & gracili pavidus cum lintre cucurrit,
Imbre, Euro, fluvio, ſed madefactus ego.
Jactavi reliquos, ſequerentur ut inde pedeſtres,
Nam ſi nemo foris, nemo nec intus erat.
Mergere mox habuit cunctos rapiente periclo,
Naufragii teſtis nemo ſuperſtes erat.
Sic vicinus eram, poſtquam jactavimus omnes,
Ictibus ut crebris lamberet unda pedes.
Obſequium, dixi, remove, modo nolo lavari,
Sed tamen inſtabas lympha rigare pedes.
Nauriacum veniens refero mea triſtia Regi,
Riſit, & ore pio juſſit adeſſe ratem.
Quærunt, nec poterant aliquam reperire carinam,
Donec cuncta cohors regia fluxit aquis.
Reſtitit, hic ſolus præſtans ſolatia Gogo,
Quod tribuit cunctis, non negat ille ſuis.
Dulcius alloquitur comitem, qui Pappulus extat,
Ut quamcumque mihi redderet ipſe ratem.
Omnia perluſtrans vidit ſub littore lintrem,

Nec

Nec tamen hic poterat ſarcina noſtra capi.
Nauriacum interea fecit me ſtare parumper,
Ordinat & ſumptus, quos locus ipſe dedit.
Quamvis parva ferat, ſatis eſt mihi ſola voluntas,
Eſt nec parva quidem quam dat amator opem.
Addidit atque comes mihi pocula gratus amicus,
In quantum poterat rure parare merum.
Sic mihi jucundam direxti Pappule protam,
Felix vive, vale, dulcis amice comes.

X. *Ad Dynamium Maſſilienſem.*

EXpecto te, noſter amor, venerande Dynami,
Quamvis abſentem quem mea cura videt.
Quæ loca te teneant venientia flabra requiro,
Si fugias oculos, non fugis hinc animos.
Maſſiliæ tibi regna placent, Germania nobis,
Vulſus ab aſpectu, pectore junctus ades.
Quo ſine te tua pars huc uſque oblita remanſit,
Nec revocas animo membra relicta tuo.
Si ſopor oppreſſit, tibi me vel ſomnia narrent,
Nam ſolet unanimes ipſa videre quies.
Si vigilas, fateor, veniam tibi culpa negabit,
Nil unde excuſes deſidioſus habes.
Altera ſigniferi revolutis menſibus anni,
Solis anhelantes orbita laſſat equos.
Cum mea diſcedens rapuiſti lumina tecum,
Et modo nil ſine te cerno patente die.
Vel mihi verba dares de fonte refuſa loquaci,
Ut faceret tecum pagina miſſa loqui.
Sed tamen ut tandem venias huc, carius hortor,
Te revoces oculis lumen, amice, meis.

XI. *Item ad ipſum Dynamium.*

TEmpora præcipiti quos invidiſtis amori,
Officium voti quod vetuiſtis agi.
Per Lyricos modulos, & fila loquacia plectris,
Qua cytharis Erato dulce relidit ebur.
Ecce vaporiferum ſitiens canis exerit aſtrum,
Et per hiulcatos fervor anhelat agros.
Hinc metuens ſaniem, ne quo jacularer ab igne,
Sanguine laxato brachia nexa gero.
Labitur inde cruor, nodo manus inde tenetur,
Et dextram innocuam vena ſoluta ligat.
Ut ſine temperie validi ſitis urat amoris,
Cauſa meis votis obſtitit iſta gravis.
Neſcio quam proſit ratio perfuncta medelæ,
Me tamen inde vocat quo retinere facit.
Scribere ſi digitis ſineret, ſatis illa fuiſſet,
Nunc mihi cura tui prima, ſecunda mei.
Ex ſtudio ſtudiis retrahor, ſilet unda camœnæ,
Carne fluit ſanies, ne riget ora latex.
Muſicus ignis abeſt, algent in fonte ſorores,
Nam ſanguis latices hic gelat, unde rigat.
Si qua calens animo recitanda poemata pangam,
Scis ipſe hoc ſtudio quam gravet arte labor.
Nam cruor ablatus magis otia lenta requirit,
Quoque frigus penetrat, nec vapor uſtus adeſt.
Secretumque petit, ne flabilis aura flagellet,
Quo recreans animum ſtat viror, halat odor.
Aſt ego poſthabeo affectu mea feria veſtro,
Cura tui faciem, non mea terga tenet.
Poſt ſudorem habui modo non dare membra quieti,
Ordine poſtpoſito tempora rumpit amor.
Dico parum, propriam tibi dum volo ferre ſalutem,
Sed mea proſpicio, cum tua vota colo.
Nunc cape parva cate & pollens in lance Dynami,
Clare decore tuo, care favore meo.
Partibus Italiæ advecto mihi Rhenus & Iſter,
Quem cecinere prius quam daret ipſe locus.
Inſignem ſpecie, celſum lare, lege ſagacem,
Omnibus æqualem ſpe, ſale, pace, fide.
Incidit unde mihi, fateor, te ſorte videndi,
Arctoi gelida ſub regione calor.
Pluſque libens vultus efferveo totus in illos,
Ad patriæ reditus quam peregrina cohors.
Viſibus atque tuis iſſem velocius ac ſi
Ad patris amplexus de Telamone latus.
Vix quoque tam cupidus vario ſinuamine ſulcat,
Ruſticus arte ſolum, navita claſſe fretum.
Ex illo, celebrande cliens, ſtat pars mea tecum,
Et venis huc animæ pars mediata meæ.
Antea corde mihi notus, quam lumine viſus,
Quem mente aſtringo, ſi neque tango manu.
Brachia qui necdum circum tua colla catenο,
Quod digiti nequeunt, alligat illud amor.
Longius inde abſens ibi, ſed pertingo quod opto,
Quo pede non venio, pectore totus eo.
Non licet obſtet Arar, Rhodanuſque, natamus amore
Nec vetat ire animum, qui vetat ire gradum.
Legi etiam miſſos alieno nomine verſus,
Quo quaſi per ſpeculum reddit imago virum.
Fonte camenali quadrato pergis & orbi,
Ad loca, quæ neſcis, duceris oris aquis.
Hinc quoque non aliquo nobis abolende recedis,
Quo fixus ſcriptis noſceris eſſe tuis.
Interiora mei penetrans poſſeſſor agelli,
Felix perpetuo dulcis amice vale.
Spectans oris opem melius quam ſideris optans,
Currat ut affectus, ſtet tibi longa ſalus.
Sacris Theodori primo lare ſidera plaudo,
Felici egregio quem dedit orbis honor.
Albino eximio, Heliæ, claroque Jovino,
Pro Fortunato redde ſalutis opus.
Hæc tibi Eliſii modulatus ſimplice cantu,
Sed tonat archetypo barbitos inde ſopho.

LIBER VI.

I. *Ad Gogonem Laudatio.*

ORpheus orditas ageret dum pollice chordas,
Verbaque percuſſo pectine fila darent.
Mox reſonante lyra tetigit dulcedine ſilvas,
Ad cytharæ cantus traxit amore feras.
Undique miſerunt vacuata cubilia dammas,
Depoſita rabie tigris & ipſe venit.
Sollicitante melo nimio Philomela volatu,
Pignora contemnens feſſa cucurrit avis.
Sed quamvis longo ſpatio laſſaverat alas,
Ad votum veniens ſe recreavit avis.
Sic ſtimulante tua captus dulcedine, Gogo,
Longa peregrinus regna viator adit.
Undique feſtini veniunt ut promptius omnes,
Sic tua lingua trahit, ſicut & ille lyra:
Ipſe fatigatus huc poſtquam venerit exul,
Antea quo doluit, te medicante caret.
Eruis afflictis gemitus, poſt gaudia plantas,
Ne tamen areſcant, oris ab imbre foves.

Ædi-

Ædificas ſermone favos, nova mella miniſtras,
Dulcis & eloquii nectare vincis apes.
Ubere fonte rigat labiorum gratia pollens,
Cujus ab arcano vox epulanda fluit.
Pervigili ſenſu dives prudentia regnat,
Fomite condito cui ſalis unda natat.
Qui fulgore animi radios a pectore vibras,
Et micat interior lux imitata diem.
Sed vicibus mundum modo Sol, modo nubila complent,
At tua ſemper habent corda ſerena diem.
Viſceribus promptis templum pietatis haberis,
Muneribuſque ſacris es fabricata domus.
Forma venuſta tibi proprio ſplendore coruſcat,
Ut mentis habitum vultus & ipſe probet.
Omne genus laudum ſpecie concludis in una,
Nec plus eſt aliquid quam tua forma gerit.
Principis arbitrio Sigeberti magnus haberis,
Judicium Regis fallere nemo poteſt.
Elegit ſapiens ſapientem, & amator amantem,
Ac veluti flores docta ſequeſtrat apis.
Illius ex merito didiciſti talis haberi,
Et domini mores, ſerve benigne, refers.
Nuper ab Hiſpanis per multa pericula terris,
Egregio Regi gaudia ſumma vehis.
Diligis hunc tantum, quantum meliora paraſti,
Nemo armis potuit, quod tua lingua dedit.
Hæc bona ſi taceam, te noſtra ſilentia laudant,
Nec voces ſpectes qui mea corda tenes.
Vera favendo cano, neque me fallacia damnat,
Teſte loquor populo, crimine liber ero.
Hæc tibi longinquos laus ardua ſurgat in annos,
Hæc te vita diu ſervet, & illa colat.

II. *Ad eumdem* Gogonem *: de cœna.*

NEctar, vina, cibus, veſtis, doctrina, facultas,
Muneribus largis, tu mihi Gogo ſat es.
Tu refluus Cicero, tu noſter Apicius extas,
Hinc ſatias verbis, paſcis & inde cibis.
Sed modo da veniam, bubula turgente quieſco,
Nam fit lis uteri, ſi caro mixta fremat.
Hic ubi bos recubat, fugiet puto pullus & anſer,
Cornibu & pennis non furor æquus erit.
Et modo jam ſomno languentia lumina claudo,
Nam dormire meum carmina læta probant.

III. *Item ad eumdem.*

QUas mihi porrexit modo pagina miſſa querelas,
Immunem culpæ me loquor eſſe tuæ.
Cur cauſaremus? tua plus præſentia læſit,
Quo vos peccaſtis crimine, culpor ego.
Non tamen ex tali titulo dulcedo peribit,
Fructus amicitiæ corde colente manet.

IV. *Ad ipſum Gogonem.*

NUbila quæ, rapido proflante Aquilone, venitis,
Pendula ſidereo quæ movet axe rota:
Dicite qua vegetet carus mihi Gogo ſalute,
Quid placidis rebus mente ſerenus agat.
Si probe fluctivagi remoratur littora Rheni,
Ut ſalmonis adeps rete trahatur aquis.
Aut ſuper uviferæ Moſellæ obambulet amnem,
Quo levis ardentem temperet aura diem.
Pampinus & fluvius medios ubi mitigat æſtus,
Vitibus umbra rigens, fluctibus unda recens.
Aut Moſa dulce ſonans quo grus, ganta, anſer, olorque
Triplice merce ferax, alite, piſce, rate.
An tenet herboſis qua frangitur Axona ripis,
Cujus aluntur aquis paſcua, prata, ſeges.
Eſeras, Aracares, Scaldis, Sate, Somena, Sura,
Seu qui Mettis adit de ſale nomen habens.
Aut æſtiva magis nemorum ſaltuſque pererrans,
Cuſpide, rete feras hinc capit, inde necat.
Ardenna, an Voſagus, cervi, capræ, Helicis urſi,
Cæde ſagittifera ſilva fragore tonat.
Seu validi bufali ferit inter cornua campum,
Nec mortem differt urſus, onager, aper.
An ſua rura colens exuſta novalia ſulcat,
Et rude cervici taurus aratra gemit.
Sive Palatina reſidet modo lætus in aula,
Cui ſchola congrediens plaudit amore ſequax.
An cum dulce Lupo pietatis jura retractat,
Conſilioque pari mitia bella creant.
Quo paſcatur inops, viduæ ſolatia præſtent,
Parvus tutorem, ſumat egenus opem.
Quidquid agunt pariter, felicia vota ſecundet,
Et valeant Chriſti Regis amore ſui.
Vos precor, o venti, qui curritis atque reditis,
Pro Fortunato nuncia ferte ſuo.

V. *De Bodegiſlo Duce Maſſiliæ.*

PEctore ſi ſterili nunc flumina larga rigarem,
Non te ſufficerem, Duc Bodegiſle, loqui.
Invaſit noſtram ſubito tua gratia mentem,
Ut modo plus veſter, quam meus eſſe velim.
Quo primum placidos merui cognoſcere vultus,
Oris ab unguento membra refecta fero.
Colloquio dulci ſatiaſti pectus amantis,
Nam mihi devoto dant tua verba cibum.
Diſtribuunt epulas alii quæ corpora ſupplent,
Unde animum ſaties, das magis ipſe dapes.
Non ſic inficiunt placidiſſima mella falernum,
Ceu tuus obdulcat corpora noſtra ſapor.
Qualiter oblectas, quos ſemper amare videris,
Horæ qui ſpatio me facis eſſe tuum!
Quæ tibi ſit virtus, ſi poſſim, prodere vellem,
Sed parvo ingenio magna referre vetor.
Exiguus titulo tantarum pondere laudum,
Sed melius gradior quem tua facta regunt.
Maſſiliæ ductor, felicia vota dediſti,
Rectoremque ſuum laude perenne refert.
Hic tibi conſimili merito Germania plaudit,
Ad laudem cujus certat uterque locus.
De bonitate tua lis eſt regionis utræque,
Te petit illa ſibi, hæc retinere cupit.
Juſtitiam pauper numquam te judice perdit,
Nec potuit pretio vertere vera potens.
Non ligat immunem, non ſolvit pœna nocentem,
Nil perſona capit, ſi ſua cauſa neget.
Lumina cordis habes, animi radiante lucerna,
Et tuus æterna luce coruſcat apex.
Ingenio torrente loquax de fonte ſalubri,
Divitiaſque pias ore fluente rigas.
Si videas aliquem defectum forte labore,
Nilus ut Ægyptum, ſic tua lingua fovet.
Qui patrias leges intra tua pectora condens,
Simpliciter cauſæ ſolvere fila potes.
Aſſiduis epulis ſaturas, venerande, catervas,
Et repletus abit qui tua tecta petit.

Si

Si venis in campos, ibi plebs paſcenda recurrit,
Conſequiturque ſuas te comitando dapes.
Vota feras cunctis per ſecula longa ſuperſtes,
Et maneas populi ſemper in ore potens.

VI. *De Palatina filia Galli uxore Ducis.*

LUcifer ut nitidos producit in æthera vultus,
Clarior & læto nunciat ore diem,
Ornat eundo polum, terras quoque lampade luſtrat,
Atque inter ſtellas lucida regna tenet.
Sic perpulcra tuo diffundens lumina vultu,
Femineos vincis pulcrior ore choros.
Et tibi ſic cedit muliebri turba decore,
Ut Solis radiis lumine Luna minor.
Clara ſerenatos permutat forma colores,
Lilia nunc reparans, nunc verecunda roſas.
Credite, nam ſi quis vultus conſpexerit illos,
Hic relegit flores, quos dare verna ſolent.
Pingere non poſſunt pretioſam verba figuram,
Nec valet eloquium mira referre meum.
Gratior inceſſu, mitis, reverenda, pudica,
Talis in ingenio qualis in ore nitor.
Blandior alloquio, placidis ſuaviſſima verbis,
Deſpiciamque lyram, ſi tua lingua ſonat.
Pectore perſpicuo ſapientia provida fulget,
Ornatur ſexus te radiante tuus.
Conjuge pervigili nituit magis aula mariti,
Floret & egregia diſpoſitrice domus.
Jure quidem magna eſt, quæ eſt Galli filia magni,
Sed merito natæ crevit honore pater.
Non aliter poterat niſi munere clarior eſſe,
Quæ meruit celso digna placere viro.
Eligit e multis qui carus amaret amantem,
Et judex patriæ vendicat ipſe ſibi.
Ampo pares juncti longos maneatis in annos,
Et quæcumque volunt gaudia veſtra, ferant.

VII. *De Lupo Duce egregio.*

ANtiqui proceres, & nomina celſa priorum,
Cedant cuncta Lupi munere victa Ducis.
Scipio quod ſapiens, Cato quod maturus agebat,
Pompeius felix, omnia ſolus habes.
Illis Conſulibus Romana potentia fulſit,
Te Duce ſed nobis hic modo Roma redit.
Te tribuente aditum cunctis fiducia ſurgit,
Libertatis opem libera lingua dedit.
Mæſtitiam ſi quis confuſo in pectore geſſit,
Poſtquam te vidit, ſpe meliore manet.
Fundatus gravitate animi quoque corde profundus,
Tranquilli pelagi fundis ab ore ſalem.
Sed facunda plebi magis tua munera profunt,
Tu condis ſenſus, & ſalis unda cibos.
Conſilii radix, fœcundi vena ſaporis,
Ingenio vivax, ore tonante loquax.
Qui geminis rebus fulges in utroque paratus,
Quidquid corde capis, prodere lingua poteſt.
Pectore ſub cujus firmantur pondera Regis,
Pollet & auxilio publica cura tuo.
Subdis amore novo tua membra laboribus amplis,
Pro requie Regis dulce putatur onus.
O felix animus patriæ, qui contulit actus,
Et vivit cunctis mens generoſa viris!
Legati adveniunt, te reſpondente ligantur,
Et jaculo verbi mox jacuere tui.
Lancea ſermo fuit, quoque vox armata loquentis,
Auſpicium palmæ te Sigebertus habet.
Reſponſum gentis ſenſu profertur ab illo,
Et votum populi vox valet una loqui.
Cujus ab ingenio ſortita eſt cauſa triumphum,
Aſſertoris ope juſtior illa fuit.
Nullus enim poterit proprias ita pendere cauſas,
Ceu tua pro cunctis inclyta lingua tonat.
Nullus ut Ægyptum recreat, dum plenus inundat,
Sic tu colloquii flumine cuncta foves.
Juſtitia florente favent te judice leges,
Cauſarumque æquo pondere libra manes.
Ad te confugiunt, te ſingula celſa requirunt,
Nec petis ut habeas, te petit omnis honor.
In cujus gremio nutritur adepta poteſtas,
Quo rectore datus creſcere novit apex.
Quam merito retinet conceſſos ſemper honores,
Per quem digna magis culmina culmen habent!
Antiquos animos Romanæ ſtirpis adeptus,
Bella moves animis, jura quiete regis.
Fultus utriſque bonis, hinc armis, legibus illinc,
Quam bene ſit firmus, cui favet omne decus!
Quam tibi ſis firmus cum proſperitate ſuperna,
Saxonis & Dani gens cito victa probat.
Bordaa qua fluvius ſinuoſo gurgite currit,
Hic adverſa acies te Duce cæſa ruit.
Dimidium veſtris juſſis tunc paruit agmen,
Quam merito vincit qui tua juſſa facit.
Ferratæ tunicæ ſudaſti pondere victor,
Et ſub pulverea nube coruſcus eras.
Tamque diu pugnas acie fugiente ſequutus,
Laugona dum vitreis terminus eſſet aquis.
Qui fugiebat iners amnis dedit ille ſepulcrum,
Pro duce felici flumina bella gerunt.
Inter concives meruit te Gallia lumen,
Lampade qui cordis ſplendor ubique micas.
Sunt quos forma potens, ſunt quos ſapientia præfert,
Singula ſunt aliis, ſed bona plura tibi.
Occurrens dominis veneranda palatia comples,
Et tecum ingrediens multiplicatur honor.
Te veniente novo domus en micat alma ſereno,
Et reparant genium regia tecta ſuum.
Nempe oculos recipit, cum te videt aula redire,
Quem commune ducum lumina lumen habent.
Principis auxilium, patriæ decus, arma parentum,
Conſultum reliquis, omnibus unus amor.
Admiranda etiam quid de dulcedine dicam,
Nectare qui plenus conſtruis ore favos.
Cara ſerenatum comitatur gratia vultum,
Fulget & interius perpetuata dies.
Quos ſatias eſcis, reficis ſermone benignus,
Sepoſitis epulis ſunt tua verba dapes.
Quis tibi digna loqui valeat, quem voce potente
Rex pius ornatum prædicat eſſe ſuum?
Sit tibi ſummus apex illo regnante per ævum,
Vitaque ſit præſens, atque futura colat.

VIII. *Ad eundem Ducem.*

ÆStifer ignitas cum Julius urit arenas,
Siccaque pulverea margine terra ſitit;
Languidior placidas vix pampinus explicat umbras,
Mollior & glaucas contrahit herba comas.
Summiſſis foliis Phœbi regnante vapore,
Vix ſua defendit frigida tecta nemus.
Pabula faſtidiens fugit æſtu bucula ſaltus,

Ipſe

Ipſe nec afflictus gramina ſumit equus.
Longius expoſita lingua canis ora flagellat,
Ilia laſſa trahens triſtis anhelat ovis.
Forte viator iter gradiens ferventibus horis,
Utitur accenſis Sole premente comis.
Qui areſcente ſolo modico recreetur ut hauſtu,
Sæpius irriguas anxius optat aquas.
Arboris aut tremulæ viridante cacumine fuſo,
Frondibus oppoſitis temperat ora ſiti.
Proſperitate nova ſi jam prope lucus opacet,
Et vitrei fontis ſibilet unda recens.
Huc properans placidis homo lætus ſternitur arvis,
Volvit in herboſos & ſua membra thoros.
Vota ſecuta tenens gemino reſovetur amœno,
Hinc levat umbra diem, hinc fugat unda ſitim.
Carmina ſi qua tenet cantu modulante, recurrit,
Provocat & placidos blandior aura ſonos.
Si ſibi forte fuit ſapiens bene notus Homerus,
Aut Maro Trajano lectus in urbe foro:
Vel ſi Davidico didicit ſacra dogmata plectro,
Pſallit honorificum, fauce rotante, melum.
Tangitur aut digito lyra, tibia, fiſtula, canna,
Quiſque ſuis muſis carmine mulcet aves.
Sic ego curarum valido defeſſus ab æſtu,
Noſcens te ſalvum fonte refectus agor.
O nomen mihi dulce Lupi, replicabile ſemper,
Quodque mei ſcriptum pagina cordis habet!
Quem ſemel incluſum tabulis dulcedinis intus,
Non abolenda virum pectoris arca tenet.
Theſauros pietatis habens pretioſa voluntas,
Producens animo plura talenta ſuo.
Divitias, quas mundus habet, mens aurea vincit,
Gemmarumque decus corde micante refert.
Senſus aromaticus ſuaves defendit odores,
Hoc tribuens animæ, quod bene thura ſolent.
Melle ſaporarum refluens a pectore verbum,
Et ſale conditum reddis ab ore ſophum.
Poſt tenebras noctis ſtellarum lumina ſubdens,
Lucifer ut radiis, ſic mihi mente nites.
Ut recreat mundum veniens lux Solis ab ortu,
Illuſtrant animum ſic tua verba meum.
Cum peregrina meos tenuit Germania viſus,
Tu pater & patriæ conſulturus eras.
Quando merebar ovans placidos intendere vultus,
Mox geminata mihi fulſit in orbe dies.
Conſerui quotiens veſtro ſermone loquelas,
Credidi in Ambroſiis me recubare roſis.
Omnibus una manens, ſed plus tua gratia nobis,
Vinxit in affectu me properante ſuo.
Nunc quoque pro magnis quis digna rependat honoris?
Materia vincor, eſt quia lingua minor.
Sicque per aſcenſum culmen ſupereminet altum,
Hinc meus urget amor, hinc tuus obſtat honor.
Sed pro me reliqui laudes tibi reddere certent,
Et qua quiſque valet te prece, voce ſonet.
Romanuſque lyra, plaudat tibi barbarus harpa,
Græcus Achilliaca, Chrotta Britanna canat.
Illi te fortem referant, hi jure potentem,
Ille armis agilem prædicet, iſte libris.
Et quia rite regis quod plurima bella requirunt,
Judicis ille decus, concinat iſte ducis.
Nos tibi verſiculos, dent barbara carmina leudos,
Sic variante tropo laus ſonet una viro.
Hi celebrem memorent, illi te lege ſagacem,
Aſt ego te dulcem ſemper habebo, Lupe.

IX. *Item ad Lupum Ducem.*

OFficiis intente piis memorator amantis,
Prompte per affectum conſuliture tuum:
Charius abſentis nimium miſeratus amici,
Quando latente loco ſigna requirit amor.
Unde datur meritis illud, quo protinus eſſet
Spes Fortunati cura benigna Lupi.
Exul ab Italia nono (puto) volvor in anno,
Littoris Oceani continuante ſalo.
Tempora tot fugiunt, & adhuc per ſcripta parentum,
Nullus ab excluſis me recreavit apex.
Quod pater ac genitrix, frater, ſoror, ordo nepotum,
Quod poterat regio, ſolvis amore pio.
Pagina blanda tuo ſub nomine miſſa benigno,
Nectarei fontis me renovavit aquis.
Nec ſolum a vobis me dulcis epiſtola fovit,
Miſſis adhuc in rem portitor inde venit.
Munera quis poterit rogo tot memor ore referre,
Affectum dulcem pandere lingua nequit.
Sed tibi reſtituat Rex cæli cuncta ſupernus,
Quem minimum faciunt qui docet eſſe ſuum.

X. *Ad Magnulfum fratrem Lupi.*

QUam cito fama volat velocibus excita pennis,
Et loca cuncta ſuis actibus aucta replet!
Nam tibi cum Rhenus, mihi ſit Liger, ecce propinquus:
Hic Magnulfe decens magnus honore places.
Sic tuba præconis Sigimundi miſſa cucurrit,
Ut tua diffuſo ſint bona nota loco.
Quod tamen in brevibus vix ſignat epiſtola verbis,
Non quia cuncta canit, nec reticere cupit.
Juridico imprimis pollens torrente relatu,
Sic regis, ut revoces facta vetuſta novis.
Cujus in officiis æqui cultoris aratrum
Semine juſtitiæ plebs ſua vota metit.
Nemo caret propriis, alienis nemo recumbit,
Sic facis, ut populum non vacet eſſe reum.
Sollicitudo tua reliquis fert dona ſalutis,
Et labor unius fit populoſa quies.
Æqualis conſors ut ab omnibus alme voceris,
Legibus hinc judex, hinc bonitate parens.
Da paucis veniam, quoniam mihi portitor inſtat,
Nam de fratre Lupi res monet ampla loqui.
Sic tribuat Dominus, meritis reparetis ut illum,
Quem pariter tecum cordis amore colo.

XI. *Ad Jovinum Rectorem Provinciæ.*

PRoſaico quotiens direxi ſcripta relatu,
Nullaque de veſtro pocula fonte bibo.
Quem prius irrigua recrearas ditior unda,
Nec modo Caſtaliis redditur hauſtus aquis.
Sic me cura minor veſtri tenuiſſet amoris,
Jam fuerat licitum ſtringere colla manu.
Nunc magis, inde minus capio, quia diligo majus,
Et cum plus cupiam, vota negata geram.
Qui tibi transfudit mea pectora pectore tuto,
Cur rogo non pariter lumina lumen habent?
Vel quod amice licet, ſcriptis ferocare ſalutem,
Sed mihi qua relever pagina reddat opem.

XII. *Item ad ipſum Jovinum.*

TEmpora lapſa volant, fugitivis fallimur horis,
Ducit & in ſenium lubrica vita viros.
Fine trahit celeri ſine fine volubilis axis,
Nec retinet rapidas ad ſua frena rotas.
Cuncta movens ſecum momenta & pondera rerum,
Donec meta avidos ſiſtere cogat equos.
Sic quoque diſſimiles ad finem tendimus omnes,
Nemo pedem retrahit quo ſibi limes erit.
Imperiale caput regnum trahit, atque ſenatum,
Nec ſpectante die, cum venit hora, rapit.
Quid ſunt arma viris? cadit Hector & ultor Achilles,
Ajax in clypeo murus Achæus obit.
Quid ſatis eſt cupido gremio quod condit avaro?
Deliciis ſolitis Attalus auctus abeſt.
Qui non verſutus recubet dum fine ſupremo,
De Palamede potens ars in Ulixe perit.
Forma venuſta fluit, cecidit pulcherrimus Aſtur,
Occubat Hippolytus, nec ſuperextat Adon.
Non agiles fugiunt, quo terminus extat, eundum,
Nam cum fratre celer ſorte Quirinus obit.
Quid rogo cantus agit modulis blanditus acutis,
Orpheus & cytharæ vox animata jacet?
Docta receſſuris quid prodeſt lingua Sophiſtis,
Qui valuere loqui curva rotunda poli?
Archita, Pythagoras, Aratus, Cato, Plato, Chryſippus,
Turba Cleantharum ſtulta favilla cubat.
Quidve poeta poteſt Maro, Lyſa, Menander, Homerus,
Quorum nuda toſo membra ſepulchra tegunt?
Cum venit extremum, neque muſis carmina profuut,
Nec juvat eloquio detinuiſſe melos.
Sic dum puncta cadunt, fugiunt præſentia rerum,
Et vitæ tabulam teſſera rapta levat.
Eſt tamen una ſalus, pia, maxima, dulcis, & ampla,
Perpetuo Trino poſſe placere Deo.
Hoc valet atque viget, manet, & neque fine peribit,
Hinc quoque poſt tumulum naſcitur almus honor.
Quod ſupereſt habitu meritorum flore beato,
Suavis juſtorum flagrat odor tumulo.
Gratius aura fluens, quam ſpiret aroma Sabæum,
Thuraque devincens balſama ſilva reflat.
Cinnama, caltha, crocus, violæ, roſa, lilia cedunt,
Ut ſimilis nullus nare bibatur odor.
Quid? quod morte magis virtus generatur in illis,
Dumque ſepulcra tenent, languida membra jacent?
Multorum dubiam ſolidant pia funera vitam,
Et redit e tumulo vivificatus homo.
Nobilis urna tegit pretioſa talenta Tonantis,
Ac terris recubat quod ſuper aſtra volat.
Qui ſub amore Dei ſacro moderamine vivens,
Fit peregrinus humi, civis eundo poli.
Denique poſt illos qui fundamenta coruſcant,
Poſtque Petri ac Pauli lumina prima fide.
Quis numerus radiat Sanctorum ſparſus in orbe,
Quanta columnarum gratia fuſa viget!
Per loca, per populos mundo ſua ſidera præſunt,
Quidquid ab Oceanis circulus ambit aquis.
Arctos, meridies, oriens, occaſus honorat
Lumina muneribus clarificata ſuis.
De reliquo nihil eſt quodcumque videtur in orbe,
Nam tumor hic totus, fumus & umbra ſumus.
Cur igitur metu trahitur dira vita ſuſurro,
Nec Fortunato pauca Jovine refers?
Tempora lapſa vides, nec longa ſilentia rumpis,
Me quoque ne recrees, ad mea damna taces.
Non ita rebar ovans, poſtquam Germania noſtros
Contulerat viſus, ut reſiliret amor.
Credideram porius quantum ſe tenderet ætas,
Ut veſtri affectus ſe duplicaret opus.
Heu magis, ut video, vota in contraria currunt,
Tempore longatur, ſed variatur amor.
An quantum ex oculo, tantum tibi corde recedo,
Et tam longe animo, quam ſumus ambo loco?
Non ego ſic refero, quoniam tibi pectore nector,
Prædicat hoc aliter mens ubi dulce ſovet.
Nam cui cara fides animum ſociavit amice,
Quod minus eſt oculis, flagrat amore magis.
Et licet abſentem paries, locus, aula retentet,
Corde ſuo illic eſt, eſt ubi forma placens.
Proſpicit affectu quem vultu non videt ipſo,
Et vox longinqua de regione ſonat.
Quid gerit, aut ubi ſit, tacito dare verba videtur,
Intra ſe loquitur pectore clauſus amor.
Si volat aura levis, putat inde venire ſalutes,
Auræ fert fragor hoc quod homo mente gerit.
Hinc tuus ergo cliens ego care, colende, requiro,
Abſentem faciunt quem loca, non animus.
Qui ſemper noſtro memorandus haberis in ore,
Scribimus & hæc dum, non ſine te loquimur.
Affectu, ſtudio, voto tua brachia cingo,
Atque per amplexum pectora, colla ligo.
Ingrederis mecum, pariterque moveris amator,
Et quaſi blanda loquens oſcula libo labris.
Ante oculos habeo, ſed cara refugit imago,
Hinc quoque quem video non retinere queo.
Alternis vicibus modo vadis & inde recurris,
Vix fugis ex oculis, ecce figura redis.
Et cum terga dabis, facies mihi cernitur inſons,
Si pede converſus, fronte regreſſus ades.
Sæpe etiam videor dare te pia dicta relatu,
Illic forte taces, hic mihi verba refers.
Hoc de te minus eſt, quia prendi non potes abſens,
Nam velut illic es totus, & hic meus es.
Qualiter ambo ſimul paucis habitavimus horis,
Non fugit ex oculis, dum manet iſta dies.
Miſimus o quotiens timidis epigrammata chartis,
Et tua, ne recreer, pagina muta ſilet.
Quis rogo reddet eas taciti quas perdimus horas?
Tempora non revocat lux levis atque fugax.
Dic homo note meos quid agis, quid amice recurris?
Si tua rura colis, cur mea vota neges?
Scribe vacans animo, refer alta poemata verſu,
Et quaſi ruris agrum me cole voce, melo.
Per thoraca meum ducas precor oris aratrum,
Ut linguæ ſulcus ſint ſata noſtra tuæ.
Pectoris unde ſeges gravidis animetur ariſtis,
Pullulet & noſtro farre novale ferax.
Nam mihi ſi loqueris, bone vir, pietatis opimæ,
Exſuperas labiis dulcia mella favi.
Pluſque liquore placet, quam fert oleagina ſucco,
Suavius & recreat, quam quod aroma reflat.
Cum Aſpaſio pariter caris patre, fratre Leone,
Longa ſtante die dulcis amice vale.

XIII. *Ad Felicem Jovini ſocerum.*

ARdua Pierio cui conſtant culmina faſtu,
Vix humili valeo tangere clauſtra manu.
Sed quoniam patriæ fuit aula ſodalibus una,
Affectu fideus pulſo benigne fores.

XIV.

XIV. *In laudem Mumoleni conſiliarii.*

DUm mihi feſſus iter gradior prope noctis in umbra,
Solis in occaſu jam fugiente die.
Cum ſuper undarum viridantes gramine ripas
Paſcua conſpexi, paſtus & ipſe fui.
Huc oculis captus voto ducente trahebar,
Deflectenſque viam proſperiora peto.
Mumolenus enim qui celſa palatia Regis
Altis conſiliis creſcere rite facit,
Inter concives merito qui carior extat,
Quemque ſuper proceres unica palma levat,
Nobilitate potens, animo bonus, ore ſerenus,
Ingenio ſolers, & probitate ſagax,
Cui genus a proavis radianti luce coruſcat,
Moribus ipſe tamen vicit honore patres.
Huc ergo adveniens epulis expletus opimis,
Quem vidiſſe, mihi conſtitit eſſe cibum.
Fercula magna quidem dapibus cumulata benignis,
Ac ſi colle tumens diſcus onuſtus erat.
Undique montis opus medium quaſi vallis habebat,
Quo meliore via piſcis agebat iter.
Ille natans oleum pro undis, pro ceſpite diſcum
Incoluit, cui pro gurgite menſa fuit.
Attamen ante aliud data ſunt mihi mitia poma,
Perſica quæ vulgi nomine dicta ſonant.
Laſſavit dando, ſed non ego laſſor edendo,
Vocibus hinc cogens, hinc tribuendo dapes.
Mox quaſi parturiens ſubito me ventre tetendi,
Admirans uterum ſic tumuiſſe meum.
Intus enim varie ventorum more fremebat,
Viſcera conturbans Eurus & Auſter erat.
Non ſic Æoliis turbatur arena procellis,
Nec vaga per pelagus puppis adacta tremit.
Nec ſic inflantur ventorum turbine folles,
Malleolis famulos quos faber uſtus habet.
Alter in alterius ructabat mole ſuſurros,
Et ſine te mecum pugna ſuperba fuit.
Sit tibi longa ſalus cum celſa conjuge, rector,
Et de natorum prole voceris avus.
Laudis honore potens felicia tempora cernas,
Et valeas longos concelebrare jocos.

XV. *De Berulpho comite.*

DElicias Berulphe tuas ſpectando libenter,
Me fateor duplicem ſuſtinuiſſe famem.
Sic ego credebam quarta ſatiarier hora,
Me nec ad octavam menſa benigna vocat.
Per veſtras epulas didici jejunia guſtans,
Litania fuit prandia veſtra magis.
Det tibi vota Deus, per quem modo læta notamus,
Hæc quoque dum ſcribo, plus ſatiatus agor.

XVI. *De Condano domeſtico.*

TEmporibus longis regali dives in aula
Enituit meritis gloria Conda tuis.
Nam ſemel ut juvenem vigili te pectore vidit,
Elegit ſecum ſemper habere ſenem.
Quis fuit ille animus, vel quæ moderatio ſenſus,
Cum fueris tantis Regibus unus amor?
Mens generoſa tibi pretioſo lumine fulget,
Quæ meritis propriis amplificavit avos.
Floret poſteritas per quem tua creſcit origo,
Et facit antiquos ſurgere laude patres.
Nam ſi præfertur generis qui ſervat honorem,
Quanta magis laus eſt nobilitare genus?
Qui cupit ergo ſuum geſtis attollere nomen,
Ille tuum velox præmeditetur opus.
A parvo incipiens exiſti ſemper in altum,
Perque gradus omnes culmina celſa tenes.
Theodericus ovans ornavit honore Tribunum,
Surgendi auſpicium jam fuit inde tuum.
Theodebertus enim comiti jam præmia ceſſit,
Auxit & obſequiis cingula digna tuis.
Vidit ut egregios animos meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Inſtituit cupiens ut deinde domeſticus eſſes,
Creviſti ſubito, crevit & aula ſimul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum,
Plaudebat vigili diſpoſitore domus.
Theodebaldi etiam cum parva infantia vixit,
Hujus in auxilium maxima cura fuit.
Actibus eximiis ſic publica jura fovebat,
Ut juvenem Regem redderet eſſe ſenem.
Ipſe gubernabas veluti ſi tutor adeſſes,
Commiſſumque tibi proficiebat opus.
Clotharii rurſus magna dominatus in aula,
Quique domum ſimili juſſit amore regi.
Mutari Reges, vos non mutaſtis honores,
Succeſſorque tuus tu tibi dignus eras.
Tantus amor populi, ſolertia tanta regendi,
Hoc ut nemo volens ſubripuiſſet onus.
Nunc etiam magno Sigeberti Regis amore,
Sunt data ſervitii libera dona tui.
Juſſit & egregios inter reſidere potentes,
Convivam reddens proficiente gradu.
Rex potior reliquis merito meliora paravit,
Et quod majus habet, hoc tua cauſa docet.
Sic tuus ordo fuit ſemper majora mereri,
Vitaque quam ſenior, tam tibi crevit honor.
Quæ fuerit virtus triſtis Saxonia cantat,
Laus eſt arma truci non timuiſſe ſeni.
Pro patriæ votis & magno Regis amore,
Quo duo natorum funera cara jacent.
Nec graviter doleas cecidiſſe viriliter ambos,
Nam pro laude mori, vivere ſemper erit.
Lætitiam vultus hilari diffundis ab ore,
Et ſine nube animi gaudia fida geris.
Munificus cunctis largiris multa benignus,
Et facis aſtrictos per tua dona viros.
Si tibi longa ſalus placidis felicior annis,
Atque ſuum reparet proles opima patrem.

XVII. *Ad Gunduarium.*

SI prodi verbis affectus poſſet amantis,
Carmina plura tibi pagina noſtra daret.
Sed quod ab ore loqui nequeo, quod pectore geſto,
Sit ſatis ex multis vel modo pauca dari.
Nam ſi reſpicias votum per verba canentis,
Mallem nunc majus qui tibi parva fero.
Aſpicimus ſenſum proprium in dulcedine fuſum,
Quo ſine nube doli corda ſerena micant.
Puro fonte rigans nectar de fauce redundat,
Cujus verba libens pectore, corde bibo.
Providus, exertus, vigilans, moderatus, honeſtus,
Condimentum animæ mens tua ſemper habet.
Reginæ egregiæ patrimonia celſa gubernans,
Quæ tibi commiſit, ſenſit ubique fidem.
Nemo piæ poterat Reginæ carior eſſe,

 Quam

Quam qui pro meritis talis & ipſe foret.
Gunduari longo vigeas placiturus in ævo,
Conjuge cum propria luce perenne manens.

XVIII. *Ad Flavum amicum.*

AD carum totiens mea pergit epiſtola Flavum,
Sic monet officiis ſedula cura loqui.
Nunc quoque proſaico, modo mittens carmina verſu,
Blandior affectu debita ſolvit amor.
Quin tibi pauca feret, qui vult iter ire viator,
Nemo mihi tacite prætereundus abit.
Pontus amicitiæ te ut pagina ſæpe requirit,
Et ſi vis deſit, potior aura placet.
Attonitis animis ego per vaga nubila pendo,
Nullaque ſuſpicio ſigna relata manu.
An tibi charta parum peregrina merce rotatur?
Non amor extorquet, quod neque tempus habet?
Scribere quo poſſis, diſcingat faſcia ſagum,
Cortice dicta legi fit mihi dulce tui.
An tua Romuleum faſtidit lingua ſuſurrum?
Quæſo vel Hebraicis reddito verba notis.
Doctus Achæmeniis quævis præſcribito ſignis,
Aut magis Argolico pange canora ſopho.
Barbara fraxineis pingatur rhuna tabellis,
Quodque papyrus ait, virgula plana valet.
Pagina vel redeat perſcripta dolatile charta,
Quod relegi poterit, fructus amantis erit.

XIX. *Item ad Flavum & Evodium.*

QUam bene conveniunt genitor quos ſuſtulit unus,
Si ſimul hos unum pectus utroſque tenet!
Viſceribus iiſdem genitos Flavum Evodiumque,
Prorſus amore uno viſcera noſtra tegunt.
Alter in alterius mihi viſu viſus habetur,
Et fratris ſpeciem fratris imago dedit.
Unius ex facie facies mihi nota ſecundi,
Sic ſpeculo ſimilem forma repreſſa refert.
Ergo pari voto paribus dans vota ſalutis,
Ambos inter ego tertius alter ero.
Hoc cupiens ut quos caris amplexibus idem
Tres amor unus habet, nos quoque charta liget.

XX. *Chariſſimo & omni gratia prædicando Sigiſmundo Regi, Fortunatus ſalutem.*

FIxus amore tuo votis inhiantibus aſtans,
Quæ tibi, care, ſalus ſæpe requiro viros.
Quiſque viator adeſt properans Aquilonis ab axe,
Quamvis feſtinum ſollicitando moror.
Seu privata virum, ſeu publica cura citabit,
Hunc niſi percuncter, nullus abibit iter.
Quam vegetus membris, quæ te loca rite coercent,
Ordine diſpoſito cuncta requirit amor.
Si gravis arma tenens Italas terit hoſtis arenas,
Francos aut quis habet, pagina pandat, ager.
Quid geris ore refer, tamen ut queo longius opto,
Vivas pars animæ dimidiata meæ.

XXI. *Item ad Sigiſmundum & Alagislum.*

NOmina amicorum mihi dulcis epiſtola pandit,
Hinc Sigismunde nitens, hinc Alagisle decens.
Proſperitas felix ventorum flamina fundit,
Quando mihi caros nuntiat aura vitus.
Teſtor utrumque caput, tantum mea vota juvantur,
Quantum fit florens læta ſub imbre ſeges.
Ne ſitiam rapidis æſtivo tempore flammis,
Nectarei fontis ſum recreatus aquis.
Poſt Italas terras mittis mihi Rhene parentes,
Adventu fratrum non peregrinus ero.
Tempore belligero pacis nova gaudia ſurgunt,
Hi quia venerunt quos meus optat amor.
Qui feſtiva die mihi duplicaſtis honorem,
Sic veſter creſcat munere Regis honor.

XXII. *Ad Boſonem quemdam principem.*

SIc tegat omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque ejus cauſas arma ſuperna regant.
Sic dominum ac ſervos divina potentia ſervet,
Et patriæ maneat hoc dominante ſalus.
Sic placido Regi ſummus, pius auctor ab alto,
Qui dedit ante Petro, porrigat ipſe manum.
Sic te longævi comitetur gratia Regis,
Et florente illo gaudia fixa metas.
Hoc rogo quam citius veniat quicumque jubetur,
Ne gravet ultra animos hic mora tarda meos.
Nam qui feſtinat, ſtatuit quod certa voluntas,
Si votum acceleret, dulcius eſſe ſolet.
Illud enim nimium per verba precantia poſco,
Commendet Domino te memorante meo.
Actibus excellens maneas per ſecula felix,
Et memor ipſe mei dulcis amice Vale.

XXIII. *Ad Paternum ſibi amicum.*

NOminis auſpicio fulgent tua facta, Paterne,
Munere qui proprio te facis eſſe patrem.
Servitii noſtri non immemor omnia præſtans,
Et tibi devotis das pia vota libens.
Ut bona diſtribuas, modo qui tam promptus haberis,
Unde magis præſtes, amplificentur opes.

XXIV. *De Jucunditate vitæ.*

QUi legis in pulcro circumdata verba metallo,
Si venias purus, hoc imitaris opus.
Nam velut argentum calida fornace probatur:
Sic ſe purgato pectore prodit homo.
Qui venis ad charos conviva fidelis amicos,
Quod minus eſt epulis, plus in amore capis.
Non hæc per pelagus peregrinus detulit hoſpes,
Sume libens patrii quod genuere lares.
Quamvis docta loquax te ſeria cura fatiget,
Huc veniens feſtos miſce Poeta jocos.
Sic tamen ut propriam rationem ſervet honeſtas,
Nam ſolet incautus ſermo movere manus.
Vita brevis hominum, fugiunt præſentia rerum,
Tu cole quæ potius non moritura manent.
Erige juſtitiam, pacem cole, dilige Chriſtum,
Ex pete delicias, quas ſine fine geras.
Pelle palatinas poſt multa negotia rixas,
Vivere jucunde menſa benigna monet.
Cauſæ, iræ, ſtrepitus repleant fora, jurgia, leges,
Hic placeat requies quam dat amica dies.
Te rogo pacificos animos ad prandia defer,
Hoſtem quære alibi, ſi tibi pugna placet.
Deliciis mediis lites agitare recuſes,
Arma tibi campos, menſa miniſtret olus.
Si tibi magnanimus rigida virtute videris,

Secu-

Secure ad calices fortia bella refers.
Huc noſtræ qui venit opes cognoſcere menſæ,
Commendet poſitos gratia ſola cibos.

XXV. *Ad Galactorium Comitem.*

SÆpius optaram fieri me remige nautam,
Curſibus undifragis ut ratis iret aquis.
Flatibus aut rapidis per dorſa Garonnia ferret,
Burdegalenſe petens ut celer actus iter.
Velaque fluctivagum traherent Aquilone ſecundo,
Me quoque littoreo redderet aura ſinu.
Qua pius Antiſtes ſacra Gundegiſelus offert,
Culmine pro populi qua micat ara Dei.
Tu quoque qui reſides meritis comes ample ſerenis,
Chare Galactori ſedula cura mihi:
Cui rite excellens Rex Gundirannus honores,
Majus adhuc debet qui tibi magna dedit.
Cum tamen hoc vellet, timor obſtitit extimus ille,
Qui cumulo rapidæ mons fremit albus aquæ.
Dulcedo invitat civilis & unda repugnat,
Sic vocat atque vetat, hinc amor, inde pavor.
Plane hoc quod ſupereſt ſolvat vel epiſtola currens,
Littera quod faceret, reddat amore vicem.
Maxime nunc igitur te dulcis amice ſaluto,
Sperans a Domino te ſupereſſe diu.
Cumque domo, ſociis, Antiſtite, conjuge, natis,
Vive comes, cui ſunt jura regenda Ducis.
Pontifici ſummo commender opime precatu,
Sic tua pars meritis ſit data dextra polis.
Si ſupereſt aliquid quod forte tributa redundent,
Qui modo mitto apices, te rogo mitte pices.

LIBER SEPTIMUS.

I. *De Parſimonia Radegundis Reginæ.*

AOnias avido qui lambitis ore camœnas,
Caſtaliuſque quibus ſumitur arte liquor:
Quos bene farre ſuo Demoſthenis horrea ditant,
Largus & irriguis implet Homerus aquis.
Fercula ſive quibus fert dives uterque miniſter,
Tullius ore cibum, pocula fonte Maro.
Vos quoque qui numquam morituras carpitis eſcas,
Quos Paradiſiaco germine Chriſtus alit:
Facundo tonitru penetrati qui retinentur,
Nunc monitis Pauli, poſtea clave Petri.
Fortunatus ego hinc humili prece voce, ſaluto:
Italia genitum Gallica rura tenent.
Pictavis reſidens, qua Sanctus Hilarius olim
Natus in urbe fuit, notus in orbe pater.
Eloquii currente rota penetravit ad Indos,
Ingenioque potens ultima Thule colit.
Perfundens cunctas vice Solis lumine terras,
Cujus dona Sacæ, Perſa, Britannus habet.
Chriſticola Scythicas laxavit honore pruinas,
Dogmate ferventi frigida corda calent.
Martinum cupiens voto Radegundis adhæſit,
Quam genuit cælo terra Thoringa ſacro.
Germine regali pia neptis Herminefredi,
Cui de fratre patris Hamalafredus adeſt.
Mens ornata bonis fugitivos ſprevit honores,
Noſcens in ſolo firma manere Deo.
Regia lanifico commutans pallia cultu,
Vilior ancillæ veſtis amata tegit.
Splendida ſarraco quondam ſubvecta ſuperbo,
Nunc terit obſequio planta modeſta lutum.
Quæ prius inſertis onerata eſt dextra ſmaragdis,
Servit inops famulis ſedulitate ſuis.
Aulæ celſa regens quondam modo juſſa miniſtrat,
Quæ dominando prius, nunc famulando placet.
Paupertate potens & ſolo libera voto,
Clarius objecto ſtat radiata loco.
Aurea fulcra tenens tantum ſibi vilis honore,
Effugit extructum pulvere fuſa thorum.
Si contemnatur, tunc nobilis eſſe fatetur:
Et putat eſſe minor, ſi datur ullus honor.
Parca cibo Euſtochium ſuperans, abſtemia Paulam,
Vulnera quo curet Dux Fabiola monet.
Melaniam ſtudio reparans, pietate Bleſillam,
Marcellam votis æquiparare valens.
Obſequio Martham renovat, lacrimiſque Mariam,
Pervigil Eugeniam dat patiendo Teclam.
Senſibus iſta gerit quidquid laudatur in illis,
Signa recognoſco quæ prius acta lego.
Omnia deſpiciens & adhuc in còrpore conſtans,
Spiritus hic vivit, ſed caro functa jacet.
Terram habitans cælos intrat bene libera ſenſu,
Atque homines inter jam ſuper aſtra petit.
Cujus ſunt epulæ quidquid pia regula pandit,
Quidquid Gregorius Baſiliuſque docent.
Acer Athanaſius, quod lenis Hilarius edunt,
Quos cauſæ ſocios lux tenet una duos.
Quod tonat Ambroſius, Hieronymus atque coruſcat,
Sive Auguſtinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis, quod Oroſius edit acutus,
Regula Cæſarii linea nata ſibi eſt.
His alitur jejuna cibis, palpata nec umquam
Fit caro, ſit niſi jam ſpiritus ante ſatur.
Cætera nunc taceam melius, quia teſte Tonante
Judicioque Dei glorificata manent.
Qui ſua quiſque poteſt Sanctorum carmina vatum,
Mittat in exiguis munera larga libris.
Se putet inde Deo ædificare manentia templa,
Quiſquis ei votis ſcripta beata ferat.
Hæc quoque qui legitis rogo reddite verba ſalutis,
Nam mihi charta levis, pondus amoris erit.

II. *De itinere ſuo: dum cum Domno Germano ire deberet, & a Domna Radegunde detineretur.*

EMicat ecce dies, nobis iter inſtat agendum,
Debita perſolvens, emicat ecce dies.
Me vocat inde pater radians Germanus in orbe,
Hinc retinet mater, me vocat inde pater.
Dulcis uterque mihi voto amplectente cohæſit,
Pienus amore Dei, dulcis uterque mihi.
Charior hæc animo ſacer ille & honore beato,
Charior ille gradu, charior hæc animo.
Mens tenet una duos æquali calce viantes,
Ad pia tendentes mens tenet una duos.
Proficit alterutrum quidquid bene geſſerit alter,
Unius omne bonum proficit alterutrum.
Sunt quia corde pares, juſſus non ire recuſo,
Obſequar ambobus, ſunt quia corde pares.
Nec tamen hinc abeo, quamvis nova tecta videbo,
Corpore diſcedo, nec tamen hinc abeo.
Hic ego totus ero, nec corde ac mente revellor,
Sic quoque dum redeo, hic ego totus ero.

Por-

Porrigat arma mihi cæleſtia mater eunti,
Ut ſibi plus habeat, porrigat arma mihi.

III. *De Senatu curiæ cæleſtis, & virtute virginitatis.*

CUlmina multa polos radianti lumine complent,
Lætanturque piis agmina ſancta choris.
Carmine Davidico plaudentia brachia texunt,
Creditur & ſacro tripudiare gradu.
Cœtibus angelicis hominum ſociata propago,
Reddit honorificum laudis amore ſonum.
Vocibus alternis divina poemata pſallunt,
Atque creatori myſtica verba canunt.
Lucida ſidereo cæli ſtrepit aula tumultu,
Laudibus & Domini concutit aſtra fragor.
Hinc Patriarcharum reſonant modulamina vocum,
Inter quos Abrahæ eſt maxima palma fide.
A quo acceperunt, reddunt dehinc verba Prophetæ,
Moyſes ante alios Dux, mare teſte, viros.
Inde ſimul fratres & celſa caterva piorum,
Lumen Apoſtolicum præmeditante Petro.
Qui valet ex meritis cineres animare ſepultos,
Et revocare diem, voce jubente, poteſt.
Hinc mercede pari ſequitur pius ordo Senatum,
In quibus eſt Stephanus victor honore prior.
Quos ſaxis gladiiſque, fame, ſite, frigore, flammis,
Ereptos terris jungit in aſtra fides.
Caſibus heu variis quos ſic tulit ira furentis,
Et ſi mors diſpar, lux tamen una tenet.
Inde Dei genitrix pia Virgo Maria coruſcat,
Virgineoque agni de grege ducit oves.
Iſta puellari medio circumdata cœtu,
Luce pudicitiæ ſplendida caſtra trahit.
Per Paradiſiacas epulas ſua vota canentes,
Iſta dedit violas, carpit & illa roſas.
Pratorum gemmas ac lilia pollice rumpunt,
Et quod odoratum eſt flore comante metunt.
Chriſtina, Euphemia, hic pariter quoque plaudit Agathe,
Et Juſtina ſimul conſociante Tecla.
Hic Paulina, Agnes, Baſiliſſa, Eugenia regnant,
Et quæcumque ſacer vexit ad aſtra pudor.
Felices quarum Chriſti contingit amore
Vivere perpetuo nomina fixa libro.
Has inter comites conjuncta Caſaria fulget,
Temporibus noſtris Arelatenſe decus.
Cæſarii monitis luci ſociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.
Quos Liliola refert æquatis moribus ambos,
Et claram hæredem proxima palma manet.
Et quæcumque ſuos vigilans meditabitur actus,
His erit egregio participanda gradu.
Concipiente fide Chriſti Radegundis amore,
Cæſarii lambit regula quidquid habet.
Cujus Pontificis refluentia pectore mella
Colligit, & rivos inſatiata bibit.
Quos dum fonte trahit, tantum ſitis addita creſcit,
Et de rore Dei plus madefacta calet.
Nec ſibi, ſed cunctis generaliter unica vivens,
Felix anguſtam pandit ad aſtra viam.
Sed tibi præ reliquis mater pia carior inſtans,
Eligit excelſo conſociare choro.
Res probat ipſa tamen, quoniam quæ filia conſtas,
Te matrem votis optat habere ſuam.
Quamque ſuis genibus caram nutrivit alumnam,
Præficit ecce ſuo conſtituenda loco.
Et quæ te ſemper baculi moderamine rexit,
Prompta ſub imperio vult magis eſſe tuo.
Proficit illa ſibi, cum tu præponeris illi,
Illa ſubit voto te potiente gradu.
Ecce diem feſtum tandem pietate Tonantis,
Quem precibus genitrix ſæpe rogabat, habet.
Cujus reſpirant tacito præcordia pulſu,
Anguſtoſque animos gaudia larga replent.
Expectata nimis oculos ad tempora tendens,
Semine lætitiæ dona ſuperna metit.
Optat adhuc ſupplex unum quod reſtat honoris,
Ut placeas Chriſto conſocianda polo.
Qualiter hæc capias labor eſſe videtur agentis,
Sed labor iſte brevis fruge replendus erit.
Servitio Domini ſubdenda eſt ad juga cervix,
Nec grave ſed leve ſit quidquid amore feras.
Non aliunde petas, in matre exempla require,
Aſpicis ante oculos quod mediteris opus.
Cum qua feſtinas ſimul eſſe in luce perenni,
Condecet hic ſimili currere lege viam.
Sit tibi dulce decus veneranda Ceſaria præſens,
Præſule Cæſario non caritura tuo.
Illos corde ſequens, mandataque corpore complens
Ut teneas flores, has imiteris apes
Reſpice qui voluit naſci de ventre puellæ,
Et Domini ſummi qua caro carne venit.
Spiritus intactam venerabilis attigit alvum,
Virgineam cupiens inhabitare domum.
Hanc Deus ingrediens hominis quæ neſciit uſum,
Sola ſuo nato conſcia virgo viro,
Concipiente fide nullo ſe ſemine luſit,
Et quo fictus homo eſt, non fuit alter homo.
Virginitas felix, quæ partu eſt digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.
Templa Creatoris ſunt membra pudica puellæ,
Atque habitat proprius tale cubile Deus.
Quantum ſponſa poteſt de virginitate placere,
Ipſa cui genetrix non niſi virgo placet.
Sara, Rebecca, Rachel, Heſter, Judith, Anna, Noemi,
Quamvis præcipuæ culmen ad aſtra levent.
Nulla tamen meruit mundi generare parentem,
Quæ Dominum peperit clauſa Maria manet.
Intemerata Deum ſuſpendit ad ubera natum,
Et panem cæli munere lactis alit.
Hoc ergo in ſponſæ nunc viſcere diligit ipſe,
Quod prius in matrem legit honore ſacer.
Pectora liberius penetrat ſibi cognita ſoli,
Et quo nemo fuit lætior intrat iter.
Hæc ſua membra putans quæ nulla injuria fuſcat,
Quæ neque ſunt alio participata viro.
Mitis in affectu pectus complectitur illud,
Promptus amore colens, quo alter amator abeſt.
Cum ſua regna Deus pariter velit omnibus eſſe,
Hoc commune tamen Chriſtus habere fugit.
Per Paradiſiacas epulas cupit eſſe coheres.
Virgineam ſolus vult habitare domum.
Caſtra pudicitiæ melius Rex ipſe tuetur,
Si ſibi non violet turba dicata fidem.
Ipſe voluntatem ſi viderit eſſe fidelem,
Proque ſuis famulis hic Deus arma tenet.
Lorica, clypeo, galea præmunit amantem,
Et ſtabilit ſolidum montis in arce gradum.
Baliſtam jaculans pro te mox exit in hoſtem,
Perdat ut adverſos qui tibi bella movent.
Currit ad amplexus poſt prælia geſta triumphans,
Infigens labiis oſcula caſta ſacris.
Blanditur, refovet, veneratur, honorat, obumbrat,

Et

Et locat in thalamo membra pudica ſuo.
Siderei proceres ad regia vota frequentes,
Certatim veniunt agglomerando chorum.
Quo præter Cherubin, Seraphin, reliquoſque beatos,
Aligeros comites, quos tegit umbra Dei.
Bis duodena ſenum concurſat gloria vatum,
Attonito ſenſu plaudere voce, manu.
His venit Helias, illis in curribus Enoch,
Et nati dono Virgo Maria prior.
Juriſconſulti Pauli comitante volatu,
Princeps Romana currit ab arce Petrus.
Conveniunt ad feſta ſimul ſua dona ferentes,
Hi quorum cineres urbs caput orbis habet.
Culmen Apoſtolicum radianti luce coruſcum,
Nobilis Andream mittit Achaia ſuum.
Præcipuum meritis Epheſus veneranda Joannem,
Dirigis & Jacobos terra beata ſacros.
Læta ſuis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edeſſa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Nadaber alta virum.
Huc Simeon ac Judam lumen Perſida gemellum,
Læta relaxato mittit ad aſtra ſinu.
Et ſine rore ferax Ægyptus torrida Marcum,
Lucæ Evangeliſtæ participante tuba.
Africa Cyprianum, dat Siſcia clara Quirinum,
Vincenti Hiſpana ſurgit ab arce decus.
Egregium Albanum fœcunda Britannia profert,
Maſſilia Victor martyr ab urbe venit.
Porrigit ipſa decens Arelas pia dona Geneſi,
Aſtris Cæſario concomitante ſuo.
Ipſe Pariſiaca properat Dionyſius urbe,
Auguſtiduno Symphoriane venis.
Privatum Gabalus Iulianum Arvernus abundas,
Ferreolum pariter pulcra Vienna gerit.
Hinc ſimul Hilarium, Martinum Gallia mittit,
Te quoque, Laurenti, Roma, beate, tulit.
Felicem meritis Ucetia læta refundit,
Et Fortunatum fert Aquileia ſuum.
Vitalem ac reliquos quos chara Ravenna ſepultat,
Gervaſium, Ambroſium, Mediolane, meum.
Juſtinam Patavum, Euphemiam huc Chalcedon offert,
Eulalia Emerita tollit ab urbe caput.
Cæciliam Sicula profert, Seleucia Teclam,
Et legio Felix Agaunenſis adeſt.
Europæ atque Aſiæ quis lumina tanta recurrat,
Vel tua quis poſſit pignora, Roma, loqui?
Undique collectos diverſis partibus orbis,
Agminibus junctis regia pompa trahit.
Intrant ſidereo vernantes lumine portas,
Excipit hos proceres urbs patefacta poli.
Incedit ſenſim tunc prætextata poteſtas,
Ordine patricio ſic potitura loco.
Nobilitas cæli dives Cruce, Sanguine Chriſti,
Feſtinat feſtos concelebrare thoros.
Paupertas terræ cenſu cæleſte redundans,
Conſulibus tantis regia vota colit.
Undique diſtinctæ numeroſa ſedilia complent,
Attonitique ſilent, Rege loquente, patres.
Majeſtas arcana Dei tum pondere fixo
Alloquitur proceres, quos ſua dextra regit.
Hæc mihi pollicitum ſervavit virgo pudorem,
Nec voluit placidam dilacerare fidem.
Sollicitis animis ſponſi veſtigia ſectans,
Et mea vota petens inviolata venit.
Per tribulos gradiens Spinæ cavefecit acumen,
Sentibus in mediis neſcia ferre vepres.
Vipera, ſeps, jaculus, baſiliſcus, Hemorrois, aſpis,
Faucibus horrificis ſibila torſit iners.
Inde ſagitta volans, hinc terruit arcus euntem,
Docta ſed inſidiis cautius ire ſuis,
Inter tot hoſtes nulli ſe ſubdidit inſons,
Vulnera ſuſcepit, ſed tolerando fugit.
Per tela & gladios tenuit mora nulla ſequentem,
Sed tam dura nimis non niſi ferret amor.
Ad me aures, oculos, animos ſuſpenſa tetendit,
Cum terris jacuit, jam ſuper aſtra fuit.
Singultus, gemitus, curas, ſuſpiria, fletus,
Sæpius audivi non abolenda mihi.
Abſcondens aliis nulli confeſſa dolores,
Intellecta mihi murmura clauſa dedit.
Vidit forte meum quotiens in imagine vultum,
Oſcula dans labiis lumine fudit aquas.
Pervigil incubuit, ſi forte alicunde venirem,
Marmore jam tepido frigida membra premens.
Hæc gelefacta meum ſervavit in oſſibus ignem,
Viſceribus rigidis pectus amore colens.
Corpore deſpecto recubabat in aggere nudo,
Seque oblita jacens immemor ipſa fuit.
Fletibus aſſiduis exhauſto humore genarum,
Siccatis oculis terra natabat aquis.
Et quia me vivens carnali lumine quondam
Cernere non potuit, miſit amata precem.
Nam mihi ſollicito nocturnis ſæpius horis
Scripta ſuis oculis pagina lecta fuit.
Plena quidem variis tremulo ſermone quetelis,
Quod ſine me ſola mœſta jaceret humo.
Cujus ab ore fluens nativo gutta liquore
Hæc dedit in tremulis ſigna relata notis.
Strata ſolo recubo lacrimans, neque cerno, quod opto,
Triſtis in amplexu pectore ſaxa premo.
Sponſo abſente manens tam dura cubilia ſervo,
Nec mea, quem cupiunt, membra tenere queunt.
Dic ubi ſis, quem expecto gemens, qua te urbe requiram,
Quave ſequar, nullis ſemita nota locis.
Ipſa venire velim properans, ſi poſſet in aſtris
Pendula ſideream planta tenere viam.
Nunc ſine te fuſcis graviter nox occupat alis,
Ipſaque ſole micans eſt mihi cæca dies.
Lilia, narciſſus, violæ, roſa, nardus, amomum,
Oblectant animos germina nulla meos.
Ut te conſpiciam per ſingula nubila pendo,
Et vaga per nebulas lumina ducit amor.
Ecce procelloſos ſuſpecta interrogo ventos,
Quid mihi de Domino nunciet aura meo.
Proque tuis pedibus cupio cæmenta lavare,
Et tua templa mihi tergere crine libet.
Quidquid erit, tolerem; ſunt omnia dulcia dura,
Donec te videam, hæc mihi pœna placet.
Tu tamen eſto memor quoniam tua vota requiro,
Eſt mihi cura tui, ſit tibi cura mei.
Hæc referens avidis jactabat brachia palmis,
Si poſſit plantas forte tenere meas.
Dum decepta ſibi ſine me ſua dextra rediret,
Luminis inſtillans ora lavabat aquis.
Cum recubaret humo, neque victa ſopore quievit,
Conſulturus ei ſæpe ſimul jacui.
Condolui, pariter lacrimarum flumina terſi,
Oſcula dans tutilis mellificata favis.
Nunc igitur regnet, placitoque fruatur amore,
Quæ mihi jam pridem pectore juncta fuit.
Aſſenſu fremit aula poli, reſidente Senatu,

Nomen perpetuo ſcribitur inde libro.
Traditur æternus manſura in ſecula cenſus,
    Virginis in thalamum fundit Olympus opes.
Inſeritur capiti radians diadema beryllis,
    Ordinibus variis alba ſmaragdus ineſt.
Alligat & nitidos amethyſtina vitta capillos,
    Margaritato flexilis arte ſinu.
Sardonyche impreſſum per colla monile coruſcat,
    Sardia purpurea luce metalla micat.
Dextræ armilla datur chalcedone iaſpide mixta,
    Aut hyacintheo ſudat honore manus.
Bractea geminatam cycladem fila catenant,
    Sideriis donis arte ſigilla tument.
Pulcra topaziacis oneratur zona lapillis,
    Chryſolitha auratam fibula claudit acum.
Veſte ſuperpoſita biſcocto purpura byſſo,
    Qualem nupta Dei ferre puella poteſt.
His cumulata bonis thalamo Regina ſedebit,
    Atque poli ſobolem ſub pede virgo premet.
Cui tamen hoc opus eſt cum virginitatis honore,
    Ut placeat ſponſo mens moderata ſuo.
Inconcuſſa gravem teneat patientia vultum,
    Viribus ira ſuis ne labefacta ruat.
Neu faciles animos ventoſa procella fatiget,
    Fluctibus in mediis anchora cordis agat.
Virtutum ſpeciale decus, patientia fulget,
    Qua gradiaris iter, Job tibi ſigna dabit.
Quidve loquar humilem, quem gratia celſa decorat,
    Et quantum ima petit, ſurgit ad alta magis.
Quod diverſa nimis diviſa eſt cauſa duobus,
    Qui jacet ille ſubit, qui tumet ipſe cadit.
Hæc exempla quidem Joſeph, Pharaoque dederunt,
    Tollitur ille lacu, mergitur iſte freto.
Eſt etiam laudis ſtipendia poſcere tantum,
    Ne premat ipſe ſuum peſtis avara ſinum.
Contentus minimis, ſi non majora requirat,
    Pauper in anguſto regnat habendo Deum.
Sapphira vel mulier geminos largita minutos,
    Illa tenendo perit, hæc ſua dando manet.
O nimium felix quem non modo mollia frangunt,
    Judice qui ſeſe membra labore terit.
Spernit opum laqueos, unguenta, toreumata luxus,
    Ut cuſtos animæ ſit rigor ipſe ſuæ.
Hoc etiam recolens quid poſſit parcior uſus,
    Sobrietas Judith vincere ſola facit.
Quidve animum dulcem memorem, quem gratia paſcit,
    Cum intra ſe populos viſcera chara ferant.
Pacificus gaudens unus complectitur omnes,
    Stringit in affectu pectora cuncta ſuo.
O nimium felix florens bonitate voluntas,
    Qua ſine nil populo, nec placet ara Deo.
Hoc opus, ut quotiens aliquo mens fertur amaro,
    Firmet in adverſis ſpes imitata fidem.
Aſpera non frangunt, tumidos nec proſpera reddunt,
    Sic mediocre tenens cautius itur iter.
Hæc bona ſumit homo, tribuit ſi gratia Chriſti,
    Inſpirante illo vel moderante gradum.
His ornata bonis radiantia lumina fundis,
    Has retinens gemmas tu quoque gemma micas.
Virginitas felix nullis æquanda loquelis,
    Nec ſi centenus ſuppleat ora ſonus.
Quod prius eſt ſine ſorde nitet, venerabilis orbi,
    Naturæ proprium non vitiando bonum.
Corporis illæſum ſervans pretioſa talentum,
    Perpetuas retinens neſcia furis opes.
Non premit incluſo torpentia viſcera fœtu,
    Aut grave facta jacet pignore mœſta ſuo.
Inter anhelantes animæ ſeu corporis æſtus,
    In dubio pendens ſtamine feſſa ſalus.
Quando ſuis jaculis uteri læſura tumeſcit,
    Atque voluptatis morbida creſcit Hydrus.
Ultra hominis habitum tantum cutis effera turget,
    Ut pudeat matrem hoc quod amore gerit.
Se ſugit, & propriis verecunda parentibus aufert,
    Donec depoſitum ſarcina ſolvat onus.
Quis gemitum partus verbis æquare valebit,
    Aut cui tot lacrimas carmine flere vacet?
Cum ſua ſecretum compago relaxat onuſtum,
    Atque dolore gravi viſcera faſcis agit.
Victa puerperio membrorum porta fatiſcit,
    Exit & ad lucem ſors ſine luce puer.
Si vivat genitus, genitrix ſe oblita requirit,
    Triſtis & ad natum lumina feſſa trahit.
Reſpicit expoſitum nec jam ſua mater alumnum,
    Quæ vix dum peperit, hæc modo funus habet.
Nec mater meruit demum, nec virgo vocari.
    Hæc duo damna dolens ſe male nupta gemit.
Omnis non validi eſt ſpes prorſus rapta doloris,
    Nec fletu nati ſe fovet illa ſui.
Non charas lacrimas infantis ab ore reſorbet,
    Aut teneras voces lacte fluente rapit.
Triſtis decrepito damnat ſua viſcera luctu,
    Quo jacuit natus, heu dolet illa ſinum.
Quod ſi vita manet pueri, nec ſemper habenda,
    Incipiat teneros ut dare voce ſonos.
Imperfecta rudis collidens murmura linguæ,
    Cum matrem dulci voce ſuſurrus alit.
Contingatque nefas, rapiatur pectore matris,
    Ætas ad damnum crevit adulta ſuum.
Triſte flagellatis genitrix orbata capillis,
    Defuncti in labiis ubera ſicca premit.
Infundens lacrimas lamenta reſuſcitat ardens,
    Et gelidum corpus fonte repente lavat.
Dilacerat faciem, crinem aufert, pectora tundit,
    Heu dolor armatus hic ſua membra ferit!
Si videt alterius natum, ſua pignora deflet,
    Æqualemque ſuum triſtis obiſſe gemit.
Alter ſi ploret, currat, flet, gaudeat infans,
    Ante oculos nati ludit imago ſui.
Quem ſemel effudit, per cuncta momenta requirit,
    Nec miſeræ matris pendet ab ore puer.
Quid ſi aliud gravius? moriatur ut ipſe jugalis,
    Quæ nova nupta fuit, jam viduata jacet.
De thalamo ad tumulum, modo candida, tam cito nigra,
    Ante quibus caluit, frigida membra tenet.
Conſtruit exequias, perverſaque vota celebrans
    Exornat tumulum heu ſpoliando thorum.
Sæpe maritalem repetit miſerando ſepulcrum,
    Contemptaque domo, funus amara colit.
Incumbit tumulo ſolatia caſſa requirens,
    Cujus membra prius, nunc ſuper oſſa premit.
Fletibus irriguis perituro carmine luget,
    Funeris obſequio lumina perdit amor.
Quot mala plebeiæ venient quis pandere poſſit,
    Vix bene Reginæ quæ viduata manet.
Non vero conjugium, ſed præfero virginis alvum,
    Quod dat Apoſtolica Paulus ab ore tuba.
Inclyta virginitas, cælos quæ dote mereris,
    Cum thalamis Chriſti conſocianda places.
Funera nulla gemis, ſine limite gaudia ſumis,
    Vivit amor ſemper, nec tibi Chriſtus obit.
Illic regna tenes, hic vincis & integra fulges,

Omni

Omni tuta loco ſanctificata Deo.
Hæc tibi, chara Deo, meritis venerabilis Agnes,
Offero; quo placeas tu faciendo colas,
Judicis ut juſſu munus tribuatur utriſque,
Quando corona tibi, dehinc mihi vel venia.
Opto per hos fluctus animas tu Chriſte gubernes,
Arbore & antenna velificante crucis.
Ut poſt emerſos mundani gurgitis æſtus,
In portu vitæ nos tua dextra locet.

IV. *Verſus in laudem Virginum.*

INter Apoſtolicas acies ſacroſque Prophetas,
Proxima Martyribus præmia virgo tenet.
Splendida ſidereo circumdata lumine pergens,
Jungitur Angelicis caſta puella choris.
Fruge pudicitiæ cæli dotanda talento,
Æterni Regis ducitur in thalamos.
Pulcra corona caput triplici diademate cingit,
Et gemmæ exornant pectora, colla, comam.
Induitur teneris ſuperaddita purpura membris,
Et candore nivis fulgida palla tegit.
Floribus æternis oculos roſa, lilia paſcunt,
Et Paradiſiacus naribus intrat odor.
Unde magis dulcis hortamur ut iſta requiras,
Quæ dedit Eugeniæ Chriſtus & alma Teclæ.
Virgo Dei, fructus cæli, victoria mundi,
Ut ſemper regnes, has pete Regis opes.
Sunt ibi chryſolithis fabricata palatia gemmis,
Atque ſmaragdineo janua poſte viret.
Limina ſardonychæ variato lumine florent,
Et hyacinthæus circuit ordo domum.
Aurea tecta micant, plebs aurea fulget in aula,
Et cum Rege pio turba coruſca nitet.
Ille puellarum locus eſt, quæ lucis amore
Hic ſervant Domino corpore, mente, fidem.
Deſpice quod terræ eſt, & clara ſedebis in aſtris,
Chriſti ut ſponſa placens regna ſuperna colas.
Præſens vita nimis fugitivo tempore tranſit,
Virginis integritas glorificanda manet.
Paupertas te parva regat cum divite Chriſto,
Ut venias noſtro dulcis alumna ſinu.
Quod patris auxilium Domino obtentura precetis,
Atque tibi felix regna beata petas.
Ut pariter Sanctæ merearis juncta Mariæ,
Gaudia perpetuo concelebrare choro.
Has quæcumque piis manibus ſuſceperis aras,
Non nuptura homini, ſed ſis amata Dei.

V. *Ad Beatam Radegundem.*

REgali de ſtirpe potens Radegundis in orbe,
Altera cui cælis regna tenenda manent:
Deſpiciens mundum meruiſti adquirere Chriſtum,
Et dum clauſa lates, hinc ſuper aſtra vides.
Gaudia terreni conculcans noxia regni,
Ut placeas Regi læta ſavente polo.
Nunc anguſta tenes, quo cælos largior intres,
Effundens lacrimas gaudia vera metes.
Dum corpus cruciant, animam jejunia paſcunt,
Salve, quam Dominus ſervat amore ſuo.

VI. *Ad ipſam de violis & roſis.*

TEmpora ſi ſolito mihi candida lilia ferrent,
Aut ſpecioſa foret ſuave rubore roſa:
Hæc ego rure legens, aut ceſpite pauperis horti,
Miſiſſem magnis munera parva libens.
Sed quia prima mihi deſunt, vel ſolvo ſecunda,
Profert qui violas, fert & amore roſas.
Inter odoriferas tamen has quas miſimus herbas,
Purpureæ violæ nobile germen habent.
Reſpirant pariter regali more nitentes,
Et ſaturat foliis hinc odor, inde decor.
Hoc quod utrumque gerit pariter habeatis utrumque,
Et ſit mercis odor flore perenne decus.

VII. *De Floribus: Ad eandem.*

FRigoris hyberni glacie conſtringitur orbis,
Totaque lux agri flore carente perit.
Tempore vernali Dominus quo Tartara vicit,
Surgit perfectis lætior herba comis.
Inde viri poſtes & pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roſeo complet odore ſinum.
At vos non vobis, ſed Chriſto fertis odores,
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texiſtis variis altaria feſta coronis,
Pingitur ut filis floribus ara novis.
Aureus ordo croci, violis hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet.
Stat praſino venetus, pugnant & flore colores,
Inque loco pacis herbida bella putes.
Hæc candore placet, rutilo micat illa decore,
Suavius hæc redolet, pulcrius illa rubet.
Sic ſpecie varia florum ſibi germina certant,
Ut color hic gemmas, thura revincat odor.
Vos quoque quæ ſtruitis hæc Agnes cum Radegunde,
Floribus æternis veſter anhelet odor.

VIII. *Item ad ipſam tranſmiſſio florum.*

O Regina potens, cui aurum & purpura vile eſt,
Floribus ex parvis te veneratur amans.
Et ſi non res eſt color, eſt tamen ipſe per herbas,
Purpura per violas, aurea forma crocus.
Dives amore Dei vitaſti præmia mundi,
Illas contemnens, has retinebis opes.
Suſcipe miſſa tibi variorum munera florum,
Ad quos te potius vita beata vocat.
Quæ modo te crucias, recreanda in luce futura,
Aſpicis hinc qualis te retinebit ager.
Per ramos fragiles, quos nunc præbemus olentes,
Perpende hinc quantus te refovebit odor.
Hæc cui debentur, precor, ut cum veneris illuc,
Meque tuis meritis dextera blanda trahat.
Quamvis te ſpectet Paradiſi gloria florum,
Iſtæ vos cupiunt jam revidere fores.
Et licet egregio videantur odore placere,
Plus ornant proprias te redeunte comas.

IX. *Ad eandem, cum ſe recluderet.*

MEns fœcunda Deo Radegundis, vita ſororum,
Quæ ut foveas animam membra domanda premis.
Annua vota colens hodie claudenda recurris,
Errabunt animi te repetendo mei.
Lumina quam citius noſtris abſcondis ocellis!
Nam ſine te nimium nocte premente gravor.
Omnibus excluſis uno retineberis antro,
Nam magis includis, quos facis eſſe foris.
Et licet hic lateas brevibus fugitiva diebus,

Longior hic menſis quam celer annus erit.
Tempora ſubducis ceu non videaris amanti,
Cum vos dum cerno, hoc mihi credo parum.
Sed tamen ex voto tecum veniemus in unum,
Et ſequor huc animo, quo vetat ire locus.
Hoc precor, incolumem referant te gaudia Paſchæ,
Et vobis pariter lux geminata redit.

X. *Ad eandem poſt reditum.*

UNde mihi rediit radianti lumine vultus!
Quæ nimis abſentem te tenuere moræ?
Abſtuleras tecum, revocas mea gaudia tecum,
Paſchalemque facis bis celebrare diem.
Quamvis incipiant modo ſurgere ſemina ſulcis,
Hic egomet hodie te revidendo meto.
Colligo jam fruges, placidos compono maniplos,
Quod ſolet Auguſtus menſis, Aprilis agit.
Et licet imprimis modo gemma & pampinus exit,
Jam meus autumnus venit & uva ſimul.
Malus & alta pyrus gratos modo fundit honores,
Sed cum flore novo jam mihi poma ferunt.
Quamvis nudus ager nullis oneretur ariſtis,
Omnia plena tamen te redeunte nitent.

XI. *Ad Gregorium pro infirmitate ſua.*

VEnit ad ægrotum medici vox alma Gregori,
Urbe ex Turonica dum cubo, rure, thoro.
Concite Presbytero recitante Leone ſereno,
Irem ut Martini ſunt ubi feſta pii.
Tum fateor morbi grave debilitate laborans,
Febre calens ſumma, jam rigor intus eram.
Hinc fragilis nimium forti languore redacto,
Viſcera laſſa levans, halitus æger erat.
Ibat anhelanti vapor aridus ora perurens,
Ibat ab arcanis flatibus aura coquens.
Fervor eram totus, triſtis rogus igne caminus,
Febris & in fibris ſtabat aperta patens.
Donec Chriſtus opem ſudore undante refudit,
Fervidus & gelidas ignis abegit aquas.
Reddita ſicque ſalus eſt, te pater alme ſaluto,
Auxilium exili ſis rogo paſtor ovi.

XII. *Item ad eumdem Epiſcopum.*

REpſit tale nefas intra pia ſepta ſynaxis,
Inconſulte dolor rumpere verba vetas.
Quale nec ante oculos, patulas neque polluit aures,
Nec facerent vitio qui ſua fana colunt.
Tu tamen, alme pater, pietatis amore labora,
Ut ſacer Antiſtes, culmina cujus habes.
Unde repræſentes Martinum in tempore ſacrum,
Curſibus atque fide dando ſalutis opem.

XIII. *Ad eumdem.*

ANtiſtes Domini, bone paſtor, & auctor honoris,
Rite decus generis, quo eſt generoſa fides,
Juſtinæ famulæ pietate memento beatæ,
Per te & commendes ſtirpe vel arce pater.
Hinc referens grates aviæ, quia reddita tandem,
Ad vultus neptis dulcis imago venit.
Iſta diu noſtris votis dans gaudia, rector,
Inter aviam & neptem tu mediator agas.

XIV. *Item ad ipſum Salutatorium.*

ALme beate pater, lumen generale Gregori,
Jure ſacerdotum culminis arce caput.
Reddo Deo grates de vobis proſpera noſcens,
Veſtris nunc ſcriptis lætificatus agens.
Me quoque commendans humili prece, voce ſaluto,
Jugiter officio quem mea corda colunt.

XV. *Ad ipſum Epiſcopum laus ejus generis.*

SUmme pater patriæ celſum & generale cacumen,
Forte decus, generis Turonicenſis apex,
Lumen ab Arvernis veniens feliciter arvis,
Qui illuſtrans populos ſpargeris ore pharus,
Alpibus ex illis properans meus altior ipſis,
Vir per plana ſedens qui pia caſtra regis.
Neu noceant hoſtes, qui ſunt in ovile fideli,
Unicus in campis publica turris ades.
Vir date dulce caput regioni chare Gregori,
Martini retinet quem ſacra ſella patrem.
Me Fortunatum humilem commendo patrono,
Sic tua vita diu hoc ſit in orbe Deo.

XVI. *Ad eumdem Commendatio ſui.*

SI qua mihi veniet quotiens occaſio dulcis,
Opto, ſacer, calamo ſolvere vota meo.
Summe pater patriæ, toto venerabilis orbe,
Undique chare mihi, fulgide, chare Deo.
Commendans humilem tibi me ſacer arce Gregori,
Pro famulo proprio quæſo precare Deum.

XVII. *Item ad ipſum Salutatorium.*

SI ceſſent homines velociter ire per auſtros,
Ad te chare pater carmina miſſa velim.
Nunc tamen eſt quoniam gerulus mihi, porrigo verbum,
Sed minus eloquio quam quod amore colo.
Dulcis opime decus noſtrum pie Papa Gregori,
Verſiculis brevibus ſolvo ſalutis opus.
Sed memor ipſe mei commenda quæſo Tonanti,
Sic te conſocium reddat honore throno.

XVIII. *Ad eumdem Epiſcopum Laudatio.*

GUrgitis in morem ſi lingua fluenta rigaret,
Turbine torrentis vel raperetur aquis,
Ad tua præcipue præconia ſumma Gregori,
Dum non explerem flumina, gutta forem.
Munificum patrem æquaret nec muſa Maronis,
Fers bone quanta mihi quis valet ore loqui?
Hac brevitate ſacer famulum commendo ſubactum
Me Fortunatum, ſit veniale precor.

XIX. *Ad ipſum pro villa præſtita.*

TRamite munifico celebravit pagina curſum,
Carmine dulcifluo quam tuus edit amor.
In qua ſorte loci facta eſt collatio doni,
Qua Vigenna procax littore frangit aquas.
Lapſibus & tumidis dum fertur nauta carinis,
Jugera culta videt quando celeuma canit.
Grates chare gero pietatis fruge repleto,
Qui facis unde decens multiplicetur apex.

His

His ſine nam mea ſunt a te quæcumque tenentur,
Grex abit omnis agris, quem bone paſtor habes.

XX. *Grates pro ipſo agro ad eumdem.*

MUnifici reparans Martini geſta Gregori,
Texit ut ille habitu, nos alis ipſe cibo.
Diſcipulus placidum ſapiens imitando magiſtrum,
Ille ubi dux reſidet, miles habebis opem.
Ut chlamydem ille prius, ſic tu partiris agellum:
Ille tegendo potens, tuque fovendo decens.
Ille inopem antiquum relevans, tu chare novellum,
Fit dives merito paupere quiſque ſuo.
Quando repoſcetur veſtris redit uſibus arvum,
Et domino proprio reſtituemus agrum.
Unde amplas refero grates, dulciſſime rector,
Et repeto pangens hæc tua, paſtor, ovis.
Nec tantum reddo, quantum tibi debeo præſul,
Pro Fortunato ſed rogo flecte Deum.

XXI. *Ad ipſum pro pellibus tranſmiſſis.*

EGregio compacta ſitu, phalerata rotatu,
Atque Sophocleo pagina fulta ſopho.
Me arentem veſtro madefecit opima rigatu,
Fecit & eloquio, quod loquor, eſſe tuo.
Dulcis, chare, decens, facunde, benigne Gregori,
Atque pater patriæ, hinc ſacer, inde care.
Muneribus, meritis, animis, & moribus æquis,
Omnibus officiis unde colaris habes.
Me Fortunatum tibi celſo ſterno puſillum,
Commendo & voto ſupplice rite tuum.
Cui das unde ſibi talaria miſſa ligentur,
Pellibus & niveis ſint ſola tecta pedis.
Pro quibus a Domino detur ſtola candida vobis,
Qui datis hoc minimis, unde feratis opem.

LIBER VIII.

I. *Ad Chilpericum Regem, quando Synodus Brinnaco habita eſt.*

ORdo ſacerdotum venerandaque culmina Chriſti,
Quos dedit alma fides relligione patres:
Parvulus opto loqui Regis præconia celſi,
Sublevet exigui carmina veſter amor.
Inclyte Rex armis & Regibus edite celſis,
Primus ab antiquis culmina prima regens,
Rector habens naſcendo decus, moderando ſed auges,
De radice patris flos generate potens.
Æquali ſerie vos nobilitando viciſſim,
Tu genus ornaſti, te genus ornat avi.
Excepiſti etenim fulgorem ab origine gentis,
Sed per te proavis ſplendor honore redit.
Te naſcente patri lux altera naſcitur orbi,
Nominis & radios ſpargis ubique novos.
Quæ profert oriens, Libyes, occaſus & arctos,
Quo pede non graderis, notus honore venis.
Quidquid habet mundus peragraſti nomine princeps,
Curris & illud iter, quod rota Solis agit.
Cognite jam Ponto & rubro pelagoque ſub Indo,
Tranſit & Oceanum fulgida fama tui.
Nomen ut hoc reſonet, non impedit aura nec unda,
Sic tibi cuncta ſimul terra vel aſtra favent.
Rex bonitate placens, decus altum, & nobile germen,
In quo tot procerum culmina culmen habent.
Auxilium patriæ, ſpes, & tutamen in armis,
Fida tuis virtus, inclytus atque vigor.
Chilperice potens, ſi interpres barbarus extet,
Adjutor fortis hoc quoque nomen habes.
Non fuit in vanum ſic te vocitare parentes,
Præſagum hoc totum laudis, & omen erat.
Jam tunc judicium præbebant tempora nato,
Dicta priora tamen dona ſequuta probant.
In te dulce caput patris omnis cura pependit,
Inter tot fratres ſic amor unus eras.
Agnoſcebat enim te jam meliora mereri,
Unde magis coluit, prætulit inde pater.
Præpoſuit genitor, cum plus dilexit alumnum,
Judicium Regis frangere nemo poteſt.
Auſpiciis magnis creviſti, maxime princeps,
Hinc in amore manens plebis, & inde patris.
Sed meritis tantis ſubito ſors invida rerum,
Perturbare parans regna quieta tibi,
Concutiens animos populorum & fœdera fratrum,
Lædere dum voluit, proſperitate favet.
Denique jam capiti valido pendente periclo,
Quando ferire habuit, reppulit hora necem.
Cum retinereris mortis circumdatus armis,
Eripuit gladio ſors, operante Deo.
Ductus ad extremum remeas de funere vitæ,
Ultima quæ fuerat, fit tibi prima dies.
Noxia dum cuperent hoſtes tibi bella parare,
Pro te pugnavit mortis in arma fides.
Proſpera judicium ſine te tua cauſa peregit,
Et rediit proprio celſa cathedra ſuo.
Rex bone, ne doleas; nam te fortuna querelis,
Unde fatigavit, hinc meliora dedit.
Aſpera tot tolerando diu modo læta ſequuntur,
Et per mœrores gaudia nata metis.
Multimodas per opes ſeminans tua regna reſumis,
Namque labore gravi creſcere magna ſolent.
Aſpera non nocuit, ſed ſors te dura probavit,
Unde gravabaris, celſior inde redis.
Altior aſſiduis creſcis, non frangeris armis,
Et belli artificem te labor ipſe facit.
Fortior efficeris per multa pericula princeps,
Ac per ſudores dona quietis habes.
Nil dolet amiſſum, te Rege ſuperſtite, mundus,
Cui ſe ſervarunt debita regna gradu.
Conſuluit domui, patriæ, populoque creator,
Quem gentes metuunt te ſupereſſe virum.
Ne ruat armatus per Gallica rura rebellis,
Nomine victoris hic es & ampla regis.
Quem Geta, Waſco tremunt, Danus, Scytha, Saxo, Britannus,
Cum patre quos pridem te domitaſſe patet.
Terror & extremis Friſonibus atque Suevis,
Qui neque bella parant, ſed tua fræna rogant.
Omnibus his datus es timor illo judice campo,
Et terrore novo factus es altus amor.
In te, rector, habet regio circumdata murum,
Ac levat excelſum ferrea porta caput.
Tu patriæ radias adamantina turris ab Auſtro,
Et ſcuto ſtabili publica vota tegis.
Neu gravet hæc aliquis, pia propugnacula tendis,
Ac regionis opes limite forte foves.
Quid de juſtitiæ referam moderamine princeps?
Quo male nemo redit, ſi bene juſta petit.
Cujus in ore probo menſuræ libra tenetur,
Rectaque cauſarum linea currit iter.

Nec mora fit, vero falſus nihil explicat error,
Judiciiſque tuis fraus fugit, ordo redit.
Quid quoſcumque etiam regni ditione gubernas,
Doctior ingenio vincis & ore loquax?
Diſcernens varias ſed nullo interprete voces,
Et generum linguas unica lingua refert.
Erigit exiguos tua munificentia cunctos,
Et quod das famulo, credis id eſſe tuum.
Qualiter hinc itidem tua ſe præconia tendunt,
Laudis & hoc cumulo concutit aſtra fragor.
Cui ſimul arma favent, & littera conſtat amore,
Hinc virtute potens, doctus, & inde placens.
Inter utrumque ſagax armis & jure probaris,
Belliger hinc radias, legifer inde micas.
De virtute pater, reparatur avunculus ore,
Doctrinæ ſtudio vincis & omne genus.
Regibus æqualis de carmine major haberis,
Dogmate vel qualis non fuit ante parens.
Te arma ferunt generi ſimilem, ſed littera præfert,
Sic veterum Regum par ſimul atque prior.
Admirande mihi nimium Rex, cujus opime
Prælia robur agit, carmina lima polit.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis,
Artis diverſæ ſic ſimul itur iter.
Diſcere ſi poſſit rector tua ſingula quiſquis,
Ornarent plures quæ bona ſolus agis.
Sed tamen hæc maneant & creſcant proſpera vobis,
Et liceat ſolio multiplicante frui:
Conjuge cum propria quæ regnum moribus ornat,
Principis & culmen participata regit.
Provida conſiliis, ſolers, cauta, utilis aulæ,
Ingenio pollens, munere larga placens.
Omnibus excellens meritis Fredegundis opima,
Atque ſerena ſuo fulget ab ore dies.
Regia magnanimis curarum pondera portans,
Te bonitate colens, utilitate juvans.
Qua pariter tecum moderante palatia creſcunt,
Cujus & auxilio floret honore domus.
Quærens unde viro duplicentur vota ſalutis,
Et tibi mercedem de Radegunde facit.
Quæ meritis propriis effulgens gloria Regis,
Et Regina ſuo facta corona viro.
Tempore ſub longo hæc te fructu prolis honoret,
Surgat & inde nepos, ut renoveris avus.
Ergo Creatori referatur gratia digne,
Et cole Rex Regem, qui tibi præbet opem.
Hoc ſervet cumuletque bonum, nam rector ab alto
Omnia ſolus habet, qui tibi multa dedit.
Da veniam, victor, tua me præconia vincunt,
Hoc quoque quod ſuperor, ſit tibi major honor.
Parvulus opto tamen ſic proſpera vota ſecundent,
Ut veniant terris hæc pia dona polis.
Aera temperie faveant tibi, tempora pace,
Frugibus arva micent, fœdera regna ligent.
Et domitos omnes tuearis amore fideles,
Sis quoque Catholicis relligionis apex.
Summus honor Regis, per quem donantur honores,
Cui longæva dies conſtet & alma fides.
Regibus aurum alii, aut gemmarum munera ſolvant,
De Fortunato paupere verba cape.

II. *Item ad Chilpericum Regem ac Fredegundem Reginam.*

ASpera conditio & ſors irrevocabilis horæ,
Quam generi humano triſtis origo dedit.
Cum ſuadens coluber projecit ab ore venenum,
Morſu ſerpentis mors fuit Eva nocens.
Sumpſit ab ipſo ex tunc Adam patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit.
Prævaricando duo probro damnantur acerbo,
Ille labore dolet, hæc generando gemit.
Mors venit inde vorax tranſmiſſa nepotibus ipſis,
Hæredeſque ſuos tollit origo nocens.
Ecce hoc triſte nefas nobis genuere parentes,
Cœperat unde prius; hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miſerando vulnere cæſus,
Ac fraterna ſibi ſarcula membra fodunt.
Poſt quoque Seth obiit ſub Abel vice redditus idem,
Et quamvis rediit, non ſine fine fuit.
Quid Noe memorem laudatum voce Tonantis?
Quem levis arca tulit, nunc gravis urna premit.
Quid Patriarcham Abraham, Iſaac, Jacob quoque dignos?
Cum de lege necis nemo ſolutus adeſt.
Melchiſedech etiam Domini ſacer ore ſacerdos,
Job quoque ſeu geniti ſic abiere ſui.
Legifer ipſe jacet Moyſes Aaronque ſacerdos,
Alloquiiſque Dei dignus amicus obit.
Succeſſorque ſuus populi dux inclytus Jeſus,
Quos legitis libris, occubuere patres.
Quid Gedeon, Samſon, vel quiſquis in ordine judex?
Mortem ſub Domino judice nemo fugit.
Iſraelita potens David Rex atque Poeta,
Eſt ſitus in tumulo cum Salomone ſuo.
Iſaias, Daniel, Samuel, Jonaſque beatus,
Vivens ſub pelago, ſtat modo preſſus humo.
Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus,
Quamvis celſæ animæ, corpora terra tegit.
Semine ab humano cum nullus major habetur,
Vir Baptiſta potens ipſe Joannes obit.
Enoch Heliaſque hoc adhuc ſpectat uterque:
Qui ſatus ex homine eſt & moriturus erit.
Ipſe Creator ovans ſurgens cito Chriſtus ab umbris,
Hic quia natus homo eſt, carne ſepultus humo.
Quis rogo non moritur, mortem guſtante ſalute,
Cum pro me voluit hic mea vita mori?
Dic mihi quod poterunt Auguſti aut culmina Regum,
Membra Creatoris cum jacuere petris?
Brachia non retrahunt fortes, neque purpura Reges,
Vir quicumque venit pulvere, pulvis erit.
Naſcimur æquales, morimurque æqualiter omnes,
Una ex Adam eſt mors, Chriſtus & una ſalus.
Diverſa eſt merces, funus tamen omnibus unum:
Infantes, juvenes, ſic abiere ſenes.
Ergo quid hic facimus, nunc te rogo celſa poteſtas,
Cum nihil auxilii poſſumus eſſe rei.
Ploramus, gemimus, ſed nec prodeſſe valemus,
Luctus adeſt oculis, eſt neque fructus opis.
Viſcera torquentur, lacerantur corda tumultu,
Sunt chari extincti, flendo cadunt oculi.
Ecce vocatur amor, neque jam revocatur amator,
Nos neque jam repetit, quem petra merſa tegit.
Quamvis clamantem refugit mors ſurda, nec audit,
Nec ſinit affectum dura redire pium.
Sed nolo atque volo, migrabo cum omnibus illuc,
Ibimus hinc omnes, nemo nec inde redit.
Donec in adventu Domini caro mortua vivat,
Surgat ut ex proprio pulvere rurſus homo.
Cœperit ut tegere arentes cutis uda favillas,
Et vivi cineres de tumulis ſalient.
Ibimus ergo omnes, alia regione locandi,
Ibimus ad patriam quos peregrina tenent.

Ne

Ne cruciere igitur, pie Rex, fortiſſime princeps,
Quod geniti pergunt, quo petit omnis homo.
Quale placet figulo vas fictile, tale paratur,
Quando placet figulo vaſa ſoluta ruunt.
Quod jubet Omnipotens non poſſumus eſſe rebelles,
Cujus ad intuitum ſidera, terra tremunt.
Ipſe creat hominem, quid dicere poſſumus? idem
Qui dedit & recipit, crimina nulla gerit.
Illius ecce ſumus figmentum, & ſpiritus inde eſt,
Cum jubet hinc imus qui ſumus ejus opus.
Si libeat, montes, freta, ſidera, mutat in hora,
Cui ſua facta favent, quid homo ſumus agit?
Rex precor ergo potens age quod tibi maxime proſit,
Quod prodeſt animæ cum Deitatis ope.
Eſto virile decus, patienter vince dolores,
Quod non vitatur, vel toleretur onus.
Quod trahimus naſcendo, ſine hoc non tranſigit ullus,
Quod nemo immutat vel ratione ferat.
Conſuleas dominæ Reginæ & amantis amatæ,
Quæ bona cuncta capit te ſociante ſibi.
Materno affectu placare jubeto dolentem,
Nec ſimul ipſe fleas, nec lacrimare ſinas.
Te regnante viro triſtem illam non decet eſſe,
Sed magis ex veſtro gaudeat alta throno.
Deprecor hoc etiam vitam amplam conjugis optans,
Conſuleas genitæ, conſuleas patriæ.
Talis erit populus, qualem te viderit omnis,
Deque tua facie plebs ſua vota metit.
Denique Job natos ſeptem uno triſte ſub ictu
Amittens, laudes retulit ore Deo.
David pſalmographus genitum cum amiſit amatum,
Mox tumulo poſuit, prandia feſta dedit.
Femina bis felix pia mater Machabæorum,
Natos ſeptem uno funere læta tulit;
Prompta addens, Domino ſemper tibi gloria, rector,
Cum vis ſumme pater pignora quiſquis habet.
Unde Deo potius referatur gratia noſtro,
Germine de veſtro qui facit ire polo.
Eligit & gemmas de mundi ſtercore pulcras,
De medioque luto ducit ad aſtra poli.
Meſſis veſtra Deo placuit, quam in horrea condit,
Cum ſpicis teneris dulcia grana metit.
Non paleas generas, frumenta ſed integra gignis,
Nec perdenda focis, ſed recreanda polis.
Præſertim qui ſic ſancto baptiſmate puri,
Hinc meruere rapi, fonte lavante novi.
Stantes ante Deum velut aurea vaſa decoris,
Aut quaſi candelabris pulcra lucerna nitens.
Immaculatæ animæ radiantes ſemper honore,
Vivorum retinent in regione locum.
Inque domo Domini plantati lumine vernant,
Candida ceu rubeis lilia mixta roſis.
Juſſerit & Dominus cum membra redire ſepulta,
Veſtivit genitos tunc ſtola pulcra tuos.
Aut candens palma rutilo contexta ſub auro,
Et variis gemmis frons diadema gerit.
Utentes niveam per candida pectora pallam,
Purpureamque togam fulgida zona ligat.
Tunc pater & genitrix mediis gaudebitis illis,
Cum inter ſidereos cernitis eſſe viros.
Eſt tamen Omnipotens, Abrahæ qui ſemen adauxit,
Vobis atque dabit, Job quod amore dedit.
Reſtituens numerum natorum germine digno,
Progeniemque refert nobilitante fide.
Qui ſolium in David Salomonis contulit ortum,
Pro vice germani cum redit ipſe patri.
Ille tibi poterit de conjuge reddere natum,
Cui pater alludat, ubere mater alat.
Qui medius veſtri reptans per colla parentum,
Regibus & patriæ gaudia longa paret.

III. *Ad eoſdem.*

Poſt tempeſtates & turbida nubila cæli,
Quo ſolet infeſto terra rigere gelu;
Poſt validas hiemes ac triſtia frigora brumæ,
Flamine ſeu rapidi rura gravante Noti,
Succedunt iterum vernalia tempora mundo,
Grataque poſt glaciem provocat aura diem.
Rurſus odoriferis renovantur floribus arva,
Frondibus arboreis & viret omne nemus.
Dulce ſoporatis curvantur robora pomis,
Et redeunte ſibi gramine ridet ager.
Sic quoque jam Domini poſt triſtia damna dolentes
Vos meliore animo lætificare precor.
Ecce dies placidi revocant Paſchalia Chriſti,
Orbs quoque totus item per nova vota fremit.
Gaudia plus faveant per celſa palatia Regum,
Et per vos famuli feſta beata colant.
Omnipotens nobis veſtram addat in orbe ſalutem,
Atque diu patriam culmina veſtra regant.

IV. *Epitaphium Clodoberti Regis.*

Flere monent populum crudelia funera Regum,
Cum caput orbis humo mœſta ſepulcra tegunt.
Hoc igitur tumulo recubans Clodobertus habetur,
Qui tria luſtra gerens raptus ab orbe fuit.
De proavo veniens Clodovæo celſa propago,
Clothariique nepos, Chilpericique genus.
Quem de Regina ſumpſit Fredegunde venuſta,
Auxerat & naſcens Francia vota puer.
Quem, patris & patriæ dum ſpes adoleſceret ampla,
Accelerante die ſors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi,
Non fleat ullus amor, quem modo cingit honor.
Nam puer innocuus, vivens ſine crimine, lapſus,
Perpetui regni ſe favet arce frui.

V. *Epitaphium Dagoberti Regis.*

Dulce caput populi Dagoberte, perennis amore,
Auxilium patriæ, ſpes puerilis obis.
Germine regali naſcens generoſus & infans,
Oſtenſus terris, mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Clodovæi gente potenti,
Egregio proavi germine, honore pari.
Legibus antiquis reſpondens nobilis infans,
Chilpericique patris vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox abluit unda lavacri,
Hinc licet arreptum lux tenet alta throno.
Vivis honore ergo, & cum judex venerit orbis,
Surrecturus eris fulgidus ore nitens.

VI. *Ad Gregorium pro metris Sapphicis.*

Pollente eloquio pervenit Epiſtola curſim,
Sed voluit voto tarda venire meo.
Nec tamen offendit, quamvis remorata requirit,
Quem tenet aſtrictum mente ligante virum.
Cum cupiam talem, qualis fuit ille Nazanzo,
Gregorium ut repares dogmate, ſede parens.
Quæ-

Quæque injunxiſti, pater ecce poemata miſi,
Et mihi proficient, ſi tibi chare placent.
Hoc mandas etiam quo Sapphica metra remittam,
Da veniam, modici dum ſeges urget agri.
Dum meto, da ſpatium, tibi mox parere parabo,
Si ſaturer fructu, fors meliora cano.
Pondere ſi valeo, cum metro mitto libellum,
Quæ cape tu voto, quo tibi diçat amor.

VII. *Ad eundem Epiſcopum Gregorium metrum, quod pollicitus eſt, Sapphicum.*

CORde jucundo, calamo venuſto,
Litteras mittis cupiente voto,
Blanda conſcribens famina ſalutis,
Chare Gregori.
Exigens nuper nova me movere
Metra, quæ Sappho cecinit decenter,
Dic Dioneos memorans amores,
Docta puella.
Pindarus Graius, meus inde Flaccus
Sapphico metro modulante plectro,
Molliter pangens cythariſta blando
Carmine luſit.
Cur mihi injungis lyricas melodas?
Voce qui rauca modo vix ſuſurro,
Eloqui cordis mea dextra neſçit,
Pollice dulci.
Qui, vel hæc olim mihi ſi fuiſſent
Nota prudentum docili camœna,
Per tot oblitus fueram benignam
Tempora Muſam.
Cum labor doctis ſit, ut iſta pangant,
Dogma nec quiſquam ſapienter intrat,
Et ſatis conſtet reſonare paucis
Metra Poetis.
Non leve eſt nautæ rate transfretare,
Vincere aut vaſtum pelagus natatu,
Vix procelloſo repetunt ſub Auſtro
Carbaſa portum.
Arduum nobis iter, & profundum,
Quo jubes pergi tamen ibo votis,
Si minus poſſim pedibus viare,
Ducor amore.
Præſtitit, paſtor, tua jam voluntas,
Codicem farſum tumido cothurno,
Quemque paupertas mea vix valebat
Tangere ſenſu.
Regiis verbis humilis repugnat,
Divites verſus inopi recuſans,
Et mihi Mopſo reſerare nolens,
Docta Sophiſtis.
Diſputans multum variante melo,
Quæque ſunt rythmis vel amica metris,
Sapphici quantum Tomi arva adornent,
Dulcis epodus.
Multus auctorum numerus habetur,
Plura dicentum modulo canoro,
Quæ volens iſto memorare metro,
Nomina fingo.
Maxime, qui nunc reſolutus arte,
Poſtque bis denos loquor iſtud annos,
Clara quod ſcripſit cytharam terendo
Lesbia virgo.
Scire qui vult hæc, Libycas arenas,
Ante per littus numerare tendat,
Cuncta quam metri ratione cauta
Carmina cingat.
Nam moras feci remoratus ipſe,
Pluribus cauſis modo hinc & inde,
Nec vacans legi placida quiete
Dulce Sophiſtæ.
Scito nam paſtor, nec adhuc cucurri,
Ordinem totum relegens libelli,
Sed ſatis crede, ſatis eſt amanti
Sola voluntas.
Ergo laxatus celeri volatu,
Ad patrem ſacrum comitante voto,
Et ſi nunc noſtrum renovas amorem,
Perge libelle.
Forte non poſſum piger ire greſſu,
Quo vocat blandus meus ille vultus,
Invicem noſtram rogo te, libelle,
Redde ſalutem.
Sit memor fili pater ore dulci,
Hunc precans qui nos, mare, & aſtra fecit,
Ac piis votis bene ſe colentem
Pectore ſervet.
Fæminæ caræ ſibi mente nexæ,
Quem colunt Agnes, Redegundes idem,
Sicut expoſcunt vice filiarum,
Solve ſalutem.
Adde Juſtinam pariter precantem,
Nempe commendans famulam propinquam,
Et refer quantum ſibi chara profert
Neptis honorem.
Hæc tibi promptus prece, voce, mente,
Solvo vix implens ego pauper arte,
Sed tamen largo refluens amore,
Care Gregori.

VIII. *Ad Baudoaldum Epiſcopum.*

SUmme Sacerdotum bonitatis opima facultas,
Culmen honore tuo, lumen amore meo.
Officiis venerande ſacris, pietatis alumne,
Pignore amicitiæ corde tenende meo,
Florens in ſtudiis, & ſacra in lege fidelis,
Semper agens animæ dona futura tuæ.
Te pater ergo precans terram, freta, ſidera teſtor,
Ut velis ore ſacro me memoraſſe tuum.

IX. *Ad Sidonium Epiſcopum Moguntiacenſem.*

REddita ne doleas felix Moguntia caſus,
Antiſtes rediit qui tibi ferret opem.
Ne mœrore gravi lacrimans orbata jaceres,
Hunc gaude pulsa te meruiſſe fame.
Porrigit ecce manum genitor Sidonius urbi,
Quo renovante locum priſca ruina petit.
Jura ſacerdotii placido moderamine ſervans,
Per cujus ſtudium crevit & ipſe gradus.
Parturis aſſidue gravidos per ſecula fructus,
Quamvis Apoſtolico junctus amore regis.
Suſcipit hæredem cæleſti germine natum,
Tali nupta viro quando marita placet.
Te vigili cuſtode lupus non diripit agnos,
Te paſcente gregem non ovis ulla perit.
Cautius in toto per mitia paſcua ducis,
Toxica ne noceant, florea rura paras.
Sis cibus ut populi, placide jejunia ſervas,
Et ſatias alios, ſubtrahis unde tibi.

Nudos veſte tegis, captivis vincula ſolvis,
Depoſito reddens libera colla jugo.
Exulibus domus es, es eſurientibus eſca,
Felix, cui Chriſtus debitor inde manet.
Te doctrina probum, providentia ſacra modeſtum
Fecit, & eloquio vincere mella tuo:
Templa vetuſta novans ſpecioſo fulta decore,
Inferis hinc populis plus in amore Deum.
Ut plebem foveas, Rheni tibi convenit amnis,
Quid referat terris, qui bona præbet aquis?
Hæc quoque fama micat, tu inſtauras omne, quod extat,
Vivis in æternum laude fluente tibi.
Hac vivas longos meritorum fruge per annos,
Et creſcente diu de grege vota feras.

X. *Ad Ragnemundum Epiſcopum.*

SUmme pater patriæ, dulci mihi famine fulges,
Interiora mei cordis amore tenens.
Quidquid amicitiæ veteris collegimus ambo,
Creſcit in affectum ſemper, opime, meum.
Nam mihi nulla meos oblivio tollit amores,
Ante ſit extremum, quam mihi deſit amor.
Unde, beate pater, properans dependo ſalutem,
Optans longinquo te ſupereſſe gradu.
Hinc etiam ingentes reddo tibi pectore grates,
Munere pro niveo marmore cum Pario.
Quæ quotiens epulæ diſco tribuuntur in illo,
In doni ſpecie te pietate vident.
Nam pro gemmarum ſerie tibi reddat honorem,
Cui data proficiunt, crux veneranda throno.

XI. *Ad Droctoveum Abbatem.*

VIr venerande, ſacer meritis, & honore colende,
Droctovee mihi ſemper amore pater,
Qui de diſcipulis Germani rite beati,
Norma magiſterii factus es ipſe ſui.
Cujus Pontificis ſacra per veſtigia currens,
Deſpicis hunc mundum, ſed cupis ire polo.
Perge libenter iter cæli manſurus in orbe,
Et pro me famulo quæſo precare Deum.

XII. *Ad Faramondum familiarem Regis.*

DUlcis amice mihi, memorabile nomen amantis,
Promptus in officiis vir Faramonde bonis.
Si non ipſe adii, te pagina miſſa ſalutet,
Solvat & obſequium, quod minus ipſe gero.
Commendeſque libens dominis me Regibus oro,
Et referas grates pro pietatis ope.
Impenſo affectu me pagina veſtra requirat,
Hoc remeante tamen redde, benigne, vicem.

XIII. *Ad Lupum & Valdonem Diaconos.*

COrde parentali jugi pietate colendi,
Hinc Lupe blande mihi, Valdo vel inde ſacer:
Ut bonitate pares, ſimul eſtis honore miniſtri,
Sic mihi conſimiles ſemper amore pari.
Quod valeo, facio, abſens vel dependo ſalutem,
Si non poſſum oculis, vos peto litterulis.

Pontifici ſummo nos commendare precamur,
Regibus & dominis ferte ſalutis opes.
Droctoveo dulci clero & concivibus oro,
Quod præſens facerem, vos adhibete vicem.
Mummulus egregius veneretur, Cæſariuſque,
Et Conſtantino me memorate meo.

XIV. *In Sancti Laurentii laudem ac reſtaurationem Baſilicæ.*

LAurenti merito flammis vitalibus uſte,
Qui fervente fide victor ab igne redis,
Vir dilecte Deo, terreno in corpore quondam,
Tunc quoque ſidereus jam tibi ſenſus erat.
Qui potuiſti oculos tactu revocare ſepultos,
Rurſus & in vacua fronte referre diem.
Luminis extinctas iterum accendiſſe lucernas
Credimus hæc ſigno te faciente crucis.
Addita nunc etiam populis miracula præſtas,
Ut fidei tribuas indubitanter opem.
Dum tua templa novant breviori robore plebes,
Creveruntque trabes, crevit & alma fides.
Stipite contracto tua ſe mercede tetendit,
Quantum parva prius, poſtea cæſa fuit.
Creſcere plus meruit ſucciſa ſecuribus arbor,
Et didicit ſicca longior eſſe coma.
Unde reciſa fuit, populis fert inde ſalutem,
Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.
Tu Levita ſacer, pœna purgate fideli,
Unde prius flammas, hinc modo lumen habes.
His ita temporibus venerandi Antiſtitis acta,
Sed tamen æterno ſunt memoranda die.

XV. *De domo lignea.*

CEde parum paries lapidum conſtructe metallo,
Artificis merito præfero ligna tibi.
Æthera mole ſua tabulata palatia pulſant,
Quo neque prima paret conſolidante manu.
Quidquid ſaxa, ſablum, calxque argilla tuentur,
Singula ſilva favens ædificavit opus.
Altior, & mitis, quadrataque porticus ambit,
Et ſculpturata luſit in arte faber.

XVI. *Ad Chrodinum Ducem Italiæ.*

INclyte Dux meritis totum vulgate per orbem,
Quem nimis egregium ſplendida fama refert.
Non ego prætercam præconia celſa, Chrodine,
Ne videar ſolus magna ſilere bonis.
Itala terra tibi pariter Germania plaudunt,
Laus tua cunctorum ſemper in ore ſonat.
Clarus ab antiquis digno generoſior ortu,
Regibus & patriæ qui placiturus eras.
Tutoremque alii nutritoremque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.
Ut habeant alii, nulli tua dona recuſas,
Tu tibi plus auges, quas bene fundis opes.
Cui poſſis præſtare libens exquiris & optas,
Ut ſis apud cunctos, hoc facis eſſe tuos.
Es generale bonum, nullis gravis, omnibus æquus,
Juſtitiæ ſocium nulla rapina tenet.
Mitis in alloquio, placidus, gratuſque, modeſtus,

Omnia

Omnia cui data ſunt, ut decus omne geras.
Gentibus aſtrictus, Romanis carus haberis,
Felix qui populis ſemper in ore manes.

LIBER IX.

I. *De Oratorio Artannenſi.*

QUiſquis ad hæc properas venerandi limina templi,
Dona precaturus quæ dat amore Deus.
Hæc in honore ſacri Gabrielis culta coruſcant,
Qui pia juſſa Dei rite miniſter agit.
Zachariæ veniens qui nuntia detulit aſtris,
Eliſabeth datus eſt quando Propheta potens.
Quique redemptorem cælo Regem omnipotentem,
Poſt ait, ut terris ventre Maria daret.
Quæ ſacer Antiſtes nova tecta Gregorius effert,
Ut ſibi cæleſtes reſtituantur opes.

II. *Ad Eccleſiam Turonicam, quæ per Gregorium Epiſcopum renovata eſt.*

EMicat altithroni cultu venerabile templum,
Egregium meritis, nobilis arci apex.
Qua propria tunica dum operit Martinus egentem,
Geſtorum ſerie fulgida ſigna dedit.
Nam idem Antiſtes ſacra dum myſteria tractat,
Lumina gemmarum eſt viſus habere manu.
Ac de veſte fuit quantum ſua dextera nuda,
Tantum membra ſibi gemma coruſca tegit.
Sanctus item Domini almum dum benediceret altar,
De capite eſt viſus flammeus ire globus.
Quæ modo templa ſacer renovata Gregorius offert,
Et rediit priſcus cultus honorque ſuus.
Fulgida præcipui nituerunt culmina templi,
Poſtque uſus veteres præmicat aula rudis.
In ſenium vergens melius revireſcere diſcens,
Diruta poſt caſus, firmius acta ſitu.
Martini auxiliis operando Gregorius idem,
Reddidit iſte novus quo fuit ille vetus.

III. *Item de eadem re.*

CLara ſupercilio Domini delubra niteſcunt,
Alma licet merito, ſunt quoque celſa jugo.
Invida ſubruerat quam funditus ipſa vetuſtas,
Ut paries liquidis forte ſolutus aquis.
Quam paſtor ſtuduit renovare Gregorius ædem,
Nec cecidiſſe dolet, quæ magis aucta favet.

IV. *Ubi Martinus pauperem parte Chlamydis veſtivit.*

AMbianis tremulum cernens Martinus egenum,
Dimidiæ chlamydis mox ope membra tegit.
Sed coram Angelicis turmis ſe hanc nocte ſilenti
Pauperis in ſpecie Chriſtus habere tulit.
O ſacer Antiſtes meritis referende ſub aſtris,
Unde tegis nudum, hinc tua palla Deum.

V. *Ubi leproſum oſculo purgavit.*

INter opima Deus figulus quæ vaſcula fecit,
Martinus meritis vas in honore nitet.
Leproſi maculas pretioſa per oſcula purgans,
Cui quod ab ore dedit, pax, medicina fuit.
Ulcera morboſi curans ſic fauce beatus,
Quod Jordanis agit, tracta ſaliva facit.

VI. *Ubi catechumenum a morte ſuſcitavit.*

QUam generoſa fides Martini in ſecula civis,
Qui quocumque fuit, mors ibi perdit iter.
Denique dum extincto catechumenus ore jaceret,
Se ſuper extendens effugat arma necis.
Sic viduæ genito laqueato deinde reducto,
Eſt vir ubi iſte Dei, non licet ire mori.

VII. *Ubi pinum ſuccidere fecit.*

FAnaticam pinum Sanctus ſuccidere cogens,
Juſtum ibi ſuppoſuit ruſtica turba premi.
Cæſa ſecuri arbor cum jam daret alta ruinam,
Ad crucis imperium eſt ire coacta retro.
Quis vigor hic fidei? validæ dum pondera pini,
Quo natura negat, crux facit ire viam.

VIII. *Ubi puerum a ſerpente percuſſum curavit.*

SErpentis morſu tumidum ſuprema regentem,
Hic digitum ut poſuit, peſtis iniqua fluit.
Collecto morbo huc & ab ulcere pollice tracto,
Dumque venena cadunt, erigit ille caput.
Unguentumque novum digitis traxiſſe venenum,
Et tactu artificis ſic ſuperaſſe neces.

IX. *Ubi falſæ religionis ſolvit errorem.*

CUm latro extinctus falſo coleretur honore,
Voce hac Martini cogitur umbra loqui.
Publice ſe referens ſcelerum pro mole peremptum,
Se quoque nec juſtum, ſed magis eſſe reum.
O vox ſancta loqui defuncta cadavera cogens,
Cui poſt fata jacens dat ſua verba cinis!

X. *Ubi viperam a littore retroire coegit.*

PErgeret in fluvium dum vipera lapſa natatu,
Et prope littorei tangeret ora ſoli,
Martini imperio liquidas revocatur ad undas,
Tranſactumque viæ laſſa recurrit iter.
Quantus amor Domini tali ſub corde calebat,
Quando venena poteus ipſa retorquet aquis!

XI. *Ubi epiſtola Sancti Martini a febre curantur multi.*

MArtini meritis aliis quoque febre crematis,
Sudores refluos pagina ſicca dabat.
Unde ſalutifero medicamine charta fovebat,
Atque graves ignes littera tingit aquis.

Peſtis

Peſtis abeſt cunctis hujus ſermone rigatis,
Febre ubi ſuccenſis fons ſuus ibat apex.

XII. *De Reſtauratione templi a* Gregorio *Epiſcopo facta*.

ALme Deus rerum, pie, ſumme, Gregorius arcis,
Tu cui das ſedem, dat tibi templa ſacer.
Nam veteri fuerant hæc funditus eruta lapſu,
Tecta labore novo, quæ modo culta cluunt.
Jure poteſtatis cui tu bone conditor orbis
Hæc danti in terris culmina redde polis.
Victa vetuſtatis per tempora culminis arcta
Diruit, ut melior ſurgeret aula ſolo.
Quo ſacra Martinus Domini myſteria tractans,
A capite igniferum miſit in aſtra globum.
Ne tamen ipſa ruens miſerando fine jaceret,
Pontificem meruit, qui ſibi ferret opem.
Quæ rediviva micans inſtante labore Gregori,
Decidua in ſenio floret honore novo.
Fundamenta igitur reparans hæc priſca Sacerdos
Extulit egregius quam ruuere prius.
Nunc placet aula decens patulis oculata feneſtris,
Quo noctis tenebris clauditur arce dies.
Lucidius fabricam picturæ pompa perornat,
Ductaque quæ fucis vivere membra putes.

XIII. *De Leproſo curato*.

PAnnonia æſtivum miſit tibi, Gallia, fructum,
Gignens cæleſtem terra maligna dapem.
Martinum illuſtrem meritis, qui munere divo
Culmen in ætheria ſede ſenator habet.
Qui lepræ maculas medicata per oſcula purgat,
Curat & infectum pura ſaliva virum.
Ad fluvium Domini, cui non fuit ille labore,]
Quod Jordanis habet, Sanctus ab ore dedit.
Qui ſacer ipſe mihi, te paſtor agente Gregori,
Fortunato adimat tot maculoſa reo.

XIV. *De diviſione Chlamydis*.

DUm chlamydem Martinus inops diviſit egeno,
Chriſtus ea memorat ſe bene veſte tegi.
Dives paupertas, Dominum quæ texit amictu,
Cui Deus occurrit, qui dedit aſtra faber.

XV. *De tunica pauperi data*.

NOſcere qui mavis Martini geſta beati,
Hic poteris breviter diſcere mira viri.
Denique cum tunicam ſacer ipſe dediſſet egenti,
Ac ſibi pars tunicæ reddita parva foret,
Quod non texerunt manicæ per brachia curtæ,
Viſa tegi gemmis eſt manus illa viri.
O nimium felix, cui contigit in vice lanæ
Nobilium lapidum lumine membra tegi!
Ut cum adhuc cinere aſperſus foret atque favillis,
Artifice Angelico gemmeus iret homo.

XVI. *De mortuis reſuſcitatis*.

QUid Deus in famulis operetur opimus amator,
Martini geſtis magna probare potes.
Ducere qui meruit de morte cadavera vitæ,
Rettulit atque diem, reppulit unde necem.

XVII. *De ſucciſione pinus*.

DUm caderet Martinum arbor preſſura beatum,
Mox facit ipſe crucem, pinus abacta redit.
Quis non virtuti divinæ commodet aurem,
Dum trabe conversa dant quoque ligna fugam?

XVIII. *De ruina Idolorum*.

IDola cum cuperet Martinus ſternere fulta,
Conterit hæc cælis magna columna ruens.
Auxilium ad juſti dignando militat æther;
Quanta fides cujus currit ad arma polus!

XIX. *De falſo Martyre*.

FOrte colebatur dum quis pro martyre latro,
Martini adventu ſe probat eſſe reum.
Virtutis merito fidei radiante coruſco,
Nec tacet extincti, nec latet umbra rei.

XX. *Ad Childobertum Regem & Brunechildem Reginam: de natali Sancti Martini*.

PRæcelſis dominis famulus nunc corde puſillus,
Proſpera ſint vobis ceu cupio ex animo.
Ecce ſupervenit venerandi in ſecula civis
Martini meritis luce perenne dies.
Qui modo de Gallis totum miro occupat orbem,
Et virtus pergit, quo pede nemo valet.
Qui velut alta pharus lumen pertendit ad Indos,
Quem Hiſpanus, Morus, Perſa, Britannus amat.
Hunc oriens, occaſus habet, hunc Africa, & Arctos,
Martini decus eſt, quæ loca mundus habet.
Quique per Oceani diſcurrit marginis undas,
Omnibus ut præſtet circuit orbis iter.
Per cinerem aſcendens, per dura cilicia cælos,
Stat modo gemmatus pauper in orbe prius.
Quo Patriarcharum decus eſt, radiantque Prophetæ,
Quo eſt ſacra turba ſenum bis duodena patrum.
Inter Apoſtolicum numerum rutilante Senatu,
Quo ſedet ipſe throno Rex ſibi Chriſtus amor.
Quo excellit cum clave Petrus, cum dogmate Paulus,
Fulget & in reliquis palma, corona, fides.
Quo loca Martyribus vernanti lumine florent,
Atque libro vitæ eſt ſcriptus honore cruor.
Quo Confeſſores gemmata palatia complent,
Æternumque tenent aurea tecta diem.
Stat quoque poſt lacrimas, ubi nunc Radegundis opima,
Forſan & Eugenia hanc tenet illa manum.
Hos inter Martinus habet diademata pulcher,
Atque ſacris lumbis fulgida zona viret.
Cantat & egregios Chriſti de morte triumphos,
Atque reſurgenti plaudit amore Deo.
Hunc quoque Martinum colitis, quem regna patronum,

Vos hunc in terris, vos memor ille polis.
Vos intra Angelicas turmas canat ille ſub aſtris,
Cui vos ante homines ſertis honore diem.
Nomina veſtra legat Patriarchis atque Prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.
Reddat Apoſtolicos proceres reliquoſque patronos,
Quem vos hic colitis, vel pia feſta datis.
Pergat & ad Chriſtum pro vobis ille precator,
Cui vos in templis vota precando datis.
Ante poli referat ſua hæc ſolemnia Regem,
Dentur ut hinc vobis regna ſalutis opes.
Deputet & Dominus veſtrum hunc eſſe patronum,
Ut modo qui colitur, vos colat hujus opus.
Qui dedit hic habitans miracula plurima terris,
Diſtribuat vobis hic quoque mira potens.
Cujus gemmata eſt tunc dextera viſa beati,
Vos ſimul & veſtros protegat illa manus.
Qui tunc promeruit revocare cadavera vitæ,
Hic quoque pro veſtra dona ſalute ferat.
Qui percuſſo homini abſtraxit de carne venenum,
Noxia de vobis ipſe venena vetet.
Qui ſerpentis iter fecit revocare retrorſum,
Ipſe graves caſus hinc agat ire retro.
Qui virtute domum ſalvam dedit eſſe fruenti,
Hæc domus incolumis floreat hujus ope.
Cujus opima chlamys tremebundum texit egenum,
Ejus Apoſtolici vos tegat ala viri.
Qui viduæ matri revocavit ad ubera natum,
Ipſe tibi hæc tribuat pignora mater, ava.
Ut Childebertus maneat cum prole novella,
Rex ſua regna tenens & nova regna trahens.
De genita ut videas genitrix ut dulcius optas,
Deque nuru cara quod tua vota rogant.
Unde hic felices habeant ſua feſta fideles,
Et Domini famuli ſitis honoris apex.
Quem tibi plus libeat Brunichildis habere patronum,
Quando domum Dominus ſervat in orbe pius.
Sic quoque te erudiat, regat, & ſic tramite ducat
Actibus ipſa piis, ut ſibi juncta mices.

XXI. *Ad eoſdem.*

SI præſtaretur præconia pandere Regum,
Non mihi ſufficeret nocte dieque loqui.
Qualiter hic populus dominorum pendet amore,
Et veſtris oculis lumina fixa tenet.
Vos quibus & ſpeculum, & lux, & dulcedo manetis,
Charum ornamentum, his ſimul eſtis honos.
Præcipuum donum placidum & placabile regnum,
Eſt veſtro in ſtatu culmen in orbe pium.
Hiſque parentela & patria & tutela coruſcat,
Hic decus atque gradus, hic pietatis opus.
Hic tranquilla dies, hic ſpes jucunda fideli,
Poſtque Deum in vobis dona ſalutis habent.
Hic ego cum populo mea vota & gaudia jungo,
Quæ pius amplificans creſcere Chriſtus agat.
Præſtet cura Dei vos longa in ſede tueri,
Cæleſti ac dono regna tenere diu.
Adquiratis adhuc nova, vel poſſeſſa regatis,
Ac pie participes has foveatis opes.
Ut tibi quæ floret de nato & germine, meſſem
Maturam videas mater honore micans.
Ex genito ſic ut genitiſque nepotibus amplis
Altera progenies inclyta detur avæ.
De Childeberti dulcedine, flore, ſalute,
Fructum habeas genitrix, plebs ſua vota videns.
De nata atque nuru cumulet tibi dona Creator,
Cumque pio merito ſtes placitura Deo.
Hic merear rediens vobis dare verba ſalutis,
Congaudens dominis parvulus ipſe piis.
Proſpera ſint Regum, populorum gaudia creſcant,
Exultet regio, ſtet honor iſte diu.

XXII. *De Navigio ſuo.*

REgibus occurrens ubi Mettica mœnia pollent,
Viſus & a dominis ipſe retentor equo.
Muſellam hinc jubeor percurrere navita remo,
Accelerans tremulis pergere lapſus aquis.
Aſcendenique ratem gracili trabe nauta cucurri,
Nec compulſa Notis prora volabat aquis.
Interea locus eſt per ſaxa latentia ripis,
Littore conſtricto plus levat unda caput.
Huc proram implicitam rapuit celer impetus actam,
Nam prope jam tumidas ventre bibebat aquas.
Ereptum libuit patulos me cernere campos,
Et fugiens pelagus, ruris amœna peto.
Gurgite ſuſcipior ſubter quoque fluminis Ornæ,
Quo duplicata fluens unda ſecundat iter.
Inde per excluſas cauta rate pergimus undas,
Ne veluti piſcem me quoque naſſa levet.
Inter villarum fumantia culmina ripis
Pervenio, qua ſe volvere Sura valet.
Inde per extantes colles & concava vallis,
Ad Suram pronis labitur amnis aquis.
Perducor Trevirum qua mœnia celſa pateſcunt,
Urbs quoque nobilium nobilis æque caput.
Ducimur hinc fluvio, quo culmina priſca ſenatus,
Quo patet indiciis ipſa ruina potens.
Undique proſpicimus minitantes vertice montes,
Nubila quo penetrans ſurgit acuta ſilex.
Qua celſos ſcopulos prærupta cacumina tendunt,
Hiſpidus & tumulis creſcit ad aſtra lapis.
Nec vacat hic rigidis ſine fructibus eſſe lapillis,
Denique parturiunt, ſaxaque vina fluunt.
Palmite veſtitos hic reſpicis undique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.
Cautibus inſertæ denſantur in ordine vites,
Atque ſupercilium regula picta petit.
Culta nitent inter horrentia ſaxa colonis,
In pallore petræ vitis amœna rubet.
Aſpera mellitos pariunt ibi ſaxa racemos,
Et cote in ſterili fertilis uva placet.
Quo vineta jugo calvo ſub monte comantur,
Et tegit umbroſus ſicca metalla viror.
Inde coloratas decerpit vinitor uvas,
Rupibus appenſus pendet & ipſe legens.
Delicias oculis habui dapibuſque cibatus,
Hæc jucunda tenens navita regna ſequens.
Hinc quoque ducor aquis, qua ſe rate Contrua complet,
Quo fuit antiquum nobilitate caput.
Tum venio qua ſe duo flumina conflua jungunt,
Hinc Rhenus ſpumans, inde Muſella ferax.
Omne per illud iter ſervibant piſcibus undæ,
Regibus & dominis copia ſervet aquis.
Ne tamen ulla mihi dulcedo deeſſet eunti,
Paſcebar muſis aure bibente melos.
Vocibus excuſſis pulſabant organa montes,
Reddebantque ſuos pendula ſaxa tropos.
Laxabat placidos mox ærea tela ſuſurros,

Reſ-

Reſpondit cannis rurſus ab alpe frutex.
Nunc tremulo fremitu, modo plano muſica cantu,
Talis rupe ſonat, qualis ab ære meat.
Carmina diviſas jungunt dulcedine ripas,
Collibus & fluviis vox erat una tropis.
Quo recreet populum, hoc exquirit gratia regum,
Invenit & ſemper quo ſua cura jubet.
Antonnacenſis caſtelli promptus ad arces,
Inde per accedens ſarcina pergo ratis.
Sint licet hic ſpatiis vineta in collibus amplis,
Altera pars plani fertilis extat agri.
Plus tamen illa loci ſpecioſi copia pollet,
Alter quod populis fructus habetur aquis.
Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ,
Ac menſæ officio prandia feſta colunt,
Retibus inſpiciunt quo ſalmo faſce levatur,
Et numerat piſces cum ſit in arce ſedens.
Rex favet, immenſa reſilit dum piſcis ab unda,
Atque animos reficit quod ſua præda venit.
Illuc fauſta videns, huc læta palatia reddens,
Paſcens ante oculis, poſt ſovet ipſe cibis.
Præſentatur item Rheni ſimul advena civis,
Turbaque, quo reſidens gratificatur edens.
Iſta diu dominis ſpectacula plurima præſtent,
Et populis dulces detis habere dies.
Vultibus ex placidis tribuatis gaudia cunctis,
Veſter & ex veſtris lætificetur apex.

XXIII. *De oratorio Artannenſi.*

MAgna beatorum retinet hæc terra talenta:
Divinis opibus dives habetur humus.
Pars dextra Angelico Gabrielis honore coruſcat,
Gaudia qui mundo detulit ore ſacro.
Quando æternalem concepit virgo ſalutem,
Dona Redemptoris nuncius iſte ferens.
Læva eſt parte lapis tumuli, quem corpore Chriſtus
Preſſit morte brevi victor eundo patri.
Hic quoque relliquiis micat ille Gregorius almis,
Qui probus igne redit, nec pice merſus obit.
Sunt etiam Coſmas, Damianus, & ipſe ſalubres
Non ferro artifices, ſed medicante fide.
Aſt Julianus item gladio jugulatus amico,
Plebs quem Arverna colens arma ſalutis habet.
Martinuſque ſacer, retinet quem Gallicus orbis,
Cujus Chriſtum operit dimidiata chlamys.
Se tunica ſpolians nudum qui veſtit egenum,
Unde datæ ſibi ſunt alba, topazus, onyx.
Quæ meruere aliqui hoc in corpore cernere Sancti,
Gemmarumque ſonus quod patefecit opus.
Additur hic meritis cum nomine victor opimis,
Munere martyrii qui tenet alta poli.
Hic veteris virtute viri nova palma Niceti,
Urbem Lugdunum qui ſovet ore ſinu.
Horum paſtor opem corde, ore Gregorius ornat,
Vivat ut altithrono vir ſine fine Deo.

XXIV. *In menſa villæ ſancti Martini ante deſcriptores.*

CUm videam cytharæ cantare loquacia ligna,
Dulcibus & chordis admodulare lyram;
Quo placido cantu reſonare videntur & æra,
Mulceat atque aures fiſtula blanda tropis.
Quamvis hic ſtupidus habear conviva receptus,
Et mea vult aliquid fiſtula muta loqui.
Ecce dies in quo ſurrexit Chriſtus ab Imo,
Legis Avernalis rumpere vincla potens.
Quando & vinctorum lacrymantia millia ſolvit,
Et revomunt multos Tartara fracta viros.
Additur hic aliud, quod Martini aula beati
Emicat, hæc ubi nunc prandia feſta fluunt.
Qui valuit geſtis aures pulſare Tonantis,
Obtinet & meritis quod petit alma fides.
Qui pie reſtituit defuncta cadavera vitæ,
Atque Dei prompte præbet amicus opem.
Cui ſucceſſor ovans modo rite Gregorius extans,
Ille quod adquirit, hic regit ore, fide.
Qui rogat hic præſens, alibi licet inſidet abſens,
Exhibet atque cibos paſtor in orbe bonus.
Hunc igitur celebrate diem ſolemniter omnes,
Quos Deus omnipotens hic dedit eſſe pares.
Quos ſibi Martinus collegit amore benignus,
Et facit ecce eſcas hic epulare ſuas.
Ergo ſub incolumi Childeberto ac Brunichilde,
Quos tribuit celſos regna fovere Deus,
Vos quoque miſerunt populum moderare fidelem,
Et relevare inopes, ſiquis & extat egens.
Ac bona de dominis noſcendo & agendo benigna,
Sint quoque lætitiæ pabula veſtra fide.
Quos invitavit Martini menſa beati,
Sumite gaudentes quod dat amore dies.
Quæ bonus Antiſtes naſcendo Gregorius expers
Plaudat, & hæc populis gaudia veſtra canat.
Omnia tranquilla diſponens tempora pace,
Cum Rege & populos ut tegat arce Deus.

XXV. *Pro puella a judicibus capta: Ad Gregorium Epiſcopum.*

EXemplo Domini mihi vel venerabilis orbi,
Qui minimas non vis perdere paſtor oves.
Sollicitis animis curam per paſcua tendens,
Ne deſint caulis, circuis ore greges.
Hic igitur gerulus genitam flens impie demptam,
Captivam ſobolem tempore pacis habens.
Martinique pii ſucceſſor honore Gregori,
Qui pater es populi, hanc rogo, redde patri.
Jugiter ille ſacris meritis illuminat orbos.
Orbato hanc patri redde videndo diem.

XXVI. *Pro eadem re, ad Romulphum.*

SI rapidis oculis te ſemper amice viderem,
Sic quoque vix avidum me ſatiaret amor.
Qui ſi præſentis non poſſem cernere vultum,
Te mihi vel ſcriptis care ſaluto libens.
Hunc etiam famulum commendo benigne verenter,
Et ſi juſta petit, hunc tua lingua juvet.
Qui tortus graviter genitam ſibi luget abactam,
Per vos ut redeat filia capta rogat.
Paupere ut audito dum eſtis medicina dolenti,
Veſtris nempe choris ſit pia cura Deus.

XXVII. *Item pro ipſa re ad Gallienum.*

OFficiis exerce tuis moderamina ſollers,
Sollicitus ſtudiis, utilitate comes.

More mihi ſolito dulcis tibi debita ſolvo,
  Qui colo devinctus, reddo ſalutis opus.
Sit commendatus homo quem male torſit iniquus,
  Perdidit & genitam heu miſer iſte ſuam.
Huic da juſtitiam de vulnere corporis emptam,
  Et pie captivam fac remeare ſuam.
Inter utramque necem, cui lex & filia deſit,
  Unus in ambabus rebus adeſto ſalus.

XXVIII. *Pro eadem re, ad Florentinum.*

DUm pergit hinc quiſque viam, mea pagina currat,
  Prodat ut eloquio quod ſibi debet amor.
Nunc quoque care mihi, bone ſemper amice fidelis,
  Pectore devotus reddo ſalutis opus.
Commendo hunc etiam famulum dure ante redactum,
  Tortus qui legem nec meruiſſe gemit.
Illa dolens gravius quam vulnera corpore fixa,
  Quod ſibi ſubducta eſt filia, parva, rudis.
Audiat hanc vocem pietas miſerando benigne,
  Quæ ſibi cum tribuis, hinc tibi magna dabis.

XXIX. *Ad Epiſcopos, pro commendatione peregrini.*

POntifices ſummi, fidei via, ſemita vitæ,
  Quos dedit omnipotens luminis eſſe duces,
Cuſtodeſque gregi cæleſtis contulit agnus,
  Vos bene paſtores, ut foveantur oves.
Ecce viator adeſt peragens iter inſcius illud,
  Finibus Italicis heu peregrina gemens.
Exulis auxilium, errantis via, norma ſalutis,
  Ad reditum patriæ ſitis honore patres.
Semina præſentis mercedis ut ampla metatis,
  Et redeat vobis centuplicata ſeges.
Fortunatus enim humilis commendor opimis,
  Ac per vos Domino culmina ſancta precor.

XXX. *De Platono Epiſcopo.*

PRovidæ diſponunt Reges ſolatia plebi
  Pontificem dantes, quem probat alma fides.
Et colat Hilarium quem dat Martinus alumnum,
  Et confeſſoris protegat ala potens.
Hic regat hic populum ſucceſſor honore beato,
  Et clerum Eccleſiæ qui moderetur ope.
Floreat arce decens Rex Childebertus in orbe,
  Cum genitis, populo, matre, ſorore, jugo.
Gaudia læta parit præſentia Sancte Gregori,
  Et geminas urbes adjuvet una fides.
Qui modo diſcipulo Platono Antiſtite ſummo,
  Solemnem Eccleſiæ hic dedit eſſe diem.

XXXI. *De Armentaria matre Gregorii Epiſcopi.*

FElix bis meritis ſibi Machabæa vel orbi,
  Nobilitas generis nobilior genitis.
Quæ ſeptem palmas cælo tranſmiſit ab alvo,
  Martyriique decus protulit ille uterus.
Tu quoque prole potens recte Armentaria felix,
  Nec minor ex partu quam prior illa ſinu.
Illa vetus numero major, tu maxima cælo,
  Quod poterant plures, unicus hoc tuus eſt.
Fœtu clara tuo, geniti circumdata fructu,
  Eſt tibi Gregorius palma corona novus.
Me Fortunatum humilem commovendo verenter,
  Ac mihi cæleſtem quæſo preceris opem.

XXXII. *Pro Comitatu Sigoaldi.*

FInibus Italiæ cumprimum ad regna venirem,
  Te mihi conſtituit Rex Sigebertus opem.
Tutior ut graderer tecum comitando viator,
  Atque pararetur hinc equus, inde cibus.
Impleſti officium, cuſtos revocaris amico,
  Et mihi vel tandem jam mea cura redit.
Dic meus unde venis poſt tempora plurima dulcis,
  Magnus honore tuo, major amore meo.
Promptus in affecto Sigoalde benigne clientum,
  Et Fortunato nomen, amice, pium.
Rex Childebertus creſcens te creſcere cogat,
  Qui modo dat comitis, det tibi dona ducis.
De domino tali videant ſua vota fideles,
  Curſibus & fiat proſpera vita tua.

XXXIII. *Ad Sigoaldum Comitem, quando pauperes pro Rege pavit.*

ACtibus egregiis præconia fulgida pollens,
  Laus tua Chriſte ſonet, dum bona quiſque gerit.
Unde genus hominum placeat, tu ſumme miniſtra,
  Nam niſi tu dederis, proſpera nullus agit.
Divitibus largus, ſorte hinc non parcus egenis,
  Se ut redimat dives, quando fovetur egens.
Dulciter iſta tui pia ſunt commercia regni,
  Dum eſcam ſumit egens, divitis auget opes.
Pauper ventre ſatur ſatiat mercede potentem,
  Parva capit terris, præparat ampla polis.
Divitibus plus præſtat egens, quam dives egenti,
  Dat moritura cibi, ſumit opima Dei.
Dans terræ nummum, miſſurus ad aſtra talentum,
  Et modicis granis ſurgat ut alta ſeges.
Dent, jaciant, ſpargant, commendent ſemina Chriſto,
  Hic dare nec dubitent, quæ reditura manent.
Da, ſic Chriſtus erit tibi theſaurarius inde,
  Præſtat inops quidquid reddere Chriſtus habet.
Hac animatus ope expoſcens meliora Tonantis,
  Nec dubitante fide quod Deus iſta dabit.
Pro Childeberti Regis florente ſalute,
  Surgat ut in ſolio, qui fuit altus avo.
Fiat ut hic juvenis validis robuſtior annis,
  Ceu viguit proavus, ſic ſit in orbe nepos.
Ergo ſuus famulus Sigoaldus amore fidelis,
  Pauperibus tribuit, Regis ut extet apex.
Hinc ad Martini venerandi limina pergens,
  Auxilium Domini dum rogat ipſe ſui.
Et dum illuc moderans Rex progenieſque laborat,
  Quod precibus Sanctus hunc jubet, illud agit.
Denique procedens ſolemnia ſacra tenere,
  Pauperibus Chriſti præbuit eſſe dapem.
Diſpenſata placent alimenta per agmina Chriſti,
  Paſcitur & populus, quem fovet arce Deus.
Plurima cæcorum refovetur turba virorum,
  Eſt quibus ut tua pax, lux, Deus atque via.
Hinc alitur claudus, quem dirigit ordine Chriſtus,
  Quique ſui Domini pendulus implet opus.
Quis referat tantos memorare ſub ordine morbos,

Occur-

Occurrens pariter quos ſua cura ſovet?
Unde catervatim coeuntia millia paſcens,
Erogat ut habeat, Rex quoque cuncta regat.
Te Fortunatus comes hinc, Sigoalde, ſalutans,
Regis ad auxilium des meliora precor.

XXXIV. *De prandio Defenſoris.*

PAſchale hic hodie donum memorabile floret,
Defenſor poſcit, quos comes ipſe ſovet.
Deliciæ Domini quæ tempora vota miniſtrant,
Undique conveniunt flumine, fruge, polo.
Childeberti etiam dominatio longa refulgens,
Te Sigoalde diu ſublevet arce, gradu.
Sit regio felix, felicis Regis amore,
Atque boni comitis creſcat honore fides.

XXXV. *Ad Galactorium Comitem.*

VEeniſti tandem quo debebaris amice,
Ante Comes merito, quam datus eſſet honor.
Burdegalenſis eras & cum Defenſor amore,
Dignus habebaris hæc duo digna regens.
Judicio Regis valuiſti creſcere judex,
Famaque quod meruit, regia lingua dedit.
Debet & ipſe potens ut adhuc bene creſcere poſſis,
Præſtet ut arma ducis, qui tibi reſtat apex.
Ut patriæ fines ſapiens tuearis & urbes,
Adquiras ut ei, qui dat opima tibi.
Cantaber ut timeat, Vaſco vagus arma paveſcat,,
Atque Pyrenææ deſerat Alpis opem.
Aut quaſi grande loquor, facit hoc ſacer unicus auctor,
A Domino erigitur parvus & altus homo.
De tyrone duces venit, & de milite princeps:
Ut reliquos taceam, Iuſtinianus erat.
Hoc & in Eccleſia Chriſto tribuente refertur,
De exorciſta aliquo pontificalis honor.
Egregius merito Martinus teſtis habetur,
Qui fuit ante ſacer, quam ſacra jura daret.
Hoc agit Omnipotens, totum qui condidit orbem,
Magnaque ſola putes, quæ facit ipſe potens.
Lætior ergo precor maneas in culmine, rector,
Sperans majora vir ratione ſagax.
Rege ſub hoc florens æternaque regna requirens,
Immortale piis actibus auge decus.
Juſtitia ac pietas tecum comitata coruſcent,
Illa tuum pectus protegat, illa latus.
Alta fides etiam, dilectio fida niteſcat,
Et Fortunato ſis comes amplus amor.

L I B E R X.

I. *Ad Domnam Radegundem, quando ſe recluſit.*

QUo fine me mea lux oculis errantibus abdit,
Nec patitur viſu ſe referare meo?
Omnia conſpicio ſimul æthera, flumina, terrram,
Cum te non video, ſunt mihi cuncta parum.
Quamvis ſit cælum nebula fugiente ſerenum,
Te celante mihi ſtat ſine ſole dies.
Sed precor horarum ducat rota concita curſus,
Et brevitate velint ſe celerare dies.
Conſultum nobis ſanctiſque ſororibus hoc ſit,
Ut vultu releves, quos in amore tenes.

II. *Ad eamdem, de natalitio Abbatiſſæ.*

MAter opima, decens, voto lætare beato,
Gaude, natalem filia dulcis habet.
Hanc tibi non uterus natam, ſed gratia fecit,
Non caro, ſed Chriſtus hanc in amore dedit.
Quæ ſit in æterno tecum, tibi contulit auctor,
Perpetuam prolem dat ſine fine pater.
Felix poſteritas, quæ nullo deficit ævo,
Quæ cum matre ſimul non moritura manet.
Sit modo feſta dies ſancto Radegundis honore,
Agnen hanc vobis agnus in ore dedit.
Gaudia diſtenſos pariter celebretis in annos,
Et per vos populus vota ſuperna colat.
Virgineoſque choros moderamine ſancta docentes,
Perpetuæ vitæ diſtribuatis opes.
Sic longinqua ſalus teneat vos corpore junctas,
Rurſus in æterno lumine jungat amor.

III. *Ad eamdem, ut vinum bibat.*

SI pietas & ſanctus amor dat vota petenti,
Exaudi famulos munere larga tuos.
Fortunatus agens, Agnes quoque verſibus orant,
Ut laſſata nimis vina benigna bibas.
Sic tibi det Dominus quæcumque popoſceris ipſum,
Et tibi ſicut amas vivet uterque rogans.
Suppliciter petimus, ſi non offendimus ambo,
Ut releves natos mater opima duos.
Non gula vos, ſed cauſa trahat, modo ſumere vina,
Talis enim potus viſcera laſſa juvat.
Sic quoque Timotheum Paulus tuba gentibus una,
Ne ſtomachum infirmet, ſumere vina jubet.

IV. *Ad Abbatiſſam, de natali ſuo.*

DUlce decus noſtrum, Chriſti ſanctiſſima virgo,
Agnes quæ meritis immaculata manes.
Hic tibi complacuit hodiernum ducere tempus,
Ut mihi inexpletam diſtribuiſſes opem.
Nec dare nunc Domini moderamine dulcia linguæ,
Cui dum verba refers, paſcitur ore tuo.
Abſtinuiſſe cibis etiam vos ipſe probavi,
Et quaſi pro vobis eſt mihi facta fames.
Audio, ſomnus iners radiantes preſſit ocellos,
Ah! nimias noctes anticipare volens.
Cui non ſufficiant hæc tempora longa quietis,
Cum prope nox teneat quod duplicata dies.
Nubila cuncta tegunt, nec luna, nec aſtra videntur,
Si ſis læta animo, me nebulæ fugiunt.
Gaudia vera colat, quæ nos hæc ſcribere juſſit,
Et tecum faveat ducta ſub arce poli.

V. *Item ad eamdem.*

MAter honore mihi, ſoror autem dulcis amore,
Quam pietate, fide, pectore, corde colo.
Cæleſti

Cæleſti affectu, non crimine corporis ullo,
Non caro, ſed hoc quod ſpiritus optat, amo.
Teſtis adeſt Chriſtus Petro Pauloque miniſtris
Cumque piis ſociis Sancta Maria videt,
Te mihi non aliis oculis animoque fuiſſe,
Quam ſoror ex utero tu Titiana ſores.
Ac ſi uno partu mater Radegundis utroſque
Viſceribus caſtis progenuiſſet, erram.
Et tamquam pariter nos ubera cara beatæ
Paviſſent uno lacte fluente duos.
Heu mea damna gemo, tenui ne forte ſuſurro
Impediant ſenſum mollia verba meum.
Sed tamen eſt animus ſimili me vivere voto,
Si vos me dulci vultis amore coli.

VI. *Item ad eamdem.*

QUæ caræ matri, quæ dolcia verba ſorori,
Solus in abſenti cordis amore loquar?
Quas locus excludit, mens anxia voce requiret,
Et ſimul ut videat, per pia vota rogat.
Te peto, cara ſoror, mater pietate benigna,
Quod minus impendi, tu famulare velis.
Illa decens tecum longo mihi vivat in ævo,
Et tribus in Chriſto ſit precor una ſalus.
Nos neque nunc præſens, nec vita futura ſequeſtret,
Sed tegat una ſalus, & ferat una dies.
Hic tamen, ut cupio, vos tempora longa reſervent,
Ut ſoror & mater ſit mihi certa quies.

VII. *Item ad eamdem.*

ACceſſit votis ſors jucundiſſima noſtris,
Dum meruere meæ ſumere dona preces.
Proficit almarum mihimet cibus ille ſororum,
Has ſatias epulis, me pietate foves.
Qua probitate micans partes componis utraſque,
Me recreas animo, has ſaturando cibo.
Paſcunt membra dapes, animam dilectio nutrit,
Quæ, cui plus opus es, dulcior eſca venis.
Audiat omnipotens & te pia vota petentem,
Ut tibi perpetuos fundat in ore cibos.
Secula longa ſimul cum matre ſuperſtite vernes,
Et veſtro fræno ſtet chorus ille Deo.

VIII. *Ad eamdem, pro eulogiis tranſmiſſis.*

SOllicita pietate jubes cognoſcere ſemper,
Qualiter hic epulis te tribuente fover.
Hæc quoque prima fuit hodiernæ copia cœnæ,
Quod mihi perfuſum melle dediſtis olus.
Nec ſemel aut iterum, ſed terque quaterque cucurrit,
Cujus me poterat paſcere ſolus odor.
Portitor ad tantos miſſus non ſufficit unus,
Laſſarunt toties qui rediere pedes.
Præterea venit miſſus cum collibus altis,
Undique carnali monte ſuperbus apex.
Delitiis cunctis quas terra vel unda miniſtrant,
Compoſitis epulis hortulus intus erat.
Hæc ego nunc avidus ſuperavi cuncta guloſus,
Et mons & hortus ventre tenetur iners.
Singula nec refero, quia me tua munera vincunt,
Ad cælos victrix & ſuper aſtra volas.

IX. *Item, de eadem re.*

MUltiplices epulæ concurrunt undique fuſæ,
Quid prius excipiam, me bonus error habet.
Carnea dona tumens gravata argentea perfert,
Quo nimium pingui jure natabat olus.
Marmoreus defert diſcus quod gignitur hortis,
Quo mihi mellitus fluxit in ore ſapor.
Intumuit pullis vitreo ſcutella rotatu,
Subductis pennis quam grave pondus habet.
Plurima depictis concurrunt poma caniſtris,
Quorum blandifluus me ſaturavit odor.
Olla nigella nimis dat candida pocula lactis,
Atque ſuperba venit quæ placitura fuit.
Hæc dominæ matri famulans, hæc munera natæ,
Junctus amore pio tertius ipſe loquar.

X. *Item ad eandem, de floribus.*

REſpice delicias, felix conviva, beatas,
Quas prius ornat odor, quam probet ipſe ſapor.
Molliter arridet rutilantum copia florum,
Vix tot campus habet quot modo menſa roſas.
Albent purpureis ubi lactea lilia blattis,
Certatimque novo fragrat odore locus.
Inſultant epulæ ſtillanti germine fultæ,
Quod mantile ſolet, cur roſa pulcra tegit?
Complacuit melius ſine textile tegmine menſa,
Munere quam vario ſuavis obumbrat odor.
Enituit paries viridi pendente corymbo,
Quæ loca calcis habet, huc roſa preſſa rubet.
Ubertas rerum tanta eſt, ut flore ſereno
Mollia ſub tectis prata virere putes.
Si fugitiva placent quæ tam cito lapſa recedunt,
Invitent epulæ nos, Paradiſe, tuæ.
Dædalicis manibus nituit textura ſororis,
Tantum digna fuit mater habere decus.

XI. *De Eulogiis.*

MUnera direxi, ſed non mea, crede fatenti,
Ad te quæ veniunt, ſunt tua dona magis.
Melle ſuperfuſas cunctorum porrigis eſcas,
Cujus ab ore pio dulcia mella fluunt.
Copia quanta mihi maneat de munere veſtro,
Credite, dum ſpargit jam gula victa cibos.
Sed mihi da veniam venerando corde benigna,
Quod præſumpſit amor, ſit veniale mihi.
Nunc Chriſtum pro me chorus ille verendus adoret,
Nec peccatorem me mea culpa gravet.

XII. *Pro Caſtaneis.*

ISta meis manibus fiſcella eſt vimine texta,
Credite mi caræ mater & alma ſoror.
Et quæ rura ferunt hic ruſtica dona miniſtro,
Caſtaneas molles, quas dedit arbor agris.

XIII. *Pro Lacte.*

ASpexi digitos per lactea munera fixos,
Et ſtat picta manus hic, ubi crama rapis.

Dic

Dic rogo quis teneros ſic ſculpere compulit utres,
Dædalus an vobis doctor in arte fuit?
O venerandus amor, cujus fugiente rapina,
Subtracta ſpecie venir imago mihi.
Spes fuit, hæc quoniam tenui ſe tegmine rupit,
Nam neque ſic habuit pars mihi parva dari.
Hæc facias longos Domino tribuente per annos,
In hac luce ſimul matre manente diu.

XIV. *Item pro Lacte.*

QUid tam dulce darent mihimet materque ſororque,
Quam modo quod tribuunt congrue lactis opem?
Sicut Apoſtolico præcepit dogmate Paulus,
Cum infirmis animis lac jubet ipſe dari.
Sollicita, ſoror & genitrix, de nomine noſtro,
De vobis ſemper ſit pia cura Deo.

XV. *Pro prandio.*

NEſcivi, fateor, mihi prandia laſſa parari,
Sic animo merear poſſe placere tuo.
Nec poterant aliqui vultu me avellere veſtro,
Si non artificis fraus latuiſſet inops,
Quis mihi det reliquas epulas, ubi voce fideli,
Delicias anime te loquor eſſe meæ?
A vobis abſens colui jejunia prandens,
Nec ſine te poteram me ſaturare cibo.
Pro ſummis epulis avido tua lingua fuiſſet,
Repleſſent animum dulcia verba meum.
Ordine ſed verſo medicus fera vulnera gignit,
Et fallax artem decipiendo probat.
Quem numquam ſaturat quidquid mare, terra miniſtrat,
Credebas ſolo me ſaturare cibo.
Sed modo da veniam, quæſo, pietate parata,
Alterius facinus ne mihi conſtet onus.

XVI. *Pro munere ſuo.*

COmpoſui propriis manibus hoc munus amoris,
Sed tibi vel dominæ ſit rogo dulce meæ.
Quamvis exiguo videantur inepta paratu,
Creſcant affectu quæ modo parva fero.
Si bene perpendas apud omnes ſemper amantes,
Muneribus parvis gratia major ineſt.

XVII. *Pro prunellis.*

TRanſmiſſas epulas, quæ pruna nigella vocantur,
Ne, rogo, deſpicias, quæ mihi ſilva dedit.
Si modo velle tuum eſt ſilveſtria ſumere poma,
Unde placere queam, dat meliora Deus.
Hoc quoque non metuas quod ramo umbrante pependit,
Non tellus fungos, ſed dedit arbor opes.
Non ego crudelis qui matri incongrua præſtem,
Ne dubites puros ſumere fauce cibos.

XVIII. *De deliciis & Lacte.*

INter multiplices epulas jejunia mittis,
Atque meos animos plura videndo cremas
Reſpiciunt oculi, medicus quod non jubet uti,
Et manus illa vetat, quod gula noſtra rogat.
Et tamen ante aliud cum lactis opima miniſtras,
Muneribus vincis regia dona tuis.
Nunc cum matre pia gaudens ſoror eſto, precamur,
Nam nos lætitiæ menſa benigna tenet.

XIX. *Pro ovis & prunis.*

HInc me deliciis, illinc me paſcitis herbis,
Hinc ova occurrunt, hinc mihi pruna datur.
Candida dona ſimul præbentur, & inde nigella,
Ventri utinam pax ſit, ſic variante cibo.
Me geminis ovis juſſiſtis ſero cibari,
Vobis vera loquor, quattuor ipſe bibi.
Atque utinam merear cunctis parere diebus,
Sic animo, ceu nunc hoc gula juſſa facit.

XX. *De abſentia ſua.*

SI me non nimium pluviatilis aura vetaret,
Dum neſciretis vox repetiſſet amans.
Nec volo nunc abſens una detenter ut hora,
Cum mea tunc lux eſt, quando videtur amans.

XXI. *De convivio.*

PEr pietatis opus, per, qui pius imperat aſtris,
Per quod mater amat, frater & ipſe cupit;
Ut dum nos eſcam capimus quocumque ciberis,
Quod ſi tu facias, bis ſatiabor ego.

XXII. *De eadem re.*

DEliciis variis tumido me ventre tetendi,
Omnia ſumendo, lac, olus, ova, butyr.
Nunc inſtructa novis epulis mihi fercula dantur,
Et permixta ſimul dulcius eſca placet.
Nam cum lacte mihi poſuerunt inde butyrum,
Unde prius fuerat, huc revocatur adeps.

XXIII. *De verſibus in convivio factis.*

INter delicias varias mixtumque ſaporem,
Dum dormitarem, dumque cibarer ego,
Os aperibam, claudebam tunc rurſus ocellos,
Et manducabam omnia clauſa videns.
Confuſos animos habui, mihi credite caræ,
Nec valui facie libera verba dare.
Non digitis poteram, calamo neque pingere verſus,
Fecerat incertas ebria muſa manus.
Nam mihi vel reliquis ſic vina bibentibus apta,
Ipſa videbatur menſa natare mero.
Nunc tamen ut potui matri pariterque ſorori
Alloquio dulci carmina parva dedi.
Et ſi me ſomnus multis impugnat habenis,
Hæc dubitante manu ſcribere cogit amor.

XXIV. *Pro eadem re.*

BLanda magiſtra ſuum verbis recreavit & eſcis,
Et ſatiat vario deliciante joco.

XXV. *De munere ſuo.*

SI non complevi cupiens quod amator haberem,
Hec rogo ſuppliciter ſuſcipe dona libens.
Nec parvum ſpernas, nec tu mea vota requiras,
Munere in anguſto cernitur amplus amor.

XXVI. *De itinere ſuo.*

CAſibus innumeris hominum momenta rotantur,
Inſtabilique gradu pendula vita meat.
Ipſa futurarum titubans mens anxia rerum
Ventura ignorat quid ſibi lux pariat.
Nam me digreſſum a vobis Eomundus amator
Illa ſuſcepit qua bonitate ſolet.
Hinc citus excurrens Cariacæ devehor aulæ,
Tincillacenſi perferor inde loco.
Hinc ſacer Antiſtes rapuit me Domitianus,
Ad Sancti Albani gaudia feſta trahens.
Inde relaxatus, per plura pericula feſſum
Puppe ſub exigua fluctus & imber agit.
Quo gravis incumbens Aquilo ſubverterat amnem,
Et male curvatos extulit unda ſinus.
Nec ſua commotos capiebant littora fluctus,
Invadunt terras æquora ſuſa novas.
Paſcua, rura, nemus, ſegetes, viburna, ſalictum,
Viribus iratis una rapina tenet.
Tunc mihi commiſſo per confraga murmura Ponti,
Flatibus horrificis laxa fremebat hiems.
Surgebatque cadens per aquoſa cacumina puppis,
Aſcendens liquidas monte vacante vias.
Quo rate ſuſpenſa modo nubila nauta tenebat,
Gurgite ſubducto rurſus ad arva redit.
Fluctibus infeſtis pelagi ſpumante procella,
Aſſidue rapidas prora bibebat aquas.
Æquora lambebant inimica pace carinam,
Triſtius amplexu nos nocitura ſuo.
Sed mora nulla vetat varias memorare querelas,
Poſt referenda ſimul murmura corde tego.
Hoc mihi præcipue divina potentia præſtet,
Ut cito felices vos revidere queam.

XXVII. *De Glacie.*

PAſſim ſtricta riget glacies concreta pruinis,
Nec levat afflictas flexilis herba comas.
Terra jacet cruſtata gelu ſub cortice duro,
Mollis & arboreas nix regit alta comas.
Proflua cruſtatum ſtruxerunt flumina murum,
Et denſata gravem veſtiit unda cutem.
Mole ſua frenantur aquæ, ſe lympha ligavit,
Obice ſub proprio vix ſibi præbet iter.
Aſperius timuit glacies Aquilone fremente,
Cui dabit illa viam, quæ ſibi pugnat aqua.
Fluminibus mediis nata eſt cryſtallina ripa,
Nec capimus ſubter, nec ſuper itur iter.

ANTHOLOGIA CHRISTIANA
SIVE CARMINA CHRISTIANA
MINORA, VEL INCERTORUM AUCTORUM
EX CODICIBUS ET LAPIDIBUS CONLECTA.
AUCTORIS INCERTI
De laudibus Domini.

Bibliothecæ Patrum.

QUis queritur ſera virtutis dote juvari?
Quis promiſſa Dei lento procedere paſſu?
Quis ſine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod ſecula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti teſtatur gloria facto.
Nam qua ſtagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem,
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes,
Conjugium memini ſumma pietate, fideque:
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris,
Et votum ambobus, ſocium præcedere morte,
Mærorique pio curam mandare ſepulcri,
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir ſollicitus largo jubet ore cavari,
Poſt mortem fiunt quæ membris hoſpita ſaxa:
Suſcipies veniens, æternaque fœdera junges,
Ut quos viventes tenuiſſet lectulus idem,
Poſt præcepta Dei, buſtum commune levaret.
Senſit vota ſui conjux præſaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula caſtis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et reperita manus conſtringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ,
Accidat informis fluitatio diſſociatis,
Immenſum dictu, quo tempore vita peracta eſt,
Jungendus ſociæ proſpecta ſede maritus.
Poſtquam morte viri reſerata eſt janua leti,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit.
Deprenſa eſt lævam protendens femina palmam
Invitans ſocium geſtu viventis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis vincula ſolvit?
Unde ſepulta videt venturæ conjugis umbram?
Tu facis hæc, tu Chriſte Deus, tua ſigna moventur,
Paulatimque doces ſopita reſurgere membra:
Tu, quem venturum ſancti cecinere prophetæ,
Incorrupta Dei ſoboles, rectorque regentis,
Quo ſine nil magnum genitor deliberat ingens,
Cujus ad imperium certis mare conſtitit oris,
Nec licet immenſo terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt littora fluctus:
Qui vario ſtabilem dotaſti munere terram,
In noſtros uſus, largus pietate paterna:
Te vade mortales committunt ſemina ſulcis,
Et novus arenti procedit ceſpite partus:
Tu manare jubes fœcundo nectare vites,
Tu gratos epulis hominum, medicoſque ſaluti
Arboribus ſuccos, tu tradis dulcia mella,
Tu ſervire jubes homini genus omne animantum,
Inſuper & gravibus luces curveſcere pomis,
Atque novos reditus nullo de ſemine naſci:
Tu varios amnes noſtro prodeſſe labori,
Et renovare ſacris benedictum fontibus ævum.
Te duce velivolis patueruut æquora roſtris,
Diviſoſque fretis luſtravit navita portus.
Tu poſtquam certis ſunt acta elementa figuris,
Ne torperet rudi cæleſtis machina vultu
Inciperet, vario ſignaſti munere mundum:
Et quidquid Cælo radiat, tua dextera finxit.
His aulam Domini placuit contexere ſignis.
Jam freta ne nullis agerentur inhoſpita terris,
Aſſiduumque alacer numeraret navita portum:
Crebra ſatis tumido defigitur inſula ponto,
Nec tamen inſano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis innitens orbe reſiſtit,
Te duce confidens, cujus venerabile pactum
Nexum lege pari ſummumque imumque peræquat.
Nec ſinit impoſitos quoquam tranſcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,
Vitibus aptandos juſſiſti aſſurgere colles
Grandibus, & largos umbracula texere lucos.
Tum ne vaſtus agat ſilvis torpentibus horror,
Innumerus fœtus proceris ſaltibus addis:
Incola ne nemori, neu deſit præda petenti.
Tum volucres multas, tum mille examina vocum
Mortali harmonia lucis reſonare canoris:
Sic annum placuit variis intexere formis,
Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu ſemper prolixa dies nimis ureret orbem,
Neu brevis inviſum raperet naſcentibus ignem,
Ac ne perpetuo quateret labor omnia niſu,
Dat requiem feſſis hominum nox roſcida curis.
Utque humana ſalus ſecurum duceret ævum,
Sponte ſalutares de ceſpite ſurgitis herbæ,
Has pater ipſe ferit nutu non vomere dives.
Non ego ferrato tegerem ſi viſcera muro,
Ferrea vox linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam veſtræ pietatis obire:
Sed pater ille tuus ſecreta in ſede locatus,
Nec cuiquam viſu facilis, cunctiſque tremendus
Te miſit dominum terris vitæque magiſtrum.
Et quiſquis natum juſto veneratur honore,
Ambobus ſua vota dicat vitamque perennem.
Tu caſti, rectique tenax, & flectere leges
Poſt crimen facilis, ſi quem vecordia præceps
Depulit a vobis præſcripto limite vitæ.
Te genitor, noſtra paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membriſque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere viſus,
Si talem trepidis voluiſſet ſiſtere terris,
Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,
Præſentemque jubes directa paveſcere pœnam:
Vel cum placatus, campis ſitientibus imbres
Dividis, & dubias ſulcis producis ariſtas.

Ne tamen inſignem res ulla offenderet ortum,
Virgine conciperis. non ſufficit eſſe pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem,
Ne procul ex utero contagio turpis abeſſet.
Mox ubi proceſſu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis ſervare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.
Atque ut miſſa Deo penitus præcepta parerent,
Imperium tu morti adimis, morboque ſoluto
Deſperata jubes apprendere munia vitæ,
Reſtituiſque diem cæcis, & ne quid inauſum
Reſtaret penitus, quod perfidus error obiret,
Indicis ſenſum tumulis, & condita pridem
Membra jubes iterum ſuperas conſurgere in auras,
Agnoſcuntque ſuum dilecta cadavera nomen.
At poſtquam legem ſectator idoneus hauſit,
Ut ſe mortali cæleſtis ſpiritus aula
Exueret legi intentum, quo cuncta doceres
Pro ſummo toleranda Deo, recteque perennem
Contemptu mortis ſibi quemque aſſumere vitam:
Sic completa ferens genitoris juſſa, rediſti
Ad ſummi ſecreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio ſuccedere nubila Cælo:
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miſerandis auribus arcet,
Nec nova defunctos jampridem jura tenerent:
Carceris inferni feralia libera nobis
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem,
His tantum clauſis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant, vel quæ ſe credere fingant.
Sancte Deus, ſummique Dei venerabile pignus,
Ad cujus nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis, alienaque pectora nactæ,
Exclamant, pallentque animæ, juſſæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produnt,
Cum terram, cælumque inter ſuſpenſa tenentur,
Obſtricto per te quia nil permittitur hoſti:
At nunc tu dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magiſtrum,
Edictiſque parem, quæ lex tibi condita, ſancit:
Victorem, lætumque pares mihi Conſtantinum.
Hoc melius fœtu, terris nihil ante dediſti,
Nec dabis: exæquent utinam ſua pignora patrem.

INCERTI AUCTORIS.

De Bebiani baptiſmo, & Uxoris Apræ obitu. Bibliothecæ Patrum.

O Vir beatus, cui remiſſa iniquitas,
Nec imputata eſt pigra credendi mora,
Operumque caſſa contulit vitam fides:
En iſte, celſi quem ſub auro culminis
Pictura veris exprimit miraculis,
Clarus ſuperbo Veriorum nomine
Et conſulari Bebianus ſanguine,
Ipſe eſt potentis larga Chriſti gratia.
Prius iſte captus vinculis mortalibus,
Opes & inter ſeculi, pauper Deo,
Vitam ut peractis blandientis copiis
Mortalitatis immemor cucurrerat,
Ut ſe ſubacto fine mortalem videt,
Feſſo benignum quærit aſpectu Deum,
Statimque Chriſtum illuminatus invenit:
Veniam precatur, & ſacerdotum pedes
Supplex adorat, ipſe culpator ſui,
Neganſque dignum, gratia dignum facit,
Vovetque vitam, ſi ſuperſit, integram,
Et obire gaudet ſi renatus oppetat.
Credidit oranti, & ſitientem flumina vitæ,
Præcinctus puro perfudit Epiſcopus amne:
Quo peragente pios ſolito mox ordine ritus,
Et divale ſacrum libans, & chriſmate fragrans,
Attonitum mira ſe maieſtate fatetur.
Sed quis odor, quærit, quem ſentiat in ſua labi
Pectora, prædulci medicantem nectare fibras?
Sedula tunc conjux omen de nomine Chriſti
Unguentum ſpirare docet, ſpondetque ſacerdos
Et monet, ut longi ſpatium ſibi poſtulet ævi.
Ille Dei jam totus, ad hæc: Satis hoc mihi donum
Quo potior: nunc mors lucrum mihi, vitaque Chriſtus,
Ecce per æternum terris data gratia Chriſtum.
Hic eſt ille latro felix, qui fine ſub ipſo
Confeſſus Chriſtum, meruit reus aſtra fidelis:
Hic donatus abit ſolida mercede diei.
Serus ab undecima jam mercenarius hora.
Ergo ut ſanctifica nituit renovatus ab unda,
Ipſe graves artus in mollia fulcra refuſus,
Unanimem alloquitur recreato corde jugalem.
Ætatis ſpatium luſtra novem mihi
Annum vita ſuper ducere cœperat,
Felix unanimo conjugio mihi,
Dulcis pignoribus, clara & honoribus,
Et nunc mortificis eluta ſordibus
Sancto fine pium tranſmeat in Deum.
Hæc ad verba piis ſedula fletibus
Conjunx, oret adhuc, vivere ſupplicat.
Tunc ille; o mulier neſcia quid petas,
Jam ſcis an valeam vivere tam pie,
Ut tanti maneam muneris integer.
Et quid vita juvat, qua moritur ſalus?
Hæc ut fortis ait, torvum oculis micans,
Et cælum ſtupide ſuſpiciens ait:
Flammantem video luminis ambitum,
In quem nulla venit femina circulum.
O felix, cui adhuc corporeo datum
Æterni ſpeciem cernere ſeculi,
In quo connubii nulla neceſſitas,
Sexus perpetuis corporibus perit.
Rurſus ut hæc dixit ſubita quaſi morte ſolutus
Exanguem porrecta trahit per membra rigorem.
At trepida, & viſis exterrita talibus uxor,
Solvitur in ſpeciem leti: jam muta trementes
Tendit in ora manus, membriſque intenta, lacertis
Pendet in exanimum pallentim ipſa maritum.
Ipſa fidem mortis ſuadet mora; namque bis acto
Orbe duplex revoluta dies, bis veſpera clauſa eſt,
Mortales oculos dum fallit mortis imago.
Ille autem Angelicis manibus per nubila raptus,
Liquerat hoſpitium repetendi corporis, & tunc
Ætherei ſecreta poli, ſedeſque beatas
Aſpectat monſtrante Deo, dignataque Chriſto
Mens pia, dum fletur terris, gaudebat in aſtris,
Hoc unum tantum mærens quod adhuc remearet.
Ex curſu medio redit, ut conſpecta referret,
Firmaretque fidem dubitantum vivere functos.
Utque redux membris admotæ conjugis ora

Vi-

Vidit, pollicitus quiddam mirabile ſeſe
Dictutum, in lucem ſua diſtulit orſa ſequentem.
Ergo dies primos ubi craſtina fulſit in ortus,
Mane novo ſacris (aderat nam forte ſacerdos)
Fungitur, utque pio geſſit ſolemnia cultu,
Suſpiciens Cælum, ille manus diſpandit, & in ſe
Brachia conſtringens quaſi quædam munera Cælo
Miſſa avido premit amplexu, meane omnia ſunt hæc?
Percunctans. cuncti dictis ſtupuere, rogantque
Quid nam conſpiciat clauſum mortalibus? ille,
Πάντα καλῶς inquit, Patriarcham ſæpius Iſaac
Commemorans, Græce θεῖον γλυκὺ, θεῖον ἀγαπᾶσθαι,
Horreſcens veneranſque refert, utque Angelus illum
Suſtulerit per inane vehens, ut millia multa
Viderit Angelicis mixta magniſque catervis,
Regnantemque Deum ſuper omnia cum Patre Chriſtum.
Narrat & æternam portis gemmantibus urbem,
Narrat & ætherii cæleſte nemus Paradiſi.
Inter & hæc dextram ſecreta in pectora miſit
Conjugis hoc dicens: unum ſumus ambo, & idem illud
Ingeminans, ſancto placidam ſic ordine complens
Finem evangelico vitam in ſermone refudit.
Et nunc ille Deo fruitur, curamve beatæ
  Conjugis æterno vinctus amore tenet.
Attamen unius rapuit ſolatia nati,
  Impatiens tota prole carere pater.
Sed poſtquam juſto tua tempora clauſeris ævo
  Edoctis genitrix inclita pignoribus:
Tunc puer ille tuus florentem luce coronam
  Præditus occurret cum genitore tibi:
Quo comite adveniens tibi lætus ab æthere conjunx,
  Dextram cum blandis porriget alloquiis:
Tempus adeſt, curis jam ſolvere, ſolvere membris:
  Vixiſti natis, nunc redhibere mihi.
Jam non conjugium nobis mortale, ut in ægris
  Ante dedit brevitas invida corporibus:
Quod nobis tenui fructu rapida abſtulit ætas,
  Orbibus accumulans vix duo luſtra tribus.
Nam tua viginti luſtris cumulaverat annos,
  Præceſſit curſus cum mea vita tuos.
At mihi bis decies major te fluxerat ætas,
  Sed tamen æquævos fecerat unus amor.
Nunc meliore jugo ſtabiles & in ore piorum,
  Aurea vivemus ſecula rege Deo.
Surge virum natumque ſequens: patet ecce ſereni
  Porta poli, meritis Angelus ante volat.
Ipſe pia de nube manum Deus excutit, & te
  In Cælum dextra ſollicitante vocat.
Felix Apra, cui licuit terraque poloque
  Conjugis unicubæ juge tenere bonum:
Quo terris tibi clarus honor, ſub nomine eodem
  In Cælis etiam gloria perpes erit.

De Moſis Cantico.

POEMA AUCTORIS INCERTI.

Bibliothecæ Patrum.

CAntemus Domino Deoque noſtro,
  Cui ſit gloria, cui honorque pollens.
Seſe magnificis decorat actis,
Dum currus celeres Ægyptiorum
Rubri marmoris enecat fluentis.
Adjutor validus meæ juventæ,
Cuſtos, & genitor, ſaluſque vera.
Ipſum conſpicua ſacrabo laude,
Ipſum vocibus arduis fatebor.
Dignus nomine quod Deus vocatur.
Plebem de medio tulit profundo,
Hic eſt, hic Dominus potens & ultor,
Hic eſt progenitor mei parentis,
Qui bellum tulit, obruitque fortes.

De Nativitate Chriſti.

AUCTORIS INCERTI.

Bibliothecæ Patrum.

NUncium vobis fero deſupernis,
  Natus eſt Chriſtus, dominator orbis
In Bethleem Judæ, veluti propheta
    Dixerat ante.
Hunc canit lætus chorus Angelorum,
Stella declarat, veniunt Eoi
Principes, dignum celebrare cultum.
    Myſtica dona,
Thus Deo, myrrham trocleten humando,
Bracteas regi chryſeas tulere,
Dum colunt unum, meminere trino
    Tres dare terna.

De Die Paſchatis.

AUCTORIS INCERTI.

Bibliothecæ Patrum.

VIta Sanctorum, decus Angelorum,
  Vita cunctorum pariter piorum,
Chriſte, qui mortis pariter miniſtrum
    Exſuperaſti.
Tu tuo lætos famulos tropæo,
Nunc in his ſerva placidus diebus,
In quibus ſacrum celebratur omnem
    Paſcha per orbem.
Paſcha, quo victor rediens ab imo,
Atque cum multis aliis reſurgens,
Ipſe ſuſceptam ſuper alta carnem
    Aſtra levaſti.
Nunc in excelſis Dominus refulgens,
Et ſupra Cælos Deus elevatus,
Inde venturus homo judicatus
    Denuo judex.
Corda tu ſurſum modo noſtra tolle,
Qui patri dexter reſidens in alto,
Nec reſurgentes facias in alto
    Præcipitari.
Hoc pater tecum, hoc idem ſacratus
Præſtet amborum, pie Chriſte, flatus,
Cum quibus regnas Deus unus omni
    Jugiter ævo.

In Die Aſcenſionis.

AUCTORIS INCERTI.

Bibliothecæ Patrum.

FEſtum nunc celebre, magnaque gaudia,
  Compellunt animos carmina promere,
Cum Chriſtus ſolium ſcandit ad arduum
    Cælorum pius arbiter.
Conſcendit jubilans lætus ad æthera,
Sanctorum populus prædicat inclytum,
Concinit pariter Angelicus chorus
    Victoris boni gloriam.
Qui ſcandens ſuperos vincula vinxerat,
Donas terrigenis munera plurima,

Diſtrictus rediens arbiter omnium,
Qui mitis modo tranſiit.
Oramus, Domine, conditor inclyte,
Devotos famulos reſpice protegens,
Ne nos livor edax dæmonis obruat,
Demergat vel in inferos.
Ut cum flammivoma nube reverteris,
Occulta hominum pandere judicans,
Ne des ſupplicia horrida noxiis,
Sed juſtis bona præmia.

HELPIDIS.

Matronæ Siculæ Severini Boethii Uxoris in natali SS. Apoſtolorum Petri, & Paulli Hymnus I. Card. Joſephus Maria Thomaſius in Hymnario pag. LXI.

Aurea luce, & decore roſeo
Lux lucis, omne perfudiſti ſæculum,
Decorans Cælos inclyto martyrio
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
Janitor Cæli, doctor Orbis pariter,
Judices ſæcli, vera Mundi lumina,
Per Crucem ille, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum laureati poſſident.
Jam, bone Paſtor Petre, clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Reſolve, tibi poteſtate tradita,
Qua cunctis Cælum verbo claudis, aperis,
Doctor egregie Paulle, mores inſtrue,
Et mente polum nos transferre ſatage,
Donec perfectum largiatur plenius,
Evacuata quod ex parte gerimus.
Olivæ binæ pietatis unicæ,
Fide devotos, ſpe robuſtos, maxime
Fonte repletos caritatis geminæ,
Poſt mortem carnis impetrate vivere.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque jubilatio,
In Unitate, cui manet imperium
Ex tunc, & modo, per æterna ſæcula. Amen.

HELPIDIS.

In Natali Eorundem Hymnus II. In eodem Hymnario pag. LX. ſub Paullini nomine.

Felix per omnes feſtum mundi cardines
Apoſtolorum præpollet alacriter
Petri beati, Paulli ſacratiſſimi,
Quos Chriſtus almo conſecravit ſanguine:
Eccleſiarum deputavit Principes.
Hi ſunt olivæ duæ coram Domino,
Et candelabra luce radiantia,
Præclara Cæli duo luminaria.
Fortia ſolvunt peccatorum vincula:
Portas Olympi reſerant fidelibus.
Habent ſupernas poteſtatem claudere
Sermone ſedes, pandere ſplendentia
Limina poli ſuper alta ſidera.
Linguæ eorum claves Cæli factæ ſunt.
Larvas repellunt ultra mundi limites.
Petrus beatus catenarum laqueos,
Chriſto jubente, rupit mirabiliter.
Cuſtos ovilis, & doctor Eccleſiæ,
Paſtorque gregis, conſervator ovium,
Arcet luporum truculentam rabiem.
Quodcumque vinclis ſuper terram ſtrinxerit,
Erit in aſtris religatum fortiter:
Et quod reſolvit in terris arbitrio,
Erit ſolutum ſuper Cæli radium.
In fine Mundi judex erit ſæculi.
Non impar Paullus huic Doctor Gentium,
Electionis templum ſacratiſſimum:
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernæ, & decus Eccleſiæ
In orbe claro coruſcant vibramine.
O Roma felix, quæ tantorum Principum
Es purpurata pretioſo ſanguine!
Excellis omnem mundi pulchritudinem,
Non laude tua, ſed ſanctorum meritis,
Quos cruentatis jugulaſti gladiis.
Vos ergo modo glorioſi Martyres,
Petre beate, Paulle Mundi Lilium,
Cæleſtis Aulæ triumphales milites,
Precibus almis veſtris, nos ab omnibus
Munite malis; ferte ſuper æthera.
Gloria Deo per immenſa ſæcula:
Sit tibi, Nate, decus, & imperium:
Honor, poteſtas ſanctoque Spiritui.
Sit Trinitati ſalus individua
Per infinita ſeculorum ſecula. Amen.

BEATI MARTINI
DUMIENSIS EPISCOPI.
VERSUS IN BASILICA.

Jacobus Sirmondi S. I.

Poſt Evangelicum biſſeni dogma Senatus,
Quod Regnum Chriſti toto jam perſonat orbe:
Poſtque ſacrum Pauli ſtylum, quo curia Mundi
Victa ſuos tandem ſtupuit ſiluiſſe ſophiſtas,
Arctous, Martine, tibi in extrema receſſus
Panditur, inque via fidei patet invia tellus.
Virtutum ſignis, meritorum & laude tuorum,
Excitat affectum Chriſti Germania frigens,
Flagrat & accenſo divini ſpiritus igne,
Solvit ab infenſo ſtrictas Aquilone pruinas.
Immanes, variaſque pio ſub fœdere Chriſti
Adſciſcis gentes. Alamannus, Saxo, Toringus,
Pannonius, Rugus, Sclavus, Nara, Sarmata, Dacus,
Oſtrogothus, Francus, Burgundio, Dacus, Alanus,
Te Duce, noſſe Deum gaudent. tua ſigna Suevus
Admirans didicit fidei quo tramite pergat,
Devotuſque tuis meritis hæc atria claro
Culmine ſuſtollens, Chriſti venerabile templum
Conſtituit, quo clara vigens, Martine, tuorum
Gratia ſignorum votis te adeſſe precatur:
Electum, propriumque tenet te Gallia gaudens
Paſtorem, teneat Gallæcia tota patronum.

EJUS-

EJUSDEM IN REFECTORIO.

NOn hic auratis ornantur prandia fulcris,
Aſſyrius murex nec tibi ſigma dedit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas
Ponentur nitidæ codicis arte dapes.
Nec ſcyphus hic dabitur, rutilo cui forte metallo
Cruſtatum ſtringat tortilis anſa latus.
Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sarapteno palmite miſſa bibas.
Sed quidquid tenuis non complet copia menſæ,
Suppleat hoc, petimus, gratia plena tibi.

EPITAPHIUM EJUSDEM.

PAnnoniis genitus, tranſcendens æquora vaſta,
Galliciæ in gremium divinis nutibus actus,
Confeſſor Martine, tua hac dicatus in aula,
Antiſtes cultum inſtitui, ritumque ſacrorum:
Teque, Patrone, ſequens famulus Martinus eodem
Nomine, non merito, hic in Chriſti pace quieſco.

D. GREGORII.

Die Dominico Hymnus. Georgius Fabricius.

PRimo dierum omnium,
Quo Mundus exſtat conditus,
Vel quo reſurgens conditor,
Nos morte vita liberat.
Pulſis procul torporibus,
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quæramus pium,
Sicut Prophetam novimus.
Noſtras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,
Ut expiatos ſordibus
Reddat polorum ſedibus.
Nos, quique ſacratiſſimo
Hujus diei tempore,
Horis quietis pſallimus,
Donis beatis muneret.
Jam nunc paterna claritas
Te poſtulamus affatim,
Abſit libido ſordidans,
Et omnis actus noxius.
Ne fœda ſit, vel lubrica
Compago noſtri corporis,
Propter quod Averni ignibus
Ipſi crememur acrius.
Ob hoc Redemptor quæſumus,
Ut probra noſtra diluas;
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.
Præſta, Pater piiſſime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne ſeculum.

Tempore Veſpertino.

NOcte ſurgentes vigilemus omnes,
Semper in Pſalmis meditemur, atque
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.
Ut pio Regi pariter canentes
Cum ſuis Sanctis mereamur aulam
Ingredi Cæli, ſimul & beatam
Ducere vitam.
Præſtet hoc nobis Deitas Beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat per omnem
Gloria Mundum.

Alter.

ECce jam noctis tenuatur umbra,
Lux & auroræ rutilans coruſcat,
Viribus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Ut Deus noſtri miſeratus omnem
Pellat angorem, tribuat ſalutem,
Donet & nobis pietate Patris
Regna Polorum.

Tempore totius Diei.

O Lux Beata Trinitas,
Et principalis Unitas,
Jam Sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecemur veſperi,
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſecula.

Hymnus Jejunantium.

CLarum decus jejunii
Monſtratur orbi cælitus,
Quod Chriſtus auctor omnium
Cibis dicavit abſtinens.
Hoc Moiſes charus Deo
Legiſque lator factus eſt:
Hoc Eliam per aera
Curru levavit igneo.
Hinc Daniel myſteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponſi Johannes claruit.
Hæc nos ſequi dona Deus
Exempla parſimoniæ.
Tu robur auge mentium
Dans ſpiritale gaudium.

In Jejunio.

AUdi benigne Conditor
 Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro Jejunio
Fuſas quadragenario.
 Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium,
Ad te reverſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
 Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus,
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.
 Sic corpus extra conteri
Dona per abſtinentiam,
Jejunet ut mens ſobria
A labe prorſus criminum.

In Die Palmarum.

MAgno ſalutis gaudio
 Lætetur omne ſeculum,
Jeſus Redemptor omnium
Sanavit orbem languidum.
 Sex ante Paſchæ ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie poſt triduum
Reſuſcitavit Lazarum.
 Nardi Maria piſtici
Sumpſit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrimis.
 Poſt hæc jugalis Aſinæ
Jeſus ſupernus arbiter
Pullo ſedens ad inclytam
Pergebat Hieroſolymam.
 O quam ſtupenda pietas,
O mira Dei clementia,
Seſſor Aſelli fieri eſt
Dignatus Auctor ſeculi.

In Paſſione Chriſti.

REx Chriſte factor omnium,
 Redemptor & credentium,
Placare votis ſupplicum,
Te laudibus colentium.
 Cujus benigna gratia
Crucis per alma vulnera
Virtute ſolvit ardua
Primi Parentis vincula.
 Qui es creator ſiderum,
Tegmen ſubiſti carneum,
Dignatus hanc viliſſimam
Pati doloris formulam.
 Ligatus es, ut ſolveres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ Mundus auxit plurima.
 Cruci Redemptor figeris,
Terram ſed omnem concutis,
Tradis potentem ſpiritum,
Nigreſcit atque ſeculum.

Mox in paternæ gloriæ
Victor reſplendens culmine,
Cum Spiritus munimine
Defende nos, Rex optime.

In Die Pentecoſtes.

JAm Chriſtus aſtra aſcenderat,
 Regreſſus, unde venerat,
Promiſſa Patris munera
Sanctum daturus Spiritum.
 Solennis urgebat dies,
Quo myſtico ſeptemplici
Orbis volutus ſepties
Signat beata tempora.
 Dum hora cunctis tertia
Repente Mundus intonat,
Apoſtolis orantibus
Veniſſe nuntiat Deum.
 De patris ergo lumine
Decorus ignis miſſus eſt,
Qui fida Chriſti pectora
Calore verbi compleat.
 Impleta gaudent viſcera
Afflata Sancto Spiritu,
Voces diſertas intonant,
Fantur Dei magnalia.
 Tum gente ab omni cogniti
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctis & admirantibus
Linguis loquuntur omnibus.
 Judæa tunc incredula,
Veſana torvo ſpiritu,
Ructare muſti crapulam
Chriſti alumnos concrepat.
 Signis ſed & virtutibus
Occurrit, & docet Petrus,
Falſos probavit perfidos
Joelis teſtimonio.

Hymnus.

LUcis creator optime,
 Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.
 Qui mane junctum veſperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
 Ne mens gravata crimine
Vitæ ſit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seſeque culpis illigat.
 Cælorum pulſet intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peſſimum.

D. HILARII.

De Epiphania Hymnus. Georgius Fabricius.

JEſus refulgit omnium
Pius Redemptor gentium,
Totum genus fidelium
Laudes celebret dramatum.
Quem ſtella natum fulgida
Monſtrat micans per æthera,
Magoſque duxit prævia
Ipſius ad cunabula.
Illi videntes parvulum
Pannis adorant obſitum,
Verum fatentur & Deum,
Munus ferendo myſticum.
Denis ter annorum cyclis
Jam parte vivens temporis,
Lympham petit baptiſmatis
Cunctis carens contagiis.
Felix Johannes mergere
Illum tremiſcit flumine,
Poteſt ſuo qui ſanguine
Peccata Mundi tergere,
Nos, Chriſte, ſubnixa prece
Omnes precamur, protege,
Qui præcipis rubeſcere
Aquæ potenter hydriæ.

Hymnus Jejunantium.

JEſu quadragenariæ
Dicator abſtinentiæ,
Quique ob ſalutem mentium
Hoc ſanxeras jejunium,
Quo Paradiſo redderet
Servata parſimonia,
Quos inde gaſtrimargiæ
Huc illecebra depulit.
Adeſto nunc Eccleſiæ;
Adeſto pœnitentiæ.
Qua pro ſuis exceſſibus
Orat profuſis fletibus.
Tu retroacta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Cuſtodiam mitiſſime.
Ut expiatis his annuis
Jejuniorum victimis
Tendamus ad Paſchalia
Digne colenda gaudia.

In Die Pentecoſtes.

BEata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum ſpiritus Paraclitus
Effulſit in Diſcipulos.
Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut eſſent proflui,
Et charitate fervidi
Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pavent Gentilium,
Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.
Patrata ſunt hæc myſtica,
Paſchæ peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remiſſio.
Dudum ſacrata pectora
Tua repleſti gratia,
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora.
Te nunc, Deus piiſſime,
Vultu precamur cernuo,
Illapſa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

CARMINA SIBYLLINA.

Lactantius lib. VII. Cap. XIX.

quando venerit
Ignis, erunt tenebræ in media nocte obſcura.

Iſidorus Orig. lib. IX. cap. II.

tunc lactea colla
Auro innectuntur.

Divus Auguſtinus in oratione contra Judæos, Paganos, & Arrianos.

JUdicii ſignum, tellus ſudore madeſcet.
Et Cælo rex adveniet per ſecla futurus.
Scilicet in carne præſens, ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Celſum cum Sanctis, ævi jam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicat ipſe,
Cum jacet incultus denſis in vepribus orbis,
Rejicient ſimulacra viri cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis pontumque polumque.
Inquirens, tetri portas effringet averni.
Sanctorum ſed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, ſontes æternaque flamma cremabit.
Occultos actus retegens tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis jubar & chorus interit aſtris.
Volvetur Cælum, lunaris ſplendor obibit.
Deiiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime vel altum.
Jam æquantur campis montes, & cærula ponti.
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Et tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto.
Orbe gemens facinus miſerum, varioſque labores,
Tartareumque chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coram Domino reges ſiſtentur ad unum.
Decidet e Cælo igniſque & ſulphuris amnis.

Idem

Idem ibidem.

IN manus iniquas & infidelium poſtea veniet.
Dabunt Deo alapas manibus inceſtis.
Et oribus immundis expuent ſalivas venenoſas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorſum.
Et colaphos accipiens tacebit, nequis agnoſcat
Quod verbum & unum venit, ut mortuis loquatur,
Et coronam portabit ſpineam.
In cibum autem fel & ad ſitim acetum dederunt,
Inhoſpitalitatis hanc monſtrabant menſam.
Ipſa enim ſtulta Deum tuum non cognoviſti,
Ludentem mortalibus mentibus, ſed ex ſpinis
Coronaſti corona, horridumque fel miſcuiſti.
Templi vero velum ſcindetur, & die
Media nox tenebroſa nimis tribus horis.
Et mortis factum finiet trium dierum ſomno ſuſcepto,
Et nunc a mortuis regreſſus in lucem venit.
Primus reſurrectionis initium revocatus oſtendit.

LICENTII CARMEN HEROICUM.

Ad Auguſtinum, declarans benevolentiam erga præceptorem nullis caſibus intermorituram.

D. Auguſtinus Epiſt. XXXIX.

ARcanum Varronis iter ſcrutando profundi
Mens hebet, adverſamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum: jacet omnis enim mea cura legendi
Te non dante manum, & conſurgere ſola veretur.
Nam ſimul ut perplexa viri compendia tanti
Volvere ſuaſit amor, ſacroſque attingere ſenſus,
Queis numerum dedit ille tonis, mundumque Tonantis
Differuit canere, & pariles agitare choreas:
Implicuit varia noſtrum caligine pectus,
Induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum poſitas in pulvere formas
Poſco amens, aliaſque graves offendo tenebras.
Ad ſummam, aſtrorum cauſas claroſque meatus,
Obſcuros quorum ille ſitus per nubila monſtrat:
Sic jacui nutans, ut talem omnino ruinam,
Nec qui nos prohibet latebras agnoſcere Cæli,
Nec perſona daret functorum freta cavernis.
Prothea namque ferunt veterum commenta Pelaſgum,
Qui dum ſolicitis non vult aperire futura,
Spumat aper, fluit unda, fremit leo, ſibilat anguis:
Captum aliquando tamen in munera parva volucrum.
At mihi qui nimium curis gravioribus angor,
Dulcia quique animæ ſed dulcia pabula quæro,
Varronis reſponſa labant: quod ſupplice cantu
Præſidium & nympham, regemque & flumina poſcam?
An te voce vocem, clari quem rector Olympi
Fontibus infantum præfecit, & abdita juſſit
Ubertate animi longe ructare fluenta.
Ferto magiſter opem, ac tu ne deſere vires
Invalidas, mecumque ſacras ſubvertere glebas
Incipe. tempus enim, niſi me mortalia fallunt,
Labitur, in ſeniumque trahit: tibi noſter Apollo
Corda replet, patremque ſuum patremque Deorum
Conciliat, legemque bonam pacemque cruentam
Monſtrat, & abducto velamine ſingula pandit.
Viginti emenſus nam longos forſitan orbes
Solis eras cum te ratio pulcherrima mundi,
Ditior imperiis, & nectare dulcior omni
Corripuit, ſtatuitque vagum medioque locavit,
Omnibus unde aciem poſſes intendere rebus.
O bone carpe iter annorum, ſapientia quantum
Creſcit amore ſui, inveniens nova culmina ſemper,
Perge viam, qua te ſoboles præclara Tonantis
Perducit, ſternens in planos ardua campos.
Et cum Luciferos præcordia veſper in ortus
Diſtulerit, ſanctumque ſuper benedixeris ignem,
Sis memor ipſe mei: bibulam qui ponitis aurem
Legibus invictis, contundite pectora palmis,
Sternite membra ſolo, meritoſque ciete dolores,
Et prohibete nefas. Deus imperat omnibus unus,
Admonet Antiſtes, venturaque fulmina terrent.
O mihi tranſactos revocet ſi priſtina ſoles
Lætificis aurora rotis, quos libera tecum
Otia tentantes, & candida jura bonorum,
Duximus Italiæ medio, monteſque per altos:
Non me dura gelu prohiberent frigora cano,
Nec fera tempeſtas Zephyrum, fremituſque Borini,
Quin tua ſollicito premerem veſtigia paſſu.
Hoc opus ut jubeas tantum, cruor irriget artus,
Solſtitio Neuros, bruma ſectabimur Iſtrum.
Ignotus Garamas ſolvet mihi vincula gerris.
Exampleoſque lacus fugiens Hypanis ubi amarus
Calipidum Scythicas reſonat ſpumoſus ad undas:
Ibimus & Leucos, qua Leucia ſolis in ortus
Tenditur, & vaſti deſerta cacumina Caſi,
Queis Epidamneas æquat ſibi Caſia rupes,
Unde quieſcentem auroram, curruſque ſolutos,
Sopitamque diem media ſub nocte viderem,
Te ſuadente petam: nec enim labor aut metus ullus
Terret, ubi inſontes precibus Deus audit apertis.
Et nunc Romulidum ſedes & inania tecti
Culmina, bacchataſque domus vanoſque tumultus
Defererem, & totus ſemel in tua corda venirem,
Ni mens conjugio incumbens retineret euntem.
Crede meis, o docte, malis, veroque dolori,
Quod ſine te nullos promittunt carbaſa portus,
Erramuſque procul turbata per æquora vitæ.
Præcipites denſa veluti caligine nautæ,
Quos furor auſtralis, ſtridens & flatus ab euro
Perculit, & raptis privavit turbo magiſtris,
Protinus abruptis miſeri volvuntur in undis,
Non ſorus, aut proræ non lintea deinde procellas
Ferre valent, ratioque jacet ſtupefacta regendi.
Sic me ventus agit, volvuntque Cupidinis æſtus
In mare letiferum, nec terræ protinus abſunt.
Sed mecum reputans, tua candida verba, magiſter,
Hæc magis eſſe reor, tibi credere callida res eſt.
Decipit atque animis molitur reria noſtris.
Præteritos (oblitus enim præſentia) præſto,
Nunc tibi charo nos, nos nunc de pectore lapſi.
Hei mihi quo ferar, unde velim tibi pandere mentem
Ante ſub Egeo optabunt pia tecta palumbes,
Et verſa halcyone componet in arbore nidos,
Eſuriens vitulos alet ante leæna ſequaces,
Atque impaſta diu teneros lupa nutriet agnos,
Mutanteſque ſuis diviſum partibus orbem,
Aut Barcæus alet Taurum, aut Hyrcania Tauros.
Ante Thyeſteis iterum male territa menſis,
Interrupta dies refugos vaneſcet in ortus.
Ante dabunt imbres Nilum, ſuper æthera damæ
Erra-

Errabunt, monteſque canant, & flumina laudent,
Quam mihi poſt tergum veniant tua dona, magiſter.
Arcet amor, copulamque tenet communis honeſti.
Hic hic regnat amicitiæ decus hoſte fugato.
Nam neque propter opes vitreas, aurumque rebelle,
Jungimus aſſenſus animorum, nam neque vulgi
Nos fortuna ruens, quæ ſeparat ardua, junxit.
Sed labor interiora legens, vulgata libellis,
Atque animis inventa tuis, & nobile dogma
Indictum, contraque bonos reſponſa relatus.
Et mea Calliope quamvis te cominus altum
Horreat, & vultus abſcondat, inutile tractans:
Hoc tamen hoc animi vinclum, nexuſque fidelis,
Non qui montoſis firmatas rupibus alpes
Fregit, & Italicas preſſit cum mœnibus urbes,
Rumperet, aut noſtro terreret robore quidquam.
Ite procul latices tumidis anfractibus Oxi,
Aut ab Aremphæis Ripheos, aut oppida Caſpi
Cimmeriaſque domos ſejungete flumine largo:
Mæotidumque plagæ, ponto quas obruit Helles,
Europæ atque Aſiæ longe diſcrimina tendant.
Nonne bonum per utrunque latus armenta fatigans
Finibus abſcidit lateri Dodona Moloſſos,
Cognatoſque Arabas: nec pacis fœdus amicum
Sidonios inter manſit regnumque Pelopum,
Sacrilegoſque Phryges: quamvis pro tempore cunctis
Hoſpitium commune fuit. quid denique fratrum
Diſſidium, pugnaſque canam, quid honeſta parentum
Verbera? quid matrum furias, natoſque ſuperbos?
Eſt etiam ſuperum concors diſcordia rerum,
Totque fluunt ritus, quod dat ſententia leges.
Nec tenet unus amor. non ſi mihi murmura centum
Det Boreas, totidemque animas, centumque per ora
Lingua rigens adamante fremat, memorare valebo,
Quæ ſociata prius veterum natura locorum
Diſtulit, & tereti limavit glarea mundo.
Sed nos præterea qui ab una expungimur urbe,
Quod domus una tulit, quod ſanguine tangimur uno
Seclorum Chriſtiana fides connexuit: & quod
Nos iter immenſum diſterminat, & plaga ponto
Interfuſa coercet, amor contemnit utrumque,
Gaudia qui ſpernens oculorum, ſemper amico
Abſenti fruitur, quoniam de corde profundo
Pendet, & internæ rimatur pabula fibræ.
Interea venient quæcumque futura bonorum
Scripta ſalutiferi ſermonis, & illa priorum
Æquiparanda favis, reputans qui pectore in alto,
Conceptum in lucem vomuiſti nectareum mel,
Præſentem ipſa mihi te reddent, ſi mihi morem
Geſſeris, & libros, quibus in te lenta recumbit
Muſica, tradideris nam ferveo totus in illos.
Annue, ſic nobis verum ratione pateſcat,
Sic plus Eridano fluat, & contagia mundi
Ne quidquam volitent noſtri circum arva coloni.

DE PROVIDENTIA DIVINA

OPUSCULUM INCERTI AUCTORIS

Bibliothecæ Patrum.

MAxima pars lapſis abiit jam menſibus anni,
 Quo ſcripta eſt verſu pagina nulla tuo.
Quæ tam longa tibi peperere ſilentia cauſæ?
 Quiſve dolor mœſtum comprimit ingenium?
Quamquam & jam gravibus non abſint carmina curis;
 Et proprios habeant triſtia corda modos:
Ac ſi te fracti perſtringunt vulnera mundi,
 Turbatumque una ſi rate fert pelagus,
Invictum deceat ſtudiis ſervare vigorem:
 Cur manſura pavent, ſi ruitura cadunt?
O felix, cui tanta Deo tribuente facultas
 Contigit, ut tali tempore liber agat:
Quem non concutiat vicina ſtrage ruina,
 Intrepidum flammas inter & inter aquas.
Nos autem tanta ſub tempeſtate malorum
 Invalidi paſſim cædimur, & cadimus.
Cumque animum patriæ ſubiit fumantis imago,
 Et ſtetit ante oculos quidquid ubique perit,
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus:
 Dumque pios agimus, vertimur in querulos.
Nec parcunt quidam turbatam inceſſere mentem,
 Linguarum & jaculis ſaucia corda petunt.
Dic, ajunt, cauſas, qui rerum hominumque labores
 Arbitrio credis ſtare regique Dei:
Quo ſcelere admiſſo pariter periere tot urbes:
 Tot loca, tot populi quid meruere mali?
Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
 Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet aquis.
Quod ſane deſunt pecudes, quod ſemina frugum,
 Quodque locus non eſt vitibus, haud oleis:
Quod fundorum ædes vis abſtulit ignis & imbris,
 Quarum ſtare aliquas triſtius eſt vacuas.
Si toleranda mali labes, heu cæde decenni
 Vandalicis gladiis ſternimur & Geticis.
Non caſtella petris, non oppida montibus altis
 Impoſita, aut urbes amnibus æquoreis:
Barbarici ſuperare dolos atque arma furoris
 Evaluere omnes: ultima pertulimus.
Nec querar extinctam nullo diſcrimine plebem,
 Mors quoque primorum ceſſit ab invidia.
Majores anni ne forte atque æquior ætas
 Offenſo tulerint quæ meruere Deo.
Quid pueri inſontes? quid commiſere puellæ?
 Nulla quibus dederat crimina vita brevis?
Quare templa Dei licuit popularier igni?
 Cur violata ſacri vaſa miniſterii?
Non honor innuptas devotæ virginitatis,
 Nec texit viduas relligionis amor.
Ipſi deſertis qui vitam ducere in antris
 Suerant laudantes nocte dieque Deum,
Non aliam ſubiere necem, quam quiſque profanus,
 Idem turbo bonos ſuſtulit, atque malos.
Nulla Sacerdotis reverentia nominis almi
 Diſcrevit miſeri ſuppliciis populi:
Sic duris cæſi flagris, ſic igne peruſti,

Incluſæ vinclis ſic gemuere manus.
Tu quoque pulvereus plauſtra inter & arma Getarum
Carpebas duram non ſine faſce viam:
Cum ſacer ille ſenex plebem, uſta pulſus ab urbe,
Ceu paſtor laceras duceret exul oves.
Verum hæc ſub belli ſileantur turbine geſta.
Confuſis quoniam non fuit ordo malis.
Forte etenim placidas res mundi, & tempora pacis,
Arbitra dignetur cernere cura Dei.
Sic cunctos annos veterum recolamus avorum,
Et quicquid potuit noſtra videre dies,
Maximus injuſtis locus invenietur in orbe,
Oppreſſis autem pars prope nulla bonis.
Qui fuerit violentus, atrox, verſutus, avarus,
Cujus corde fides ceſſerit, ore pudor,
Hunc omnes mirantur, amant, reverentur, honorant,
Huic ſummi faſces, huic tribuuntur opes.
Quod ſi quis juſto caſtam & ſine crimine vitam
Diſſimili ſtudio ducere maluerit:
Hic inhonorus, inops, odium juvenumque ſenumque,
In totis mundi partibus exul agit.
Impius exultat maturis integer annis:
Carpere non ceſſant ulcera dira pium.
Falſa valent in judiciis, & vera laborant:
Inſontes ſequitur pœna, ſaluſque reos.
Ignorata piis illudit adultera ſacris.
Blaſphemus templi limina tutus adit.
Quæ ſi cura Dei celſa ſpectaret ab arce,
Reſque ageret noſtras ſub ditione ſua,
Aut non effugerent ultrices crimina pœnas,
Aut virtus terris ſola reperta foret.
Talia cum facilis vulgi ſpargantur in aures,
Quam multis rudibus lingua maligna nocet?
Nec tantus dolor eſt Scythicis conſumier armis,
Quantus ab infidis cordibus iſta feri.
Prome igitur ſanctis cæleſtia tela pharetris,
Et medicis hoſtem confice vulneribus.
Forte aliqui poterunt errorum evadere noctem,
Inque viam viſa luce referre pedem.
Ac ne ſermo moram patiatur ab impare verſu,
Heroi numeris porrige pentametrum.
Iſta quidem melius divinis edita libris
Cognoſcenda forent, ubi legis in æquore aperto
Promptum eſſet ventis dare libera vela ſecundis:
Sed quoniam rudibus metus eſt intrare profundum,
In tenui primum diſcant procurrere rivo.
Qua jacet extremo tellus circumdata ponto,
Et qua gens hominum diffuſa eſt corpore mundi;
Seu noſtros annos, ſeu tempora priſca revolvas,
Eſſe omnes ſenſere Deum: nec defuit ulli
Auctorem natura docens: & ſi impius error
Amiſit, multis tribuens quod debuit uni,
Innatum eſt cunctis, genitorem agnoſcere rerum.
Hic auctore carens, & tempore permanet idem
Semper, & immenſum: nec ſecula nec loca claudunt.
Hic nullis mundi cauſis extantibus, in ſe
Quidquid vellet habens, cum viſum eſt, omnia ſolus
Condidit ut voluit, formas, numeroſque, modoſque,
Et genera & vitas ſtatuens & ſemina rebus.
Quidquid ineſt Cælo, quidquid terraque marique,
Quidquid quocumque eſt in corpore, ſive animatum
Sive expers animæ, calida, humida, frigida, ſicca,
Uno extant auctore Deo: qui divite verbo
(Quod Deus eſt) rerum naturas atque elementa
Protulit, & ſummis opifex intentus & imis.
Quod verò adverſis compugnant condita cauſis,
Atque aliis alia obſiſtunt: contraria diſcors
Omnia motus alit; dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem:
Quæ vel pigra ſitu, vel prono lubrica lapſu,
Aut curſu inſtabili, ſtabili aut torpore perirent.
Mollia ſic duris, ſic raris denſa reſiſtunt,
Et liquidis ſolida, & tardis velocia, claro
Obſcurum objectum, & dulci contendit amarum.
Nec mihi fas dixiſſe aliquid non rite creatum:
Aut ullas auſim mundi reprehendere partes:
Cum ſator ille operum teneat momenta ſuorum,
Et carptim varios in totum temperet uſus:
Denique quidquid obeſt, aut cauſa, aut tempore verſo
Prodeſt: & gemino ſubſiſtunt cuncta periclo.
Frigora perpeſſus ſolem cupit: usus ab ævo,
Inter Hyperboreas mavult algere pruinas.
Injuſto pluviam metuit ſub faſce viator:
Quam poſcit votis ſitienti ruſticus agro.
Cæruleos angues timor iſti eſt viſere: at illi
Intrepida excoctis oneratur menſa chelydris.
Quod ſi forte lupos, lyncaſque, urſoſque creatos
Diſplicet, ad Scythiæ proceres regeſque Getarum
Reſpice: queis oſtro contempto & vellere Serum,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum.
Singula ſectari longum eſt ſed munere Chriſti
Scire datum, quod alit tellus, quod in æquore vivit,
Quidquid in arboribus, quidquid variatur in herbis,
In laudem auctoris certis ſubſiſtere cauſis:
Et quæ ſola nocent, eadem collata mederi.
Eſt igitur Deus: & bonus eſt, & quidquid ab illo
Effectum eſt, culpa penitus vacat, atque querela.
Omnem autem hanc molem mundi, qui condidit, ipſe
Et regit, utque nihil non ortum ſumpſit ab illo;
Sic nihil eſt, quod ſtare queat factore remoto.
Nam qui pigra Deo dant otia, credo, verentur,
Ne curæ intentum vigiles durique labores
Conficiant, & tanta ſimul non explicet unus.
O merſi in tenebras, divinique ignis inanes,
Et plus corporeis oculis quam mente videntes:
Qui veſtræ æternum naturæ & conditioni
Audetis conferre Deum: cui, ſi quid amatis,
In laudem pravi adjicitis, veſtriſque beatum
Creditis eſſe bonis, aut ulla incommoda ferre.
An quia cum magnas urbes, populoſque teneris
Sub veſtro imperio, miſerum eſt in ſomnibus ægram
Partiri curis in multa negotia mentem:
Cumque graves trepidis incumbant undique cauſæ,
Non fert urgentes induſtria victa labores.
Et ſi animis ægris depulſa eſt ſollicitudo,
Blanda voluptatem requies creat otia noctis:
De Domino hoc ſentire pium eſt, quem ſemper eumdem
Nil gravat, ex toto nil occupat: effluit ætas,
Ac venit, & ſpectant genita & gignentia finem:
Ille manet, ſimul acta tenens, & agenda: futuris
Ulterior, tum præteritis prior, omnibus unus
Præſens: & ſolus ſine tempore, tempora condens,
Utque ævi ſpatia, ac numeros præcedit, & exit,
Sic nullo immenſus cohibetur fine locorum.
Nilque adeo eſt magnum, quod non certus modus arcet:
Et cælum & terras, & totum denique mundum
Limes habet: meta eſt altis, & meta profundis.
Sed nuſquam non eſſe, Dei eſt qui totus ubique,
Et penetrat mundi membra omnia liber, & ambit.
Hæc igitur vis ſola poteſt moderamina rerum
Dividere, & placidis eadem perſiſtere curis:
Quam non effugiant cita, nec remorantia tardent.

Quæ numquam ignara, numquam longinqua, nec ullis
Translata accedens regionibus, abſit ab ullis:
Nec de noſcendis egeat manifeſta doceri.
Hæc teſtis rerum tacita audiat, abdita cernat:
Det vitas, adimatque datas, pereuntia ſalvet,
Dejecta attollat: premat ardua, proroget annos,
Et minuat, mutet corda, & peccata remittat.
Sunt qui virtutem concedunt Omnipotenti,
Forte voluntatem demant: & magna regentem,
Curam hominis renuiſſe putent, in tempora nati
Exigua, & varia ſub tempeſtate relicti.
Quo vos ſponte juvat cadere, oblitoſque parentis
In pecudum genus, & ſortem tranſire ferarum?
Incomperta latent naturæ exordia noſtræ,
Aut ſpem propoſitam in Chriſto præſentia turbant?
Parcite ſublimes æternæ gentis honores
Degeneri violare metu: potiuſque relictum
Immortale decus ſuperato apprendite Cælo.
Nota via eſt, Chriſto cunctis reſerante magiſtro,
Qui vocat, & ſecum nos deducturus, & in ſe.
Ac ne vaniloqui ſpondere incerta putemur,
Res monet a primis aperire parentibus ortum
Humani generis: cauſaſque evolvere vitæ
Amiſſæ, & rurſus Chriſto donante receptæ.
Diſpoſitis rebus totum jam conditor orbem
Fecerat, & pulcra vernabat origine mundus.
Jam ſol dimenſis in tempora curſibus ibat,
Lunaque cum ſtellis præbebat lumina nocti;
Jam pecudes tellus, jam piſces pontus alebat,
Et liquidum volucres innabant aera pennis.
Sed quod divina poſſit ratione potiri,
Nondum erat in terris animal: dedit optimus auctor
Hoc homini ſpeciale decus, cumque omnia verbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare ſuis: ſubſtantia duplex
Jungitur, inque unam coeunt contraria vitam;
Namque anima ex nullis, ut cetera, gignitur, expers
Interitus, niſi quod Domino cruciabilis uni eſt,
Et rea, ferre poteſt pœnam ſub nomine mortis
Terrenamque elapſa domum, dat vivere ſecum
Conſortem, & pariter divinum haurire vaporem.
Nec quia diſſimilis rerum natura duarum eſt,
Diſpar conditio eſt; manet exitus unus utrumque,
Seu potior juri ſubdatur poſterioris,
Seu ſe majoris virtute infirmior æquet.
Eſt etenim ambarum vinci, eſt & vivere poſſe:
Proficere & minui: regnare & perdere regnum.
Non quia plus cuiquam, minus aut in origine cauſæ
Naſcendi attulerint, aut ulla externa creatos
Vis premat, ignaroſque agat in diſcrimina morum:
Sed quia liber homo, & ſapiens diſcernere rectis
Prava poteſt, in ſe intus habens diſcrimina rerum,
Juſque voluntatis, quo temperat arbitrium mens.
Si tamen ancipitis cæca inter prælia vitæ,
Non jam detumeat, ſed votis tuta modeſtis,
Inde putet totum poſſe, unde accepit & eſſe.
Inſita ſic nobis patriæ virtutis imago eſt,
Longo juſtitiæ quæ multum exercita cultu
Ceu ſpeculum lumen divinum imitata referret.
Cumque bonis poſitum tranſiſſet in artibus ævum,
Æternam victrix arcem manſura teneret.
Totaque res effecta Dei, jam nulla ſubiret
Prælia, nec trepide ſecum decerneret in ſe:
Nec vellet quod mox nollet voluiſſe timere,
Ignorare, optare, pati jam neſcia, nullis
Creſcere egens cumulis, nulliſque obnoxia damnis.
Et quo promiſſis abſit fiducia magnis,
Ac ſpes propoſitæ ſit non incerta coronæ,
Munere præſentis vitæ, documenta futuræ
Sumit homo, & dandis confidere diſcit adeptis.
Huic cæli volucres, & cuncta animalia terræ
Subjecta, & piſces, quos nutrit pontus & amnes;
Huic ſolis lunæque vices, & ſidera noctis
Noſſe datum: numeriſque dies comprehendere & annos:
Scire poteſtates herbarum, & nomina rebus
Indere, & ingenium varias augere per artes.
Hunc potiorem unum cunctis ſpirantibus, uni
Subjectum ſervire Deo: nec corporea vi,
Sed rationis ope, præ fortibus imperitare.
Quod ſi quis non totus homo hæc extendere verbis
Me putat, & nondum ſeſe cognovit in iſtis:
Audiat a primis diſtare parentibus actum
Per delicta genus, multa & rubigine morum
Corrupti, exiguum ſemen ſupereſſe vigoris.
Utque ſuæ tantum naturæ diſcat honorem,
In ſummum ſancti generis redeat caput, & ſe
Æſtimet a manibus Domini, afflatuque regente:
Qualis Adam, nondum terram damnatus in iſtam,
Et liber culpæ, paradiſi divitis orbem
Cultarum locuples virtutum fruge tenebat,
Cui cum tanta Deus largitus dona fuiſſet,
Viperei populi princeps invidit, & alta
Dejectus regione poli (quia ſumma tenere
Non niſi pura poteſt bonitas) majora nocendi
Concepit verſo mutatus corde venena,
Qui poſſeſſorem tantarum delitiarum
(Mandato excluſum quia noverat arbore ab una)
Perpulit a vetitis pomum decerpere ramis,
Queis inerat recti & pravi experientia major
Tunc ditione hominis: quia nondum acceperat hanc vim,
Quæ poſſet vitanda ſuo ſine noſſe periclo.
His illata dolis, hoc crimine nata ſubegit
Mors hominem, culpa in cunctos manante minores.
Quæ ſemel antiqua pulſos virtutis ab arce,
Non uno tantum transfuſo errore parentum
Implicuit: ſed cum populis naſcentibus aucta,
Multiplicem lata porrexit ſtrage ruinam.
At quamquam immiſſa regnaret morte, peremptos
Nulla tamen placitos Domino non edidit ætas:
Cunctaque diverſos habuerunt ſecula juſtos.
Quos licet ob meritum vitæ bona multa manerent,
In mortem vitiata tamen natura trahebat,
Non prius a primi vinclo abſolvenda parentis,
Quam majeſtate incolumi generatus in ipſa
Deſtrueret leti cauſas, & ſemina Chriſtus,
Cujus perpetuam cunctis aſſiſtere curam
Promptum eſt exemplis ab origine noſſe petitis.
Non habet hanc ſanctis onerans altaria ſacris
Juſtus Abel, qui primitiis ovium grege lectis
Convertit Domini ſincera in munera vultum:
Nec fallit ſpecie devota relligione
Dona Cain reprobanda dicans, cui virus amarum
Invidia in fratrem ſuccenſo felle coquebat.
Nec revocare ferum Dominus ſermone benigno
Abſtinuit: quantumque nefas ſtrueretur ab ipſo,
Ingeſſit, formamque dedit, qua vincere ſeſe
Poſſet, & inſanæ regnaret fortior iræ.
Sed concepta ſemel facinus crudele peregit
Impietas, ſcelere immenſo primordia mundi.
At numquid placitum ſibi juſtum a cæde nefanda
Non potuit ſervare Deus: ſed finis acerbi

Occaſum, potior vita & tribuenda corona,
Immodico æterni ſuperabant pondere honoris.
Quid? cum viventem de terris tranſtulit Enoch,
Spernebat terrena Deus? namque omnibus illud
Proderat exemplum, quo mortis terror abiret,
Spemque inconcuſſam caperet ſubſtantia carnis.
Sic alio poſt multa ævo documenta minores
Propoſitæ in Chriſto meruerunt ſumere vitæ,
Cum raptum ignitis per inane jugalibus Heliam
Scandentem rutilo viderunt æthera curru.
An aberat tum cura Dei, cum effuſa per omnes
Gens hominum culpas, penitus pietate relicta
Dira toris vetitis generaret monſtra gigantas?
Illa quidem mundi exitium præfata futurum
Tempora larga dedit, queis in meliora reducti
Mortales, ſcelerum ſeries virtute piarent.
Cumque nefas placitum toto perſiſteret orbe
Nec niſi diluvio deleri crimina poſſent,
Sola Noe ſervata domus: quæ libera cladis
Concluſis naribus ſpirantum de genere omni,
Unde forent vacuis reparanda animalia terris,
Illæſa mundo pereunte ſuperfuit arca.
Non quia non alios populos Deus edere poſſet,
Sed multis fractus morbis ut ſemine ab ipſo
Idem homo in Chriſti corpus naſcendo veniret:
Utque Deo juſto meritorum judice, partam
Noſſemus requiem ſanctis in clade malorum.
Nonne etiam in noſtram Domini jam tum miſerentis
Progeniem tendebat amor, cum credulus Abram,
Multorum, pariente fide, genitor populorum,
Promiſſum genus innumeris cenſebat in aſtris?
Aut in Pentapolim deſcenderet igneus imber,
Nonne prius multo dilata examine venit
Judicis ira Dei? qui promptus parcere, nullas
Invenit cauſas veniæ: deque omnibus unum
Diſſimilem Sodomis inceſta in plebe repertum
Exemit, parvique dedit Dominum oppiduli Loth.
Cum vero Ægyptum Chananæaque regna teneret
Dira fames, totos ſeptem toleranda per annos,
Præſtruitur certe Patriarchis cauſa movendis:
Et domus externos inter placitura paratur,
Quæ blande foveat populi incrementa futuri.
Myſtica dum Joſeph prodentem ſomnia fratres
In ſervum vendunt pretio, falluntque parentem:
Dum caſtum Domino petulantia carcere damnat:
Dum rex obſcuri narrato ænigmate ſomni,
Exemptum vatem dignatur honore ſecundo:
Dumque pii traducta dolis Hebræa juventus
Gaudet adoratum venia cognoſcere fratrem:
Qui cum multa inſons ferret mala, nonne remotum,
Reſque hominum dedignantem potuiſſet inepto
Incuſare Deum queſtu, niſi cuncta profundis
Judice ſub juſto ſciſſet decurrere cauſis?
Quæ licet infidas ſoleant confundere mentes,
Non poſſunt turbare pias: quia tempore in iſto,
Hæc poſita eſt virtus, ut libertate potitos
Exiguo in ſpatio juſti patiantur iniquos,
Quos Deus ipſe modo dilata ſuſtinet ira.
Sic gens cara Deo, & ſævo ſuſpecta tyranno
Injuſtum imperium regis tolerabat acerbi:
Mæſtarum & matrum fœtu potiore necato,
Condendas juſſos lateres præbebat ad urbes,
Ut durus labor, & ſævæ inclementia mortis,
Omnes terribilis populi conſumeret annos.
Sed non iſta Deo patribus illata remoto
Ipſe docet, curamque ſibi probat eſſe ſuorum:
Nam jubet electum Pharaoni edicere Moſen,
Ut ſinat Ægypto Domini diſcedere plebem.
Ni faciat, multis plectenda ſuperbia plagis,
Sentiet exciſam, quam regni vis habet, iram:
Ille quidem, quoties patitur cœleſtia tela,
Cedit, & obſequium ſimulat: ſed clade remota
Duratur parcente Deo: cauſas pereundi
Impius inde trahens, quo poſſet habere ſalutem.
Donec & victus laxat fera jura tyrannus,
Ditia barbaricis & Moyſes agmina gazis
Promovet, inſigni ſulco monſtrante columna
Per deſerta viam, quæ formam in tempus utrumque
Temperat, alterna ut tribuat vice commoda caſtris,
Luce tegens, & nocte regens, eadem ignis & umbra,
Diſcutiens flammis tenebras, & nube calores.
Quid loquar? & trepidis patribus cum incumberet hoſtis
Diviſum pelagus ſolidoque rigore ligatas
Inſtar montis aquas, vacuo ceſſiſſe profundo,
Quaque gradum illæſæ tulerant tot millia plebis,
Oppreſſum Ægypti populum coeuntibus undis?
Omnis enim auctori ſervit natura potenti,
Quæque ad opem cedunt, eadem famulantur ad iram.
Sed mihi nec vacuum cunctas percurrere formas
Virtutum, ab geſtis oris non æqua facultas.
Nam quis tantarum evolvat miracula rerum?
Mannæ imbrem, & cunctos in cæli pane ſapores,
Siccæ rupis aquam, & dulcorem fontis amari.
Aut inter deſerta actos denos quater annos,
Nec membris nocuiſſe ævo, nec veſtibus uſu.
Legis in exemplum juvat ire, & quærere ab ipſis,
Qui curam Domini removent, an tempore ab illo
Cœperit humanas in vitæ fœdera mentes
Informare Deus: nec per tot ſecula Mundi
Permotus vitiis, tunc jus perſcripſerit æquum?
Ite ipſi in veſtræ, quæſo, penetralia mentis,
Intuſque inciſos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem.
Nam quis erit (modo non pecus agri aut bellua ponti)
Qui vitiis adeo ſtolide oblectetur apertis,
Ut quod agit, velit ipſe pati? mendacia fallax,
Furta rapax, furioſum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.
Unus enim pater eſt cunctorum: & ſemine recti
Nemo caret: ſimiliſque omnes produxit origo.
Unde etenim nondum deſcripta lege fuerunt,
Qui placidum ſanctis agerent in moribus ævum:
Nec ſummi Patris ignari, nec juris egeni.
Ergo omnes una in vita cum lege creati
Venimus, & fibris gerimus, quæ condita libris.
Nec nova cura fuit noſtri, cum tradita Moſi
Littera præſenti damnaret crimina pœna.
Sed ſuperadjecta eſt generi cuſtodia ſancto,
Qua memor in patriæ fidei perſtaret honore,
Et promiſſorum Domini ſuccederet hæres.
Cum tamen & quoſcumque eadem ſub ſacra liceret
Ire, nec externos arcerent limina templi,
Cumque Dei monitu canerent ventura prophetæ,
Sæpe etiam ad varias gentes ſunt multa locuti.
Sic Regina auſtri cupidis Salomonis ab ore
Auribus eloquium Domini venerata trahebat.
Sic Ninive monitis Jonæ ſub tempore cladis
Credidit: & tribus in luctu jejuna diebus
Promeruit morum excidio conſiſtere regno.
Verum ne longo ſermone moremur in iſtis,
Quæ ſparſim varieque ſuis ſunt edita ſeclis:

Nere

Neve quod in parte eſt, in toto quis neget eſſe,
Dum ſolidam domini diviſa negotia curam
Velant, & nulla accipitur quæ rara videtur:
Dicite quem populum, qua mundi in parte remotum,
Quoſve homines, cujus generis vel conditionis
Neglexit ſalvare Deus? vir, femina, ſervus,
Liber, Judæus, Græcus, Scytha, Barbarus: omnes
In Chriſto ſumus unum: non perſona potentis,
Nec Domini, regiſve prior: diſtantia nulla
Luminis unius ſpeculi, niſi diſcrepet uſus.
Namque velut ſpeculum mens eſt: quæ quo mage terſa eſt
Expoliente fide, radiiſque intenta ſupernis,
Hoc mage confeſſi reſplendet imagine Chriſti:
Qui cum patre Deo ſemper Deus: inque paterna
Majeſtate manens miſcetur conditioni
Humanæ, & verbum caro fit, rerumque creator
Naſcitur, atque annis ſuccedit conditor ævi.
Hoc etenim lex, hoc veneranda volumina vatum,
Hoc Patriarcharum ſpes non incerta tenebat:
Ultima cum mundi finem prope curreret ætas,
Venturum ad terrena Deum, qui morte perempta
Solveret inferni leges, longamque ruinam
Humani generis, meliore attolleret ortu.
 Sed tu, qui geminam naturam hominiſque Deique
Conveniſſe vides anguſti in tramitis ora,
Firma tene cautus veſtigia, ne trepidantem
Alterutram in partem, propellat devius error:
Si cernens operum miracula divinorum
Suſcipias ſine carne Deum: cumve omnia noſtri
Corporis agnoſcas, hominem ſine numine credas.
Nulla etenim ſoli vita eſt mihi: morſque ſubactum
Detinet, & non eſt quo victus vincere poſſim,
Si non vera Dei virtus mihi conſociata eſt,
Aut me non vera ſalvator carne recepit:
Cujus majeſtas ſtabilis non hoc violatur,
Quo redimor: neque te minor eſt, dum mutor in illo:
Sed mortale meum ſubit: ut quia morte teneri
Vita nequit, pereat mihi mors: & non ego jam in me
Vivam, ſed Chriſtus, qui ſe mihi miſcuit in ſe,
Victus enim terrenus Adam transfundit in omnes
Mortem homines, quoniam cuncti naſcuntur ab illo,
Et transgreſſoris decurrit cauſa parentis.
Sed novus e Cæli per ſacræ virginis alvum
Natus homo eſt: aliudque bonus mortalibus in ſe.
Fecit principium, carnemque refuſus in omnem,
Et vita functos naturam participando
Edidit, & vivos vitam mutando creavit.
Utque illos veterum complexa eſt gratia ſolos
Qui Chriſtum videre fide: ſic tempore noſtro
Non renovat quemquam Chriſtus, niſi corde receptus.
En homo, quanta tibi eſt gratis collata poteſtas?
Filius eſſe Dei, ſi vis, potes, omnipotens te
Spiritus umbratum verbi virtute creavit.
Nec te corporeo patrum de ſemine natum
Jam reputes: pereant captiva exordia carnis.
Nil veteris conjunge novo, non hic tibi mundus,
Non hæc vita data eſt: nulla hic tua, nec tuus ipſe es:
Emptus enim, pretiumque tui reſolvere fas eſt,
Quod potes, ut ſolvens ſis ditior, & tibi creſcant,
Quæ dederis, cedatque tibi pars ipſe Redemptor.
Nec te difficilis nunc obſervantia legis
Sub durum jubet ire jugum: mens libera ſanctum
Obſequium ratione ferat, quam Spiritus almus
In tabulis cordis deſcribat ſanguine Chriſti.
Qui nobis quidquid ſermonibus inſinuavit,
Condidit exemplo factis præcepta coæquans:

Rex ille & rerum Dominus: ſed pauperis egit
In ſpecie, nec veſte nitens, nec honore ſuperbus.
Infirmis fortis, rex ſervis, dives egenis:
Juſtitia juſtis credit, ſapientia brutis.
Sacrilegis manibus percuſſus, non parat iſtum
Reddere: nulla refert avidæ convitia linguæ.
Damnatur Judex, Verbum tacet: inſpuitur lux.
Ipſe miniſterium ſibi pœna eſt: felque & acetum
Dulcius ille favis haurit: ſanctus maledictum
Fit crucis, & moritur Chriſtus vivente Barabba.
Impia gens, tantum auſa nefas, ſentiſne furorem
Jam mundo damnante tuum? ſol fugit ab orbe:
Et medio nox facta die eſt: concuſſaque tellus
Intremuit: mortemque Deo ſubeunte ſepulcris
Excita Sanctorum ſumpſerunt corpora vitam:
Velum etiam templi diſciſſum eſt, ne quid opertum
In ſacris adytis jam plebs indigna teneret:
Sanctaque Pontifices fugerent offenſa cruentos.
Te vero extinctæ calcantem ſpicula mortis,
Et de carne novum referentem carne tropæum,
Tertia diſcipulis, Jeſu, dedit attonitis lux.
Nec dubiis Dominum licuit cognoſcere ſignis,
Cum documenta fides caperet viſuque manuque,
Rimans clavorum veſtigia, vulnus & haſtæ.
Cumque quater denis firmans promiſſa diebus,
Conſpicuus multis, ſæpe & tractabilis eſſet.
Hactenus in noſtris te, Jeſu, novimus: ex hinc
In tua noſtra abeunt: nec jam diverſa, ſed unum
Sunt duo, dum vita in vita eſt, in lumine lumen,
Augmento, non fine hominis: quo glorificato
Sic homo, ſic Deus es, ut non ſis alter & alter:
Noſque ad te ire jubes, tecumque potiri
Luce tua: ſi calle tamen curramus eodem,
Edocti, non poſſe capi niſi de Cruce Cælum.
Jamne Dei compertus amor, diffuſaque in omnes
Cura patet? notum & cunctis aſtare ſalutem?
Et tamen, heu, rurſus querulis homo garrula verbis
Bella moves, jaculiſque tuis tua viſcera figis.
Cur non ſum bonus? hoc non vis: cur ſum malus? hoc vis.
Cur volo, quæ mala ſunt? & cur quæ ſunt bona, nolo?
Libere, ſed cum recta queas diſcernere pravis,
Deteriora legis, placitiſque improvidus hæres:
Erro, ais: & vellem non poſſe errare. duobus
Subjacet hæc votis ſententia, nam penitus te
Aut eſſe exanimum cupis, aut rationis egenum.
Error enim eſt ejus, qui ceſſit limite recti,
Quique poteſt ad iter Chriſto ducente reverti.
At quem nulla viæ ſuſcepit linea, nuſquam
Declinat: nullumque timent non ſtantia caſum.
Numquid cura Deo de bobus? numquid ad ullas
Fit verbum Domini volucres? num lege tenentur
Monſtra maris? quæ cum faciunt juſſa Omnipotentis,
Ignorant ſeſe facere, affectumque volendi
Sumunt, & quod agunt aliis, ſibi cedere credant.
Sic etiam quæ non ſpirant ſunt ſemper in illo,
In quo ſunt formata modo: non plena tumeſcunt
Collibus, aut celſi ſternuntur in æquore montes:
Non veniunt alpes in pontum, aut pontus in agros:
Saxa jacent, amnes decurrunt, ſtantque paludes:
Et tamen his nihil eſt mercedis, quæ ſine ſenſu
Diſpoſitos in ſe præbent viventibus uſus.
Quod ſi horum præſtare tibi natura videtur,
Jam bove mutari velles, vel rupe, vel amne.
Deterior nollem fieri: potior voluiſſem.
Numquid qui Domino placuerunt moribus almis,
Diſplicuere ſibi? numquid non ſemine ab uno

Venimus, aut alia eſt hominum natura bonorum?
Non aliter dives quam pauper naſcitur: unum eſt
Principium ſervis & regibus: optimus ille
Non plus accepit, quam peſſimus: æqua creantis
Menſura eſt, uno qui lumine luminat omnes.
Sed mundum ingreſſi variis rerum ſpeciebus
Suſcipimur, mentemque adeunt quæcumque videntur
Judicio cenſenda hominis, ſtant undique formæ
Innumeræ, poſſuntque omnes ſpectando probari.
Quædam etiam patulas intrant ſtipata per aures,
Errores veterum ſtudiorum, vana parentum
Dogmata, cum quodam fuco oſtentantia verum,
Hæc modulata ſono veniunt, hæc levia tactu,
Hæc blandis late funduntur odoribus, illa
Conciliant varias in mille ſaporibus eſcas.
Magno ergo hæc homini ſunt diſcernenda periclo:
Ne nimium trepidus nullum procedat in æquor.
Neu vagus effuſis ſine lege feratur habenis.
Eſt etenim ſanctus rerum uſus, quem cohibentes
Intra modum numeri, & momentum ponderis æqui
Pro cunctis ſoli Domino reddemus honorem.
Omnia qui fecit bona valde, ut non vitiorum
Incentiva, ſed ut ſuperas caperemus in illis
Hic decertato virtutis agone coronas.
An tibi cæleſtes illi, quos protulit orbis
Fertque, viri non hæc eadem toleraſſe videntur
Quæ patimur? motus animi, affectuſque rebelles,
Et circumjectis vitia pugnantia caſtris?
Sed gladio verbi fideique umbone potenti
Vincebant arcus tenebrarum & ſpicula mortis:
Cumque opus hoc mundi magnum pulcrumque viderent,
Non mare, non cælum, non ignem, aut ſidera Cæli
(Quæ numero ſubjecta ſibi, viſuque tenebant)
Suſpexere Deos: unum, ratione magiſtra,
Auctorem, & Dominum rerum, non facta, colentes.
At tu nobilius qui factum te voluiſſes,
Numquid in Angelico ſatus ordine, non querereris?
Nam cum ille excelſo dejectus lucifer axe
Conciderit, rueritque illo pars tertia pulſo
Aſtrorum, quæro in quanam tunc parte fuiſſes?
Clara Dei ſemper bonitatis imago maneres?
An caſtra invidiæ ſequereris & agmina noctis?
Sed quo te preceps rapit orbita? vis bonus eſſe
Abſque labore tuo. credis hoc cedere poſſe,
Si tibi mutentur natalia ſidera, quorum
Te parvum decurſus agit: quid vana vetuſti
Perfugia erroris Chaldæis quæris in aſtris?
Quamvis ſollicitis adeas cæleſtia curis,
Et penitus cauſas rerum ſcruteris apertas,
Non renuis mage noſſe Deum, quam cuique elemento
Naturam dederit, qua pontum lege moveri
Juſſerit, aut teneris quam vim conſeverit auris,
Sidereoſque ignes in quæ monumenta crearit:
Qui cum ſincerus ſit fons æquique bonique,
Immitem juſſis legem præſcripſit iniquis,
Si prius ipſe hominum mores conſtrinxerat aſtris.
Namque adverſa ſibi ſunt hæc, nimiumque repugnant,
Exigere inſontes actus, delictaque pœnis
Afficere, & cunctos eadem ad promiſſa vocare:
Contra autem natis violentum affigere ſidus,
Quod nec velle homini cedat, nec poſſe: ſed omnes
Deſuper ignaros & virtus ducat, & error.
Ergo aut æthereis nullum eſt jus ignibus in nos,
Aut ſi qui noſtri retinent, emittere poſſunt:
Cum mihi progenito ad vitam, mandata ſalutis
Et cordi inſinuet bonus auctor, & auribus: ac me
Currentem mercede vocet, terrore morantem.
Solum, inquit, venerare Deum, ſolique memento
Servire; externas & deſpice religiones.
Hoc operis ſectare boni, hoc fuge cautus iniqui.
Vita beata iſto paritur, mors editur illo;
Coram adſunt aqua ſervatrix, populator & ignis:
Ad quod vis extende manum, patet æqua facultas.
Quod legis monitus, & vatum ſcripta piorum,
Et Deus ipſe ſuo nequidquam promeret ore,
Arbitrium noſtrum ſi vis externa teneret.
Verum ſi quid obſtat virtuti, animoſque retardat,
Non ſuperi pariunt ignes, nec ab æthere manat,
Sed noſtris oritur de cordibus, ipſaque bellum
Libertas movet, & quatimur civilibus armis:
Otia cum mollis complexa ignava voluptas
Difficili negat ire via, bravioque potitos
Ardua quæque piget pro ſpe tentare latenti.
Cumque hæc intus agi proſpexit callidus hoſtis,
De ſtudiis veſtris vires capit: utque parentis
Avertat veri cultum, perſuadet ab aſtris
Fata ferri, fruſtraque homines contendere Divis:
Hinc vario vitæ Dominos mercantur honore.
Error abi, procul error abi, ſatis agnita priſci
Sunt commenta doli: monitos quibus Omnipotens nos
Elaqueat, cultuſque docet vitare prophanos.
Scimus enim quanta ſteterit mercede quibuſdam
Sidus adoratum Repham, venerataque Cæli
Militia: & cultus ſoli Lunæque dicatus.
Nec latet hæc verbis hominis ſubſiſtere juſſa
Ad vocem ſerviſſe mora: noctiſque repulſæ
Temporibus creviſſe diem: cum lux famulata
Neſciret niſi quem faceret victoria finem.
Novimus & Cælo præſcriptas conditiones
Arbitrio quondam ſancti manſiſſe prophetæ:
Cum poſitum ad tempus clauſos ſitientibus agris
Non licuit rorare polos: ipſumque, vocata
Partibus e ſuperis in ſancta altaria flamma,
Quem dederat ſacris, ignem immiſiſſe profanis.
Cujus vix etiam Chriſti delapſa fuiſſet
Diſcipulis pœnam hoſpitii exactura negati,
Ni patiens Dominus venia præverteret iram.
Nullum ergo in nos eſt permiſſum jus elementis,
In quæ jus hominis: nec poſſunt condere leges,
Quæ legem accipiunt. ſolus Deus omnipotens Rex,
Omnia qui noſtræ diſpenſat tempora vitæ,
Nec ſervire aſtris vult, quos ſuper aſtra locavit.
Nam quoſcumque ſacro renovavit ſpiritus amne,
In Chriſto genitos mortali ex ſtirpe reciſos
Jam ſedes cæleſtis habet, nec terrea nectit
Progenies, templum in Domini, corpuſque redactos.
Quod ſi quis curſu aſtrorum, effectuque notato,
Contendit naturam hominis, vitamque videri:
Quæro quid hac trepidis mortalibus afferat arte?
Hic, inquit, felix, miſer hic erit: hunc rapiet mors
Impubem, hic ſenio tranſcendet Neſtoris annos.
Falſum hoc, aut verum eſt? ſi ſtant prædicta canentis,
Nec miſero ſupereſt ſpes, nec formido beato.
Et quæ ſideribus danda eſt reverentia fixis,
Si quæ ferre queunt, nequeunt decreta movere?
Dent ſeſe ſcelerum potius torrentibus omnes:
Fallant, diripiant, jugulent, fas omne nefaſque
Confundant, perſiſtet enim nihilominus aſtrum.
Cujus ab effectu firmato cardine rerum,
Ut mala non poterunt ſancta probitate repelli,
Ac bona non fugient perverſos debita mores,
Sic ſi prædictæ ſortis mutabilis ordo eſt,

Et

Et declinari poſſunt ventura, ſoluta eſt
Omnis ab ancipiti caſu vis pendula fati.
Scrutaris igitur ſtellarum motibus, hoc eſt
Artis opus, totam ſubvertere relligionem:
Dum nullum curare Deum mortalia ſuadet:
Aut dum poſſe docet, votis elementa moveri,
Innumeram miſeram plebem inſinuare Deorum.
Sed quia detectis laqueis jam fraudis opertæ,
Quos captos vanis ſtudiis deduceret error
Compertum: ſupereſt nunc reſpondere querelis,
Quæ mundi rebus divinam abſiſtere curam
Objiciunt, dum ſæpe bonos labor anxius urget,
Et tranquilla fluit miſerorum vita malorum.
Dic age, qui nullis Dominis moderantis habenis
Humanas res ire putas, quid ab ordine ceſſat
Naturæ? quæ bella movent elementa? quod uſquam
Diſſidet a priſco diviſum fœdere rerum?
Sic interiecta ſolis revocatur in ortum
Nocte dies: idem eſt lunæ, aſtrorum ſive recurſus,
Et relegunt notas ſubeuntia tempora metas.
Non aliter venti ſpirant: ita nubibus imber
Læta negans, ſervantque genus trudentia flores
Semina quæque ſuum, nec abeſt ab origine rerum
Ordo manens, iiſdem ſubſiſtunt omnia cauſis.
Quæ niſi perpetui ſolers prudentia regis
Adſtrueret, molemque omnem ſpirando foveret:
Conciderent ſubita in nihilum redigenda ruina.
Et cum hæc pervigili cura Omnipotentis agantur,
Quæ certum ad finem devexo limite vergunt:
Quis neget in noſtram gentem ſpecialius æquum
Partiri ſua jura Deum: cui perpetis ævi
Spem tribuit, propriæ largitus imaginis inſtar.
Atqui nec pœnam injuſtis, nec præmia ſanctis
Reſtitui ad præſens quereris: velleſne per omnes
Ultricem culpas deſcendere judicis iram?
Et quo magnanimi clemens patientia regis
Diſtaret ſæva immitis feritate tyranni?
Aut quæ pars hominum peccati neſcia mundum
Poſſeſſura foret? vel ſanctus quis locus eſſet
Virtuti in terris? cui ſi præſentia dona
Affluerent Cælo, potius ſublata maneret.
Sic mundi meta abruptis properata fuiſſet
Temporibus: neque in ſobolem generanda veniret
Poſteritas, pariter cum juſtos atque nocentes
Aut promiſſus honos, aut pœna auferret ab orbe.
Nunc vero & generis noſtri profunda propago
Tenditur: ac duplici ſucceſſit origine pubes
Nata patrum membris, & Chriſti fonte renata.
Et pia dum populis domini patientia parcit,
In lucem multos de terra nocte reverſos,
Ac poſita claros peccati labe videmus.
Ille per innumeros vultus & mille per aras,
Barbatos leveſque Deos, juveneſque ſeneſque,
Ut quondam fecere, colens, jam errore parentum
Abjecto, ſolum unigenam ſummiſſus adorat.
Hic ſophicas artes Græcorum, & vana ſecutus
Dogmata, jam Chriſto ſapere, & bruteſcere mundo,
Gaudet apoſtolico doctus cæleſtia ludo.
Quam multos procul a portu rationis in altum
Dedecorum turbo abſtulerat, quos æquore toto
Jactatos, nimiumque vagis erroribus actos,
Nunc reduces juvat excipere, amplexuque paterno
Confotos nuſquam ſtatione abſcedere vitæ:
Quos ſi multa inter morum delicta priorum
Plectiſſet propriæ rigor implacabilis iræ,
Intercepta forent melioris tempora vitæ,
Nec ſtandi vires licuiſſet ſumere lapſis.
Mortem, inquit Dominus, peccantis nolo, nec ullum
De pereunte lucrum eſt: redeat magis. inque relictum
Mutatus referatur iter, vitaque fruatur.
Et quia virtutum ſimiles vult eſſe ſuarum
Quos genuit, vindictam, inquit, mihi cedite: reddat
Judicio quæ digna meo: detur locus iræ.
Sic dum multorum differtur pœna malorum,
Nonnulli plerumque probos revocantur in actus,
Ac fit quiſque ſibi judex, ultorque ſeverus,
Quod fuerat prius, interimens, aliuſque reſurgens.
At qui perſiſtunt errori incumbere longo,
Quamvis in multis vitiis impune ſeneſcant,
In ſævum finem venient: ibi non erit ulla
Spes veniæ, minimo ad pœnam quadrante vocando.
Nos etenim quoties cauſa quacumque movemur,
Vindictam celerem cupimus: quia rara facultas
Non patitur, læſis tempus tranſire nocendi.
At vero æternum nil effugit, omniaque adſunt
Salva Deo: nihil eſt illi tardumve, citumve:
Nec dilata umquam, nec feſtinata putemus:
Quæ veniunt, noſtris mutantur tempora rebus.
Nam quod ubique agitur, quod geſtum eſt, quodque gerendum eſt,
Ante oculos Domini puncto ſubſiſtit in uno.
Una dies cui ſemper adeſt cras, atque heri noſtrum.
Sed quamquam examen Deus omnia ſervet in illud,
Quo, quæ nunc occulta latent, reſerata patebunt:
Multa tamen mundum per ſæcula cuncta regentis
Juſtitiæ documenta dedit: dum maxima bellis
Regna quatit, dum ſæpe urbes, populoſque potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis:
Dumque inopes ditat, dejectos elevat, auctos
Imminuit, ſolvit vinctos, ſubigitque ſuperbos.
Nec vero hoc niſi cum magna ratione putandum eſt
Accidere, ut quoties iram experiuntur iniqui,
Supplicia inſontes videantur obire nocentum.
Multa quidem ſemper mundo communia in iſto
Indignos dignoſque manent. ſol omnibus idem eſt,
Idem imber: pariter ſubeuntur frigora & æſtus.
Utque indiſcreta eſt cunctis aqua, lumen, & aura,
Sic injeſtorum juſtos mala ferre neceſſe eſt:
Ut dum multa malis inſontes compatiuntur,
Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
Et qui converſos virtutis imagine ducant.
Sed cum perdendis, inde mutabilis inſtat
Finis. non eadem incumbit ſententia ſanctis.
Sunt quos diluvium mundi non obruat, & quos
Arſuris liceat Sodomis evadere: norat
Angelus Ægypti vaſtator limina ſigno
Scripta Crucis, ſacro removens a ſanguine plagam:
Nec rutilo mulier decepta eſt vellere, cujus
Sola domus tanta pereunte ſuperfuit urbe.
Fit mare per tumidum ſanctis via, fitque per amnem:
Et per inane piis gradus eſt: cibus alite ſerva
Suggeritur, perditque avidus ſua fercula meſſor.
Utque Dei ſervis nil obſit, vertitur ordo
Naturæ, vinctos labentia vincula ſolvunt:
Carcer ſponte patet, ſera non tenet objice valvas.
Deficit humor aquas. ignes calor, ira leones.
Non autem dubium eſt, in magnæ turbine cladis
Involvi teneros annos, & more parentum
Criminis expertes aliena occumbere culpa.
Nam cum homines pontus tegeret, lata per orbem
Multa puellarum, & puerorum millia notum eſt.
Nec tamen injuſte terris exempta videtur

Progenies auctura malos: cui multus in ipſo
Exitio eſt collatus honos, quod crimine patrum
Occidit ante, ſua caderet quam noxia culpa.
Quod ſi & juſtum aliquem complexa eſt pœna malorum,
Ne dubites placuiſſe Deo; nec enim mala mors eſt
Ulla bonis, quibus e vario longoque labore
Quilibet in requiem patet exitus, aſpera vitam
Dat via, nec campo capitur, ſed fine corona.
Verum nos blandis capti, offenſique ſeveris,
Nec bona judicio ſpectamus, nec mala vero:
Dum non noſtrarum curanda negotia rerum
Suſcipimus, propriiſque juvant aliena relictis.
Nec quemquam vitiis miſerum, aut virtute beatum
Cenſentes, fruſtra externis culpamque decuſque
Jungimus, & Cælo adſcripti terrena fovemus.
Felices dici mos eſt, quos blanda poteſtas
In ſummos apices tumidorum evexit honorum:
Quos magni queſtus ditarunt, & quibus amplos
Congeſſit reditus totum res fuſa per orbem.
Laudantur veſtes pretioſæ & pulcra ſupellex,
Magnæ ædes, famuli innumeri, vigileſque clientes,
Et quidquid non eſt noſtrum: quodque ut dare quivit
Una dies, ſic una poteſt auferre: nec illud
Quod ſpeciale bonum eſt hominis, nullamque timet vim,
Amplecti, miſeros, quibus hæc perdentia deſunt,
Et per mille modos pereuntia, credimus, ac ſi
Juſtitiam durus labor urgeat, & dolor ægri
Corporis, & mortes natorum, & turpis egeſtas:
Non quantas pariat conſtans tollerantia palmas,
Nec quo pugna brevis ſit proceſſura videmus:
Sed calicem crucis ac vitæ libare verentes,
Vipereum obducto potamus melle venenum.
Dulci ſunt etenim guſtu, ſpecieque decora,
Quæ morbos mortemque animæ generantque, foventque
Canceris & ritu languentia viſcera carpunt.
Cumque Deus medicam Cælo demittere curam
Dignatur, penituſque putres abſcindere fibras,
Incuſamus opem teneri, & tabeſcere morbo
Malumus, antidoti quam vim tolerare ſeveri.
Non igitur mala ſunt, quæ nos mala ducimus: & cum
Ulceribus diris non parcit dextra medentis,
Amplectenda ſalus, non exacuenda querela eſt.
Jam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
Diligit, & patrio vult emendare flagello.
Meque iſtis potius ſociet, quam congreget illis,
Quos jam ſummoto permiſit verbere curſu
Ire voluntatis, propriaque libidine ferri.
Hi ſunt vero illi, quos omnes crimine tutos
Et ſcelerum dites fructu, impunita ſenectus
Extremæ turpis vitæ produxit in oras:
Hi juſtum injuſtis odiis preſſere: per iſtos
Bella excita piis, & flagra medentia tardis.
Namque eadem cunctos exercent tela fideles
Sub duplici cauſa: dum quo torquentur iniqui,
Hoc Sancti creſcunt: & quo pœnam attulit illis
Pro culpa, hoc iſtis dat pro virtute coronam.
Denique ſi quidquid mundanis rebus acerbum
Accidit, excutias, totum jam ſponte videbis
Anticipaſſe Dei famulos: gemit ille talentis
Argenti atque auri amiſſis: hunc rapta ſupellex,
Perque nurus Geticas diviſa monilia torquent:
Hunc pecus abductum, domus uſtæ, potaque vina
Afficiunt, triſtes nati, obſcœnique miniſtri.
Sed ſapiens Chriſti ſervus nil perdidit horum,
Quæ ſprevit, cæloque prius tranſlata locavit.
Ac ſi quid mundi ſub tempeſtate laborum
Incidit, intrepide ſubiit, manifeſtus honoris
Promiſſi, & cupidus victo certamine ſolvi.
At tu, qui ſqualidos agros deſertaque defles
Atria, & exuſtæ proſcenia diruta villæ,
Nonne magis propriis poſſes lacrimas dare damnis,
Si potius vaſtata tui penetralia cordis
Inſpiceres? multaque obtectum ſorde decorem?
Graſſanteſque hoſtes captivæ mentis in arce?
Quæ niſi per cunctas patuiſſet dedita portas,
Inque ſuam cladem facibus fomenta dediſſet,
Hæc etiam quæ facta manu ſpecioſa fuerunt
Devoti meritum populi teſtata manerent.
Sed cum deformi jaceant proſtrata ruina,
Objiciunt nobis caſus noſtroſque, ſuoſque.
Hos igitur cineres templorum, hæc buſta potentum,
Quæ congeſta jacent, populati cordis in aula
Plangamus captiva manus, nos ſplendida quondam
Vaſa Dei, nos almæ arcæ & ſacraria Chriſti,
In quibus argentum eloquii, virtutis & aurum,
Et ſceptrum captum eſt crucis, & diadema decoris.
Nec rabidis juſtam moveamus queſtubus iram,
Judicium culpando Dei, quod mentis & oris
Officium multa tranſcendit majus abyſſo.
Quamvis exiguo hoc fugientis tempore vitæ
Injuſti tumeant, & tuta pace ſuorum
Lætentur ſcelerum: nonque illos vinea fallat,
Non ager: & noceant illæſi, & crimine creſcant:
Nos, quibus in Chriſto ſunt omnia, non capiant res
Occiduæ: quas nec nobiſcum inveximus orti,
Nec diſceſſuri, mundo exportabimus iſto.
Sed ſi quis ſupereſt animi vigor, excutiamus
Peccati ſervile jugum: ruptiſque catenis
In libertatem, & patriæ redeamus honorem.
Impia non oberunt cum ſævo pacta tyranno
Captiva conſcripta manu: reſolubile Chriſto eſt
Hoc fœdus; quod jure poteſt ſubvertere juſtos
Averſos revocans & ſuſcipiens converſos,
Sanguine quos proprio quæſivit prodigus emptor.
Si tamen aſſertoris opem feſtina voluntas
Præveniat, fletu dominum motura fideli.
Nam ut nemo invitus, ſomnove quietus in alto
Fit ſalvus, nec qui petitur, qui ſponte receſſit,
Sic pulſata patent redeuntibus atria vitæ,
Et recipit Cæli ſervatos curia cives.
Cujus ſpem veniæ firmato corde foventes
Implorate Deum, pugnaſque relinquite fratres
Verborum & lites de pravis ſenſibus ortas,
Nec quia procidimus fuſi certamine primo,
Stare & conflictum vereamur inire ſecundum.
Cuncta licet variis terroribus impleat hoſtis,
Et vigili clauſas obſidat milite portas:
Cum victo tamen eſt bellum, ſi carne vetuſta
Exuti, in Chriſti renovemur corpus, & omnem
Vincendi nobis vim de victore petamus.
Qui dum noſtra ſuis ſociat, junxit ſua noſtris;
Ut non humanis fidens homo, totus in illum
Se referat: ſine quo non ſtant, qui ſtare videntur:
Et per quem ſparſi coeunt, ſtratique reſurgunt.
Hæc ſat erit parvo rudibus ſcripſiſſe libello:
Qui cum ſincerum vivo de fonte liquorem
Guſtarint, ipſi profundent flumina ab alvo
Cordis, & irriguas præbebunt fratribus urnas.

S. HILARII

DE EPIPHANIA HYMNUS.

Georgius Fabricius.

Jeſus refulget omnium
Pius Redemptor gentium,
Totum genus fidelium
Laudes celebret dramatum.
Quem ſtella natum fulgida
Monſtrat micans per æthera,
Magoſque duxit prævia
Ipſius ad cunabula.
Illi cadentes parvulum
Pannis adorant obſitum,
Verum fatentur & Deum,
Munus ferendo myſticum.
Denis ter annorum cyclis
Jam parte vivens temporis,
Lympham petit baptiſmatis
Cunctis carens contagiis.
Felix Johannes mergere
Illum tremiſcit flumine,
Poteſt ſuo qui ſanguine
Peccata mundi tergere.
Nos, Chriſte, ſubnixa prece
Omnes precamur, protege,
Qui præcipis rubeſcere
Aquæ potenter hydriæ.

Hymnus Jejunantium.

Jeſu quadragenariæ
Dicator abſtinentiæ,
Quique ob ſalutem mentium
Hoc ſanxeras jejunium,
Quo paradiſo redderet
Servata parſimonia,
Quos inde gaſtrimargiæ
Huc illecebra depulit:
Adeſto nunc Eccleſiæ,
Adeſto pœnitentiæ,
Qua pro ſuis exceſſibus
Orat profuſis fletibus.
Tu retro acta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Cuſtodiam, mitiſſime,
Ut expiati his annuis
Jejuniorum victimis,
Tendamus ad Paſchalia
Digne colenda gaudia.

In die Pentecoſtes.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclitus
Effulſit in Diſcipulos.
Ignis vibrantis lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut eſſent proflui,
Et charitate fervidi.
Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pavent Gentilium,
Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.
Parrata ſunt hæc myſtica,
Paſchæ peracto tempore,
Sacro dierum munere,
Quo lege fit remiſſio.
Dudum ſacrata pectora
Tua repleſti gratia,
Dimitte nunc peccamine,
Et da quieta tempora.
Tu nunc, Deus piiſſime,
Vultu precamur cernuo,
Illapſa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

DE GLORIA ET GAUDIIS PARADISI

DIVI AURELII AUGUSTINI

VERSUS POLITICI.

Georgius Fabricius.

Ad perennis vitæ fontem
Mens ſitivit arida,
Clauſtra carnis præſto frangi
Clauſa quærit anima,
Gliſcit, ambit, eluctatur
Exul frui patria.
Dum preſſuris, ac ærumnis
Se gemit obnoxiam,
Quam amiſit, cum deliquit,
Contemplatur gloriam.
Præſens malum auget boni
Perditi memoriam.
Nam quis promat, ſummæ pacis
Quanta ſit lætitia?
Ubi vivis margaritis
Surgunt ædificia,
Auro celſa micant tecta,
Radiant triclinia.
Solis gemmis pretioſis
Hæc ſtructura nectitur,
Auro mundo tamquam vitro
Urbis via ſternitur.
Abeſt limus, deeſt fimus,
Lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æſtas torrens
Illic numquam ſæviunt,
Flos perpetuus roſarum
Ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubeſcit

 Cro-

Crocus, ſudat balſamum.
Virent prata, vernant ſata,
Rivi mellis influunt,
Pigmentorum ſpirat odor,
Liquor & aromatum.
Pendent poma floridorum
Non lapſura nemorum.
Luna non alternat vices,
Sol, vel curſus ſiderum,
Agnus eſt felicis urbis
Lumen inoccidnum.
Nam & ſancti quique velut
Sol præclarus rutilant,
Poſt triumphum coronati
Mutuo conjubilant,
Et proſtrati pugnas hoſtis
Jam ſecuri numerant.
Omne labe defecati
Bella carnis neſciunt,
Caro facta ſpiritalis,
Mens & unum ſentiunt,
Pace multa perfruentes
Scandala non perferunt.
Mutabilibus exuti
Repetunt originem,
Veritatis & præſentem
Contemplantur ſpeciem:
Fontis hinc vivi vitalem
Hauriunt dulcedinem.
Inde ſtatum ſemper idem
Exeuntes capiunt,
Clari, virides, jucundi
Nullis peccant caſibus.
Abſunt morbi ſemper ſanis,
Senectus juvenibus.
Hinc perenne tenent eſſe,
Nam tranſire tranſiit,
Inde virent, vigent, florent,
Corruptela corruit,
Immortalitatis vigor
Mortis jus abſorbuit.
Qui ſcientem cuncta ſciunt,
Quid neſcire hi queunt?
Nam & pectoris arcana
Penetrant alterutrum,
Unum volunt, unum nolunt,
Unitas eſt mentium.
Licet cuique ſit diverſum
Pro labore meritum,
Charitas hoc facit ſuum,
Quod, dum amat alterum,
Proprium ſic ſingulorum
Fit commune omnium.
Ubi corpus, illic jure
Congregantur Aquilæ,
Quo cum Angelis & ſanctæ
Recreentur animæ.
Uno pane vivunt Cives
Utriuſque Patriæ.
Avidi, & ſemper pleni,
Quod habent, deſiderant,
Non ſatietas faſtidit,
Neque fames cruciat:
Inhiantes ſemper edunt
Et edentes inhiant.
Novas ſemper harmonias
Vox meloda concrepat,
Et in jubilum prolata
Mulcent aures organa,
* Dignaper quem ſunt Victores
Regi dant præconia.
Felix Cæli quæ præſentem
Regem cernit anima,
Et ſub ſede ſpectat alta
Orbis volvi machinam,
Solem, Lunam, & globoſa
Cum planetis ſidera.
Chriſte, Palma Bellatorum,
Hoc in municipium
Introduc me, da ſoluto
Militare cingulum,
Fac conſortem donativi
Beatorum Civium.

Ejuſdem ex Cap. XVIII. Meditationum.

Oratio devotiſſima ad Chriſtum.

Spes mea, Chriſte Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, ſalus, decor, & decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute.
Cernito vincla, crucem, vulnus, mortem, atque ſepulchrum.
Poſt tres inde dies devicta morte reſurgens,
Diſcipulis viſus nutantia corda reformans,
Luce quaterdena cælorum ſumma petiſti.
Vivis in æternum, nunc & per ſecula regnans.

ANDREÆ ORATORIS
DE MARIA VIRGINE
AD RUSTICIANAM CARMEN.

Caſpar Barthius Adverſ. Lib. LVI. Cap. XVI.

Virgo parens hac arce Deumque, virumque creavit,
Gnara puerperii, neſcia conjugii.
Obtulit hæc juſſis uterum, docuitque futuros,
Sola Fides Chriſti quod queat eſſe capax.
Credidit, & tumuit, verbum pro ſemine ſumſit,
Clauſerunt magnum parvula membra Deum.
Conditor exſtat opus, ſervi Rex induit artus,
Mortalemque domum vivificator habet.
Ipſe ſator ſemenque ſui, matriſque creator,
Filius ipſe hominis, qui Deus eſt hominis.
Adſuluit partus, lucem lux noſtra petivit,
Hoſpitii linquens oſtia clauſa ſui.
Virginis, & Matris ſervatur gloria conſors,
Mater das hominem nolcere, Virgo Deum.
Unius colitur duplex ſubſtantia nati,
Vir, Deus, hæc duo ſunt: unus, utrumque tamen.
Spiritus huic, Genitorque ſuus ſine fine cohærent,
Triplicitas ſimplex, ſimplicitaſque triplex.
Bis genitus, ſine matre opifex, ſine Patre Redemtor,
Celſus utroque modo, celſior unde minor.

Sic

Sic voluit naſci, domuit qui crimina mundi,
Et mortem juſſit, mortuus ipſe, mori.
Noſtras ille ſuo tueatur numine vitas,
Protegat ille tuum, Ruſticiana, genus.

D. Liberii Poetæ de Sedulio Acroſtichis.

S edulius Domini per culta novalia pergen S
E n loca conſpexit multo radiantia flor E
D iſcurrit per prata libens; quo gramine Davi D
V idit divino modulantem carmina cant U
L audato pſallente viro refluit citharæ me L.
I lle ubi grandiſono, captus dulcedine plectr I,
U titur, & celeri graditur per lilia paſſ U
S acratoſque iterum late proſpexit amœno S
A eterna Chriſti fluvios quos abluit und A
N ec paſſus torpere diu Doctoris acume N
T unc ſua Davidico delectu plectra popoſci T
I rrita polluti contempſit numina mund I.
S igna Crucis fronti ponit, breviterque triumpho S
T angit, Chriſte, tuos: numeroſaque prælia liba T
E rgo is dum vario decorat ſua rura color E,
S tabunt hi, gracili ducti teſtudine, verſu S.

Beliſarii Poetæ de Sedulio Achroſtichis altera.

S edulius Chriſti miracula verſibus eden S
E micat, invitans parvæ ad ſolennia menſa E
D ignum convivam: non hunc qui carperet illu D
V ix quod nobilium triplici fert aula parat U
L ætum quod ponitque ſub aurea tecta tribuna L
I n quo gemmiferi totque aurea vaſa caniſtr I
V ivida pro modico portant ſibi gaudia vict U:
S ed quod olus vilis producit pauperis hortu S,
A c poſt delicias properant qui ſumere magn A
N ituntur parvum miſerorum ſpernere grame N,
T antum quod nihil eſt dum nil cum ventre tumeſci T
I nſidias membriſque movens animæque luent I,
S i tamen his dapibus veſci dignantur egeni S
T emnat divitias animus, pauciſque quieſca T
E xemplo aſſumpto Domini, qui millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis ſatiavit ab eſci S.

LUXORII CARMINA

Ex Claudii Salmaſii Notis in Ælium Spartianum.

QUid feſtinus abis ventre impellente Sacerdos?
An tibi pro pſalmis pocula corde ſedent?
Pulpita Templorum, non pulpita quære tabernæ:
Numina quo laudes, non phialas referas.

Ex notis Claudii Salmaſii in Flavium Vopiſcum. De Tabliſta, & Tabula, & Teſſeris.

Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtis.
Hic ſi forte unam Tabulam non arte ſed errans
Vicerit, aut aliam nil bene dante manu:
Mox inflat venas, & placida guttura tendit,
Pulſque furit vincens, quam ſuperatus erat.

Ibidem.

Effundit tabulam, menſam, ſubſellia, purgum,
Et putat imperio currere puncta ſuo.

Ibidem.

Ludit cum multis Vatanas, ſed ludere neſcit,
Et putat imperio currere puncta ſuo.

De eo, qui Amicos ad prandium clamabat, ut plura expoſceret xenia.

Gaudeo quod me nimis, ac frequenter
Ambitu paſcis Blumarit ſuperbo.
Unde ſed paſcor, mea ſunt per omnes
Sparſa convivas bona: nec volebam
Paſceres quemquam, petereſque mecum,
Ne tibi quidquam detur, unde paſcas.
Hoc tamen ſi tu vitio teneris,
Me precor numquam jubeas vocari.

Reliqua Luxorii Epigrammata vide T. 4. Claſſ. 7. Epig. VIII. XVII. XXII.

EPITAPHIA CHRISTIANA.

Ep. I. *Burmannus. In Boethium.*

Mæoniæ & Latiæ linguæ clariſſimus, & qui
Conſul eram, hic perii miſſus in exilium.
At quid mors rapuit? probitas me vexit ad auras:
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

Ep. II. *Idem.*

Fortunæ & virtutis opus, Severine Boethi,
E patria pulſus non tua per ſcelera;
Tandem ignotus habes qui te colat, ut tua virtus,
Ut tua Fortuna, promeruitque Sophos.
Poſt obitum dant fata locum, poſt fata ſuperſtes
Uxoris propriæ te quoque fama colit.

Ep. III. *Idem. Helpidis Siculæ Epitaphium.*

Helpes dicta fui, Siculæ regionis alumna,
Quam procul a patria conjugis egit amor.
Quo ſine mæſta dies, nox anxia, flebilis hora,
Nec ſolum una caro, ſpiritus unus erat.
Lux mea non clauſa eſt, tali remanente marito,
Majorique animæ parte ſuperſtes ero.
Porticibus ſacris jam non peregrina quieſco,
Judicis æterni teſtificata thronum.
Nulla manus buſtum violet, niſi forte jugali
Hæc iterum cupiat jungere membra ſuo.
Ut thalami tumulique comes nec morte revellar,
Et ſocios vitæ nectat uterque cinis.

Ep. IV. *Idem.*

Sublimes quiſquis tumuli miraberis arces,
Dices, quantus erat, qui Probus hic ſitus eſt.

Conſulibus proavis, ſocerisque, & Conſule major,
Quod geminas Conſul reddidit ipſe domos.
Præfectus quartum, tota dilectus in urbe,
Sed fama emenſus quidquid in orbe hominum eſt.
Æternos, heu, Roma, tibi qui poſceret annos,
Cur non vota tui vixit ad uſque boni?
Nam cum ſex denos menſis ſuſpenderet annos,
Dilectæ e gremio raptus in æthra Probæ.
Sed periiſſe Probum meritis pro talibus abſit,
Credas, Roma, tuum: vivit. & aſtra tenet.
Virtutis, Fidei, Pietatis, Honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipſe fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Probi ſortita eſt, jungat ut urna pares.
Felix, heu nimium felix, dum vita maneret,
Digno juncta viro, digna ſimul tumulo.

Ep. V. *Idem*.

Conſimiles fratrum trabeis geſtamina honorum
Tertia, quæ deerant, addidimus titulis.
Dilectæ Probus hæc perſolvo munera matri,
Reſtituens ſtatuis præmia, quæ dederat.

Ep. VI. *Bonadæ. Magni Felicis Ennodii Epitaphium*.

Ennodius vates lucis rediturus in ortus
Hoc poſuit tumulo corporis excubias.
Clarus prole quidem, generoſior ipſe propinquis,
Quos functus laudum juſſit habere diem.
Reddidit hos cælo vivacibus ille figuris,
Cum fecit famæ vivere conloquiis.
Quid mirum, ſi morte caret poſt buſta ſuperſtes,
Qui conſanguineos reſtituit ſuperis?
Quantus ai iſte foret, mundi celebratur in ortu,
Nec ſilet occidui cardinis Oceanus.
Schiſmata conjunxit dudum diſcordia legi,
Atque fidem Petri reddidit Eccleſiis.
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte
Reſtituit Chriſto innumeros populos.
Largus, vel ſapiens, diſpenſatorque benignus
Divitias credens quas dedit ipſe ſuas.
Templa Deo faciens Hymnis decoravit & auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.

Ep. VII. *Idem*.

Caſſius immerito Præſul de munere Chriſti
Hic ſua reſtituo Terræ mihi credita membra,
Quem fato anticipans conſors dulciſſima vitæ
Ante meum in pacem requieſcit fauſta ſepulcrum.
Tu, rogo, quiſquis ades, prece nos memorare benigna,
Cuncta recepturum te noſcens congrua factis.

Ep. *VIII. Idem*.

Virginis hic teneræ lector miſerere ſepulchro,
Unius huic luſtri vix fuit acta dies.
O quam longinquæ fuerat digniſſima vitæ
Heu! cujus vivit nunc ſine fine dolor!
Addamus meritis lacrimas tam mortis acerbæ,
Nam quæ grata forent, ſunt modo flenda diu.

Hæc Theodote habuit nomen, quæ gaudia Matris
Perculit æterno vulnere rapta cito.
Sola tamen tanti reſtant ſolamina luctus,
Quod tales animæ protinus aſtra petunt.

Ep. *IX. Idem*.

Hic mihi cara pio tegitur conjux ecce ſepulchro,
Emerita ſantifico ſemper ſociata pudore
Bis duodenos & fida Deo quæ pertulit annos,
Inviolata malo, felici condita luci,
Sanctimoniumque gerit domino tribuente coronam.

Ep. *X. Idem*.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper amor, decuſque tuum, laudeſque manebunt,
O dulcis conjux, teneris erepta ſub annis
Extinxiſti hic meque ſimulque matremque patremque.

Ep. XI. *Idem*.

Sanctorum veneranda cohors ſedet ordine....
Divinæ legis myſtica verba docens.
Hos inter reſidens Agapetus jure ſacerdos
Codicibus pulcrum condidit arte locum.
Gratia par cunctis, ſanctus labor omnibus unus,
Diſſona verba quidem, ſed tamen una fides.

Ep. XII. *Idem*.

Hæc tenet urna duos, ſexu ſed diſpare fratres,
Quos uno Lacheſis merſit acerba die.
Ora puer dubiæ ſignans lanugine veſtis,
Vix hiemes licuit cui geminare novem.
Nec thalamis longinqua ſoror Trieteride quinta
Tænareas crudo funere vidit aquas.
Ille Remi Latio fictum de ſanguine nomen,
Sed Gallos claro germine traxit avos.
Aſt hæc Trojugenam reſonans Archontia linguam,
Nomina Virgineo non tulit apta choro.

Ep. XIII. *Idem*.

Hoc auguſte quidem tumulo tua membra teguntur,
Sed numquam meritum parvula claudit humus.
Corpus habet tellus, animam cæleſtia regna,
Sic ſedes proprias ſingula rite tenent.
Devotus Domino vixiſti corde fidele,
Preſbyteri officium ſub pietate gerens.
Largus pauperibus, dives tibi, carus amicis,
Divinæ legis juſſa verenda colens.
Et felix tanto laudum cumulatus honore,
Perpetuus merito jam fruiture bonis.

Ep. XIV. *Idem*.

Hic Benedictus adeſt merito ſub rupe ſepulcri,
Quem tenet Angelicus cœtus in arce poli.
Qui

Qui fuerat fortuna pius, natura decorus,
Moribus & caſtis fulſit in orbe ſatis.
Dogmatis egregii prorſus documenta miniſtrans
Oſtendit multis lucis adire viam.
Aurea ſecla cui pateant ſine fine per ævum,
Sorte beatifica ſcandat ut æthereas.

Ep. XV. *Mabillonius de Re Diplomatica Supplem. Cap. ult. pag.* 8.

Da puer plectrum, choreis
Ut canam fidelibus
Dulce carmen & modulum,
Geſta Chriſti inſignia:
Hunc Camœna noſtra ſolum
Pangat, hunc laudet lyra.
Chriſtus eſt, quem rex ſacerdos
Ad futurum protinus
Infulatus concinebat,
Spiritum cælo influentem
Per medullas hauriens.

Ep. XVI. *Bonada*.

Heu quantos luctus renovas, gratiſſime fili,
Bonite moriens o decus atque dolor!
Quam bene cum ingenio florebas, Barbula, grato,
Moribus ornatus, pulcher & acer eras.
Omnibus & ſubito requieſcis, nate ſuavis,
Heu ſpes clara mihi, te ſine vita gravis!
Hoc genitor cecinit Taurus lacrimabile carmen,
Cujus flamma urit pectus amore pio.

Ep. XVII. *Idem*.

Mors, quæ perpetuo cunctos abſorbit hiatu,
Parcere dum neſcit, ſæpius inde favet.
Felix qui affectus potuit dimittere tutos,
Mortalem moriens non timet ille viam.
Candida præſenti tegitur matrona ſepulcro,
Moribus, ingenio, & gravitate nitens.
Cui dulcis remanens conjux, natuſque ſuperſtes,
Ex fructu mater noſcitur in ſobole.
Hoc precibus ſemper, lacrimoſa hoc voce petebat,
Cujus nunc meritum vota ſecunda probant.
Quamvis cuncta domus te numquam flere quieſcit,
Felicem, fateor, ſic meruiſſe mori.

Ep. XVIII. *Idem*.

Acceleres quamvis, orat te flebile ſaxum,
Conſpicias, quis ſit conditus hoc tumulo.
Curtius hic ſitus eſt pietate inſignis & annis
Villanus, Superis reddidit aſt animam.
Ne pudeat, noſtrum tu qui legis advena nomen
Dicere, Villano ſit precor alma quies.

Ep. XIX. *Idem*.

Parvus erat locus ante ſacris anguſtus agendis,
Supplicibuſque negans pandere poſſe manus:
Nunc populo ſpatioſa piis altaria præbet
Officiis medii martyris in gremio.
Cuncta Deo renovata placent; novat omnia ſemper
Chriſtus, & in cumulum luminis amplificat.
Sic & dilecti ſolium Felicis honorans,
Et ſplendore ſimul protulit, & ſpatio.

Ep. XX. *Idem*.

Atria, quæ cernis vario formata decore,
Squallida ſub picto cælatur marmore tellus,
Longa vetuſtatis ſenio fuſcaverat ætas.
Priſca en ceſſerunt magno novitatis honori,
Præſulis Heliæ ſtudio præſtante beati.
Hæc ſunt tecta pio ſemper devota timori.

Ep. XXI. *Idem*.

Pontificis ſancti cineres tenet Honorati
Arca hominis vilis, qui manet ingenio.
Hunc ſanctum docuit, nutrivit paſtor alumnus
Egregius Martyr, præſul & Euſebius.
Exilii pœnas & carceris iſte ſubivit
Diſcipulus carus, & ſocius pariter.
Ambo fide digni meritis & nomine fratres
Cum Chriſto juncti præmia ſumma tenent.

Ep. XXII. *Idem*.

Tertius hanc urbis ſedem tenuit Honoratus
Antiſtes, cujus ſpiritus aſtra tenet.
Euſebius præſul primus, qui Martyr alumnus
Cælorum poſtquam regna beata petit.
Hic pater Eccleſiam docuit hanc dogmate certo,
Sermones complens actibus ipſe ſuos.
Terris ac Cælo conſpicuus ubique magiſtro
Euſebio conſors hic Honoratus adeſt.

Ep. XXIII. *Idem*.

Pontia ſidereis aſpirans vultibus olim
Hic jacet, æthereo ſemine lapſa fuit.
Omnis honos, omnis tibi ceſſit gratia formæ,
Mens quoque cum vultus digna nitore fuit.
Tradita Virgo thoris decimum non pertulit annum,
Conjugis infelix unica prole perit.
Quantus amor mentis, probitas quam grata marito,
Quam grati mores, quantus & ipſe pudor!
Nil tibi, quod fœdum vitium, nec moribus ullum,
Tum fatis obſequeris famula dicta viri.
Denique te memet fatis odioque gravatam
Dum ſequeris, vidit Corſica cum lacrimis.
Tuta virum pergens curſu ſubvecta rotarum
Conjugis heu cultrix dura fatis pateris.
Te pater infeſtus genero cum tollere vellet

Tenta-

Tentaſti, laqueum ſi faceret genitor.
Cedite jam veterum laudes. omniſque maritæ
Tempora nulla dabunt talia quæ faciant.
Vir tuus ingenti gemitu, fletuque rigatus
Hos feci verſus, pauca tamen memorans.

Ep. XXIV. *Idem.*

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe
Cedual armipotens, liquit amore Dei,
Ut Petrum, ſedemque Petri Rex cerneret hoſpes,
Cujus fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificumque jubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit:
Percipienſque alacer redivivæ præmia vitæ
Barbaricam rabiem, nomen & inde ſuum,
Converſus convertit ovans, Petrumque vocari
Sergius Antiſtes juſſit ut ipſe Pater.
Fonte renaſcentis quem Chriſti gratia purgans
Protinus albatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Chriſti,
Cujus conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens ſupremo ex orbe Britanno
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aſpexit Petri myſtica dona gerens.
Candidus inter oves Chriſti ſociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente ſuperna tenet.
Commutaſſe magis ſceptrorum inſignia credas,
Quem regnum Chriſti promeruiſſe vides.

Ep. XXV. *Idem.*

Limine Virgineo hic ſplendida membra quieſcunt.
Inſignes animis caſtis velamine ſacro
Crinibus impoſito cælum petiere ſorores,
Innocuæ vitæ meritis operumque bonorum,
Noxia vincentes Chriſto juvante venena
Inviſi anguis palmam tenuere perennem,
Aſpide calcato ſponſi virtute triumphant,
Lætanturque ſimul pacata in ſecula miſſæ
Evictis carnis vitiis, feroque Dracone
Obluctante diu ſubigunt duriſſima bella.
Nam cunctis exuta malis hic corpora condunt,
Tantus amor tenuit ſemper ſub luce ſacratus,
Jungeret ut tumulo ſanctarum membra ſororum,
Alvus quas Matris mundo emiſerat una.
Floribus & variis operum gemmiſque nitentes
Lucis perpetuæ magno potiuntur honore.
Adventum ſponſi nunc præſtolari jubentur.
Veſte ſacra domino comptæ donante beatæ
Immortale decus numeroſa prole Parentes
Æterno regi fidem pietate ſacrarunt.
Ad Cælum mittet pariter Domus una ſepulcri
Mirifico genitrix fœtu quæ quatuor agnas
Protulit, electis claris quæ quatuor aſtris
Emicuit caſto dono comitante Maria.
Lætatur gaudens germanis ſepta puellis
Ingreſſa templum Domini. venerabile munus
Accipiunt, duros quoniam vicere labores.
Nomina Sanctarum, lector, tu forte requiris?
Ex omni verſu te littera prima docebit.
Hunc poſuit titulum neptis Taurina ſacratum.

Ep. XXVI. *Idem.*

Hic aviam, neptemque locus poſt fata recepit,
Quaſque dies olim fecerat unanimes.
Evolat ad ſuperos mentis quoque gratia ſimplex,
Sepulcrum duplex corpora nunc ſociat.
Alterius præſtant votis ſic lumine vero,
Hac jacuere ſimul Niſus & Euryalus.

Ep. XXVII. *Idem.*

Rapta jacet natis, quos mater ad ubera liquit,
Atque viro pariter, quem cito deſtituit.
Triſte miniſterium gemini ſubiere parentes,
Funere de tanto quos coquit ipſe dolor.

Ep. XXVIII. *Idem.*

Cervia quæ fidei vexit fundamina ſeclo,
Ter denos ævo binos quater attulit annos,
Læta, doliſque expers, culpa procul, impigra, honeſta,
Aſtrigeram ſecat alma viam, cæloque recepta
Hic vitæ metas & inania membra reliquit.

Ep. XXIX. *Idem.*

Pande tuas, Paradiſe, fores, ſedemque beatam,
Andreæ meritum ſuſcipe Pontificis.
Cultor juſtitiæ, doctrinæ & pacis amator,
Quem vocat ad ſummum vita beata bonum:
Plenus amore Dei neſcivit vivere mundo,
At famulo Chriſti gloria Chriſtus erat.
Quæ meditata fides, & credita ſemper inhæſit,
Hæc te uſque ad Cælos & ſuper aſtra tulit.
Numquam de manibus tibi lex divina receſſit,
Eloquium domini vixit in ore tuo.
Romanamque prius decoravit Preſbyter urbem,
Culminis auctus honos hic dedit eſſe patrem.
Diſtrictus ſub jure pio, & moderamine certo,
Utque bonus paſtor rexit ab hoſte gregem.
Hoſpitibus gratus ſeipſum donavit egenis,
Illos eloquio, hos ſatiavit ope.
Præſule ſub tanto florens Eccleſia mater
Crevit muneribus, crevit & officiis.

Ep. XXX. *Idem.*

Hic jacet in tumulo, quem flevit Rhetica tellus,
Maxima ſummorum gloria Pontificum,
Abjectis qui ſudit opes, nudataque texit
Agmina, captivis præmia larga ferens.
Eſt pietas vicina polo, nec funeris ictum
Sentit ovans, meritis qui petit aſtra bonis.

Hic

Hic pollens titulis Valentiniane ſacerdos
Crederis a cunctis non potuiſſe mori.

Ep. XXXI. *Idem.*

Germina ſublimi Proba nomine, mente probata,
Quæ ſubito rapta eſt, hic tumulata jacet.
In qua, quidquid habent cunctorum vota parentum,
Contulerat tribuens omnia pulcra Deus.
Hinc mœſtus Pater eſt aviæ matrique perennis
Eſt dolor. heu facinus! tanta petit pietas.
Accipe qui lacrimis perfundis jugiter ora:
Mors nihil eſt. vitam reſpice perpetuam.

Ep. XXXII. *Idem.*

Fama refert ſanctos dudum retuliſſe parentes
Agnem, cum lugubres cantus tuba concrepuiſſet,
Nutricis gremium ſubito liquiſſe puellam,
Sponte trucis calcaſſe minas rabiemque Tyranni,
Urere cum flammis voluiſſet nobile corpus.
Viribus immenſum parvis ſuperaſſe timorem,
Nudaque profuſum crinem per membra dediſſe,
Ne domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi, ſanctum decus, alma pudoris,
Ut Damaſi precibus faveas, precor, inclyta Martyr.

Ep. XXXIII. *Idem.*

Humano generi legem natura creatrix
Hanc dedit, ut tumulo membra ſepulta tegant.
Liberii ſoboles Patri matrique ſepulcrum
Triſte miniſterium mente dedere pia.

Ep. XXXIV. *Idem.*

Hic ſunt membra quidem, ſed famam non tenet urna,
Nam durat titulis neſcia vita mori.
Rexit Romuleos faſces currentibus annis,
Succeſſu parili Gallica jura tenens.
Hos non imbelli pretio mercatus honores,
Sed pretium majus detulit alma fides.
Auſoniæ populis gentiles rite cohortes
Diſpoſuit, ſanxit fœdera, jura dedit.
Cunctis mente Pater toto memorabilis ævo
Terdenis annis proximus occubuit.
O quantum bene facta valent! cum membra recedunt,
Neſcit fama mori: lucida vita valet.

Ep. XXXV. *Idem.*

Fœdula, quæ Mundum domino miſerante reliquit,
Hoc jacet in tumulo, quem dedit alma fides.
Martini quondam proceris ſub dextera tincta
Crimina depoſuit fonte renata Dei.
Ad hanc marturibus ſedem tribuentibus aptam
Carbaſium procerem Protaſiumque colit.
Emeritam requiem titulo ſortita fideli.
Confeſſ . . . .

Ep. XXXVI. *Idem.*

Patrono meritis, fueris qui carn. amicis,
Hic requirende diu tu miſerande jaces.

Ep. XXXVII. *Idem.*

Maximus hic ſitus eſt primævo flore juventæ,
Fratribus, & nobis dulcis amicus obit.
Olli quippe ætas viginti eſt acta per annos,
Quintum poſt menſem, quartam & ad uſque diem.

Ep. XXXVIII. *Idem.*

Sparge roſas, lector, & lilia candida pone,
Et rite ſacrum tu venerare locum.

Ep. XXXIX. *Idem.*

Virtutum gemmis & morum flore venuſta.
Hanc imitare velis, ſi bonus eſſe cupis.

Ep. XL. *Idem.*

Poſtquam, mors, Chriſti pro nobis morte periſti,
In Domini famulos nil tibi juris erit.
Pone trucem rabiem: non eſt ſævire poteſtas,
Aut quid victa furis, nil nocitura piis.
Hoc liquidem melius demiſſo vivitur orbe,
Cum tamen ut vivat, hic ſibi quiſque facit.

Ep. XLI. *Idem.*

Hic ſita ſunt Papæ Bonifacii membra ſepulchro,
Pontificale ſacrum qui bene geſſit opus.
Juſtitiæ cuſtos, rectus, patienſque, benignus,
Cultus in eloquiis, & pietate placens.
Flete ergo mecum paſtoris funera cuncti,
Quos tædet citius his caruiſſe bonis.

Ep. XLII. *Idem.*

Atria magnifici ſunt membris plena ſepulti,
Sedis Apoſtolicæ Bonifacii præſulis almæ.

Ep. XLIII. *Idem.*

Sacri fontis honor, labor eſt, meritumque duorum,
Pontificum, per quos contulit iſta Deus.
Nam quæ magnificis cœptis Bonifacius auxit,
Hæc Cæleſtinus compſit ad omne decus.

Ep. XLIV. *Idem.*

Unda lavat carnis maculas, ſed crimina purgat,
Purificatque animas mundior amne fluens.
Quiſque ſuis meritis veneranda ſacraria Pauli
Ingrediens, ſupplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longo ævo incuria curſus,
Quos tibi nunc pleno cantarus ore vomit.
Provida Paſtoris per totum cura Leonis
Hæc ovibus Chriſti larga fluenta dedit.

Ep.

Ep. XLV. *Ex novo Tractatu Diplomatico Benedictinorum quorumdam Congregationis S. Mauri Tom. III. P. II. Sect. IV.* Cap II *Art* I. *pag.* 58.

Expulerat primogenitum ſæviſſimus anguis
Florigera de ſede virum, blandique ſaporis
Inlecebris letum miſero portarat amarum.
Nec ſolus meritam præſumptor ſenſerat iram,
Mortali ſub lege jacens, ſed prorſus ab ipſo
Humanum ſimul omne genus. heu noxia conjux!
Noxia tu conjux magis, an draco perfidus ille?

Ep. XLVI. *Idem. Ex Ephemeridibus Romanis Palearinorum an.* 1757.

In tumulo mors ſæva jace. cæleſtia regna
Iſte vider, cujus membra ſepulta premis.
Lux fugitiva ſuæ complevit tempora vitæ:
Redditur hæc meritis, quæ ſine fine manet.

F I N I S.

PRÆ-

PRÆTERMISSA ET ADDENDA

Addendum Plauti Comœdiæ Aululariæ poſt Actus quinti Scenam primam, quæ eſt Tom. I. p. 36. Supplementum hoc ex Plautina Simonis Carpentarii Editione.

Ly. *QUid hic quondam pervicus addit?*
Non feramn' umquam? St. *Quod non habeo.* Ly. *Efferaris, cave,*
Niſi actutum ſeni id auri redditio eſt. St. *Sive perpenſus ferar*
Libitinarius, ſive pollinctorius efferar, numquam dabo, niſi fodiam
Noviter arrogiam. Ly. *Væh capiti tuo.* St. *Imo ſenis & capiti*
Et pectori, qui auri tantum perdidit. Ly. *Quis repperit?*
St. *Quem reperiſſe vis.* Ly. *Qui in arca illud ſubraptum habere*
Autumat. St. *Quam pulchre tibi, here, conniverent oculi, ſi id*
Factum fateor. ludo: quod luſi tecum, non par eſt identidem
Serio vortier. Ly. *At nunc jam ne me irritaſſis, i, & aurum*
Redde: ſuſque deque haud agites. St. *Here, id ſi reperibitur,*
Certum eſt geminam te lanceam confitentem icere. Ly. *I, & redde.*
St. *Vis craſtum?* Ly. *I, & redde.* St. *Atat incaſſum quæritas.*
Ly. *I, & redde. ego ad ſenem propero, ut quid comitiis*
Proximis videam. ſenex aulam auri perdidit. Megadorus
Repudium renunciat. Filiam peperiſſe vitio reſciit. St. *Hero*
Meo, quantum ego video, nemo eſt benignior. alii non quod
Inventum eſt non occulunt, modo negant: occulunt vaniloqui.
Sed aliud poſt aliud ſi qua ſit opportunitas, harpagatum
Volunt ſi Eleuſinie *ſit, facilem deam creduant; ſi Cotytto,*
Non videre quem batuat. ita neque amicis, neque cognatis,
Neque dis parcunt, dum bene parcant ſibi. iſtic quidem
Ne miſerum faciat ſenem, aut illius familiam opulentam,
Auri aulam, grandem. onuſtam, plenam, referri jubet,
Ut ſe faciat olim miſerum, atque ſuam familiam. aſt ego partem
Impartiri malim, unde redimar. quod vortat bene, picus
A ſiniſtris cantitat, qui auri cuſtos hercle olim traditur.
Ibo, & aulam referam: quod illæc mihi bene avis occinat.

Supplementum aliud Ant. Codri Urcei Bononienſis.

Quadrilibrem aulam ſenis, quam non habeo. Ly. *Feram,*
Velis, nolis; cum te quadrupedem ſtrinxero,
Et herniosos teſtes ad trabem tibi
Divellam appenſo. ſed cur in fauces moror
Hujus ſceleſti ruere? & animam protinus
Cur non compello facere iter præpoſterum?
Das an non? St. *Dabo.* Ly *Des ut nunc, non olim, volo.*
St. *Do jam: ſed me animam recipere ſinas, te rogo.*
Ah ah! quid, ut dem, poſcis, here? Ly. *Neſcis ſcelus?*
Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modo
Te arripuiſſe? heja, jam ubi nunc lorarii?
St. *Here, audi pauca.* Ly. *Non audio: lorarii,*
Heus, heus.

SCENA SECUNDA.

Lorarii, Lyconides, Strobilus.

QUid eſt? Ly. *Parari catenas volo.*
St. *Audi quæſo: poſt me ligare juſſeris,*
Quantum libet. Ly. *Audio: ſed rem expedias ocyus.*
St. *Si me torqueri juſſeris ad necem, vide,*
Quid conſequare. primum, ſervi exitium habes:
Deinde, quid concupiſces, ferre non potes:
At ſi me dulcis libertatis præmio
Dudum captaſſes, jamdudum votis fores
Tuis potitus. Omnes Natura parit liberos,
Et omnes libertati natura ſtudent.
Omni malo, omni exitio pejor ſervitus:
Et quem Jupiter odit, ſervum hunc primum facit.
Ly. *Non ſtulto loqueris* St. *Audi reliqua nunc jam:*
Tenaces nimium dominos noſtra ætas tulit,
Quos Harpagones, Harpygias & Tantalos
Vocare ſoleo, in opibus magnis pauperes,
Et ſitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullæ illis ſatis divitiæ ſunt, non Midæ,
Non Crœſi: non omnis Perſarum copia
Explere illorum tartaream ingluviem poteſt.
Inique domini ſervis utuntur ſuis,
Et ſervi inique dominis nunc parent ſuis:
Sic fit neutrobi, quod fieri juſtum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci ſenes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt:
Servi furaces, verſipelles, callidi
Occluſa mille clavibus ſibi reſerant;
Furtimque raptant, conſumunt, liguriunt,
Centena numquam furta dicturi cruce:
Sic ſervitutem ulciſcuntur ſervi mali
Riſu jociſque. ſic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.
Ly. *Recte quidem tu, ſed non paucis, ut mihi*
Pollicitus. verum, ſi te facio liberum,
Reddes, quod cupio? St. *Reddam: ſed teſtes volo*
Adſint: ignoſces, here, parum credo tibi.
Ly. *Ut lubet, adſint vel centum, jam nil moror.*
St. *Megadore, & tu, Eunomia, adeſte, precor. ſi libet,*
Exite: perfecta re mox redibitis.

SCENA TERTIA.

Megadorus, Eunomia, Lyconides, Strobilus.

QUis nos vocat? hem Lyconide. Eun. *Hem Strobile, quid eſt?*
Loquimini. Ly. *Breve eſt.* Me. *Quid eſt?* St. *Vos teſtes voco:*
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero,
Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
Mittit, jubetque juris eſſe me mei.
Itane ſpondes? Ly *Spondeo.* St. *Jamne audiſtis hoc*
Quod dixit? Me. *Audivimus.* St. *Jura enim per Jovem.*
Ly. *Hem quo reductus ſum alieno malo!*
Nimis procax es. quod jubet, faciam tamen.
St. *Heus tu, noſtra ætas non multum fidei gerit:*
Tabulæ notantur: adſunt teſtes duodecim:
Tempus locumque ſcribit actuarius;
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.
Ly. *Sed me cito expedi ſis.* St. *Hem ſilicem tibi.*
Ly. *Si ego te ſciens fallam, ita me ejiciat Dieſpiter*
Bonis, ſalva urbe, & arce, ut ego hunc lapidem. ſatin'
Jam feci tibi? St. *Satis. ut ego aurum apportem, eo.*
Ly. *I Pegaſeo gradu, & vorans viam redi.*

SCENA QUARTA.

Lyconides, Megadorus, Eunomia, *duæ mutæ perſonæ.*

GRave eſt homini pudenti morologus nimis
Servus, qui ſapere plus vult hero ſuo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem;
Ut Euclionem ſocerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, & mihi conciliem filiam,
Ex compreſſu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onuſtus Strobilus. ut reor,
Aulam apportat. & certe eſt aula, quam gerit.

SCENA QUINTA.

Lyconides, Megadorus, Eunomia *muta.*

LYconide, apporto inventum promiſſum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. num ſerus fui?
Ly. *Nempe. o dii immortales, quid video, aut quid habeo?*
Plus ſexcentos Philippeos ter & quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.

SCENA SEXTA.

Lyconides, Megadorus, Eunomia *muta*, Euclio, Strobilus.

O Euclio, Euclio! Me. *Euclio, Euclio.* Eucl. *Quid eſt?*
Ly. *Deſcende ad nos; nam dii te ſervatum volunt.*
Habemus aulam. Eucl. *Habetiſne? an me deluditis?*
Ly. *Habemus, inquam. modo, ſi potes, huc advola.*
Eucl. *O magne Jupiter! o Lar familiaris, &*
Regina Juno, & noſter theſaurarie
Alcide, tandem miſerati miſerum ſenem.
Oh oh, quam lætis, aula, tibi amicus ſenex
Complector ulnis, & te dulci capio oſculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O ſpes, o cor, luctum depulverans meum!
Ly. *Auro carere ſemper duxi peſſimum*
Et pueris, & viris, & ſenibus omnibus.
Pueros proſtare cogit indigentia,
Viros furari, mendicarier ipſos ſenes.
At multo pejus eſt, ut video nunc, ſupra
Quam quod neceſſe eſt nobis, auro opuleſcere.
Heu quantas paſſus eſt ærumnas Euclio,
Ob aulam paulo ante a ſe deperditam!
Eucl. *Cui meritas referam grates? an diis, qui bonos*
Reſpectant homines? an amicis, rectis viris?
An utriſque? utriſque potius, & primum tibi,
Lyconide, principium & author tanti boni,
Hac ego te aula auri condono: accipias libens.
Tuum hanc eſſe volo, & filiam meam ſimul,
Præſente Megadoro, & ſorore ejus proba
Eunomia. Ly. *Et habetur, & refertur gratia,*
Ut meritus es, ſocer exoptatus mihi Euclio.
Eucl. *Relatam mihi ſatis putabo gratiam,*
Si donum noſtrum, & meipſum accipias nunc libens.
Ly. *Accipio, & Euclionis volo mea ſit domus.*
St. *Quod reſtat, here, nunc, memento ut ſim liber.*
Ly. *Recte monuiſti: eſto merito liber tuo,*
O Strobile, & turbatam jam intus cœnam para.
St. *Spectatores, naturam avarus Euclio*
Mutavit: liberalis ſubito factus eſt:
Sic liberalitate utimini vos quoque:
Et ſi Fabula perplacuit, clare plaudite.

Addenda CORNELII GALLI *carminibus, quæ ſunt T. IV. p. 421., ſequens Elegia a Manutio & Pithæo relata.*

NOn fuit Arſacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori ſigna referre Jovi;
Ut deſiderio noſtri curaque Lycoris
Heu! jaceat menſes pene ſepulta novem.
Nec tantum morbus, quantum gravat ira parentis;
Sic premitur geminis una puella malis.
Æqua tamen matris cauſſa eſt; cupit illa paternam,
Impleat ut pulchra filia prole, domum.
Quid quod lena meos avertere tentat amores,
Portat & occulto grandia dona ſinu?
Et juvenem laudat, qui munera miſit, ab alta
Indole . . . .
Candida quod nulla lanugine veſtiat ora;
Quod fluat ex toto vertice flava coma;
Quod citharæ cantuſque ſciens, deinde horrida bella,
Atque ingrata notat tempora militiæ.
Me quoque jam canis narrat ſplendere capillis,
Et quod . . . . vulnere tardus eam.
Multa quoque affingit, mentitur & omnia. fluxa
Quam vereor ne ſit noſtra puella fide.
Femina natura varium & mutabile ſemper:
Diligat, ambiguum eſt, oderit anne magis.
Nil adeo medium . . . . . .
Et tantum conſtans in levitate ſua eſt.
Filius Europæ Minos ſeu poneret arcum,
Sive comam premeret caſſide, pulcher erat.
Non prius e muris pugnantem Regia virgo
Viderat, & dirus crimina ſuaſit Amor.

Acer

Acer amor Deus eſt: feras domat ille leænas.
Excuſet facinus vindice Scylla Deo.
At, pius æternam ſervet ni Juppiter urbem,
Scilicet occiderat Virginis illa dolo.
Sic pereat patrias quicumque inſanus in Arces
Mente ruit, pœnas ut ſcelerata dedit.
Obruta virgo jacet; ſervat quoque nomina turris
Illa, triumphator Jupiter unde tonat.
Quid loquor, ah, demens? roſeæ nec flore juventæ,
Nec capitur miſſis lux mea muneribus.
Non patris imperium, matris non aſpera juſſa
Sollicitant; firmo pectore durat Amor.
Non ſecus Ægæo moles objecta fragori,
Illa manet; fruſtra ventus, & unda furit;
Nec minus, ut vires paullatim colligit ignis,
Purior accenſo fomite flamma micat.
Illa meos reditus ſpe non præſumit inani,
Et fovet in tacito gaudia certa ſinu.
Me vocat abſentem, meme ſuſpirat in unum,
Et de me noctes cogitat atque dies.
Quin etiam argento, puroque intexitur auro,
Altera jam caſtris parta lacerna meis.
Illic bellantum juvenum ſtudioſa figuras,
Atque audita levi prælia pingit acu.
Pingit & Euphratis currentes mollius undas,
Victriceſque aquilas ſub duce Ventidio.
Qui nunc Craſſorum manes, direptaque ſigna
Vindicat, Auguſti Cæſaris auſpiciis.
Parthe tumens animis, & noſtra clade ſuperbe,
Hic quoque Romano ſtratus ab hoſte, jaces.
At mea cum primis victrix apparet imago,
Exigit hoc pietas, & bene fidus amor.
Ipſa quoque exprimitur dejecto pallida vultu,
Stat lacrimans, & me pene vocare putes.
Quam bene, cum ferrum nondum prodiret in auras,
Omnia pacis erant, & ſua cuique ſatis.
Dives erat, ſi quis parvi poſſeſſor agelli
Severat ille prius, deinde coquebat olus.
Non locus invidiæ, quamvis vicinus abunde
Et pecus, & meſſes, muſtaque haberet ager.
Liber amor, nulli mulier ſuſpecta marito:
Caſta ſatis, norat ſi qua negare palam.
Tunc Venus . . . . . . ſpirabat dulciter ignes,
Spiculaque in ſilvis tuta vibrabat Amor.
Cur mihi non illis naſci mea vita diebus
Contigit? invidit quis bona tanta Deus?
O niveas luces! o tempora dulcia! vere
Aurea Saturni ſecla fuere ſenis.
Nunc ferrum erupit, rabieſque aſperrima ferri,
Nunc furor, & cædes . . . .
* * * * *
Forſan & hic noſter tinget cruor hoſpitis arma,
Aut cadet unanimis frater ab enſe meo.
Quid mihi cum bello? pugnent, quibus inclita regna,
Aut quibus . . . . . Marte petuntur opes.
Nos alias pugnas, aliis pugnemus in armis:
Inflet Amor lituos, & fera ſigna canat.
Fortis ad occaſum ni pugnem Solis ab ortu,
Detrahat ignavo protinus arma Venus.
Sin cadat ex votis, & res bene geſta feratur,
Ceſſerit emerito cara puella mihi.
Quam . . . . . ſinu, cui baſia jungam,
Dum lateri vires, nec ſit amare pudor.
Tunc me vina juvent nardo confuſa roſiſque,
Sertaque, & unguentis ſordida facta coma.
Nec dominæ pudeat gremio captare ſoporem,
Surgere nec media jam veniente die.
Si quis amore vacans irriſerit, imprecor illi,
Ardeat, & quid ſit, diſcat amare ſenex.
Servus & ut noſtros incaſſum laudet amores,
Et ſapit hic, dicat ſaucius igne novo.
Heu male (crede mihi) ſi quis ſua gaudia differt:
Dum loquimur, nox eſt, mortis & umbra ſubit.

Addendum HADRIANI CÆSARIS *carminibus, quæ ſunt* T. IV. *p.* 427., *Epitaphium in Equum Boryſthenem a Petro Gaſſendo in vita Peireſcii relatum.*

Boryſthenes Alanus
Cæſareus Veredus
Per æquor & paludes
Et tumulos Etruſcos
Volare qui ſolebat
Pannonicos in Apros,
Nec ullus inſequentem
Den. . . . . .

Item Epigramma de trium Amazonum Pugna a Burmanno relatum.

Ut belli ſonuere tubæ, violenta peremit
Hippolyte Theutranta, Lyce Clonon, Oebalon Alce:
Oebalon enſe, Clonon jaculo, Theutranta ſagitta.
Figitur ora Clonus, latus Oebalus, ilia Theutras.
Plus puero Theutras, puer Oebalus, at Clonus heros.
Oebalus ibat equo, curru Clonus, at pede Theutras.
Æphycli Theutras, Doryli Clonus, Oebalus Idæ.
Argolicus Theutras, Moeſus Clonus, Oebalus Arcas.

Item aliud Fragmentum de Voconio Poeta relatum ab Apulejo in Apologia.

Laſcivus verſu, mente pudicus erat.

Addendus FURII BIBACULI *carminibus, quæ ſunt* T. IV. *p.* 418., *hic verſus initii poematis de Bello Gallico relatus a Scholiaſte veteri Horatii.*

Jupiter hibernas cana nive conſpuit Alpes.

Addendi CILNII MÆCENATIS *carminibus, quæ ſunt* T. IV. *p.* 420., *ſequentes Verſus a Londinenſi collectione relati.*

Octavia.

Pexiſti capillum naturæ muneribus gratum.

Hic nympha cingit omnis Acheloium ſenem.

P. POMPONII SECUNDI

Armorum judicio.

Tum præ ſe portant aſcendibilem ſemitam.

Atreo.

Nunc te obſecro, ſtirpem ut evolvas : meorum genus notifices mihi.

Choro incertæ tragœdiæ.

Rhætæis procul a terris,
Primique aras damnare pias,
Obrue nos Danaoſque ſimul.

Incertum & illud.

Lamen color tetrici mutat : lacrumis
Se ſalſis lavitat, evita tundit dextera
Pectus. ſati' ſt, ah blanda, fallax...

F I N I S.



INDEX POETICUS UNIVERSALIS,

CONTINENS

Comparationes, deſcriptiones, imagines, hiſtorias & veras & fabuloſas, &c. quæ in Piſaurenſi hac Collectione Latinorum Poetarum occurrunt.

Prior numerus Tomum, ſecundus paginam, tertius columnam ſignificat.

ABacuc propheta. T. 5. p. 181. c. 2.
Abel & Cain ſacrificantes. T. 5. p. 353. c. 2. p 231. c. 2.
Abies & Dumus. T. 4. p 185 c. 2.
Abraham. T. 5. p. 170. c. 1. p. 358. c. 1.
Academia Ciceronis T. 4. p. 219
Aceſtes. T. 1. p. 439. c. 1 p. 460. c. 2. p. 465. c. 1. p. 464 c. 1.
Achæmenides. T. 1. p. 454. c. 1. T. 2. p 269. c. 2.
Achelous. T. 2. p. 236. c. 1. p 238. c. 2. p. 458. c. 1.
Acheron, vid. Tartara. T. 3. p. 122. c. 2.
Achilles. T. 4. p. 216. ſeq. p. 239. p. 437. c. 1. T. 1. p. 406 c. 1. T. 2. p. 62. c. 1. p. 116. c. 2. p. 252. c. 2. T. 3. p 262. c. 2.
Acis. T 4. p 440. c. 2. T. 2 p. 267. c. 1.
Acontius. T. 2. p. 141. c. 2.
Actæon. T. 2. p. 204. c. 1. T. 3. p. 121. c. 2.
Actius Apollo. T. 2 p 110. c. c.
Adam primum cognovit Evam poſt amiſſam paradiſum. T. 5. p. 353. c. 2.
Admetus. T. 3. p. 219. c. 2.
Adonis. T. 4. p. 435. c. 1. T. 1. p. 420. c. 1. T. 2. p. 248. c. 2.
Adverſæ res. T. 4. p. 384 c. 1. vid. Fortuna.
Adulatio. T. 3. p. 1 c. 1. p. 376. c. 1. p. 383. c. 1. p. 389 c. 2 p 391 c. 2.
Adulator, vid. Paraſitus. T. 3. p. 316 c. 2. T. 4. p. 309. c. 1.
Adulterii crimen quantum. T. 2. p. 16. c. 1.
Adulterina proles. T. 3. p. 384. c. 1.
Æacus. T. 2. p. 229. c. 1.
Ædes nitida Chriſtianorum. T 6. p. 53. c. 1.
Ægæon. T. 1. p. 496. c. 1.
Ægeria. T. 4. p. 436. c. 2.
Ægeus. T. 1. p. 465. c. 1. T. 2. p. 228. c. 2.
Ægis Palladis. T. 1. p. 485. c. 1.
Ægiſthus. T. 2. p. 422. c. 2
Ægyptus & Danaus. T 4. p. 438. c. 2.
Ægyptus. T. 3. p. 46. c. 2.
Ægypti plagæ decem. T. 6 p. 116. c 2.
Ægyptii Dii. T. 2 p. 156. c. 1. T. 3. p. 49. c. 2. p. 341. c. 1. T. 5. p. 252. c. 1.
Ægyptiacus luxus. T. 3. p 60. c. 1.
Ægyptius ſacerdos apud J. Cæſarem philoſophatur. T. 3. p. 347. c 1.
Ælia vetuſa. T. 3. 427. c. 1.
Æmilia Lepida. T. 4. p. 462. c. 2.
Æmulus. T. 1. p. 561. c. 1.
Æneas. T. 4. p. 218. ſeq. p. 237. ſeq. p. 438. c. 1. p. 442. c. 2. T. 2. p. 266. c. 1. p 121. 122.
Æneas deſcendit ad inferos. T. 1. p. 469. c. 1.
Æneas Indiges. T. 2. p. 273. c. 1.
Æneæ arma Vulcania. T. 1. p. 484. c. 2.
Æneæ ſimulacrum Turno objicitur. T. 1. p. 496. c. 2.
Æolus. T. 1. p. 438. c. 1. T. 2. p. 270. c. 1. T. 3. p. 275 c. 1.
Æquanimitas. T. 2. p. 9. c. 1. p. 480. c. 2.
Æquitas. T. 4. p. 385. c. 2.
Aer. T. 1. p. 273 c. 2. T. 2. p. 190. c. 2. T. 4. p. 31. c. 1.
Æſacos. T. 2. p. 256. c. 1.
Æſculapius. T. 1. p. 479. c. 2. T. 2. p. 201. c. 1. p. 280. c. 1.
Æſon. T. 2. p. 226. c. 2.
Æſopus & Ruſticus. T. 4. p. 74. c. 1.
Æſopus & Petulans. ibidem.
Æſopus ludens. T. 4. p. 75. c. 2.
Æſopus ad Garrulum. T. 4 p. 76. c. 2.
Æſopus interpres Teſtamenti. ibid
Ætates animalium. T 5. p. 139. c. 1.
Ætas aurea. T. 1. p. 416. c. 1. T. 2. p. 162. c. 1. 2. p. 162. c. 1. p. 191. c. 1. p. 396. c. 2. p. T. 3. p. 337. c. 1. T. 6. p. 129. c 2.
Ætas argentea. T. 2. p. 191. c. 1.
Ætas ænea. T. 2. p. 191. c. 1.
Ætas ferrea. T. 1. p. 406 c. 2. T. 2. p. 162. c. 1. p. 191. c. 1. p. 396. c. 2.
Ætates quatuor. T. 2. p. 473. c. 1. T. 3. p. 321. c. 1.
Ætas Heroica. T. 1. p. 406. c. 2.
Ætas nona peſſima. T. 3. p. 337. c. 1.
Ætas ultima. T. 1. p. 416. c 1.
Æterna. T. 1. p. 372. ſeqq.
Æther. T. 1. p. 375 ſeqq.
Æthiopes. T. 3 p. 75. c. 2.
Ætna. T. 1. p. 387. c 2 p. 424. c. 1. p. 453. c. 2. p. 483. c. 1. T. 4. p. 511. c. 2. T. 4. p. c. 2.
Afri. T. 1. p. 431 c. 1.
Africa. T. 4. p. 218. c 1.
Agamemnon. T. 4 p. 216 ſeq. T. 2. p. 187. c. 1, p. 413. c. 1.
Agatha Martyr. T. 5. p. 94. c. 1.
Aglauros. T. 2. p. 202 c. 1.
Agnes Martyr T. 5. p. 94. c. 1. p. 221. c. 2.
Agnus a Capella nutritus. T. 4. p. 76. c. 1.

Ago-

Agonalia. T. 2. p. 284. c. 2. T. 5. p. 14v. c. 2.
Agricolæ fortunati. V. 1. p. 428. c. 1. T. 1. p. 27. c. 1.
Agriculturæ Inſtrumenta. T. 1. p. 423. c. 2.
Agriculturæ antiquitas. T. 1. p. 423. c. 2.
Agrippina. T. 2. p. c.
Ajax & Ulyſſes de armis Achillis diſceptant. T. 2. p. 261. c. 2.
Ajax. T. 4. p. 217. ſeq.
Ajacis mors. T. 2 p. 264. c. 1.
Alceſta. T. 4 p. 241.
Alcmene. T. 1. p. 2. c. 1. T. 2. p. 240. c. 2. p. 465. c. 1.
Alea. T. 4. p. 236.
Alecto. T. 1. p. 476. c. 1. p. 477. c. 1. T. 3. p. 58. c. 2.
Alexander Magnus T. 4. p. 443. c. 2. p. 444. c. 1. T. 3 p. 58. c. 2. p. 60. c. 2.
Allii deteſtatio, T. 2. p. 27. c. 2.
Alexander Severus. T. 4. p. 448. c. 1.
Aloides. T. 1. p. 471. c. 1. T. 3. p. 248. c. 2. p. 497. c. 2.
Alpes. T. 3. p. 77. c. 2. T. 4. p. 194. c. 2.
Alpheus. T. 1. p. 454. c. 2. T. 2. p. 419. c. 1.
Alta periculoſa. T. 1. p. 401. c. 1. p. 421. c. 1. p. 459. c. 1. T. 3. p. 331. c. 1. p. 452. c. 2. T. 5. p. 382. c. 2.
Amalthea. T. 2. p. 309. c. 1.
Amantes infelices. T. 5. p. 128. c. 1. 2.
Amantur ſimul duæ. T. 2. p. 155. c. 1.
Amata, regis Latini uxor. T. 1. p. 476. c. 2. p. 506. c. 1.
Amata relinquere durum. T. 2. p. 153. c. 1.
Amazones. T. 1. p. 503. c. 2. T. 4. p. 173. c. 1.
Ambitio. T. 3. p. 490. c. 2.
Ambitioſi. T. 1. p. 428. c. 1. 2.
S. Ambroſius. T. 6. p. 97. c. 1. p. 105. c. 1.
Amica, vid. Puella.
Amicæ convitia ex amore. T. 2. p. 101. c. 1.
Amicitia. T. 4. p. 384. c. 1.
Amicitia celat menda. T. 2. p. 35. c. 1. 2.
Amicitia fida. T. 2. p. 12. c. 2. p. 27. c. 1. p. 323. c. 1. p. 332. 333. p. 339. c. 2. p. 352. c. 1. p. 356. c. 1. 2.
Amicitia vulgi. T. 2. p. 356. c. 1. 2. T. 4. p. 74. c. 2. T. 3. p. 331. 332.
Amici verbo tenus character. T. 1. p. 74. 75. p. 77. 78. p. 165. c. 1. T. 3. p. 357. c. 1. p. 413. c. 2. T. 4. p. 87. c. 1.
Amicus fidus quanti pretii. T. 1. p. 87. c. 2.
Amicus perfidus. T. 1. p. 396. c. 2. T. 2. p. 36. c. 1. 2. p. 324. c. 1. 2.
Amicus menſæ. T. 3. p. 404. c. 2.
Amicus pauperi rarus. T. 3. p. 377. c. 1.
Amicis data non pereunt. T. 2. p. 24. c. 1. T. 3. p. 379. c. 1.
Amiſſa bona intelligimus. T. 1. p. 37. 38. T. 2. p. 20. c. 1. p. 98. c. 2.
Ammudates. T. 5. p. 18. c. 2.
Ammon, vid. Jupiter.
Amor. T. 4. p. 237. ſeq. p. 384. 385.
Amor inter inæquales. T. 2. p. 157. c. 2.
Amor turpis abit, caſtus manet. T. 2. p. 471. c. 2.
Amor non fugiendus. T. 2. p. 96. c. 2. p. 105. c. 2.
Amor omnibus communis. T. 4. p. 144. c. 1. 2.
Amoris gaudia. T. 2. p. 70. c. 1. 2. p. 155. c. 1.
Amores Senum. T. 2. p. 67. c. 1.
Amor ſervitium. T. 2. p. 73. c. 2.
Amor venalis. T. 2. p. 70. c. 1. 2. p. 71. c. 1. p. 92. c. 1. p. 103. c. 1. p. 149. c. 2. p. 162. c. 1. 2.
Amor ſui ſtultus & improbus. T. 2. p. 35. c. 1. T. 4. p. 97. c. 1.
Amor cæcus. T. 2. p. 34. c. 1. 2. p. 35. c. 1. p. 81. c. 2.
Amoris furor. T. 1. p. 457. c. 1. p. 457. c. 2. p. 459. c. 1. 2.
Amoris potentia. T. 1. p. 442. c. 2. T. 2 p. 5. c. 1. p. 9. c. 2. p. 22. c. 1. p. 68. c. 2. p. 78. c. 2. p. 85. c. 1. p. 86. c. 2. p. 88. c. 2. p. 89. c. 2. p. 93. c. 1. p. 117. c. 2. p. 123. c. 1. p. 149. c. 1. 2. p. 394 c. 2. T. 6. p. 130. c. 1.
Amoris damna. T. 1. p. 239. c. 2. p. 240. c. 1. p. 241. c. 2. p. 245. c. 2. p. 250. c. 1. p. 272. c. 1. p. 287. c. 1. p. 290. c. 1. p. 370. c. 1. 2. p. 415. c. 2. p. 455. c. 2. T. 2. p. 3. c. 1. p. 30. c. 1. 2. p. 34. c. 1. 2. T. 4. p. 98. c. 2.
Amoris artes. T. 1. p. 227. c. 2. T. 2. p. 69. c. 1. p. 146. c. 2. p. 149. c. 1. p. 159. c. 1. p. 165. c. 1. 2. T. 3. p. 350 c. 1. p. 506. c. 1.
Amoris laudes. T. 1. p. 58. c. 1. p. 150. c. 1. T. 2. p. 11. c. 1. p. 157. c. 1. p. 158. c. 1. Cruciatus. T. 1. p. 69. c. 2. p. 159. c. 2. p. 170. c. 2. p. 277. c. 2. p. 287. c. 1. p. 371. c. 1. p. 410. c. 1. p. 411. c. 1. p. 418. c. 2. [ut cruciat bruta. p. 430. c. 1. T. 2. p. 174. c. 2. T. 1. p. 455. c. 1. p. 457. c. 1. T. 2. p. 4. c. 1. p. 17. c. 1. p. 81. c. 1. p. 89. c. 1. p. 92. c. 2. T. 4. p. 143. c. 1. p. 144. c. 2.
Amoris vitia. T. 1. p. 142. c. 2 p. 232. c. 2. T. 2. p. 44. c. 2.
Amoris remedia. T. 2. p. 163. c. 2. p. 183. c. 1. 2. p. 392. c. 2.
Amorum domus. T. 3. p. 467. c. 1.
Amphiaraus. T. 3. p. 219. c. 1. p. 229. c. 2.
Amphion. T. 2. p. 64. c. 2. p. 453. c. 1. T. 3. p. 245. c. 2.
Amphitryon. T. 1. p. 1. Sen. in Hercul. Furen.
Amphora. T. 2. p. 19. c. 1.
Amycus. T. 3. p. 288. c. 2.
Amygdalus. T. 4. p. 128. c. 2.
Anas. T. 3. p. 439. c. 2.
Anaxagoras. T. 1. p. 342. c. 2.
Anaxarete. T. 2. p. 274. c. 1.
Anchiſæ domus ſitus. T. 1. p. 445. c. 2.
Anchiſæ Mors. T. 1. p. 454. c. 2.
Anchiſæ ludi funebres. T. 1. p. 461. c. 1.
Anchiſes in Elyſio. T. 1. p. 472. c. 1. cum Ænea de anima philoſophatur. p. 472. c. 1. monſtrat futuros Romanorum Heroas. p. 472. c. 2.
Andreas Apoſtolus. T. 5. p. 92. c. 1.
Androgeos. T. 1. p. 467. c. 1
Andromeda. T. 2. p. 213. c. 2. T. 4. p. 61. c. 1.
Anicius Julianus. T. 4. p. 429. c. 2.
Anima, (Ennii opinio de ea. T. 1. p. 337. c. 1.) T. 4. p. 427. T. 1. p. 472. c. 1. T. 2. p. 414. c. 1.
Animæ & animi natura. T. 1. p. 337. c. 1. 2. pag. 346. 347. p. 434. c. 2. T. 3. p. 463. c. 2. T. 5. p. 229. c. 1. p. 238. c. 2.
Animæ revolutio in hanc vitam. T. 1. p. 472. c. 2. T. 2. p. 276. c. 1. T. 3. p. 459. c. 2. p. 511. c. 1.
Animæ in Cœlo. T. 4. p. 35. c. 1.
Animus ſua ſorte contentus. T. 2. p. 12. c. 2. p. 13. c. 2. p. 21. c. 1. 2.
Animum domare, eſt imperare. T. 2. p. 9. c. 1. T. 6. p. 128. c. 1. p. 128. c. 2. p. 131. c. 1.
Anius. T. 1. p. 450. c. 1. T. 2. p. 266. c. 1.
Anna, ſoror Didonis. T. 1. p. 455. c. 1. p. 460. c. 1. T. 2. p. 298. c. 1. T. 3. p. 102. c. 1.
Annus. T. 2. p. 282. c. 1. p. 295. c. 1. T. 5. pag. 140. 141.

Anni

Anni vices. T. 2. p. 24. c. 1. p. 196. c. 2. p. 276. c. 2.
Annibal. T. 3. p. 63. c. 1. p. 65. c. 1. in patriam revocatur. p. 152. c. 2. ejus virtus bellica. p. 154. c. 2. p. 155. c. 1. p. 332. c. 2.
Annibalis de Romana fortitudine dictum. T. 2. p. 23. c. 1. ſomnium. T. 3. p. 75. c. 1. iter in Italiam. p. 77. c. 1.
Anno. T. 3. p. 70. c. 2. p. 121. c. 1.
Annulus. T. 2. p. 156. c. 2.
Anſer & Ruſticus. T. 4. p. 181. c. 2.
Antæus. T. 3. p. 22. c. 2. p. 222. c. 2.
Antinous. T. 5. p. 242. c. 2.
Antiqui mortales. T. 1. p. 378. c. 2. p. 482. c. 2. T. 2. p. 35. c. 2. p. 163. c. 2. p. 191. c. 1. pag. 289. c. 2. p. 303. c. 2. p. 396. c. 2. T. 3. p. 206. c. 1. T. 6. p. 129. c. 2.
Antiquorum Sapientia. T. 2. p. 64. c. 2.
Antonius M. vid. Pothinus.
Anubis. T. 1. p. 485. c. 1. T. 2. p. 102. c. 1. T. 3. p. 325. c. 1.
Anus annoſa. T. 3. p. 416. c. 1. p. 418. c. 1.
Anus climoſa. T. 3. p. 406. c. 1.
Anus qualis ducenda. T. 3. p. 413. c. 1.
Anus libidinoſa. T. 2. p. 18. c. 1. p. 25. c. 2. pag. 29. c. 1. p. 30. c. 1. T. 3. p. 367. c. 2. p. 368. c. 2. p. 394. c. 2.
Anus ad Amphoram. T. 4. p. 73. c. 2. Ebrioſa. T. 5. p. 98. c. 1.
Apenninus. T. 4. p. 194. c. 2.
Apes, & Fuci, Veſpa Judice. T. 4. p. 75. c. 2.
Apes pavere Jovem infantem. T. 1. p. 434. c. 1.
Apes Cyclopibus comparantur. T. 1. p. 434. c. 1.
Apum mens. T. 1. p. 434. c. 2. induſtria. p. 440. c. 2. reparatio. p. 435. c. 2. T. 2. p. 278. c. 1.
Apollo. T. 5. p. 17. c. 2. T. 4. p. 432. 433. c. 1. T. 2. p. 5. c. 2. p. 24. c. 1. p. 32. c. 1. p. 423. c. 1. T. 5. p. 211. c. 1.
Apoſtoli. T. 5. p. 92. c. 1.
Apoſtolorum Acta. T. 6. p. 136. ſeqq.
Apoſtatæ. T. 5. p. 24. c. 1.
Appius Claudius. T. 4. p. 449. c. 1.
Aqua. T. 4. p. 31. c. 1.
Aquila. T. 1. p. 504. c. 2. T. 2. p. 23. c. 1. T. 3. p. 474. c. 1. p. 475. c. 1. Prolog. ut probat pullos. T. 3. p. 56. c. 2.
Aquila, Felis, & Aper. T. 4. p. 72. c. 1.
Aquila, Cornix, & Teſtudo. ibid.
Aquila, & Teſtudo. T. 4. p. 183. c. 1.
Arachne. T. 2. p. 220. c. 1.
Arandi tempus. T. 1. p. 423. c. 1.
Arbitrium. T. 5. p. 375.
Arbores in Deorum tutela. T. 4. p. 76. c. 1.
Arbores. T. 1. p. 424. c. 2. quæ ſponte naſcuntur.
Arborum inſitio. T. 1. p. 425. c. 1.
Arcades. T. 3. p. 206. c. 1. 2.
Arcas. T. 2. p. 200. c. 1. T. 3. p. 205. c. 2.
Archimædis Sphæra. T. 3. p. 527. c. 1.
Archytas. T. 2. p. 6. c. 2.
Arctos. T. 1. p. 422. c. 2.
Ardea. T. 2. p. 273. c. 1.
Ardelio. T. 4. p. 72. c. 1. T. 3. p. 355. c. 2. pag. 374. c. 2.
Arethuſa. T. 1. p. 419. c. 2. p. 435. c. 2. T. 2. p. 218. c. 2. p. 219. c. 1. 2.
Argentum, vid. pecunia.
Argo navis. T. 1. p. 403. c. 2. p. 416. c. 1. T. 2. p. 87. c. 1. p. 155. c. 2. p. 386. c. 2. T. 3. pag. 13. c. 2. p. 497. c. 1. T. 4. p. 280. c. 1. p. 439. c. 1.
Argos. T. 2. p. 427. c. 1.
Argus. T. 2. p. 195. c. 1. 2. p. 408. c. 1. T. 3. p. 290. c. 2.
Argus miles. T. 3. p. 17. c. 2.
Ariadne. T. 1. p. 403. c. 2. T. 2. p. 125. c. 2. p. 297. c. 2.
Ariani, vid. in Homuncionitis. T. 5. p. 227. c. 2.
Arietini reſponſum. T. 1. p. 253. c. 1. Fretum. T. 4. p. 317. c. 2.
Arion. T. 2. p. 288. c. 1.
Ariſtarchus. T. 2. p. 65. c. 1.
Ariſtæus paſtor. T. 1. p. 435. c. 2. T. 2. p. 284. c. 2.
Ariſtippus. T. 2. p. 55. c. 2.
Arithmetica. T. 6. p. 74. c. 2.
Arma non ſervant modum. T. 2. p. 432. c. 1.
Armorum inventio. T. 1. p. 381. c. 1. T. 2. p. 35. c. 2.
Arria, & Pætus. T. 3. p. 346. c. 2.
Artium Antiquitas. T. 1. p. 423. c. 2.
Arviragus. T. 3. p. 319. c. 2.
Aſcanii ſub ſpecie Cupido. T. 1. p. 442. c. 2.
Aſcenſio. T. 6. p. 98. c. 1. p. 251. c. 2.
Asdrubalis character. T. 3. p. 64. c. 1. T. 4. p. 444. c. 2.
Aſinus & Leo venantes. T. 4. p. 69. c. 1.
Aſinus egregie cordatus. ibid.
Aſinus irridens aprum. T. 4. p. 71. c. 1.
Aſinus & Galli. T. 4. p. 76. c. 2.
Aſinus pelle Leonis indutus. T. 4. p. 183. c. 2.
Aſcalaphus. T. 2. p. 218. c. 2.
Aſopus fl. T. 3. p. 225. c. 2. p. 228. c. 2.
Aſtra. T. 1. p. 374. 375. ſeqq. qui Dii regunt ea. T. 4. p. 53. c. 1. quomodo ea regunt homines. ibid. & de Aſtris vid. Arati phænomena.
Aſtra duodecim. T. 1. p. 422. c. 2. T. 4. p. 32. c. 1. eorum influentiæ. p. 50. c. 2. Conjunctiones. T. 4. p. 54. ſeqq. malignæ. p. 53. c. 1. dominantur variis terris. p. 473. c. 1.
Aſtræa. T. 2. p. 191. c. 2. T. 4. p. 52. ſeq.
Aſtronomia. T. 4. p. 75. c. 1.
Aſtyanactis cædes. T. 2. p. 419. c. 2.
Atlanta. T. 2. p. 429. c. 1.
Athletæ, Tydeus & Agylleus. T. 3. p. 222. c. 2.
Atlas. T. 1. p. 456. c. 2. p. 459. c. 1. p. 481. c. 1. T. 2. p. 213. c. 1. T. 3. p. 64. c. 2.
Atticus. T. 3. p. 591. c. 2.
Attys. T. 1. p. 403. c. 1. 2. T. 2. p. 245. c. 2.
Avares. T. 6. p. 165.
Avaritia. T. 4. p. 386. c. 2.
Avaritia quid ſuadeat. T. 1. p. 449. c. 2. T. 2. p. 19. c. 2. p. 283. c. 2. T. 3. p. 337. c. 1. inexplebilis. p. 339. c. 2. omnium ſcelerum cauſa. p. 340. c. 1. p. 490. c. 2. T. 6. p. 84. c. 1. 2.
Avaritia & Luxuria diſtrahunt hominem. T. 4. p. 98. c. 2. T. 5. p. 174. c. 1.
Avarus pumici comparatur. T. 1. p. 30. c. 1.
Avari dementia. T. 2. p. 3. c. 1. 2. p. 43. c. 2. T. 4. p. 99. c. 1. p. 339. c. 2. p. 353. c. 1. 2. p. 372. c. 1.
S. Auguſtinus. T. 5. p. 384. c. 1. T. 6. p. 256.
Auditus. T. 1. p. 365. c. 2.
Averna. T. 1. p. 388. c. 1. p. 452. c. 2. p. 468. c. 2. T. 3. p. 122. c. 2.
Augurium. T. 1. p. 18. c. 2. p. 33. c. 2. bonum. p. 440. c. 2. vanum. T. 4. p. 281. c. 2. p. 300. c. 1.
Augurius martyr. T. 5. p. 206. c. 2.

Auguſtus. T. 4. p. 446. c. 1.
Aureolus. T. 4. p. 448. c. 2.
Aurora. T. 2. p. 250. c. 2. p. 265. c. 2.
Aurum quid facit. T. 2. p. 18. c. 1. vid. pecunia. T 3. p. 18. c. 2.
Aurum & Argentum unde. T. 1. p. 381. c. 1. T. 3. p. 33. c. 2.
Aurum & Laqueus. T. 5. p. 98 c 1.
Aurora. T. 1. p. 376. c. 2. p. 459. c. 1. p. 474. c. 1.
Auroræ domus. T. 6. p. 43. c. 1.
Autumnus. T. 4. p. 93 c. 1.
Axis Mundi. T. 4 p. 32. c. 1.

B

BAbylon. T. 4. p. 175. c. 2.
Bacchus. T. 1. p. 424 c. 2. p. 473. c. 1. T. 2. p. 13. c. 1. p. 20. c. 1. p. 104. c 1. p. 207. c. 2. p. 251 c. 1. p. 297. c. 2. p 299. c. 2. p 398. c. 1. p. 406. c. 1. T. 3. p. 74. c. 2. p. 97 c. 2 p. 193. c. 1. p. 223. c 2 p. 294 c 1. T. 4. p. 143. c. 2. T. 5. p. 98. c. 2. T. 4. p. 175. c. 1. p. 177. c. 1. T. 5. p. 251. c. 1. 2. T. 5. p. 18. c. 1. T. 4 p. 432. c. 1.
Baiæ. T. 3. p. 122. c. 2. T. 4. p. 48.. c. 1.
Balneum. T. 3. p. 161. c. 1. p. 385. c. 1. T. 4. p. 481. ſeqq.
Bardi. T. 3. p. 4. c. 2.
Baſia. T. 3. p. 366. c. 1. p. 384. c. 1. p. 422. c. 1. p. 396. c. 1. p. 429. c. 1. p. 434. c. 2. p. 436. c. 2.
Batavus miles. T. 4. p. 427. c. 2.
Battus. T. 2. p. 201. c. 2.
Baucis. T. 2. p. 237. c. 1.
Bavius. T. 4. p. 222. c. 2.
Bauli. T. 4. p. 429. c. 1. p. 430.
Beatus. T. 2. p. 51. c. 2. p. 55. c. 1. T. 3. p. 336. c. 1. extra fortunæ aleam poſitus. T. 6. p. 129. c. 2.
Bebianus. T. 6. p. 250.
Belides, vid. Danaides.
Bellatorum netas tractare ſacra. T. 1. p. 448. c. 2.
Bellum, quomodo denunciatur. T. 1. p. 3. c. 1. T. 4. p. 100. c. 2.
Bellandi ratio antiqua. T. 1. p. 381. c. 1.
Belli civilis calamitates. T. 1. p. 414. c. 1. T. 2. p. 4. c. 1. p. 29. c. 1. p. 4. c. 2 T. 3. p. 1. c. 1. p. 6. c. 2. p. 19. c. 1. T. 4. p. 271. c. 1.
Belli portæ. T. 1. p. 478. c. 2.
Belli cauſæ. T. 3. p. 2. c. 2.
Bellerophon. T. 2. p. 16. c. 2. T. 4. p. 436. c. 2.
Bellicolæ gentes. T. 3. p. 76. c. 1. 2. p. 206. c. 1. p. 205. c. 2.
Bellona. T. 1. p. 485. c. 2. ejus comites. T. 3. p. 278. c. 2.
Bellus homo. T. 3. p. 365. c. 2.
Bellum ſpirituale. T. 5. p. 26. c. 2. p. 370.
Belus. T. 1. p. 443. c. 1. 2. T. 4. p. 176. c. 1.
Beneficentia. T. 4. p. 385. c. 1. ibid. de Beneficiis.
Berecynthia, vide Cybele.
Berenice. T. 1. p. 407. c. 1.
Beroe. T. 1. p. 465. c. 1.
Betæ. T. 3. p. 418. c. 1.
Beatorum forum. T. 2. p. 112. c. 2.
Boethius. T. 4. p. 427. c. 2.
Bona Dea. T. 3. p. 315. c. 2.
Bona vera & falſa. T. 3. p. 352. c. 2.
Boni rari. T. 3 p. 337. c. 1.
Bonus vir. T. 2. p. 55. c. 2. T. 3. p. 167. c. 2. p. 416. c. 1. p. 328. c. 2. p 348. c. 2. p. 368. c. 2. T. 5. p. 120. c. 1. p. 138. c. 2.
Bonum nimis. T. 4. p. 287. c. 1.
Boreas. T. 2. p. 190. c. 2. p. 225. c. 1.
Boreas & Phœbus. T. 4. p. 183. c. 2.
Bos optimæ formæ. T. 1. p. 429. c. 1.
Boſphoros unde dictus. T. 3. p. 291. c. 1.
Briareus. T. 3. p. 197. c. 1.
Briſeis. T. 2. p. 116. c. 2.
Britanni. T. 1. p. 394. c. 1. p. 396. c. 2. p. 398. c. 2. p. 414. c. 1. p. 429. c. 1. T. 2. p. 5. c. 2. p. 7 c. 2. p. 15. c. 1. p. 26. c. 1. p. 29. c. 1. pag. 79. c. 1. p. 87 c. 2. p. 92. c. 2. p. 108. c. 1. p. p. 280. c. 2. p. 470. c. 1. 2. T. 3. p. 10. c. 2. p. p. 12. c. 2. p. 310. c. 1. p. 342. c. 1. p. 421. c. 2. p. 423. c. 1. T. 4. p. 140. c. 2. T. 4. p. 427. c. 2. p. 447. c. 1. 2.
Brutus. T. 2. p. 293. c. 1.
Brutus Marcus, T. 3. p. 8. c. 1. p. 41. c. 1.
Buſiris. T. 1. p. 428. c. 2.
Byblis, T. 2. p. 242. c. 1.

C

CAcus. T. 1. p. 481. c. 2. T. 2. p. 112. c. 1. p. 286. c. 1.
Cadmus. T. 2. p. 203. c. 1. p. 213. c. 1.
Cæcus, & Claudus. T. 5. p. 104 c. 2.
Cæneus. T. 2. p. 257. c. 2.
Cæſar ad Atrienſem. T. 4. p. 72. c. 1.
Cæſar Auguſtus. T. 1. p. 420. c. 1. p. 424. c. 2. p. 437. c. 2. p. 473. c. 1. vid. Auguſtus.
Cæſar Julius. T. 1. p. 400. c. 1. p. 419. c. 2. T. 2. p. 280. c. 2. T. 3. p. 2. c. 1. compilat ærarium. p 13. c. 1. periculoſe navigat. p. 28. c. 2. a Pothino periclitatur. p. 62. c. 1. 2 T. 4. p. 443. c. 1. p. 446. c. 1.
Cæſares 12. T. 5. p. 119. c. 1. 2. T. 6. p. 50. c. 2.
Cæſtus. T. 1. p. 463. c. 1. T. 3. p. 288. ſeqq.
Cajeta. T. 1. p. 47.. c. 2. T. 2. p. 272. c. 1.
Cain. T. 5. p. 53 c. 1 2.
Calais. T. 2. p. 225. c. 1. T. 3. p. 291. c. 1. 2.
Calchas. T. 1. p. 444. c. 1. T. 2. p. 256. c. 2. p. 412. c. 1. 2. T. 4. p. 7. c. 1.
Caligula Cæſar. T. 4. p. 447. c 1.
Caliſto. T. 2. p. 199. c. 2. p. 288. c. 2.
Calumniator. T. 2. p. 36. c. 2.
Calvus. T. 3. p. 379. c. 2.
Calvus, & Muſca. T. 4 p. 81. 82. Calvi duo.
Calvus Eques. T. 4 p. 184. c. 1.
Calypſo. T. 2. p. 172. c. 2.
Camarina. T. 1. p. 454. c. 2. T. 3. p. 136. c. 1.
Camelus & Jupiter. T. 4. p. 184. c. 1.
Camerina, id. quod Camarina.
Camilla. T. 1. p. 480. c. 1. p. 502. c. 2. p. 503. occiditur. p. 505. c. 1.
Camillus. T. 3. p. 472. c. 2.
Canace. T 2. p. 126 c. 2.
Cancri. T. 4. p. 183. c. 1.
Canes venatici. T. 4. p. 21. c. 1. p. 140. c. 1. T. 3. p. 406 c. 1
Canes legati ad Jovem. T. 4. p. 70. c. 1.
Canidia Venefica. T. 2. p. 28. c. 1. p. 31. c. 2. p. 32. c. 1. p. 39. c. 1.
Canis natans. T. 4. p. 68. c. 2.
Canis parturiens. T. 4. p. 70. c. 1.
Canes Famelici. ibid.

Canis

Canis Fidelis. ibid. c. 2. p. 221. c. 2.
Canis, & Crocodilus. ibid.
Canis, Theſaurus, & Vulturius. T. 4. p. 71. c. 1.
Canis & Lupus. T. 4. p. 74. c. 2.
Canis & Ruſticus. T. 4. p. 183. c. 2.
Canis & Leo. T. 4. p. 188. c. 1.
Cannæ, illic pugna. T. 3. p. 109. c. 2.
Cantabri. T. 3. p. 76. c. 1.
Cantoris character. T. 2. p. 34. c. 1.
Capellæ, & Hirci. T. 4. p. 78. c. 2.
Caper, cur Baccho immolatur. T. 1. p. 427. c. 1.
Caphareus. T. 4. p. 441. c. 2.
Capilli tincti. T. 3. p. 364. c. 1. p. 386. c. 1.
Capilli aſcititii. T. 3. p. 383. c. 1. p. 431. c. 2.
Capræ quomodo curandæ. T. 1. p. 431. c. 1. T. 4. p. 149. c. 1.
Capua, diſſoluta Civitas. T. 3. p. 117. c. 1. ſeqq.
Carmina receſſum quærunt. T. 2. p. 47. c. 1. p. 60. c. 1. p. 320. c. 1. T. 5. p. 145. c. 2.
Carmina quid poſſunt. T. 1. p. 419. c. 1. T. 2. p. 24. c. 2. p. 58. c. 2. vide muſæ. p. 70. c. 1. p. 151. c. 2. p. 281. c. 1. vid. veneficium. T. 3. p. 120. c. 2. p. 288. c. 2.
Carna. T. 2. p. 314. c. 2.
Carthaginenſes quales. T. 3. p. 75. c. 2.
Carthago. T. 1. p. 437. c. 1. (cur dicta Byrſa. p. 440. c. 1.) T. 3. p. 71. c. 2.
Caſſandra. T. 1. p. 445. c. 1. p. 446. c. 1. T. 2. p. 425. c. 2.
Caſſianus Martyr. T. 5. p. 208. c. 2.
Caſta placent ſuperis. T. 2. p. 72. c. 1. p. 162. c. 1.
Caſtanea. T. 4. p. 128. c. 2.
Caſtæ quæ T. 2. p. 160. c. 1. vide pudicitia.
Caſtor, & Pollux. T. 2. p. 3. c. 2. T. 4. p. 433. c. 2.
Catechumeni. T. 5. p. 23. c. 2.
Catella. T. 3. p. 354. c. 1.
Catius. T. 2. p. 45. c. 1. 2.
Cato. T. 1. p. 400. c. 1. T. 2. p. 3. c. 2. p. 8. c. 2. p. 19. c. 1. T. 3. p. 2. c. 1. p. 8. c. 1. ejus character. p. 9. c. 1. p. 50. c. 1. p. 52. c. 2. p. 53. c. 2. bonus dux. p. 54. c. 1. p. 346. c. 1. T. 4. p. 218. p. 445. c. 2.
Cato Grammaticus. T. 4. p. 218.
Caunus. T. 2. p. 242. c. 1.
Celæno, vid. Harpyiæ.
Celtæ. T. 3. p. 76. c. 1.
Cenotaphium. T. 1. p. 451. c. 2.
Centauri. T. 1. p. 378. c. 1. p. 428. c. 1. T. 2. p. 258. c. 1.
Cephalus. T. 2. p. 182. c. 2. p. 230. c. 2.
Cera. T. 4. p. 425. c. 2.
Ceraſus. T. 4. p. 128. c. 1.
Cerberus. T. 1. p. 361. c. 1. p. 470. c. 1. T. 2. p. 435. c. 1. T. 3. p. 182. c. 2.
Cerdo, vid. Sutor.
Ceres. T. 1. p. 423. c. 2. T. 2. p. 163. c. 2. p. 217. c. 1. p. 304. c. 1. p. 512. c. 2.
Cerva longæva. T. 3. p. 128. c. 2.
Cervus cornibus impeditus. T. 4. p. 99. c. 1.
Cervus, & Boves. T. 4. p. 72. c. 1.
Cethegus Marcus. T. 4. p. 271. c. 2.
Ceyx. T. 2. p. 253. c. 2. p. 426. c. 1.
Chalybes. T. 3. p. 292. c. 1.
Chaos. T. 2. p. 190. c. 1.
Charitas, quanti pretii. T. 5. p. 186. c. 1.
Charites. T. 4. p. 435. c. 2.
Charon. T. 1. p. 469. c. 1. T. 2. p. 404. c. 1. p. 435. c. 1. T. 3. p. 282. c. 2.
Chartis ineptis quomodo utendum. T. 1. p. 397. c. 2. T. 2. p. 59. c. 2. T. 3. p. 361. c. 1. p. 375. c. 1.
Charybdis. T. 1. p. 452. c. 2. T. 2. p. 266. c. 2.
Chelidonius Martyr. T. 5. p. 192. c. 2.
Chimæra. T. 1. p. 378. c. 2.
Chiron. T. 1. p. 405. c. 2. p. 433. c. 1. T. 2. pag. 30. c. 2. p. 311. c. 1. T. 3. p. 273. c. 2. ejus antrum. p. 261. c. 2. T. 4. p. 439. c. 1.
Chœrilus. T. 2. p. 59. c. 2. p. 64. c. 1.
Chryſanthus & Daria Martyres. T. 5. p. 94. c. 1.
Chriſti laudes, virtutes, tentationes. T. 6. p. 61. c. 1. laudes. T. 1. p. 187. c. 1. Hymn. omni hora. p. 190. c. 1. Hymn. octavo Cal. Jan. T. 1. p. 191. c. 1. Hymn. Epiph.
Chriſtiana religio non fuit olim cauſa calamitatum. T. 5. p. 253. c. 1 2. ſeqq.
Chriſtiani. T. 5. p. 22. uſque 25. p. 262. 371.
Chriſtus Deus. T. 5. p. 202. c. 2. p. 214. c. 2. T. 5. p. 20. c. 1. p. 87. c. 1. 2. p. 91. c. 1. 2. pag. 262. c. 2. p. 325. ſeqq. p. 368. c. 2. p. 375. ſeqq. p. 387. 388. T. 6. p. 78. 79. p. 88. 89. p. 136. p. 249.
Chriſti paſſio. T. 5. p. 32. c. 1. 2.
Cicada & Noctua. T. 4. p. 76. c. 1.
Cicero. T. 1. p. 399. c. 1. T. 3. p. 105. c. 1. pag. 332. c. 1. T. 4. p. 29. c. 2. p. 1. c. 1. 2. p. 29. c. 2 p. 219. p. 224. c. 1. p. 425. p. 450. 451.
Cincinnatus. T. 6. p. 52. c. 2.
Cinyras. T. 2. p. 247. c. 1.
Circe. T. 1. p. 419. c. 1. p. 474. c. 1. T. 2. p. 31. c. 2. p. 50. c. 2. p. 185. c. 2. p. 268. c. 2.
Circuli Mundi. T. 4. p. 34. c. 1.
Cito dandum. T. 3. p. 384. c. 1. p. 592. c. 1. T. 5. pag. 101. c. 2.
Civitas bene munita. T. 1. p. 195. c. 1.
Claudius Cæſar. T. 2. p. 478. c. 1. 2. T. 4. p. 447. c. 1.
Claudia gens a Clauſo. T. 1. p. 479. c. 1. T. 2. 303. c. 1.
Clementia. T. 4. p. 387. c. 2.
Clementia decet Principem. T. 3. p. 463. c. 2. p. 476. c. 2. p. 490. c. 1.
Clementiæ ara. T. 3. p. 259. c. 1. p. 490 c. 1.
Cleopatra. T. 1. p. 485. c. 1. T. 1. p. 8. c. 1. p. 202. c. 1. T. 3. p. 58. c. 2. T. 4. p. 446. c. 2.
Clerici & Paſtores. T. 5. p. 27. c. 1. 2. p. 28. c. 1. 2.
Clericus poeta. T. 6. p. 39. c. 2.
Clitumnus. T. 2 p. 506. c. v.
Clœlia. T. 3. p. 115. c. 2.
Clytæmneſtra, Sen. in Agamem. T. 4. p. 439. c. 1.
Clytie. T. 1. p. 210. c. 2.
Cocus. T. 4. p. 224.
Cocytus. T. 4. p 122. c. 2.
Codrus. T. 2. p. 19. c. 1.
Cœlibatus laudatur. T. 1. p. 131. c. 1. 2.
Cœlum. T. 4. p. 34. c. 1. p. 62. c. 2. p. 303. c. 1.
Cœnipeta. T. 3. p. 436. c. 1.
Color quid. T. 1. p. 350. c. 1. 2.
Cometæ. T. 1. p. 494. c. 1. T. 4. p. 36. c. 2 T. 3. p. 86. c. 2. p. 106. c. 2. p. 303. c. 2. p. 491. c. 2.
Commodus Cæſar. T. 4. p. 448. c. 1.
Communia quæ. T. 4. p. 252. c. v.
Comœdia. T. 2. p. 59, c. 1. p, 62. c. 1.
Concordia. T. 5. p. 175. c. 2. T. 4. p. 384. c. 1.
Concupiſcentia. T. 5. p. 26. c. 2. p. 369.
Conjugii boni laudes. T. 2. p. 4. c. 1.
Conſcientia bona ubique læta. T. 2. p. 54. c. 1. p. 50 c. 1.
Conſcientia mala quam miſera. T. 1. p. 103. c. 1. T. 3. p. 72.

p. 42. c. 2. p. 336. c. 2 p. 338. c. 1. p. 456. c. 2.
Conſolatio de morte. *T.* 2. p. 40 c. 2. T. 5. p. 321. ſeqq.
Conſtantinus. T. 4. p. 429. T. 5. p. 39. ſeqq.
Conſtantius. T. 4. p. 448. c. 2. p. 461. c. 1.
Conſuetudo. *T.* 4. p. 386. c. 1.
Contentus ſorte. *T.* 2. p. 12. 13. p. 21. c. 2. p. 38. c. 2. p. 46. c. 1. p. 52 c. 1. 2. p. 54. c. 2.
Non contentus ſorte. *T.* 2. p. 19. c. 2. p. 33. c. 1.
Conviva ſit hilaris. *T.* 3. p. 335. c. 2.
Convivæ difficiles. *T* 2. p. 60. c. 1.
Convivium. *T.* 1. p. 442. c. 2. p. 481. c. 1. *T.* 2. p. 48. c. 2. *T.* 3. p. 191. c. 1. p. 476. c. 2. *T.* 4 p. 405. c. 2.
Convivium ſordidum. *T.* 3. p. 349. c. 1. p. 357. c. 2. pag. 382. c. 2. vanum. p. 374 c. 2. amicum. p. 381. c. 2.
Coquus. *T.* 2. p 41. c. 2. p. 45. c. 1. *T.* 3. p. 449. c. 2.
Corduba. T. 2. p. 479. c. 1.
Cornelia mater Gracchorum. *T.* 3. p. 322. c. 2.
Cornix & Urna. *T.* 3. p. 180. c. 2.
Cornu Copiæ. *T.* 2. p. 239. c. 1.
Coroutus Tutor Perſii. *T.* 4. p. 97. c. 2.
Cornelius Celſus. T. 4. p. 459. c. 2.
Corona Civica. *T* 3. p. 404. c. 1.
Coronis. *T.* 2. p. 200. c. 2.
Corpus quid. *T.* 1. p. 338. c. 2.
Corpus humanum quotidie variatur. *T.* 2. p. 276. c. 2.
Corſica. T. 2. p. 479. c. 1.
Corvus. *T.* 2. p. 202. c. 1. p. 289. c. 1.
Craſſitius Grammaticus. T. 4. p. 460. c. 1.
Creatio. *T.* 1. p. 417. c. 1. *T.* 2. p. 190. c. 1. p. 308. c. 1. *T.* 4. p. 31. c. 1. *T.* 3. p. 120. c. 2. *T.* 6. p. 29. c. 1. 2. *T.* 5. p. 39. c. 1. 2. p. 348. 349. p. 247. c. 1. 2.
Creon. T. 4. p. 229. ſeqq.
Creta. *T.* 1. p. 450. c. 1,
Creuſa. *T.* 1. p. 448. c. 2.
Criſpinus. *T.* 2. p. 36. c. 1. *T.* 3. p. 313. c. 2. p. 318. c. 2.
Criticus bonus. *T.* 2. p. 65. c. 1.
Croeſus. T. 4. p. 9. c. 2.
Crucis Chriſti potentia. T. 5. p. 244. c. 1. p. 22. c. 1. p. 88.
Cultus corporis. T. 4. p. 275. ſeq.
Cultus Dæmonum. *T.* 5. p. 16. c. 2,
Cumæ. *T.* 3. p. 122. c. 1.
Cupiditas. *T.* 4. p. 386. c. 2.
Cupido vid. Amor. *T.* 2. p. 72. c. 2. p. 90. c. 2. p. 394. c. 1. p. 458. c. 2. *T.* 5. p. 128. c. 1. *T.* 4. p. 233. ſeq. pag. 428. c. 2. p. 432. c. 2.
Cupidinis Triumphus. *T.* 2. p. 146. c. 1.
Curius. *T.* 3. p. 334. c. 2.
Curius Fortunatianus. T. 4. p. 459. c. 2.
Curſus Pedeſtris. *T.* 1. p. 462. c. 2. *T.* 3. p. 149. c. 2.
Cyane. *T.* 2. p. 217. c. 2.
Cybele. *T.* 1. p. 349. c. 1. 2. p. 403. c. 1. 2. p. 450. c. 1. p. 473. c. 1. p 493. c. 2. *T.* 2. p. 302. c 1. *T.* 3. p. 151 c. 1 p. 209. c. 2. *T.* 5. p. 241. c. 2. T. 4. p. 220. c. 1. pag. 434. c. 1. 2.
Cyclopes. T. 1. p. 454. c. 1. p. 483. c. 1 T. 3. p. 288. c. 2.
Cycni fabula. *T.* 1. p. 293. c. 1. *T.* 2. p. 199. c. 1. T. 4. p. 223. c. 1.
Cydippe. *T.* 2 p. 143. c. 1. 2.
Cygnus. *T.* 2. p. 257. c. 1.
Cyllarus. *T.* 1. p. 429. c. 2. *T.* 2. p. 199. c. 1. *T.* 3. pag. 218. c. 2.
Cynicus. T. 2. p. 56. c. 1.
Cypariſſus. *T* 2. p. 245. c. 2.
Cyprianus Ep. & Martyr. *T.* 5. p. 220. c. 2. T. *6.* p. *96.* c. 2.
Cyrene. *T.* 3. p. 124. c. 2.
Cyrus. T. *6.* p. 54. c. 2. T. 4. p. 443. c. 1.
Cytherius. T. 5. p. 283. ſeqq.

D

DÆdalus. *T.* 1. p. 467. c. 1. *T.* 2. p. 2. c. 1. p. 171. c. 2 p. 233. c. 1. *T* 3. p. 122. c. 2.
Dæmones. T. 5. p. 178. c. 1. 2. T. 5. p. 267. 281. T. 6. p. 15. c. 2. ſeq.
Damarum prælia. T. 3. p. 374. c. 1.
Damaſus Papa. T. 5 p. 94.
Damocles. T. 2 p. 13. c. 1. T. 4. p. *96.* c. 2.
Danae. T. 2. p. 18. c. 1. p. 213. c. 1.
Danaides. T. 1. p. 361. c. 1. T. 2. p. 17. c. 1. vid. Tartara.
Daphne. T. 2. p. 193. c. 2. T. 4. p. 432. c. 2. pag. 441. c. 1.
Deianira. T. 2. p. 124. c. 1. Sen. in Herc. Oetæo.
Deidamia. T. 3. p. 268. c. 2. T. 4. p. 441. c. 1.
Delos. T. 4. p. 93. c. 2.
Demens. T. 2. p. 42. c. 2. p. 60. c. 2. p. 64. c. 1. p. 65. c. 2. vid. inſania.
Demetrius, & Menander. T. 4. p. 81. c. 1.
Democritus. T. 1. p. 356. c. 1. p. 361. c. 2. T. 2. p. 59. c. 1. p. 64. c. 1. T. 3. p. 331. c. 2. excæcat ſe. T. 4. p. 381. c. 1. in Rectore.
Demophoon. T. 2. p. 115. c. 1. T. 4. p. 18. c. 1.
Demoſthenes. T. 3. p. 332. c. 1.
Dentes arte facti. T. 3. p. 379. c. 1. p. 471. c. 2.
Dentium dolor quomodo mitigandus. T. 3. p. 130. c. 2.
Deorum Concilium. Virg. paſſim. T. 2. p. 191. c. 2. T. 3. p. 188. c. 2. p. 516. c. 1. T. 6. p. 50. c. 1.
Deorum conſilia culpare ſtultum. T. 1. p. 132. c. 2.
Deorum vita ſecura. T. 2. p. 38. c. 1.
Deorum ethnicorum ſcelera. T. 5. p. 212. c. 1.
Deprecatio. T. 3. p. 521. c. 1.
Dercylos celebris venator. T. 4. p. 21. c. 1.
Deſertores. T. 5. p. 24. c. 2.
Deſidia noxia. T. 2. p. 184. c. 2. T. 4. p. *96.* c. 1.
Deucalion. T. 1. p. 423. c. 1. vid. Diluvium. & Pyrrha.
Deus. T. 3. p. 54. c. 2. T. 5. p. 106. c. 2. in Orat. pag. 126. c. 1. p. 222. c. 2. T. 5. p. 363. ſeqq.
Deus Omnipotens. T. 2. p. 3. c. 2. p. 15. c. 1. T. 6. p. 131. c. 2.
Deus vindex. T. 1. p. 39. c. 2.
Deus ubique. T. 1. p. 415. c. 2. p. 434. c. 2.
Deus fecit & gubernat mundum. T. 4. p. 53. c. 2. p. 37. c. 2.
Diadumenus. T. 4. p. 448. c. 2.
Dialectica. T. 6. p. 73. c. 1.
Diana. T. 2. p. 5. c. 2. p. 19. c. 2. p. 24. c. 1. p 32. c. 1. p. 104. c. 1. p. 421. c. 2. *T.* 4 p. 424. c. 2. p. 416. c. 2.
Dido. Virgil. Æneidos Lib IV. paſſim. T. 2. p. 121. c. 2. p. 298. c. 1. T. 3. p. 63. c. 1. p. 102. c. 1. Auſonius refutat Virgilium. T. 5. p. 103. c. 2. T. 4. p. 237. p. 441. c. 1.
Didonis & Æneæ connubia. T. 1. p. 455. c. 1.
Dido apud inferos. T. 1. p. 470. c. 1.
Dies Hebdomadis. T. 5. p. 140. c. 2.
Dies felices & infelices. T. 1. p. 42. c. 2. T. 2. p. 282. c. 2. p. 215. c. 2.
Dies faſti & nefaſti. T. 2. p. 28. c. 1.
Dies ethnici. T. 5. p. 40. c. quid momenti afferebant rebus Romanis. T. 5. p. 250. c. 1. 2.

Dii æterni. T. 3. p. 46. c. 2.
Dii majores. T. 4. p. 166. c. 2.
Dii Deæque. T. 5. p. 18. c. 2. p. 328 ſeqq. T. 4. p. 431. 434. c. 1.
Diluvium Deucalionis & Pyrrhæ. T. 2. p. 1. c. 1. p. 192. c. 1. Noe. T. 5. p. 355. c. 2. T. 6. p. 3. c. 2.
Diogenes Cynicus. T. 3. p. 341. c. 1. T. 5. p. 100. c. 1. p. 119. c. 1.
Diomedes. T. 4. p. 478. c. 2. p. 218. ſeqq.
S. Dionyſius. T. 6. p. 99. c. 1.
Dionyſius Syracuſius. T. 2. p. 13. c. 2.
Dipſas Serpens. T. 3. p. 55. c. 2.
Diræ. T. 1. p. 512. c. 1.
Diſciplina vid. Educatio.
Diſcordia. T. 1. p. 485. c. 1. T. 5. p. 175. c. 2.
Diſſimulatio. T. 4. p. 385. c. 2.
Dives. T. 5. p. 20. c. 2. p. 21. c. 1.
Divitiæ veræ. T. 1. p. 380. c. 1. T. 2. p. 54. c. 1.
Divitiæ quid poſſint. T. 1. p. 380. c. 1. multis nocuerunt. T. 3. p. 331. c. 2. vid. pecunia periculoſa. p. 341. c. 1.
Divitium gratitudo & ira. T. 1. p. 180. c. 2. impudentia. T. 3. p. 335. c. 2.
Divites ut capiuntur. T. 2. p. 46. c. 1. 2.
Divina natura Immortalis. T. 1. p. 336. c. 2. p. 349. c. 1. 2. p. 272. c. 1. 2.
Dodecatemoria. T. 4. p. 42. c. 2.
Dodona. T. 1. p. 423. c. 2. T. 3. p. 199. c. 1
Dolor. T. 4. p. 387. c. 2.
Dominus malus. T. 4. p. 209. c. 2. p. 210. c. 1. T. 4. p. 16. c. 2.
Dona. T. 5. p. 20. c. 2.
Doris. T. 1. p. 419. c. 2.
Dos, vid. Uxor.
Dos, quid faciat. T. 1. p. 193. c. 1. T. 3. p. 322. c. 1.
Drances. T. 1. p. 501. c. 1. 2.
Druidæ. T. 3. p. 4. c. 2.
Druſus. T. 2. p. 23. c. 1. p. 26. c. 1.
Dryope. T. 2. p. 241. c. 1.

E

Ebrietatis mala. T. 2. p. 5. c. 1. p. 6. c. 2. p. 51. c. 2. T. 3. p. 193. c. 2. T. 5. p. 28. c. 2. T. 6 p. 85. c. 2.
Ebrii deſcriptio. T. 1. p. 171. c. 1. 2. p. 279. c. 1. p. 357. c. 1.
Eccleſia. T. 5. p. 26. c. 1. & paſſim.
Echinus. T. 3. p. 440. c. 2.
Echo. T. 2. p. 205. 206. T. 5. p. 97. c. 1.
Eclipſes Solis & Lunæ. T. 3. p. 377. c. 1. 2.
Educatio, quid faciat. T. 2. p. 23. c. 1. T. 3. p. 339. c. 1. quomodo pueros inſtitui oporteat. T. 5. p. 127. c. 1. 2.
Effluvia. T. 1. p. 362. c. 2.
Elegeia. T. 2. c. 158. c. 2.
Elementa quatuor. T. 2. p. 190. c. 1. 2. p. 277. c. 1.
Elementa non perſtant. T. 2. p. 277. c. 1.
Elephas. T. 4. p. 509. c. 1.
Elyſium. T. 1. p. 471. 472. T. 2. p. 67. c. 2. T. 3. pag. 131. 132.
Empedocles. T. 1. p. 341. c. 2. T. 2. p. 65. c. 2. T. 4. p. 394. c. 2.
Enceladus. T. 1. p. 453. c. 2. T. 2. p. 15. c. 1. T. 3. p. 249. c. 2. p. 52. c. 2.
Endromis. T. 3. p. 369. c. 2.
Ennius. T. 1. p. 3.7. c. 1. T. 2. p. 57. c. 1. T. 4. p. 99. c. 1 T. 3. p. 124. c. 2. T. 4. p. 460. c. 2.
Ennii Epitaphium. T. 4. p. 278. c. 1.
Entellus. T. 1. p. 463. c. 1.
Epicedia. T. 3. p. 183. c. 1.
Epicurus. T. 1. p. 336. c. 1. 2. p. 353. 354. p. 371. 372. p. 382. c. 2. p. 361. c. 2. T. 4. p. 33. c. 2.
Epidaurus. T. 1. p. 420. c. 1.
Epiphania. T. 6. p. 275 c. 1.
Epiphanius Papa. T. 6. p. 95.
Epirus. T. 1. p. 21. c. 1. p. 429. c. 2.
Epithalamia. T. 6. p. 92. T. 1. p. 401. ſeqq. T. 3. p. 157. c. 2. T. 5. p. 136. c. 1. T. 3. p. 466. c. 1. 2. p. 509. c. 1. 2. T. 6. p. 57. c. 1. 2. p 59. c. 1. 2.
Equeſtris curſus. T. 3. p. 148. c. 1. T. 6. p. 66 c. 2.
Equæ vento gravidæ. T. 1. p. 430. c. 2. T. 3. pag. 76. c. 2.
Equus animoſus. T. 4. p. 268. c. 2.
Equus optimus. T. 1. p. 429. c. 1. pulcher. p. 464. c. 2. T. 4. p. 141. c. 1.
Equus bello alendus. T. 1. p. 430. c. 1.
Equus Trojanus. T. 1 p. 443 c. 2.
Equus & Cervus. T. 2. p. 53. c. 1.
Equus, & Aper. T. 4. p. 77. c. 1.
Erichthonius. T. 1. p. 429. c. 2.
Eridanus. T. 1. p. 472. c. 1. T. 3. p. 9. c. 2.
Eriſichthon. T. 2. p. 237. c. 2.
Errores hominum de bonis. T. 3. p. 331. c. 2.
Eryx. T. 1. p. 463. c. 1.
Evander. T. 1. p. 402. c. 2. & pluribus ante & poſt verſibus. T. 2. p. 385. c. 2.
Eventa. T. 1. p. 339. c. 2.
Eulalia Martyr. T. 5. p. 109. c. 1.
Eulogius Martyr. T. 5. p. 206. c. 2.
Eumenides vid. Furiæ & Tartara.
Eunuchus. T. 3. p. 477. c. 1. 2. in Eutrop. T. 4. p. 498.
Eunuchus ad improbum. T. 4. p. 75. c. 2.
S. Euphemia. T. 6. p. 98.
Euphrates. T. 3. p. 14. c. 1.
Euripides. T. 4. p. 458. c. 2.
Europa. T. 4. p. 431. c. 2.
Europes fabula. T. 2. p. 20. c. 2. p. 203. c. 1. 2. p. 220 c. 2. p. 312. c. 2.
Eurus. T. 2. p. 190 c. 2.
Euryalus. T. 4 p. 438. c. 2.
Eurydice vid. Orpheus.
Eurytus. T. 2. p. 258. c. 1.
Euſebius Papa. T. 5. p. 92. c 2.
Eutychius. T. 5. p. 92. c. 2.
Exempla quomodo imitanda. T. 2. p. 57. c. 1. T. 3. p. 464. c. 2. quantum valent. p. 338. c. 2. p. 464. c. 1
Exilium. T. 2. p. 322. c. 1.

F

Fabii T. 2. p. 289. c. 1.
Fabius M. T. 3. p. 68 c. 2. p. 71. c. 1. p. 96. c. 1. Collegam a prælio dehortatur. p. 98. c. 1. poſt cladem Cann. verba. p. 116. c. 2. ejus character. T. 4. p. 271. c. 1. p. 414. c. 2.
Fabricius. T. 3. p. 472. c. 2.
Faciei medicamina. T. 2. p. 381. c. 1. 2.
Facilis & feſtivi hominis character. T. 1. p. 310. c. 1. 2. ad finem fabulæ.
Falernus. T. 3 p. 97. c. 2.
Fama. T. 1. p. 456. c. 1. T. 4. p. 387. c. 2.
Famæ Sedes. T. 2. p. 256. c. 2.

Famæ

Famæ conſulendum. T. 2. p. 55. c. 2.
Famis deſcriptio. T. 2. p. 238. c. 1. T. 3. p. 31. c. 1.
Fatum. T. 4. p. 38. c. 1. p. 44. c. 2. p. 56. c. 2. T. 2. p. 410. c. 2. p. 477. c. 2. T. 3. p. 274. c. 1. T. 6. p. 50. c. 2. T. 5. p. 249. c. 2.
Faunus. T. 2. p. 18. c. 2. p. 289. c. 2.
Febres quomodo curandæ. T. 4. p. 136. c. 2.
Februa. T. 2. p. 287. c. 2.
Felix vid. beatus, vita læta.
Felix Martyr. T. 5. p. 92. 93. p. 266. ſeqq.
Feræ domantur. T. 3. p. 353. c. 2.
Feriæ Romanæ. T. 5. p. 142. c. 1.
Feſti Chriſtiani dies. T. 5. p. 296. ſeqq.
Fictio. T. 4. p. 385. c. 2.
Ficus. T. 4. p. 127. c. 2.
Fides. T. 4. p. 385. c. 2.
Fides Dea. T. 3. p. 72. c. 1.
Fides rara. T. 2. p. 458. c. 2.
Fides Chriſtiana. T. 5. p. 170. c. 1.
Fides, Spes, Caritas. T. 5. p. 365. c. 1. 2. p. 366.
Finis proponendus. T. 4. p. 96. c. 2.
Finis mundi. T. 5. p. 23. c. 1.
Flora. T. 2. p. 309. c. 1.
Flumina unde. T. 1. p. 374. c. 2. T. 1. p. 435. c. 2. Moſellæ deſcriptio. T. 5. p. 130. c. 1.
Foca Grammaticus. T. 4. p. 459. c. 2.
Fœmina. T. 4. p. 384. c. 1. vid. mulier.
Fœmineæ illecebræ. T. 2. p. 177. c. 1. de arte.
Fœmineæ crudelitatis execratio. T. 2. p. 106. c. 2.
Fœminæ vindicta placet. T. 3. p. 338. c. 1.
Fœminæ celebres. T. 2. p. 102. c. 1. vid. Dido, Camilla, Hasbite, &c.
Fœminæ cauſæ belli. T. 2. p. 156. c. 1.
Fœminæ ludos viriles exercent. T. 2. p. 103. c. 2. T. 3. p. 323. c. 1. p. 344. c. 1.
Fœminæ Romanæ monilia &c. bello miniſtrant. T. 3. p. 124. c. 1.
Fœmina literarum ſtudio dedita. T. 3. p. 324. c. 2. pag. 361. c. 1.
Fœminarum effræna libido. T. 2. p. 105. c. 1. T. 3. p. 321. c. 2.
Fœneratoris, Trapezitæ, Daniſtæ, mores. T 1. p. 52. c. 1. p. 103. c. 1. T. 2. p. 27. c. 2. T. 3. p. 358. c. 1.
Fœtum in utero perdere neſas. T. 2. p. 156. c. 2.
Fons amœnus. T. 2. p. 17. c. 2. Aponus fons medicinalis. T. 3. p. 524. ſeqq.
Fontes. T. 5. p. 95. p. 299. c. 2. T. 4. p. 480. c. 2. pag. 483. c. 1.
Fons Ammonis. T. 1. p 389. c. 1.
Fontes unde. T. 1. p. 373. c. 2. T. 3. p. 60. c. 1.
Fontes frigidi æſtate, calidi hyeme. T. 1. p. 389. c. 1.
Fontes dulces in mari. T. 1. p 389 c 2.
Forma muliebris. T. 2 p. 79. c. 2. p. 81. c. 2. p. 87. c. 2. p 88. c. 1. p. 106. c. 1. p. 153. c. 1. p. 172. c. 1.
Formica. T. 2. p. 33. c. 1.
Formica, & Muſca. T. 4 p. 80. c. 1.
Formica & Cicada. T. 4. p. 187. c. 2.
Formido. T. 1. p. 355. c. 1.
Fortitudo. T. 4. p. 387. c. 1.
Fortuna. T. 3. p. 333. c. 2. T. 4. p. 302. c. 1. p. 304. c. 1. p. 230. ſeq. T. 5. p. 279. ſeqq. T. 4. p. 435. c. 2.
Fortuna iniqua. T. 2. p. 433. c. 1.
Fortunæ imperium. T. 1. p. 39. c. 2. p. 164. c. 1. T. 2. p. 7. c. 2. p. 21. c. 2. p. 333. c. 2. p. 335. c. 2. T. 4. p. 43. c. 1. 2. vid. fatum. T. 2. p. 400. c. 1. p. 410. c. 2. p. 421. c. 1. T. 3. p. 329. c. 2. vid. Providentia.
Frater & Soror. T. 4. p. 74. c. 2.
Fructuoſus Martyr. T. 5. p. 206. c. 2.
Frugalitas laudatur. T. 5. p. 105. c. 1.
Fulgor. T. 1. p. 384. c. 1.
Fulmen. T. 1. p. 347. c. 2. p. 381. c. 1. p. 384. c. 2. p. 483. c. 1. T. 2. p. 296. c. 2. T. 5. p. 17. c. 1.
Funambulus. T. 4. p. 499.
Funus. T. 1. p. 449. c. 2. (Miſeni p. 468. c. 1.) p. 500. c. 1. apud varias gentes. T. 3. p. 131. c. 1. T. 5 p. 28. c. 1. p 321 ſeqq
Funus paſſeris. T. 1. p. 393. c. 1. Pſittaci. T. 2. p. 153. c. 2. T. 3. p. 166. c. 2.
Fur aram compilans. T. 4. p. 78. c. 1.
Furiæ. T. 1. p. 361. c. 1. p. 471. c. 2. earum domus. T. 3. p. 285. c. 1.
Furor. T. 1. p. 439. c. 2. T. 2 p. 387. c. 1. pag. 427. 428.
Futura Diis permittenda. T. 2. p. 3. c. 1. 2. p. 12. c. 1. p. 21. c. 2.

G

Gades unde. T. 4. p. 179. c. 2.
Gætuli. T. 3. p. 76. c. 1.
Galanthis. T. 2. p. 241. c. 1.
Galatea. T. 1. p. 417. c. 2. p. 419. c. 2. T. 2. p. 266. c. 2. T. 4. p. 436. c. 1.
Gallæcia. T. 3. p. 76. c. 2.
Gallina altilis. T. 3. p. 439. c. 2.
Gallus. T. 1. p. 417. c. 2. T. 4. p. 425.
Ganges. T. 1. p. 485. c. 2.
Ganymedes. T. 1. p. 462. c. 1. T. 2. p. 23. c. 1. p. 246. c. 1. T. 3. p. 191. c. 2. T. 4. p. 431. c. 1.
Garamantes. T. 3. p. 76. c. 1.
Gargara. T. 1. p. 423. c. 2.
Garrulus. T. 2. p. 39. c. 2.
Gellius. T. 4. p 459. c. 2.
Generoſus vere. T. 2. p. 38. c. 1.
Geneſis, vid. Creatio Com. in Geneſin. T. 5. pag. 348. ſeqq.
Genethliacon, vid. Natalis.
Genituræ calculandæ ratio. T. 4. p. 43. c. 1. 2.
Genius loci. T. 4. p. 45. c. 2. p. 436. c. 1.
Gentes. T. 5. p. 21.
Geometria. T. 6. p. 74. c. 1.
Germanicus Cæſar. T. 4. p. 446. c. 2.
Geryon. T. 3. p. 65. c. 1. p. 129. c. 1.
Getæ. T. 2. p. 19. c. 2. T. 2. p. 334. c. 1. 2. pag. 337. c. 1. p. 345. c. 1. p. 360. c. 1.
Gigantes. T. 1. p. 422. c. 2. T. 2. p. 191. c. 2. T. 4. p. 33. c. 1. T. 3. p. 22. c. 2. vid. Enceladus, Tityus, Amycus, &c. p. 497. c. 1. p. 519. c. 1. 2. T. 6. p. 49. c. 2.
Glacies. T. 4. p. 493. c. 1. 2.
Gladiatorum munus. T. 3. p. 150. c. 1.
Glaucus. T. 2. p. 268. c. 1. T. 4. p. 438. c. 1.
Glires. T. 3. p 439. c. 2.
Gloria. T. 4. p. 387. c. 2.
Gnatho, vid. paraſitus.
Gorgon, vid. Meduſa.
S. Gorgonius. T. 5. p. 93. c. 1.

Gothi. T. 5. p. 293. ſeqq. T. 6. p. 3.
Graculus. T. 2. p. 51. c. 1. T. 4. p. 68. c. 1.
Græcia. T. 4. p. 479. c. 1.
Grammatica. T. 6. p. 72. c. 2.
Gratia divina. T. 5. p. 375. ſeqq.
Gubernator & Nautæ. T. 4. p. 79. c. 1.
Gula T. 5. p. 19. c. 2.
Guloſus. T. 2. p 55. c. 1. T. 3. p. 314. c. 2. pag. 390. c. 1. p. 404. c. 2.

H

HÆredipeta. T. 2. p. 46. c. 1.
Halcyone. T. 2. p. 253. c. 2.
Halieuticon. T. 2. p. 382. c. 1. 2.
Harpalyce. T. 1. p. 440. c. 1.
Harpyiæ. T. 1. p. 451. c. 1. p. 469. c. 1. T. 3. p. 291. c. 1. T. 4. p. 194. c. 1.
Hasbite. T. 3. p. 68. c. 2.
Hector. T. 4. p. 67. p. 219. ſeqq. p. 437. c. 1. 2.
Hecuba. T. 2. p. 264. c. 1. Sen. in Troade. T. 4 pag. 220. ſeqq. p. 441. c. 1.
Helena a Venere ſervata. T. 1. p. 447. c. 2. T. 2. pag. 133. 136. ſeqq. *Sen.* in Troade. T. 4. p. 218. ſeq.
Helle. T. 3. p. 295. c. 1.
Helpes. T. 6. p 277. c. 2.
Hemiterius Martyr. T. 5. p. 192. c. 2.
Heraclitus. T. 1. p. 341. c. 1. T. 3. p. 331. c. 2.
Hercules. T. 2. p. 124. c. 1. 2. primus tranſiit Alpes. p. 77. c. 2. Laomedontis filiam a bellua marina eripuit. p. 281. c. 1. 2. de eo. T. 5. p. 241. c. 1.
Hercules natus. T. 1. p. 14. ſeqq. T. 5. p. 18. c. 1. T. 4. p. 433 c. 1. 2. p. 436. c. 2.
Herculi decima pars data. T. 1. p. 89. c. 1.
Herculis laudes. T. 3. p. 242.
Herculis labores. T. 1. p. 371. ſeqq. p. 482. c. 1. T. 2. p. 427. c. 1. p. 429. c. 1. p. 454. c. 1. T. 3. p. 239. c 2. T. 5. p. 139. c. 2. T. 3. p. 512. c. 2. T. 4. p. 15. c. 2.
Hercules occidit Cacum. T. 1. p. 481. c. 2. T. 2. pag. 112. c. 1. p. 286. c. 1.
Herculis mors. T. 2. p. 239. c. 2. p. 466. c. 2. ejulatio morientis. T. 4. p. 336. c. 2.
Herilus. T. 1. p. 484. c. 1.
Hermaphroditus. T. 2. p. 211. c. 2. T. 5. p. 102. c. 2. T. 4. p. 498.
Hermione. T. 2. p. 123. c. 1.
Hermogenes fur. T. 3. p. 432. c. 1. 2.
Hermus. T. 1. p. 425. c. 2.
Hero. T. 2. p. 139. c. 2.
Heroum Sedes apud Inferos. T. 1. p. 470. c. 2. apud Superos. T. 4. p. 35. c. 2.
Herſilia. T. 2. p. 275. c. 1. T. 6. p. 53. c. 1.
Heſiodus. T. 4. p. 37. c. 1.
Heſperidum hortus. T. 3. p. 52. c. 2.
Hieroglyphica. T. 3. p. 13. c. 2.
Hippo. T. 3. p. 75 c. 2.
Hippodame. T. 2. p. 258. c. 1.
Hippodamia. T. 4. p. 239. ſeq.
Hippolyte. T. 1. p. 16. c. 2. T. 3. p. 359. c. 2.
Hippolytus. T. 1. p 479. c. 2. T. 2. p. 117. c. 2. p. 196. c. 1 p. 319. c. 1.
Hippolytus, & Phædra. T. 4. p. 440. c. 2.
Hippolyti mors. T. 2. p. 400. c. 1.
Hippolytus Martyr. T. 5. p. 218. c. 1.
Hippomenes. T. 2. p. 249. c. 1. T. 6. p. 46. c. 1.
Hiſpani. T. 3. p. 64. c. 2.
Hiſpania. T. 3. p. 64. c. 2.
Hiſpaniæ varii loci. T. 3. p. 349. c. 1.
Hiſtrio. T. 3. p. 406. c. 1.
Hœdi. T. 4. p. 57. c. 2.
Homerus. T. 2. p. 24. c. 2. p. 50. c. 2. p 57. c. 1. p. 62. c. 1. p. 64. c. 1. p. 79. c. 1. T. 4. p. 37. c. 1.
Homo & Canis. T. 4. p. 72. c. 1.
Homo & Colubra. T. 4. p. 79. c. 1.
Homo & Aſinus. T. 4. p. 81. c. 2.
Homo. T. 2. p. 191. c. 1. T. 4. p. 56. c. 2. T. 3. p. 342. c. 2.
Homo homini lupus. T. 1. p. 21. c. 2. T. 3. p. 342. c. 2.
Homo novarum ædium ſimilis. T. 1. p. 58. c. 1.
Hominis ſolliciti pictura. T. 1. p. 125. c. 2. T. 1. p. 147. c. 2.
Homo natura brutis infirmior. T. 1. p. 372. c. 1. 2.
Homines primi. T. 1. p. 378. c. 2. p. 482. c. 2. vid. antiqui mortales.
Homines quales ſub quibus ſideribus nati. T. 4. p. 50. ſeqq.
Homouſion. T. 5. p. 86. c. 2.
Homuncionitæ refutantur. T. 5. p. 227. c. 2.
Horatii ingenium. T. 2. p. 22. c. 2. p. 36. c. 1. 2. p. 57. c. 2. p. 341. c. 1.
Horatius. T. 4. p. 220. c. 2.
Horoſcopus. T. 4. p. 46. c. 1.
Horrida facies rerum. T. 2. p. 402. c. 2. p. 403. c. 2.
Hortus. T. 1. p. 434. c. 1. T. 4. p. 83. c. 1. T. 3. p. 373. c. 1. T. 6. p. 108. c. 1. p. 483. c. 1. 2.
Hoſpes triduum commorans odioſus. T. 1. p. 132. c. 2.
Humanarum rerum inanitas. T. 2. p. 468. c. 1.
Inſtabilitas, vid. inconſtantia.
Humana conditio, vid. creatio, præſertim. T. 5. p. 247. c. 1. 2. ſeqq.
Humanitas. T. 2. p. 35. c. 1. p. 64. c. 1. p. 176. c. 1.
Humilis conditio tuta. T. 3. p. 331. c. 2. vid. paupertas, vita privata, &c.
Humilis in altum evectus. T. 3. p. 479. c. 1.
Humilitas. T. 5. p. 172. c. 1.
Hyacinthus. T. 2. p. 246. c. 1. T. 5. p. 211. c. 1. T. 4. p. 441. c. 1.
Hyena. T. 2. p. 278. c. 1.
Hyas. T. 2. p. 309. c. 2.
Hydrops quomodo curandus. T. 4. p. 133. c. 2.
Hylas. T. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 81. c. 1. p. 285. c. 2.
Hyla. T. 4. p. 440. c. 2.
Hyperborei. T. 1. p. 431. c. 2.
Hypermneſtra. T. 2. p. 17. c. 2. p. 130. c. 2.
Hypocrita. T. 2. p. 55. c. 2. T. 4. p. 95. c. 2. T. 3. p. 314. c. 2.
Hypſipyle. T. 2. p. 121. c. 2. T. 3. p. 210. c. 2.
Hyrieus. T. 2. p. 212. c. 1.
Hyſtrix. T. 3. p. 523. c. 1.

I

JActantia ut minuit bonum. T. 3. p. 350. c. 2. pag. 379. c. 2.
Jaculandi ludus. T. 3. p. 150. c. 1.
Janthe. T. 2. p. 244. c. 1.
Janua Mœchæ. T. 1. p. 407. c. 2. T. 2. p. 17. c. 1. p. 85. c. 2. p. 147. c. 1.
Janus. T. 2. p. 282. c. 2. p. 288. c. 1. T. 4. pag. 436. c. 2. p. 444. c. 1.

Jani templum. T. 1. p. 478. c. 2. T. 3. p. 414. c. 2.
Japetus. T. 3. p. 123. c. 1.
Jarbas. T. 1. p. 457. c. 1. T. 2. p. 298. c. 1. T. 3. pag. 68. c. 2.
Jaſon. T. 2. p. 127. c. 2. in Medea. T. 4. p. 228. ſeq. p. 439. c. 1.
Icarus. T. 2. p. 233. c. 2. vid. Dædalus.
Idola T. V. p. 18. c. 2.
Jejunii utilitas. T. 5. p. 184. c. 2.
Ignavi. T. 1. p. 504. c. 1.
Ignis. T. 4. p. 31. c. 1.
Ignis non eſt origo rerum. T. 1. p. 341. c. 1.
Ignis unde. T. 1. p. 380. c.
Ilia mulier. T. 1. p. 439. c. 2. T. 2. p. 294. c. 1. T. 4. p. 265. c. 1.
Imaginatio. T. 1. p. 366. c. 2. ſeqq.
Imago T. 4. p. 491. c. 2.
Imilce uxor Annibalis. T. 3. p. 74. c. 2.
Immodici. T. 2. p. 34. c. 1.
Impietas. T. 2. p. 163. c. 1. T. 4. p. 12. c. 1. T. 2. 240. c. 1. T. 3. p. 33. c. 2. Flaminii. T. 3. p. 86. c. 2. Capanei. T. 3. 203. c. 1. Avari. T. 3. p. 327. c. 1. T. 3. p. 370. c. 1.
Inachus. T. 2 p. 194. c. 1.
Inconſtans & mutabilis vir. T. 2. p. 35. c. 1. T. 2. p. 47. c. 2. T. 2. p. 53. c. 1. T. 3. p. 433. c. 2.
Inconſtantia feminea. T. 1. p. 409. c. 2. T. 2. p. 86. c. 1. T. 4. p. 146. c. 2.
Inconſtantia humanarum rerum. T. 2. p. 444. c. 2. T. 2. p 470 c. 1. T. 3. p. 5. c. 1. T. 3. p 459. c. 1.
India. T. p. 423. c. 1. T. 1. p. 425. c. 2. T. 4. p. 176. c. 2.
Indorum funera. T. 3. p. 14. c. 1.
Ineptiæ. T. 4. p. 96. c. 2.
Inertia. T. 4 p. 385. c. 1. vid. otium.
Infantum animarum locus. T. 1. p. 470. c. 1.
Infantes. T. 5. p. 24. c. 2.
Inferorum ſedis deſcriptio. T. p. 469. c. 2. T. 2. p. 2. c. 2. T. 2. p. 433. c. 1. T. 2. p. 434. c. 1. T. 3. p. 131. c. 2. T. 3. p. 199. c. 1. T. 3. p. 316. c. 1. T. 3. p. 315. c. 2.
Inferos quinam adierunt. T. 3. p. 230. c. 1.
Infinitum. T. 1. p. 343. 344.
Infirmi. T. 5. p. 27. c. 2.
Ingenium parvi penditur. T. 2. p. 162. c. 1.
Ingenium malis debilitatur. T. 3. p. 127. c. 1.
Ingrati hominis mores. T. 1. p. 38. c. 2. T. 5. p. 140. c. 1. crimen. T. 1. p. 87. c. 2. T. 4. p. 385. c. 1.
Innupta comparatur viduæ. T. 1. p. 402. c. 2.
Inſania turbæ Hominum. T. 2. p. 42. c. 2. T. 4. p. 96. c. 1.
Inſtitutio vid. Educatio.
Inſulæ fortunatæ. T. 2. p. 31. c. 1.
Integritas optimum tutamen. T. 2. p. 4. c. 2. p. 14. c. 1.
Interamnis. T. 4. p. 175. c. 2.
Interamna. T. 4. p. 480. c. 2.
Intubus. T. 4. p. 222. c. 2.
Invidia. T. 1. p. 248. c. 1. p. 429. c. 1. T. 2. p. 51. c. 1. p. 57. c. 2. p. 151. c. 2. p. 186. c. 1. p. 202. c. 1. T. 3. p. 193. c. 1. p. 354. c. 2. T. 6. p. 83. c. 2.
Invidia virtutum comes. T. 4 p. 73. c. 1.
Invidus & avarus. T. 4. p. 185 c. 1. T. 2. p. 479. c. 2.
Io. T. 1. p. 429. c. 2. T. 2. p. 194. c. 2. p. 244. c. 1. T. 3. p. 290. c. 2.
Joannes Baptiſta. T. 5. p 60. c. 2. p. 159. c. 2.
Jocaſta in Oedipo Senecæ, & in Thebaide. T. 3. p. 227. c. 1.
Iole. T. 2. p. 240. c. 2.
Jonas propheta. T. 5. p. 185. c. 1.
Iphigenia. T. 1. p. 336. c. 2. T. 2. p. 44. c. 1 p. 256. c. 2.
Iphis. T. 2. p. 243. c. 2.
Iphis Cyprius. T. 2. p. 274. c. 1.
Ira. T. 1. p. 355. c. 2. T. 2. p. 4. c. 2. p. 51. c. 1. T. 3. p. 236. c. 1. p. 247. c. 2. p. 528. c. 1. T. 5. p. 171. c. 2. T. 4. p. 387. c. 1.
Ira Dei. T. 5. p. 16. c. 1.
Irene. T. 5. p 94. c. 1.
Iris. T. 1. p. 460. c. 1. T. 4. p. 492. c. 1. 1.
Ironica. T. 3. p. 328. c. 1.
Iſis. T. 3. p. 337. c. 2.
Iſraelis exodus ex Ægypto. T. 5. p. 182. c. 2. T. 6. p. 116. c. 2.
Iſter. T. 1. p. 431. c. 1.
Italia. T. 1. p. 425. c. 2. olim Heſperia. p. 441. c. 2. p. 450. c. 2. ejus ante Æneam ſtatus. p. 474. c. 1. T. 2. p. 105. c. 2
Italiæ populi antiqui. T. 3. p. 104. c. 2.
Iter. T. 6. p 91. c. 1. p. 93.
Itys. T. 2. p. 224. c. 2.
Judæi. T. 2. p. 40. c. 1. p. 166. c. 1. T. 3. p. 11. c. 1. p. 316. c. 1. p. 322. c. 1. p. 325. c. 1. p. 339. c. 2. T. 4 p. 192. c. 1. p. 93. c. 2. T. 5. p. 22. c. 1. 2. pag. 263.
Judæi refutantur. T. 6. p. 225. c. 2.
Judex. T. 2 p 385. c. 2. T. 5. p. 21. c. 1.
Judicium. T. 5. p. 23. c. 2.
Jugurtha. T. 4. p. 444. c. 2.
Juno. T. 1. p. 437 c. 2. nuptiarum præſes. p. 455. c. 1. p. 457. c. 1. T. 2. p. 205. c. 1. p. 314. c. 2. p. 429. c. 1. T. 5. p. 241. c. 2. T. 4. p. 434. c. 2.
Junonia Sacra. T. 2. p. 164. c. 2.
Jupiter. T. 2. p. 191. c. 2. p. 297. c. 2. T. 4. p. 278. c. 2. T. 5. p. 140. c. 2. T. 4. p. 7. c. 2. p. 427. T. 5. p. 17. c. 2. T. 4. p. 431.
Jupiter unde natus. T. 1. p. 1. c. 2. T. 2. p. 163. c. 2. Novit res humanas. T. 1. p. 199. c. 1. 2.
Juppiter Ammon. T. 3. p. 54. c. 1. ejus Templum. pag. 73. c. 2. p. 78. c. 2.
Jupiter Feretrius. T. 2. p. 113. c. 1.
Jupiter Elicius. T. 2. p. 296. c. 2.
Jupiter Piſtor. T 2. p. 316. c. 1.
Juſtinus Imp. & Juſtinianus. T. 6. p. 157. ſeqq.
Juvenalis. T. 3. p. 431. c. 1.
Juvenci & Leo. T. 4. p. 185. c. 2.
Juvenis. T. 2. p 61. c. 1. p. 413. c. 1.
Juvenes ingenui. T. 4. p. 467. ſeqq.
Ixion vid. Tartara.

L

Laberius Mimus. T. 4. p. 465. c. 1.
Laborandum in omnibus. T. 4. p. 52. c. 2.
Labyrinthus. T. 1. p. 464. c. 2. p. 467. c. 1. T. 2. p. 233. c. 1.
Lac unde augeatur. T. 1. p. 431. c. 1.
Lachrymæ humilitatem teſtantur. T. 3. p. 341. c. 1.
Lacones. T. 4. p. 9. c. 2.
Lactea via. T. 2. p. 191. c. 2. T. 4. p. 35. c. 1.
Lactuca. T. 3. p. 438. c. 1.

Lætio-

Lætiora Epigrammata. T. 4. p. 497. ſeqq.
Lanicium unde augeatur. T. 1. p. 431. c. 2.
Lanificium vetus. T. 1. p. 382. c. 1.
Laocoon. T. 4 p. 418. c. 1.
Laodamia. T. 2. p. 129. c. 1.
Laomedon. T. 2. p. 252. c. 1.
Lapithæ. T. 1. p. 429. c. 2. T. 2. p. 5. c. 1. pag. 258. c. 1. T. 3. p. 212. c. 1.
Laqueus & aurum. T. 5. p. 98. c. 1.
Lares. T. 2. p. 292. c. 1 T. 4. p. 201. c. 2.
Latinus Rex. T. 1. p. 474. c. 1. p. 506. c. 1.
Latini Reges. T. 2. p. 301. c. 1.
Latium, pars Italiæ cur ſic vocata. T. 1. p. 482. c. 2.
Latona. T. 2. p. 221. 222.
Laudator nimius. T. 3. p. 406 c. 1.
Lavinia. T. 1. p. 502. c. 2. p. 506 c. 1.
Laurentius Martyr. T. 5. p. 394. c. 2. p. 91. c. 2.
Laurentum a lauro. T. 1. p. 474. c. 1.
Laurus. T. 2. p. 194. c. 2.
Lauſus. T. 1. p. 478. c. 2. occiditur. T. 1. p. 498. c. 1.
Leander & Hero. T. 1. p. 430. c. 2. T. 2. p. 138. c. 1. T. 3. p. 345. c. 1. p. 448. c. 1. T. 4. pag. 440. c. 2.
Leda. T. 4. p. 431. c. 2.
Lemures. T 2. p. 311. c. 2.
Lenæ avaræ. T. 1. p. 17. c. 2. multibibæ. T. 1. p. 49. c. 1. p. 67. 68.
Lenoniæ januæ Portitorum ſimillimæ. T. 1. p. 18. c. 2.
Lenonis quanta infamia. T. 1 p. 53. c. 1. avaritia. p. 157. c. 1. mores. p. 193. c. 1. p. 298. c. 1. p. 316. c 2. T. 3. p. 314. c. 1
Leo cum ſociis. T. 4. p. 68. c. 2.
Leo ſenio confectus. T. 4. p. 70. c. 1. T. 3. p. 255. c. 1.
Leo ſapiens. T. 4. p. 71. c. 2.
Leo regnans. T. 4. p. 78. c. 2. manſuetus. T. 3. p. 166. c. 2.
Leo & capella. T. 4. p. 186. c. 2.
Leones mulcentur. T. 3. p. 148. c. 2. p. 346. 347. p. 349. c. 1. p. 351. c. 2. T 6. p. 129. c. 1.
Lethargia quomodo curanda. T. 4 p. 137. c. 2.
Lethargicus. T. 2. p. 44. c. 1.
Lethe. T 1. p. 472. c. 1.
Leucothoe. T. 2. p. 210. c. 1.
Levitas humani ingenii. T. 1 p. 11. c. 1.
Levitas muliebris, vid. inconſtantia.
Liber, vid. Bacchus.
Liberalis in amicum. T. 1. p. 228. 229. T. 2. p. 9. c. 1.
Liberos, quomodo patres olim tractabant. T. 1. pag. 16. c. 2.
Libertas. T. 2. p. 53. c. 2. p. 465. c. 1. T. 4. p. 98. c. 1. T. 3. p. 358. 359.
Liberti Libertæque T. 4. p. 373. ſeqq.
Libido. T. 5. p. 170 c. 1.
Libræ ratio. T. 5. p. 139. c. 1.
Libya. T. 3. p. 51. c. 2. cur peſtibus obnoxia. pag. 54. c. 2. p. 64. c 2.
Licinius. T. 4. p. 418.
Lignum Vitæ. T. 5. p. 21. c. 2.
Linus. T. 1. p. 416. ſeqq.
Literarum utilitas. T. 3. p. 327. c. 2.
Litura librorum emendatrix. T. 3. p. 269 c. 1.
Liviæ Auguſtæ character. T. 5. p 142. c. 2.
Livius. T. 3. p. 448. c. 2. T. 4. p. 460. c. 2.
Loquendi norma. T. 2. p. 62. c. 1.
Lotis. T. 2. p. 241. c. 1. p. 285. c. 1.
Lucanus. T. 3. p. 490 c. 2. T. 4. p. 459. c. 1.
Lucilius. T. 2. p. 36. c. 1. T. 2. p. 40. c. 1. 2. T. 5. p. 214. c. 2.
Lucretia. T. 2. p. 293. c. 1. T. 4. p. 450. c. 1.
Lucrinus Lacus T. 3. p. 122. c. 2.
Luculli chlamydes. T. 2. p. 52. c. 1.
Lucullus. T 4. p. 480 c. 1.
Lucus. T. 2. p. 401. c. 1. T. 3. p. 15. c. 1. p. 91. c. 2. in quo Gigantium ſtrages facta. p. 518. c. 2.
Ludimagiſter a diſcipulo ſpretus. T. 1. p. 85. c. 1. p. 87. c. 1. Puer magiſtro immorigera parte laudatur. T. 1. p. 88. c. 1. T. 4. p. 506. c. 1.
Ludimagiſter Faliſcorum. T. 4. p 223.
Luna. T. 1. p. 376. c. 1. p. 424. c. 1. T. 4. p. 31. c. 2. T. 5. p. 17. c. 2. movet mare. p. 37. c. 2. T. 3. p. 74. c. 1. mutat animalium corpora. ibidem.
Lupercalia. T. 2. p. 289. c. 2.
Lupus. T. 1. p. 486. c. 1.
Lupus & Agnus. T. 4. p. 67. ſeqq.
Lupus & Hœdus. T. 4. p. 189. c. 1.
Luſcinia. T. 4. p. 508 c. 1. 2.
Luſtratio agrorum. T. 2. p. 72. c. 1.
Luxuria. T. 3. p. 318. c. 2. p. 334. c. 1. T. 5. p. 173. c. 1. T. 4. p. 86. c. 2.
Lycaon. T. 2. p. 192. c. 1.
Lynceus. T. 2. p. 150. c. 2. p. 386. c. 1. T. 3. p. 274. c. 2.

M

Macareus. T. 2. p. 126. c. 2.
Machabæi. T. 5. p. 83. c. 1.
Macrinus Opilius. T. 4. p. 448. c. 2.
Mæcenas, Virg. & Hor. paſſim. T. 3. p. 214. c. 1. T. 4. p. 15 c. 1.
Mæotia. T. 1. p. 431. c. 1.
Mævius. T. 1. p. 315. c. 2. T. 2. p. 29. c. 2. T. 4. p. 449 c. 1. 2.
Magi. T. 5. p. 60. c 1.
Magi cur talia dona Chriſto offerebant. T. 5. p. 388. c. 1. Angelus alloquitur eos. T. 5. p. 191. c. 1.
Magiſtratus. T. 1. p. 380 c. 1.
Magnes. T. 1. p. 389. c. 2. T. 3. p. 524. c. 1.
Magia vid. veneficium. T. 3. p. 63. c. 2.
Mago. T. 3. p. 115. c. 2. p. 120. c. 2.
Magus, quali concubitu procreandus. T. 1. p. 461. c. 2.
Majeſtas. T. 2. p. 308. c. 2.
Majores vid. Parentes.
Majorianus Imp. T. 6. p. 109. c. 2.
Malevolus. T. 4. p. 493. c. 1.
Malum Citrium. T. 4. p. 127 c. 2. ibid. c. 1.
Manes. T. 2. p. 110. c. 2. p. 291. c. 2. T. 3. p. 36. c. 1.
Mantua unde dicta. T. 1. p. 493. c. 2.
Manto. Sen. in Oedipo.
Ss. Marcellinus & Petrus. T. 5. p. 93. c. 2.
Marcellus. T. 1. p. 473. c. 2. 1. 2. p 4. c. 1. T. 3. p. 118. c. 1. p. 123. c. 1.
S. Marcellus Martyr. T. 5 p. 92. c. 1.
S. Marcus Papa. T. 5. p. 92. c. 2.
Marcia, Catonis & Hortenſii uxor. T. 3. p. 9. c. 1.
Marcionitæ refutantur. T. 5. p. 1 ſeqq. p. 232. c. 1.
Mare. T. 1. p. 375. c. 1. p 387. c. 2. T. 4. p. 426.
Maria Virgo. T. 6. p. 98. c. 2. p. 276. c. 2.
Maris æſtuantis deſcriptio. T. 1. p. 430. c. 2.

Marini æſtus cauſa Luna. T. 4. p. 37. c. 2. *T.* 3. p. 74. c. 1.
Margarita in Sterquilinio. T. 4. p. 75. c. 2.
Maritus impotens. *T.* 3. p. 409. c. 2.
Marius. T. 2. p. 384. c. 2.
Marſya. T. 4. p. 439. c. 2.
Mars. T. 1. p. 336. c. 1. T. 2. p. 294. c. 1.
Mars, ejus templum, & comites. *T.* 3. p. 223. c. 2. increpat Palladem. T. 3. p. 241. c. 2. de eo. T. 5. p. 241. c. 2. *T.* 4. p. 233. ſeq. p. 432. c. 2.
Martis & Veneris fabula. T. 1. p. 435. c. 1. *T.* 2. p. 175. c. 2. T. 2. p. 209. c. 2. T. 3. p. 194. c. 2. T. 3. p. 277. c. 2.
Martis & Veneris filia Harmonia. *T.* 3. p. 194. c 2.
Martialis ut ruri ſe exercebat. *T.* 3. p. 375. c. 1.
Martianus Capella. T. 4. p. 460. c. 2.
Martianus Imp. T. 4. p. 460. c. 2.
Martini Confeſſoris Sepulchrum, & Templum. *T.* 6. p. 36. c. 1. T. 4. p. 6. ſeqq. p 99.
Martyres Cæſarauguſtani. T. 5. p. 200. c. 2.
Martyrium. *T.* 5. p. 26. c. 1.
Maſſagetæ. T. 4. p. 173. c.2.
Maſſiliæ obſidio. *T.* 3. p. 14. c. 2.
Maſſylus Rex mulcet leones. T. 3. p. 147. c. 2.
Mater plorat filium occiſum. T. 1. p. 489. c. 1. T. 2. p. 127. c. 1.
Materia omnium rerum mater. T. 1. p. 337. c. 1. 2.
Materia æterna. T. 1. p. 339. c. 1. 2.
Matralia. T. 2. p. 317. c. 1.
Matrimonium. T. 5. p. 291. ſeqq.
Matrona, vid. Uxor.
Matronæ. T. 5. p. 25. c. 2.
Matuta. T. 2. p. 317. c. 1.
S. Maurus. T. 5. p. 92. c. 1.
Maximianus Imp. T. 4. p. 448. c. 1.
Medea. *T.* 2. p. 121. c. 1. T. 3. p. 127. c. 2. T. 2. p. 225. c. 2. Seneca paſſim. T. 3. p. 303. c. 1. T. 3. p. 310. ſeqq. T. 4. p. 226. ſeq. p. 439. c. 1.
Media. *T.* 1. p. 425. c. 2.
Medicina pro variis morbis & doloribus. T. 4. p. 128. ſeqq.
Mediocritas optima. *T.* 2. p. 10. c. 2. *T.* 2. p. 12. c. 1. 2. T. 2. p. 18. c. 1. *T.* 2. p. 34. c. 1. T. 2. p. 41. c. 2. T. 2. p. 332. c. 1. T. 2. p. 409. c. 2. T. 2. p. 459. c. 2. T. 3. p. 454. c. 1.
Medіocriter bonus. *T.* 3. p. 432. c. 2.
Medorum diſciplina. T. 4. p. 99. c. 2.
Meduſa. T. 2. p. 214. c. 2. *T.* 3. p. 54. c. 2. T. 3. p. 76. c. 1. T. 3. p. 301. c. 2.
Megæra. T. 3. p. 250. c. 1. *T.* 3. p. 453. c. 1.
Melampus. T. 1. p. 433. c. 1.
Meleagros. T. 2. p. 234. c. 2.
Melicerta. T. 2. p. 212. c. 2.
Melpomene. T. 2. p. 21. c. 2.
Memnon. *T.* 2. p. 150. c. 2. T. 2. p. 265. c. 2. T. 4. p. 438. c 1.
Memoria lubrica. T. 3. p. 376. c. 2.
Mendicium. T. 4. p. 385. c. 2.
Menelaus. *T.* 4. p 218. ſeq.
Mens quid. T. 1. p. 353. c. 2. ſeqq.
Menſes. T. 2. p. 282. c. 1. T. 5. p. 141. c. 1. 2. T. 4. p. 495. c. 1. 2.
Mercator Ruſticus non facile credit argentum ignoto. T. 1. p. 20. c. 2.
Mercurius officium ejus. T. 1. p. 1. c. 1. T. 1. p. 456. c. 2. T. 2. p. 3. c. 1. *T.* 2. p. 315. c. 1. T. 3. p. 189. c. 2. T. 3. p. 511. c. 1. T. 5. p. 241. c. 1.
Mercurius. T. 5. p. 17. c. 2. *T.* 4. p. 432. c. 1. p. 436. c. 1.
Meretricem oportet videri mundam. *T.* 1. p. 224. c. 2.
Meretricum Sordes. T. 1. p. 17. c. 1. Avaritia. *T.* 1. p. 17. c. 2. *T.* 1. p. 111. c. 1. T. 1. p. 241. c. 2. T. 1. p. 325. c. 1.
Meretricum quæſtus aucupii ſimillimus. T. 1. p. 18. c. 1.
Meretrix frugi. T. 1. p. 287. c. 1. vilis pretii. T. 3. p. 419. c. 1.
Meretrix comparatur opilioni. T. 1. p. 22. c. 1. mari. T. 1. p. 245. c. 2.
Meretrix ingenioſa. T. 1. p. 195. c. 1. ſeqq.
Meſpilus. T. 4. p. 127. c. 2.
Meſſalina. *T.* 3. p. 322. c. 1. T. 3. p. 334. c. 1.
Meſſis lætæ ſignum. T. 1. p. 422. c. 2.
Metallorum inventio. T. 1. p. 381. c. 1.
Metellus. *T.* 3. p. 115. c. 1. T. 3. p. 124. c. 1.
Metempſychoſis. vid. anima.
Meteora. T. 4. p. 36. c. 1.
Metus. T. 1. p. 356. c. 1. ſeqq. T. 4. p. 387. c. 2.
Mezentius. *T.* 1. p. 478. c. 2. T. 1. p. 480. c. 1. ejus crudelitas. T. 1. p. 483. c. 2. T. 1. p. 497. c. 2. occiditur. T. 1. p. 498. c. 2. T. 2. p. 307. c. 2.
Midas. T. 2. p. 251. c. 1.
Miles & Lituus. T. 4. p. 188. c. 2.
Miles bonus. T. 3. p. 437. c. 1. ſeqq.
Militia, vid. bellum dura, & mollis. T. 3. p. 122. c. 1. T. 3. p. 460. c. 1.
Militaris vitæ privilegia. T. 3. p. 542. c. 2.
Milites optantur a fœminis. *T.* 3. p. 240. c. 2.
Militum vani mores. T. 1. p. 52. c. 2. T. 1. p. 79. c. 1. T. 3. p. 314. c. 1.
Militis glorioſi character. *T.* 1. p. 124. c. 1. T. 1. p. 274. c. 2. T. 1. p. 279. c. 2. T. 1. p. 283. c. 1.
Miltiades. T. 4. p. 443. c. 1.
Milvius & Columba. T. 4. p. 71. c. 2.
Minerva. T. 1. p. 420. c. 2.
Minos. T. 1. p. 470. c. 1. *T.* 2. p. 105. c. 1. vid. Tartara.
Minotaurus. *T.* 1. p. 404. c. 1. *T.* 1. p. 467. c. 1.
Minucius Fabio adverſante pugnat. *T.* 3. p. 100. c. 2.
Miſenus. T. 1. p. 468. c. 1.
Miſeria. T. 2. p. 415. c. 2.
Miſeriæ levamen Societas. T. 2. p. 226. c. 1.
Miſericordia noxia. *T.* 1. p. 229. c. 1.
Mithras. *T.* 3. p. 192. c. 2.
Mithridates. T. 4. p. 460. c. 2.
Mœcha. T. 3. p. 322. c. 1. T. 3. p. 396. c. 2.
Moderatio. T. 2. p. 394 c. 1. *T.* 2. p. 413. c. 2. T. 3. p. 384. c. 1.
Moneta veterum Rom. T. 2. p. 283. c. 2.
Monteſes Dii. *T.* 5. p. 19. c. 2.
Mons parturiens. T. 4. p. 80. c. 1.
Monſtra. T. 1. p. 378. c. 1
Moralia. T. 4. p. 434. ſeqq.
Mores cujuſque profeſſionis. *T.* 2. p. 87. c. 2. *T.* 4. p. 98. c. 1.
Mores cujuſque ætatis. T. 2. p. 62. c. 2.
Mores amici & Humani. T. 2. p. 56. c. 1. ſeqq. T. 2. p. 55. c. 1.
Mores Ruſtici. T. 2. p. 52. c. 2.
Mores formandi in pueritia. T. 4. p. 96. c. 1.
Moroſus. T. 1. p. 242. c. 1. *T.* 3. p. 378. c. 1.
Morpheus. T. 2. p. 255. c. 1. vid. ſomnus.

Mors

Mors. T. 4. p. 384. c. 2.
Mors. T. 1. p. 357. ſeqq. cur nonnihil fugienda. T. 1. p. 361. c. 1. 2. omnibus communis T. 2. p. 6. c. 2. T. 2. p. 9. c. 1. T. 2. p. 104. c. 2. contemnenda. T. 2. p. 425. c. 2. inevitabilis. T. 2. p. 430. c. 2. T. 2. p. 435. c. 2. omnes vincit. T. 3. p. 332. c. 2. cogitatio de morte frenat voluptates. T. 3. p. 359. c. 1. omnes æquat. T. 6. p. 130 c. 1.
Mortales T. 4 p. 8. c. 1.
Mortis ſolatia. T. 2. p. 13. c. 1.
Mortem miſeri contemnunt. T. 3. p. 426. c. 1.
Morum. T. 4. p. 128. c. 1.
Moſella fl. T. 5. p. 130. c. 1.
Moles. T. 3. p. 339. c. 2. T. 6. p. 251.
Motus. T. 1. p. 345. ſeqq.
Mucius Scævola. T. 3. p. 347. c. 1. T. 6. p. 45. c. 1.
Muli & Latrones. T. 4. p. 72. c. 2.
Mulier parturiens. T. 4. p. 70. c. 1.
Mulier. Vid. Uxor. Sen. T. 2. p. 477. c. 1. vid. Fœmina.
Mulierum loquacitas. T. 1. p. 28. c. 1. T. 1. p. 212 c. 1.
Mulier eſt ſibi optimum ornamentum. T. 1. p. 98. c. 2. T. 1. p. 174. c. 1.
Mulieris vitium maximum. T. 1. p. 185. c. 1.
Mulier ſpectatæ probitatis & ſapientiæ. T. 1. p. 216. c. 1. 2.
Mulierum inconſtantia. T. 1. p. 409. c. 2. T. 1. p. 459. c. 1. T. 2. p. 2. c. 1. T. 2. p. 31. c. 1. T. 2. p. 94. 95. T. 2. p. 164. c. 1.
Mulierum perfidia. T. 2. p. 10. c. 1. T. 2. p. 31. c. 1. T. 2. p. 90. c. 1. T. 2. p. 95. c. 2. T. 2. p. 153. c. 1. T. 2. p. 157. c. 1. T. 2. p. 159. c. 2. T. 2. p. 163. c. 2.
Mulierum pudicitia quantula. T. 2. p. 97. c. 1. T. 2. p. 118. c. 2.
Mundus. T. 1. p. 372. 373. ſeqq. T. 1. p. 417. c. 2. T. 5. p. 19. c. 1. p. 25. c. 1.
Mundi Cardines. T. 4. p. 43. c. 1. 2. T. 3. p. 1. c. 1.
Mundi creatio. T. 6. p. 154. ſeq.
Mundi finis. T. 1. p. 373. ſeqq. T. 3. p. 1. c. 2.
Mundi novitas. T. 1. p. 373. ſeq.
Mundi anima. T. 1. p. 472. c. 2.
Mundus tempore verno conditus. T. 1. p. 227. c. 1.
Munus. T. 4. p. 428.
Mus & Bos T. 4. p 187. c. 2.
Mus urbanus & ruſticus. T. 2 p. 47. c. 1.
Muſca & Mula. T. 4. p. 74. c. 1.
Muſæ. T. 5. p. 139. c. 2. T. 6. p. 70 c. 2.
Muſæ verant mori. T. 2. p. 21. c. 2. T. 2. p. 24. c. 2. T. 3. p. 307. c. 1. amantur a viris fortibus. T. 3. p. 493. c. 2. T. 4. p. 15. c. 1. T. 4. p. 435. c. 1.
Muſæus. T. 1. p. 472. c. 1.
Muſica. T. 6. p. 75. c. 2.
Muſicæ origo. T. 1. p. 382. c. 1.
Muſtela & Homo. T. 4 p. 70. c. 2.
Muſtela & mures. T. 4. p. 77. c. 1.
Mutatio rerum. T. 4. p. 37. c. 2. T. 4. p. 53. c. 1. T. 4. p. 56. c. 1. T. 4. p. 384. c. 2.
Myrina Amazon. T. 4. p. 443. c. 1.
Myrmidones. T. 2 p. 230. c. 1.
Myronis buculi. T. 5. p. 100. c. 1.
Myrrha, T. 2. p. 247. c. 1. T. 4. p. 441. c. 1.
Myſia. T. 1. p. 423. c. 2.

N

NÆvii epitaphium. T. 4. p. 298. c. 1. T. 4. p. 458. c. 2.
Narciſſus. T. 2. p. 205. c. 2. T. 4. p. 439. c. 2. p. 440. c. 1.
Natalis. T. 2. p. 72. c. 2. T. 2. p. 344. c. 1. T. 3. p. 168. c. 1. 2.
Natura quid poſtulet. T. 1. p. 344. c. 2. T. 2. p. 18. c. 1. T. 2. p. 33. c. 1. T. 2. p. 41. c. 2. T. 3. p. 20. c. 2. T. 4. p. 93. c. 1.
Natura quid faciat. T. 1. p. 353. c. 1. T. 2. p 276. c. 2. T. 6. p. 130. c. 2.
Navale certamen. T. 1. p. 461. c. 1. T. 3. p. 16. c. 2. T. 3. p. 136. c. 2.
Navigatio. T. 2. p. 386 c. 2. T. 3. p. 170. c. 2. ejus pericula. T. 3. p. 337. c. 1. T. 3. p. 510. c. 1.
Navis & Mulieris comparatio. T. 1. p. 174. c. 1.
Naves Saxonum. T. 6. p. 52. c. 2.
Naufragium. T. 5. p. 283.
Nauta. T. 2. p. 1. c. 2. T. 5. p. 37. c. 1. T. 2. p. 386. c. 2. T. 3. p. 170. c. 2.
Nazarius. T. 6. p. 98.
Neapolis vid. Parthenope.
Nemeſis. T. 5. p. 19. c. 1.
Neptunus. T. 1. p. 400. c. 1. T. 1. p. 429. c. 2. T. 1. p. 438. c. 2. T. 3. p. 218. c. 2. T. 5. p. 17. c. 2. T. 4. p. 432. c. 1.
Nero. T. 2. p. 473. c. 2. T. 3. p. 1. c. 1. T. 6. p. 129. c. 2. T. 6. p. 131. c. 1. T. 4. p. 447. c. 1.
Nereus & Achilleus Martyres. T. 5. p. 93. c. 2.
Nerva. T. 3. p. 430. c. 1.
Neſſus. T. 2. p. 239. c. 1. T. 2. p. 458. c. 1.
Neſtoriana Hæreſis. T. 5. p. 384. c. 2.
Neſtor. T. 2. p. 257. c. 2. T. 3 p 333. c. 1.
Niceta. T. 5. p. 373. ſeqq. 296. ſeqq.
Nilus. T. 1. p. 388. c. 1. T. 1. p. 394. c. 1. T. 1. p. 473. c. 1. T. 1. p. 485. c. 2. T. 2. p. 26. c. 2. T. 2. p. 70. c 1. T. 2. p. 131. c. 1. T. 2. p. 193. c. 2. T. 3. p. 46. c. 2. plurima de eo. T. 3. p. 60. c. 2. T. 4. p. 169. c. 1. T. 3. p. 524. c. 1.
Nimbus & Teſta. T. 4. p. 188. c. 2.
Ninivitæ pœnitentiam agentes. T. 5. p. 185. c. 2.
Ninus. T. 4. p. 443. c. 1.
Niobe. T. 2. p. 221. c. 1. T. 3. p. 240. c. 2. T. 3. p. 322. c. 1. T. 5. p. 118. c. 2.
Niſus rex Megarenſium. T. 2. p. 232. c. 1.
Niſus & Euryalus. T. 1. p. 462. c. 1. T. 1. p. 487. c. 1.
Nobilitas vera, virtus. T. 2. p. 38. c. 1. T. 2. p 262. c. 1. T. 2. p. 431. c. 2. T. 3. p. 328. c. 1.
Nobilitatis oſtentatio vana. T. 4. p. 96. c. 2. T. 3. p. 388. ſeqq. T. 5. p. 98. c. 2. T. 6 p. 131. c. 1.
Noe. T. 5. p. 254. c. 2. T. 6. p. 112. c. 2.
Nola. T. 3. p. 223. c. 1.
Nortia Dea. T. 6. p. 435. c. 2.
Noverca. T. 1. p. 415. c. 1. T. 1. p. 425. c. 2. T. 1. p. 430. c. 2.
Nox. T. 1. p. 376. c. 2. T. 1. p. 458. c. 2.
Nubæ. T. 3. p. 75. c. 2.
Numa. T. 2. p. 275. c. 1. T. 2. p. 295. c. 1. T. 2. p. 297 c. 1.
Numidæ. T. 3. p. 64. c. 2.
Nummus vid. Pecunia.
Nuptiæ decimæ ejuſdem mulieris. T. 3. p. 382. c. 2.
Nutrix & Lupus. T. 4. p. 183. c. 1.
Nux. T. 2. p. 379. c. 2. T. 4. p. 128. c. 2.
Nympha. T. 4. p. 435. c. 2.

O

OBſequium quid. T. 1. p. 158. c. 1.
Occaſio depicta. T. 4. p. 82. c. 2. T. 5. p. 97. c. 2.
Occaſio arripienda. T. 2. p. 24. c. 1. T. 2. p. 30. c. 2. T. 2. p. 49. c. 2. T. 2. p. 67. c. 2. T. 2. p. 170. c. 2.
Octavia. T. 2. p. 470. ſeqq.
Oculus. T. 1. p. 356. c. 1.
Oculi fictitii olim nulli. T. 3. p. 431. c. 2.
Ocymus. T. 4. p. 222. c. 2.
Ocyroe. T. 2. p. 261. c. 1.
Odor. T. 1. p. 367. c. 1.
Oedipus. T. 2. p. 448. c. 2. T. 3. p. 187. c. 2.
Oedipus excæcatur. T. 2. p. 410. c. 1. T. 4. p. 439. c. 1.
Oenone. T. 2. p. 119. c. 1.
Oeſtrum. T. 1. p. 429. c. 2.
Oeta. T. 1. p. 402. c. 2. T. 1. p. 418. c. 2.
Ofellus. T. 2. p. 41. c. 2.
Officioſus. T. 2. p. 46. c. 1. T. 2. p. 55. c. 2. T. 4. p. 72. c. 1. T. 3. p. 296. c. 1. T. 3. p. 429. c. 1. T. 3. p. 434. c. 2.
Oliva. T. 4. p. 127. c. 1. T. 4. p. 184. c. 2.
Olympus mons. T. 1. p. 422. c. 2.
Omen bonum. T. 1. p. 440. c. 2. T. 1. p. 458. c. 2. T. 2. p. 20. c. 2. T. 2. p. 405. c. 1. T. 3. p. 80. c. 1. T. 3. p. 86. c. 1. T. 3. p. 148. c. 1. T. 3. p. 220. c. 1. 2.
Oracula ceſſant. T. 3. p. 325. c. 1.
Oratio. T. 4. p. 302. c. 2. T. 6. p. 1. ſeqq. p. 89. 90.
Orbilius. T. 2. p. 58. c. 1. T. 4. p. 418. c. 2. T. 4. p. 422. c. 1. T. 4. p. 426. 439. c. 2.
Orcus vid. Inferorum Sedes.
Oreſtes. T. 1. p. 458. c. 2. T. 2. p. 43. c. 2. T. 2. p. 123. c. 1. 2. T. 2. p. 302. c. 2. T. 4. p. 41. c. 2. T. 4. p. 439. c. 1.
Orgia. T. 1. p. 405. c. 2. T. 1. p. 476. c. 2. T. 3. p. 279. c. 1.
Orion. T. 1. p. 441. c. 2. T. 1. p. 453. c. 1. T. 1. p. 455. c. 1. T. 1. p. 479. c. 1. T. 2. p. 20. c. 2.
Orpheus. T. 2. p. 3. c. 2. T. 2. p. 64. c. 2. T. 3. p. 120. c. 2. T. 3. p. 288. c. 2. T. 3. p. 290. c. 2. T. 5. p. 512. c. 2. ſeqq. T. 6. p. 76. c. 1. T. 4. p. 416. 439. c. 2.
Orphei & Eurydices fabula. T. 1. p. 476. c. 2. ſeqq. T. 1. p. 471. c. 2. T. 2. p. 244. c. 2. T. 2. p. 433. c. 2. T. 2. p. 462. c. 1. 2.
Orpheus diſcerptus. T. 2. p. 249. c. 1.
Oſiris. T. 2. p. 70. c. 1. T. 3. p. 192. c. 2. T. 3. p. 325. c. 1. T. 3. p. 328. c. 1.
Oſſa mons. T. 1. p. 422. c. 2.
Otho. T. 4. p. 447. c. 1.
Otia omnibus neceſſaria. T. 2. p. 350. c. 2. ſeqq.
Otium corrumpit. T. 2. p. 399. c. 2. T. 2. p. 364. c. 2. T. 4. p. 280. c. 1.
Oves quomodo curandæ. T. 1. p. 431. c. 1. 2. T. 2. p. 306. c. 2. T. 4. p. 149. c. 1. 2.
Ovis & Cervus. T. 4. p. 69. c. 2.
Ovis, canis & Lupus. T. 4. p. 70. c. 1.
Ovidius. T. 2. p. 157. c. 2. de cauſis Exilii T. 2. p. 325. c. 2. ſeqq. Epitaphium. T. 2. p. 331. c. 2. de ingenio ſuo. T. 2. p. 341. c. 1. 2. Getice ſcripſit carmina. T. 2. p. 272. c. 2. humaniter exceptus a Getis. T. 2. p. 373. c. 1. T. 4. p. 458. c. 2.
Ovidii patria ferax. T. 2. p. 157. c. 1. T. 2. p. 165. c. 2.

P

PAcuvii Epitaphium. T. 4. p. 458. c. 1.
Pædagogus. T. 3. p. 417. c. 2.
Pædagogus bonus. T. 4. p. 97. c. 2. parvi æſtimatur. T. 3. p. 327. c. 2. clamoſus. T. 3. p. 409. c. 2.
Palæmon. T. 2. p. 212. c. 2.
Palamedes. T. 1. p. 444. c. 1.
Palilia. T. 2. p. 109. c. 2. T. 2. 293. c. 1.
Palinurus. T. 1. p. 466. c. 2. T. 1. p. 469. c. 2.
Palladium. T. 1. p. 444. c. 2. T. 2. p. 517. c. 1. T. 3. p. 5. c. 2.
Pallas. T. 1. p. 414. c. 2. T. 1. p. 444. c. 2. T. 2. p. 300. c. 1. 2.
Palladi offertur peplum. T. 1. p. 441. c. 1. T. 3. p. 242. c. 2.
Pallas fil. Evandri. T. 1. p. 484. c. 2. occiditur. T. 1. p. 495. c. 2. funus. T. 1. p. 499. 500. T. 4. p. 438. c. 2.
Pan. T. 1. p. 414. c. 2. T. 1. p. 416. c. 1. T. 1. p. 420. c. 1. 2. T. 1. p. 431. c. 2. T. 2. p. 251. c. 2. T. 4. p. 433. c. 1.
Panthera. & Paſtores. T. 4. p. 73. c. 2.
Paphus. T. 1. p. 440. c. 2. T. 2. p. 247. c. 1.
Paradiſus T. 6. p. 275. c. 2.
Paraſiti mores. T. p. 37. c. 1. 2. T. 1. p. 41. c. 2. T. 1. p. 44. 45. 46. T. 1. p. 51. c. 1. T. 1. p. 3. c. 1. T. 1. p. 124. c. 1. 2. T. 1. p. 188. 189. T. 1. p. 192. c. 1. T. 1. p. 218. c. 1. T. 1. p. 221. c. 1. T. 1. p. 222. c. 2. T. 1. p. 172. c. 2. T. 1. p. 274. 275. T. 1. p. 279. c. 2. T. 1. p. 283. c. 1. 2. T. 2. p. 46. c. 1. T. 2. p. 65. c. 1. Paraſiti miſera vita. T. 3. p. 419. c. 2. T. 3. p. 316. c. 1. 2.
Pardus & vulpes. T. 4. p. 188. c. 2.
Parentibus ſimilis proles. T. 2. p. 23. c. 1.
Parentum mores ſequuntur liberi. T. 3. p. 338. c. 2.
Parentum peccata luunt Poſteri. T. 1. p. 424. c. 2. T. 2. p. 29. c. 1.
Pares cum paribus tutiſſime agunt. T. 1. p. 29. c. 1. 2. T. 2. p. 57. c. 1. T. 4. p. 184. c. 2. T. 1. p. 32. c. 1. 2. T. 2. p. 25. c. 2.
Paris. T. 2. p. 4. c. 1. T. 2. p. 133. c. 1. T. 4. p. 19. c. 1. T. 2. p. 256. c. 2. T. 4. p. 218. ſeqq. p. 440. c. 1. p. 438. c. 2.
Parnaſſus. T. 3. p. 24. c. 2.
Parrhaſis. T. 2. p. 189. c. 2.
Parricidæ ſupplicium. T. 3. p. 329. c. 2.
Parthenope. T. 1. p. 437. c. 2. T. 3. p. 122. c. 1.
Parthenopæus. T. 3. p. 205. c. 2.
Parthi. T. 1. p. 429. c. 1. T. 3. p. 46. c. 1. (eorum conjugia paulo poſt) T. 4. p. 176. c. 1.
Paſiphae. T. 1. p. 417. c. 2. T. 1. p. 467. c. 2. T. 3. p. 343. c. 2. T. 6. p. 107. c. 2. T. 4. p. 502. c. 2.
Paſſer & Lepus. T. 4. p. 69. c. 1.
Patavium. T. 1. p. 439. c. 1.
Patientia laudatur. T. 1. p. 19. c. 2. p. 439. c. 1. p. 465. c. 2. p. 467. c. 2. T. 2. p. 6. c. 1. T. 5. p. 171. c. 2. T. 4. p. 387. c. 2.
Patres iniqui. T. 1. p. 286. c. 1. p. 298. 299.
Pater indulgens. T. 1. p. 305. 307.
Pater probus. T. 2. p. 36. c. 2. p. 38. c. 2.
Patris de filio occiſo prudens dictum. T. 4. p. 281. c. 2.
Patripaſſiani hæretici refutantur. T. 5. p. 223. c. 1.
Patroni quos Clientes cupiunt. T. 1. p. 116. c. 1. ingratos habent. T. 1. p. 198. c. 2.
Patronus bonus. T. 2. p. 38. c.
Paulini pectus Chriſto dicatum, non patet Apollini. T. 5. p. 263. c. 2. ſeq. ejus votum pium & prudens. T. 5. p. 258. c. 2.
Paullus Æmilius. T. 3. p. 107. c. 1. prælio Cannenſi cæditur T. 3. p. 114. c. 1.

Paulus Apoſtolus. T. 5. p. 91. c. 2. de ejus paſſione. p. 220. c. 1. p. 239. c. 2. p. 91. c. 2. T. 6. p. 136. ſeqq. p. 252. c. 1.
Pavo ad Junonem. T. 4. p. 76. c. 2.
Pauper. T. 5. p. 27. c. 2.
Pauper amans. T. 3. p. 529. c. 1.
Paupertas quid cogit. T. 1. p. 23. c. 2. T. 2. p. 46. c. 1. T. 2. p. 60. c. 1. quam miſera. T. 1. p. 202. c. 1. T. 2. p. 189. c. 1. T. 2. p. 283. c. 2. T. 1. p. 218. c. 1. T. 1. p. 395. c. 2. T. 3. p. 317. c. 1. T. 3. p. 324. c. 1 T. 3. p. 424. c. 1. obeſt ingenio. T. 3. p. 317. c. 1. T. 3. p. 326. c. 1. 2 T. 3. p. 354 c. 1.
Paupertas infamis. T. 1. p. 292. c. 2.
Paupertas tuta. T. 3. p. 331. c. 2. vid. vita privata.
Pacis bona. T. 2. p. 71. c. 2. p. 287. c. 1. p. 344. c. 2. T. 4. p. 145. c. 1. 2.
Pax. T. 5. p. 27. c. 1.
Pax Romanis inutilis. T. 4. p. 100.
Peccata impunita. T. 2. p. 35. c. 2.
Pecunia quid poſſit. T. 1. p. 220. c. 2. T. 2. p. 52. c. 1. p. 100. c. 2. T. 3. p. 314. c. 1. p. 317. c. 1. p. 320. c. 2. in judiciis. T. 4. p. 86. c. 1.
Pecunia quanti ſit. T. 3. p. 337. c. 2.
Pecuniæ uſus. T. 2. p. 33. c. 2. T. 3. p. 341. c. 1.
Pedeſtris Curſus. vid. Curſus.
Pegaſus. T. 2. p. 216. c. 2.
Pejerant avari. T. 3. p. 336. c. 1.
Pelagiana Hæreſis. T. 5. p. 275. ſeqq.
Peleus. T. 1. p. 403. c. 2. ſeqq. T. 2. p. 252. c. 1.
Pelion. T. 1. p. 422. c. 2.
Pelops. T. 1. p. 428. c. 2. T. 2. p. 223. c. 1. T. 4. p. 441. c. 2.
Penelope. T. 2. p. 90. c. 1. p. 114. c. 1. 2. T. 5. p. 104. c. 2.
Pentecoſtes. T. 6. p. 97.
Penthesilea. T. 1. p. 441. c. 1. T. 4. p. 443. c. 2.
Pentheus. T. 1. p. 458. c. 2 T. 2. p. 55 c. 2. p. 206. c. 2. ſeqq. T. 4 p. 439. c. 1.
Peræ duæ nobis a Jove impoſitæ. T. 4. p. 78. c. 1.
Perdicca. T. 4. p. 443 c. 2.
Perdix. T. 2. p. 233 c. 2. T. 3. p. 440. c. 1.
Perdicis pœna. T. 2. p 14. c. 1. p. 122. c. 1.
Pericula faciunt religioſum. T. 2. p. 7. c. 2. p. 15. c. 2.
Perillus T. 2. p. 335. c. 1. T. 3. p. 479. c. 1.
Perimele. T. 2. p. 236. c. 2.
Perſæ. T. 4. p. 76. c. 1.
Perſeus. T. 2. p. 213. c. 1. T. 4. p. 61. c. 1. T. 3. p. 55. c. 1. p. 76. c. 1.
Perſius. T. 3. p. 370. c 2.
Perſonæ Dramaticæ. T. 2. p. 62. c. 2.
Pertinacia quid. T. 4. p. 325. c. 2. ubi de pervicacia.
Peſcennius Niger. T. 4. p. 448. c. 1.
Peſtis deſcriptio. T. 1. p. 391. c 1. 2. p. 432. c. 1. 2. T. 2. p. 229. ſeq. T. 4. p. 36. c. 2. T. 3. p. 31. c. 1. T. 3. p. 99. c 1.
Petillius Proceſſius. T. 4. p. 440. c. 1.
Petronius Arbiter. T. 4. p. 459. c. 1.
Petronius Antigenides. T. 4. p. 462. c. 2.
Petrus, de ejus lapſu. T. 5. p. 178. c. 2. ejus paſſio. p. 220. c. 1. T. 5. p. 245. c. 2 vide Paullus.
Phædra. T. 2. p. 117. c. 2. T. 4. p. 440. c. 2. Seneca in Hippolyto.
Phædrus. T. 3. p. 362. c. 2.
Phaeton. T. 1. p. 374. c. 2. T. 2. p. 196. c. 2. ſeqq. T. 4 p. 35 c. 2.
Phaetontiades. T. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 198. c. 2.
Phalaris. T. 2. p. 335. c. 1.
Phantaſmatici, qui Chriſtum verum corpus negant, refutantur. T. 5. p. 230. c. 2.
Phaon. T. 2. p. 131. c. 2.
Pharſalica pugna. T. 3. p. 40. c. 1.
Philemon & Baucis. T. 2. p. 236. c. 2.
Philoctetа. T. 4. p. 439. c. 1.
Philomela. T. 1. p 417. c. 2. T. 2. p. 223. c. 1.
Philoſophi Græci. T. 6. p. 59. c. 2.
Phineus. T. 2. p. 214. c. 2. T. 3. p. 291. c. 1. Argonautas Colchos navigantes viam docet. T. 3. p. 292. c. 2.
Phœnix. T. 2. p. 278. c. 1. T. 3. p. 376. c. 1. T. 3. p. 522. c. 1. T. 5. p. 37. c. 1.
Phrixus. T. 3. p. 295. c. 1.
Phrygum mollities. T. 1. p. 490. c. 1.
Phyllis. T. 2. p. 115. c. ſeqq.
Picus in avem verſus. T. 1. p. 475. c. 1. T. 2. p. 271. c. 2.
Pierides. T. 3. p. 217. c. 1. p. 219. c. 2.
Pietas utilis. T. 2. p. 16 c. 1. p 19. c. 2. vera. T. 4. p. 96. c. 1. pietas Corvini. T. 3. p. 86. c. 1.
Pinarius. T. 1. p. 482 c. 1.
Pindarus. T. 2. p. 22. c. 1.
Piratica navis. T. 3. p. 503 c. 1.
Pirithous. T. 2. p. 15 c. 2. p 258. c. 1.
Piſcator, & piſcis. T. 4 p. 185 c. 2.
Piſces veniunt ad manum. T. 3. p. 370. c. 2. p. 415 c. 1.
Piſcis fluviatilis, & marinus. T. 4. p. 188. c. 2.
Piſtacia. T. 4. p. 128. c. 2.
Piſtor. T. 4. p. 224.
Plagiarius. T. 3. p. 340. c. 2. p. 350. 351.
Plautus. T. 4. p. 458. c. 2.
Plinius ſecundus. T. 3. p. 414. c. 1.
Pluto. T. 3. p 511. c. 1. p. 512. c. 2. T. 4. p. 436. c. 2.
Podagra locuples. T. 3. p. 337. c. 2.
Podagra quomodo mitiganda. T. 4. p. 135. c. 2.
Poemata. T. 2. p. 62. c. 2.
Pœna ſcelerum lenta, ſed certa. T. 2. p. 14. c. 1. T. 3. p. 338. c. 2.
Pœni ſacrificabant homines. T. 4. p. 269. c. 2.
Pœnitentia. T. 2. p. 422. c. 2. rara. T. 3. p. 338. c. 2. T. 5. p. 24. c. 1.
Poeta odioſus. T. 3. p. 364. c. 1. 2.
Poetæ vid. Scriptores.
Poetæ character. T. 2. p. 36. c. 1. p. 40. c. 1. pag. 41. c. 1. p. 57. c. 1. p. 58. c. 2. p. 64 c. 2. T. 3. p. 326. c. 2.
Poetas comicos inter ſe comparat Volcatius Sedigitus, T. 2. p. 424. c. 1.
Poetæ pauperes. T. 3. p. 126. c. 1. p. 351. c. 2. p. 376. c. 2. p. 437. c. 2.
Poetæ celebres Romani. T. 2. p. 151. c. 2. p. 320. c. 1. T. 3. p. 448. c. 2. unde tanti extitere. pag. 40. c. 1.
Poetæ inepti. T. 4. p. 94. c. 1. T. 3. p. 390. c. 2.
Polemon. T. 2. p. 44 c. 2
Poli mundi. T. 1. p. 422. c. 2. T. 4. p 32. c. 1. T. 1. p. 415. c. 2 ſeqq. T. 2 p. 8. c. 2.
Pollux. T. 1. p. 467. c. 2. T. 3. p. 289. c. 1. Amicum caſtibus interficit. p. 290. c. 1.
Polydorus. T. 1. p. 449 c. 2. T. 2. p. 264. c. 2.
Polyphemus. T. 1. p. 454. c. 1. T. 2. p. 267 c 1. 2. T. 3. p. 143. c. 1.

Poly-

Polyxena. T. 2. p. 264. c. 2. p. 419. c. 2.
Pomona. T. 2. p. 273. c. 1.
Pompejus. T. 3. p. 2. c. 1. T. 4. p. 218. p. 444. c. 2. p. 445. c. 1. ejus bella. p. 10. c. 2. p. 41. c. 2. p. 43. c. 2. ſeqq. uxor. p. 50. c. 2. Catonis de Pompejo verbi. p. 51. c. 2. p. 371. c. 1.
Pomponius Grammaticus. T. 4. p. 223.
Pomum. T. 4. p. 127. c. 1.
Pontus. T. 1. p. 419. c. 1. T. 2. p. 346. c. 1. pag. 350. c. 1. p. 360. c. 2. p. 366. c. 1. p. 367. ſeqq. T. 3. p. 293. c. 1.
Porcia Bruti uxor. T. 3. p. 348. c. 2.
Porſena. T. 3. p. 115. c. 2. p. 347. c. 1.
Portus deſcriptio. T. 1. p. 438. c. 2.
Poſſeſſio rerum incerta. T. 2. p. 61. c. 1.
Pothinus. T. 3. p. 47. c. 1. cum M. Ant. comparatur. p. 366. c. 1. p. 381. c. 1. J. Cæſari inſidiatur. p. 61. c. 1.
Potitus. T. 1. p. 482. c. 1.
Potniades. T. 1. p. 430. c. 2.
Praxiteles. T. 4. p. 503.
Prælii inſignis deſcriptio. T. 3. p. 232. c. 2.
Præſagia, vid. prodigia & omina.
Prætides. T. 1. p. 417. c. 2.
Preces, quam ſæpe noxia petimus. T. 3. p. 531. c. 2 orandum. p. 334. c. 1. orat Auſonius. T. 4. pag. 106. c. 2.
Preſter. T. 1. p. 386. c. 1.
Priamus. T. 1. p. 447. c. 1. T. 3. p. 333. c. 1. T. 4. p. 218. ſeqq.
Priapus. T. 1. p. 418. c. 1. p. 434. c. 1. T. 2. p. 39. c. 1. p. 67. c. 2. p. 285. c. 1. p. 316. c. 1. T. 5. p. 241. c. 1.
Primordia rerum non commutabilia. T. 1. p. 340. c. 2.
Princeps & Tibicen. T. 4. p. 82. c. 1.
Princeps bonus. T. 2. p. 23. c. 2. p. 26. c. 2. p. 473. c. 2. T. 4. p. 147. c. 2. p. 490. c. 2. p. 494. c. 2.
Probus quis. T. 1. p. 228. c. 2.
Procne. T. 1. p. 433. c. 1. T. 2. p. 223. c. 1.
Procraſtinatio. T. 4. p. 98. c. 1. T. 3. p. 347. c. 1. pag. 380. c. 1.
Procris. T. 2. p. 182. c. 2. p. 230. c. 2.
Prodigia ante J. Cæſaris mortem. T. 2. p. 281. c. 1. ante bellum Civile. T. 3. p. 5. c. 1. alias. p. 477. c. 1. pag 482. c. 1. T. 4. p. 1. 2. 7.
Progne, & Philomela. T. 4. p. 441. c. 2.
Prometheus. T. 1. p. 406. c. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 4. c. 2. p. 32. c. 1. p. 191. c. 1. T. 3. p. 463. c. 1. T. 4. pag 328. c. 1. 2.
Propertius. T. 2. 342. c. 1.
Propœtides. T. 2. p. 246. c. 2.
Proſerpina. T. 1. p. 423. c. 1. p. 460. c. 1. T. 2. p. 217. c. 2. p. 304. c. 1. T. 4. p. 85. c. 1. T. 3. p. 511. c. 2. p. 513. c. 1. 2. T. 5. p. 243. c. 1. 2.
Proteſilaus. T. 2. p. 129. c. 1. 2.
Proteus. T. 1. p. 436. c. 1. T. 2. p. 171. c. 1. p. 237. c. 2.
Probus Grammaticus. T. 4. p. 400. c. 2.
Providentia divina. T. 5. p. 279. ſeqq. T. 2. p. 14. c. 2. ſeqq. res optime adminiſtrat. T. 3. p. 334. c. 1. videtur iniqua. T. 6. p. 128. c. 1. p. 257. c. 2. ſeqq.
Prudentia. T. 2. p. 15. c. 1. T. 3. p. 334. c. 1. T. 4. pag. 386. c. 1. T. 4. p. 255. ſeqq.
Prudentius de ſe. T. 5. p. 177. c. 2.
Prunum. T. 4. p. 127. c. 2.
Pſamathe. T. 3. p. 191. c. 1.
Pſittacus. T. 2. p. 153. c. 2. T. 3. p. 166. c. 2.
Pſylli pop. Africæ a ſerpentibus innoxii. T. 3. p. 156. c. 2
Pudicæ mulieres vid. uxor fida.
Pudicitia. T. 5. p. 170. c. 1.
Pudicitia mulierum quantula vid. Mulierum, & T. 2. p. 119. c. 1. p. 148. c. 2. p. 298. c. 1. T. 3. p. 321. c. 1. T. 2. p. 350. c. 2. p. 374. c. 1. T. 5. p. 102. c. 2.
Pudicitiam quid ſervet. T. 3. p. 321. c. 1. p. 323. c. 1.
Pudor virgineus. T. 3. p. 194. c. 2.
Pudor inutilis. T. 2. p. 397. c. 1. T. 3. p. 296. c. 1. p. 313. c. 2.
Puella qualis optanda. T. 3. p. 350. c. 1. p. 363. c. 2. p. 378. c. 2. p 406. c. 1. T. 5. p. 99. c. 1. p. 101. c. 1.
Puellæ ingenuæ. T. 4. p. 462 c. 2.
Puer. T. 2. p. 62. c. 2.
Puer & Fur. T. 4. p. 186. c. 2.
Pueros inſtruendi modus. T. 3. p. 42. c. 2. ſeqq.
Puerperium. T. 5. p. 140. c. 1.
Pugna Murium & Muſtelarum. T. 4. p. 77 c. 2.
Pulcræ amant deformes. T. 2. p. 157. c. 2.
Pulcritudo vid. forma muliebris. T. 2. p. 398. c. 2. multis nocuit. T. 3. p. 333. c. 2.
Pumilio. T. 5. p. 103. c. 2. ſeqq.
Puppius. T. 4. p. 458. c. 2.
Puteoli. T. 3. p. 122. c. 2.
Pygmalion. T. 2. p. 246. c. 2.
Pygmæi cum gruibus bellantes T. 3. p. 338. c. 1.
Pylades. T. 2. p. 362. c. 2. T. 4. p 41. c. 2.
Pyramus & Thisbe. T. 2. p. 209. c. 1. 2.
Pyrene. T. 3. p. 77. c. 1.
Pyrrichi T. 4. p. 499.
Pyrrhus. T. 4 p 437. c. 2.
Pyrus. T. 4. p. 127 c. 1.
Pyrrha. T. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 1. c. 1. vid. Diluvium. T. 2 p 4 9. c. 2. T. 3. p. 314. c. 1.
Pyrrhi dictum. T. 4. p. 269. c. 1.
Pyramus & Thisbe. T. 4. p 440 c. 2.
Pythagoras. T. 2. p. 275. c. 1. T. 6 p. 59. c. 2. Pythagoræ brevitas. T. 5. p. 151. c. 2.
Pythia. T. 2. p. 193. c. 2.
Python. T. 2. 193. c. 2. T. 3. p. 191. c. 2.

Q

QUantum cenſus ſufficit. T. 3. p. 341. c. 1.
Quercus & Arundo. T. 4. p. 185. c. 1.
Quies. T. 1. 458. c. 2. ſeqq. T. 2. p. 118. c. 2. vid. ſomnus.
Quinctilianus. T. 3. p. 361. c. 1.
Quinquatrus. T. 2. p. 318. c. 2.
Quirinus. T. 2. p. 291. c. 1.
Quirinus martyr. T. 5. p. 208. c. 1.

R

RAna rupta. T. 4. p. 70. c. 2.
Rana & Vulpes. T. 4 p. 183. c. 2.
Ranæ regem poſtulantes. T. 4. p. 68. c. 1.
Ranæ ad Solem. T. 4. p. 68. c. 2.
Ranæ metuentes Taurorum prælia. T. 4. p. 71. c. 1.
Rapa. T. 3. p. 438. c. 1.
Raritas. T. 1. p. 389. c. 2.
Reges jure Divino. T. 2. p. 13. c. 1.
Regnum grave. T. 2. p. 402. c. 2. p. 421. c. 1. p. 454. c. 1.
Regulus. T. 2. p. 15. c. 2. T. 3. p. 91. c. 2. p. 93. c. 1.

Reli-

Religio unde. T. 1. p. 380. c. 2. vid. Pietas. T. 3. p. 203. c. 2. T. 5. p. 242. c. 1. *T.* 4. p. 92. c. 1.
Religionis diverſitas odium parit. T. 3. p. 339. c. 2. p. 341. c. 2.
Reliquiæ Sanctorum. T. 5. p. 319. 328.
Repente Calvus. *T.* 4. p. 71. c. 2.
Reſurrectio corporis. T. 5. p. 188. c. 2. p. 231. c. 2. T. 5. p. 20. c. 2. p. 230. c. 2.
Rex bonus. T. 2. p. 386. c. 1. p. 408. c. 1. p. 440. c. 2. vid. princeps bonus.
Rhadamanthus. T. 1. p. 471. c. 1.
Rhetorica. T. 6. p. 73. c. 2.
Rhodope. T. 1. p. 431. c 1.
Rivalis in amore non ferendus. T. 2. p. 97. c. 2. nec in regno. T. 3. p. 1. 2.
Rixa. T. 3. p. 318. c. 1.
Roma. T. 4. p. 479. c. 1. 2. T. 1. p. 428. c. 2. (a Romulo dicta. p. 439. c. 2) T. 2. p. 105. c. 2. p. 106. c. 2. p. 295. c. 2. T. 3. p. 2. c. 1. ab exteris corrupta. p. 316. c. 2 de ea. T. 4. p. 479. c. 1 2.
Romana virtus. T. 2. p. 472. c. 1. T. 3. p. 472. c. 2. *p.* 494. c. 2. T. 4. p. 190. c. 2.
Romanus miles. T. 1. p. 431. c. 1. *T.* 2. p. 23. c. 1.
Romanus martyr. T. 5. p. 209. c. 2.
Romanæ horæ quibus negotiis impenſæ. *T.* 3. p. 369. c. 1.
Romanæ reipub. varia forma. T. 5. p. 249. c. 2.
Romani ſacrificantes. T. 1. p. 452. c. 2. *T.* 3. p. 5. c. 2.
Romani Reges & Heroes. T. 1. p. 473. c. 1. T. 4. p. 444. c. 1.
Romanum imperium Chriſto venienti idoneum. *T.* 5. p. 250. 251.
Romanorum veterum temperantia. T. 3. p. 334. c. 2. p. 340. c. 1. p. 454. c. 1. T. 4. p. 193. c. 2. T. 5. p. 249. c. 1.
Romulus. T. 1. p. 439. c. 2. T. 2. p. 274. c. 2. p. 290. c. 2. p. 294. c. 1. 2. T. 4. p. 266 c. 2. p. 444. c. 1.
Rubicon. T. 3. p 2 c. 2.
Rufi Rhetoris *Statua*. T. 5. p. 99. c. 2.
Rufus Virginius. T. 4 p. 445. c. 2.
Rupilius. T. 2. p. 39. c. 1.
Ruſticæ vitæ laudes. *T.* 1. p 428. c. 1. T. 2. p. 27. c. 1. 2. p. 47. c. 2. p. 53. c. 1. 2. p. 55 c. 1. p. 65. c. 1. 2 ſeqq. p. 73. c. 1. p. 92. c. 2. ſeqq. p. 306. c. 1. T. 3. p. 350. c. 1.
Ruſticus & Sus. T. 4. p. 187. c. 1.
Ruſticus, Theſaurus & Fortuna. T. 4. p. 184. c. 2.
Ruſticus & Avis. T. 4. p. 186. c. 1.
Ruſticus & juvencus. T. 4. p. 187. c. 1.
Ruſticus & Hercules. T. 4. p. 187. c. 2.
Rutulorum durities. T. 1. p. 490. c. 1.

S

SAbbatum. T. 2. p. 40. c. 1. p. 166. c. 1. p. 168. c. 2. p. 185 c. 1. T. 3. p. 339. c. 2. T. 4. p. 192. c. 2.
Sabæi. T. 1. p. 423. c. 1.
Sabelliani hæretici refutantur. *T.* 5. p. 224. c. 2.
Sabidius. T. 3. p. 348 c. 1.
Sabinarum raptus. T. 2. p. 166. c. 2. p. 295. c. 2.
Sabinæ. T. 2. p. 148. c. 2. p. 381. c. 1.
Sabini. T. 1. p. 428. c. 2.
Sabinus Viriſator. T. 1. p. 475. c. 1.
Sacerdos ſummus quomodo apud ethnicos conſecratus. T. 5. p. 217. c. 1.
Sacra varia variis Diis. T. 1. p. 417. c. 2. p. 418. c. 2. p. 450. c. 1. p. 468. c. 2. T. 2. p. 214. c. 1. p. 284. c. 2. p. 384. c. 2.
Sacrificia humana. T. 4. p. 269. c. 2.
Sagacitas vid Prudentia.
Sagittandi ludus. T. 1. p. 464. c. 1.
Saguntum. T. 3. p. 14. c. 1. p. 65. c. 2. illic calamitates p. 37. c. 1.
Salaria via. T. 4. p. 480. c. 2.
Salii. T. 1. p. 482. c. 1. T. 2. p. 296. c. 1.
Salluſtius. T. 3. p. 448. c. 2. T. 4. p. 459. c. 1.
Salmacis. T. 2. p. 210. c. 2.
Salmoneus. T. 1. p. 471. c. 1. T. 4. p. 57. c. 2.
Sancus. T. 4. p. 433. c. 1.
Sanctis defunctis ſupplicatio. T. 5. p. 199. c. 1. & plerumque ad finem hymnorum in eorum laudes.
Sapientes ſeptem. T. 5. p. 123. c. 1. T. 6. p. 59. c. 2. p. 65. c. 1.
Sapientia. T. 2. p. 50. c. 1. p. 61. c. 1. T. 3. p. 337. c. 1. p. 338. c. 1.
Sapor. T. 1. p. 367. c. 1. 2.
Sappho. T. 2. p. 11. c. 2. p. 131. c. 2. T. 4. p. 458. c. 2.
Sardanapalus. *T.* 4. p. 9. c. 2.
Sarmatia T. 2. p. 371. c. 1. vid. Sauromatæ.
Sarmentus Scurra. T. 4. p. 449. c. 2.
Sationis & inſitionis origo. T. 1. p. 382. c. 1.
Saturnales Cal. T. 3. p. 162. c. 1. unde ludi Saturn. T. 4. p. 316. c. 2.
Saturnalitius riſus. T. 3. p. 180. c. 1.
Saturnia Regina. T. 1. p. 416. c. 1. T. 2. p. 162. c. 1.
S. Saturninus Martyr. T. 4 p. 93. c. 1.
Saturnus. T. 1. p. 429. c. 2. p. 474. c. 1. in Italiam venit p. 482. c. 1. T. 2. p. 283. c. 2. p. 302. c. 1. *T.* 5. p. 240. c. 2. p. 16. c. 2.
Satyra. *T.* 2. p. 63. c. 1. T. 3. p. 314. c. 1.
Satyrus prop. nom. T. 2. p. 222. c. 2. p. 319. c. 1.
Satyrus & Viator. T. 4. p. 187. c. 1.
Sauromatæ. T. 2. p. 334. c. 1. p. 337. c. 1. p. 345. c. 1. T. 4. p. 173. c. 1.
Scævola. T. 4. p. 444. c. 2.
Scientia utilis. T. 3. p 224. c. 2.
Scipio. T. 3. p. 80. c. 1. patrem ſervat. p. 81 c. 2. deſcendit ad inferos. p. 130. c. 2. apparent ei virtus & voluptas. p. 139. c. 2. ejus virtus bellica. p. 154. c. 2. p. 156. c. 2. literarum amor. p. 474. c. 2. Epitaphium. T. 4. p. 278. c. 1. 2. pag. 445. c. 1. 2. p. 460. c. 1.
Scommata. T. 4. p. 497. ſeqq.
Scortatio apud Ethnicos licita. T. 1. p. 48. c. 2. p. 95. c. 1.
Scribendi recte fons. T. 2. p. 64. c. 1.
Scribendi cacoethes. *T.* 2. p. 158. c. 2.
Scriptores vulgus ætate æſtimat. T. 2. p. 57. c. 2. T. 3. p. 376. c. 1.
Scriptores Græci & Romani. T. 6. p. 65. c. 1. 2.
Scriptorum variorum patriæ. T. 3. p. 350. c. 2.
Scurra & Ruſticus. T. 4. p. 81. c. 2.
Scylla. T. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 452. c. 2. pag. 272. c. 2. p. 266. c. 2. p. 268. c. 1.
Scythæ. T. 2. p. 19. c. 2.
Scythia. T. 1. p. 431. c. 1. T. 2. p. 238. c. 1. pag. 433. c. 1.
Secreta difficile teguntur. T. 4. p. 92. c. 2.
Seculare Carmen. T. 1. p. 397. c. 1. T. 2. p. 24. c. 1. p. 32. c. 1.
Seculi Plautini mores. T. 1. p. 228. c. 1.

Sejanus. T. 3. p. 332. c. 1.
Semele. T. 2. p. 205. c. 1.
Semiramis. T. 4. p. 443. c. 1.
Senarius T. 4. p. 449. c. 2.
Seneca Philoſophus. T. 2. p. 473. c. 1.
Senectus tarda. T. 1. p. 118. c. 2. p. 273. c. 2. p. 454. c. 1. avara. p. 308. c. 1. olim venerabilis. T. 3. p. 334. c. 1. miſera. T. 4. p. 309. c. 2.
Senes apud Lenones Rivales filiis ſuis fiunt. T. 1. p. 96. c. 1.
Senex. T. 2. p. 63. c. 1. T. 3. p. 332. c. 2.
Senex Veronenſis qui Suburbium numquam egreſſus eſt. T. 3. p. 326. c. 1.
Senibus ſtudia propria. T. 2. p. 69. c. 2.
Senſus & Senſibilia. T. 1. p. 351. c. 2. ſeqq. p. 366. c. 1. ſeqq.
Senſus falluntur. T. 4. p. 93. c. 1.
Sepultura, vid. funus.
Seres pop. T. 1. p. 425. c. 2. T. 4. p. 174. c. 1.
Serpens a Reguli exercitu occiſus. T. 3. p. 92. c. 1.
Serpentes Afrıci. T. 3. p. 54. c. 2. ſeqq.
Serpentium & viperarum morſus ſanantur. T. 4. p. 136. c. 1.
Servus divitis quam miſer. T. 1. p. 2. c. 2. quomodo Hero obſequatur. T. 1. p. 11. c. 1.
Servi boni character. T. 1. p. 33. c. 1. p. 106. c. 2. p. 108. c. 1. p. 121. c. 1. p. 129. c. 2. p. 130. c. 2. p. 169. c. 2. p. 188. c. 1.
Servi ducebant uxores. T. 1. p. 57. c. 1.
Servus malus lippi oculi ſimillimus. T. 1. p. 93. c. 2.
Servi mali character. T. 1. p. 209. c. 1. p. 210. c. 2. T. 3. p. 497. c. 2. T. 4. p. 392. c. 2.
Servus de moribus philoſophatur. T. 1. p. 236. c. 2. T. 2. p. 47. c. 2.
Servus ſomniculoſus. T. 5. p. 106. c. 1. 2.
Servitium vid. Libertas. T. 3. p. 13. c. 1. p. 463. c. 2.
Severitas. T. 4. p. 387. c. 2. eſt adhibenda, ut quis vir magnus exiſtat.
Sexus mutatio. T. 5. p. 100. c. 2.
Sibylla. T. 1. p. 452. c. 2. Æn. 6. paſſim. T. 2. p. 269. c. 2. T. 3. p. 25. c. 1. p. 130. c. 2.
Sibyllina carmina. T. 6. p. 253.
Sicilia. T. 3. p. 511. c. 1.
Siciliæ populi. T. 3. p. 135. c. 2.
Signa, vid. Aſtra. T. 5. p. 140. c. 1. T. 4. p. 491. c. 1. 2.
Silenus. T. 1. p. 417. c. 1. T. 2. p. 169. c. 2. p. 251. c. 1. p. 285. c. 1. p. 316. c. 2. p. 406. c. 1.
Siliqua. T. 4. p. 127. c. 2.
Silius Italicus. T. 3. p. 369. c. 2. p. 393. c. 2. p. 225. c. 1. 2.
Silvanus. T. 5. p. 17. c. 1. T. 4. p. 434. c. 2.
Simia & Jupiter. T. 4. p. 84. c. 2.
Simia & Gnati. T. 4. p. 188. c. 1.
Simii caput. T. 4. p. 74. c. 1.
Simius. T. 3. p. 480. c. 1.
Simonidis naufragium. T. 4. p. 79. c. 2.
Simonides a Diis ſervatus ibid.
Simulacra. T. 1. p. 362. c. 2.
Sinon. T. 1. p. 443. c. 2.
Sinope. T. 3. p. 294. c. 2.
Sirenes. T. 1. p. 466. c. 2. T. 2. p. 50. c. 2. T. 3. p. 496. c. 1. T. 4. p. 441. c. 2.
Siſyphus. T. 1. p. 361. c. 1. T. 2. p. 32. c. 1. vid. Tartara.
Sitis. T. 3. p. 20. c. 1. p. 53. c. 1. 2.
Sobrietas. T. 5. p. 173. c. 1.
Societatis impiæ periculum. T. 3. p. 14. c. 1.
Societatis figura. T. 3. p. 421. c. 1.
Socrus oderunt nurus. T. 1. p. 326. c. 2. male mulctant generos. T. 3. p. 323. c. 1.
Sodalis ne ſis nimius. T. 3. p. 432. c. 2.
Sol. T. 1. p. 374. ſeqq. p. 424. c. 1. variis nominibus appellatur, & colitur ut numen. T. 5. p. 70. paſcitur oceano T. 3. p. 60. c. 2. T. 5. p. 17. c. 2. T. 4. p. 493. c. 2. p. 496. c. 1.
Solis regia. T. 2. p. 196. c. 1.
Solarium quam antiquum. T. 1. p. 252. c. 1.
Soli natura. T. 1. p. 416. c. 1.
Solon. T. 4. p. 9. c. 2.
Somnia. T. 1. p. 365. ſeqq. p. 467. c. 1. T. 2. p. 70. c. 1. p. 255. c. 1. T. 3. p. 243. c. 1. T. 5. p. 107. c. 1. T. 3. p. 502. c. 1.
Somnus de prandio non bonus. T. 1. p. 104. c. 2.
Somnus. T. 1. p. 368. ſeqq. T. 2. p. 255. c. 1. p. 437. c. 2. T. 3. p. 186. c. 1. p. 189. c. 2.
Somni geminæ portæ. T. 1. p. 473. c. 2. T. 2. p. 20. c. 2.
Somni antrum & Satellites. T. 3. p. 243. c. 1.
Sorbum. T. 4. p. 128. c. 1.
Sordida, vid. Avarus.
Spartacus. T. 3. p. 498. c. 1.
Speculum. T. 1. p. 304. c. 1.
Spes. T. 2. p. 75. c. 1. T. 4. p. 233.
Statius. T. 3. p. 326. c. 2. T. 4. p. 459. c. 1.
Stellæ. T. 1. p. 373. ſeqq.
Stephanus Papa. T. 5. p. 92. c. 1.
Stephanus martyr. T. 6. p. 90. c. 2.
Steſichorus. T. 4. p. 458. c. 2.
Stilico, Claudianus paſſim. T. 4. p. 194. c. 2.
Stoicus. T. 2. p. 36. c. 1.
Stomacus quomodo curandus. T. 4. p. 131. c. 1.
Strophades. T. 1. p. 451. c. 1.
Stultitia & inſania hominum. T. 2. p. 42. c. 2. T. 4. p. 386. c. 2.
Stylus Poeticus. T. 2. p. 59. c. 2.
Styx. T. 1. p. 470. c. 1. vid. Tartara. T. 3. p. 122. c. 2.
Suffenus bellus homo, malus Poeta. T. 1. p. 395. c. 2.
Suicidarum animarum locus. Virg. T. 1. p. 470. c. 1.
Suicidium damnatur. T. 3. p. 346. c. 2.
Superbia. T. 3. p. 491. c. 1. T. 5. p. 172. c. 1. T. 4. p. 385. c. 2.
Superſtitio unde. T. 5. p. 242. c. 2. T. 4. p. 92. c. 2. vid. Religio.
Suſpicio. T. 4. p. 386. c. 1.
Suſpiciones fidei conjugalis fugiendæ. T. 2. p. 152. c. 2. p. 182. c. 2. T. 4. p. 74. c. 1. 2.
Sutor. T. 3. p. 410. c. 1.
Sutor Medicus. T. 4. p. 69. c. 2.
Suum cuique pulcrum. T. 2. p. 118. c. 1.
Sycophantæ character. T. 1. p. 234. c. 2.
Sydera, vid. aſtra.
Sylla. T. 3. p. 7. c. 2.
Sylvanus. T. 1. p. 410. c. 1. p. 420. c. 2.
Syphax vid. Maſſylus Rex perfidus. T. 3. p. 151. c. 2. captus a Romanis.
Syrinx. T. 2. p. 195. c. 2.

T

Tactus. T. 1. p. 347. c. 2.
Tænara. T. 3. p. 193. c. 1.

Tan-

Tantalus. T. 1. p. 361. c. 1. T. 2. p. 32. c. 2. p. 33. c. 2. p. 152. c. 2. p. 439. c. 2.
Tarpejæ Hiſtoria. T. 2. p. 108. c. 2.
Tarpeius Superbus. T. 2. p. 29. c. 2. ejus ſomnium. T. 4. p. 329. c. 1.
Tartara. T. 1. p. 361. c. 1. p. 471. c. 1. 2. T. 2. p. 67. c. 2. p. 211. c. 2. p. 434. c. 2. T. 3. p. 131. c. 2. p. 208. c. 1. p. 229. c. 2. p. 459. c. 1.
S. Tarſicius. T. 5. p. 95. c. 1.
Taurorum prælia de vaccis. T. 1. p. 430. c. 2. p. 511. c. 1. T. 3. p. 11. c. 1. p. 422. c. 2. p. 281. c. 1.
Taurus & Vitulus. T. 4. p. 82. c. 2.
Taurus, Leo & Hircus. T. 4. p. 184. c. 2.
Telephus. T. 4. p. 437. c. 2.
Tellus. T. 2. p. 198. c. 1. ad eam oratio. T. 3. p. 231. c. 2.
Tellus quare Deum mater dicta. T. 1. p. 348. ſeqq. & omnium rerum Parens. p. 376. c. 1.
Temeritas. T. 4. p. 386. c. 2.
Tempeſtas. T. 1. p. 438. c. 1. p. 451. c. 2. T. 2. p. 321. c. 1. p. 325. c. 2. p. 424. c. 2. T. 3. p. 127. c. 1. p. 153. c. 1. p. 275. c. 1. p. 335. c. 2. T. 4. p. 301. c. 1.
Tempeſtatum ſigna. T. 1. p. 422. c. 2. T. 4. p. 418.
Templa Dei ſunt Chriſtiani. T. 6. p. 36. c. 2.
Templis nitidis Deus placatur. T. 2. p. 16. c. 1.
Tempus quid. T. 1. p. 339. ſeqq.
Tempus redimendum. T. 2. p. 49. c. 1.
Tempora anni. T. 4. p. 416. c. 1. p. 490. c. 2. ſeqq.
Tempore omnia fiunt. T. 2. p. 339. c. 2.
Temporis ſpelunca. T. 3. p. 493. c. 1.
Terentius. T. 4. p. 2. c. 1. p. 421. c. 2. p. 458. c. 2.
Tereus. T. 1. p. 417. c. 2. T. 2. p. 223. c. 1.
Terminus. T. 2. p. 229. c. 1.
Ternarius numerus. T. 5. p. 134. c. 1.
Terra. T. 1. p. T. 4. p. 31. c. 1.
Terræmotus. T. 1. p. 386. c. 2. T. 3. p. 90. c. 1.
Terrarum variarum varii proventus. T. 6. p. 45. c. 1.
Teucer. T. 2. p. 2. c. 2.
Thais. T. 3. p. 388. c. 2.
Thamyris. T. 3. p. 205. c. 1.
Themis. T. 2. p. 193. c. 1. p. 213. c. 2.
Theodoſius Imp. T. 6. p. 155. c. 2. ſeqq. T. 4. p. 448. c. 2.
Theocritus. T. 4. p. 77. c. 2.
Theſaurus. T. 4. p. 211. c. 2.
Theſeus. T. 1. p. 404. c. 1. p. 467. c. 2. p. 471. c. 2. T. 2. p. 125. c. 1. p. 228. c. 2. p. 258. c. 1. in Hippolyt. & Hercul. Furen. T. 4. p. 439. c. 1.
Theſſalia. T. 3. p. 33. c. 1.
Thetis. T. 1. p. 404. c. 1. T. 2. p. 252. c. 1.
Thiodamas. T. 3. p. 243. c. 2.
Thisbe. T. 2. p. 209. c. 1.
Thraſo vid. Militis.
Thraſybulus Lacædemonius. T. 5. p. 98. c. 1.
Thyeſtes Seneca in Agamemnone & in Thyeſte.
Tibiæ inventio. T. 2. p. 319. c. 1.
Tiberinus Deus. T. 1. p. 480. c. 1. T. 2. p. 273. c. 1.
Tiberius Cæſar. T. 4. p. 446. c. 2.
Tibullus. T. 2. p. 7. c. 2. p. 162. c. 2. paſſim. T. 4. p. 221.
Tigellius. T. 2. p. 35. c. 1. T. 4. p. 224. c. 1.
Tigris fl. T. 3. p. 14. c. 1.
Tigris & Venator. T. 4. p. 185. c. 1.
Timor & Cupido ſervum faciunt. T. 6. p. 128. c. 1. mentem obnubilant. T. 5. p. 128. c. 2. 5. p. 19. c. 2.
Tireſias. T. 2. p. 46. c. 1. T. 1. p. 205. c. 2. in Oedipo. T. 3. p. 193. c. 2. p. 207. c. 2. p. 246. c. 2.
Tiſiphone. T. 2. p. 212. c. 1. T. 3. p. 72. c. 2. T. 3. p. 188. c. 1. p. 250. c. 1.
Titanes. T. 1. p. 471. c. 1. T. 5. p. 19. c. 1.
Tithonius. T. 1. p. 459. c. 1.
Tityos. T. 1. p. 361. c. 1. p. 471. c. 2. vid. Tartara. T. 3. p. 515. c. 2.
Tomis. T. 2. p. 334. c. 1. p. 365. c. 1.
Tomitæ in Ovidium benevoli. T. 2. p. 371. c. 1. p. 373. c. 1.
Tonitru. T. 1. p. 383. c. 1.
Tonſor. T. 3. p. 426. c. 1. p. 428. c. 1.
Tonſor tardus. T. 3. p. 395. c. 1.
Torpedo. T. 3. p. 523. c. 2.
Tragico comœdia quid ſit. T. 1. p. 1. c. 2.
Tragœdia. T. 2. p. 158. c. 2.
Trajanus. T. 3. p. 418. c. 2. p. 422. c. 1. p. 430. c. 2. T. 4. p. 447. c. 2.
Traſimenus. T. 3. p. 85. c. 2. pugna illic. p. 87. c. 1
Trebia, pugnatur illic. T. 3. p. 84. c. 1.
Treveri. T. 4. p. 480. c. 2.
Trinitas divina. T. 5. p. 170. c. 1. p. 182. c. 2. p. 222. c. 2. p. 86. c. 2.
Triptolemus. T. 2. p. 219. c. 2. p. 333. c. 2
Troja vid. Ulyſſes, Ajax, Hector, Paris, & alia Græca, & Trojana Heroum nomina, & T. 2. p. 252. c. 1. qualis fuit tempore J. Cæſaris. T. 3. p. 57. c. 1.
Trojanæ naves incenduntur. T. 1. p. 465. c. 1. naves vertuntur in nymphas Marinas. T. 1. p. 486. c. 2. p. 493. c. 2
Trojani Heroes. T. 5. p. 117. c. 1. ſeqq.
Trojanus ludus. T. 1. p. 464. c. 2.
Trojæ ad excidium alluſio. T. 1. p. 93. c. 2.
Trojanum bellum. T. 4. p. 218. ſeq.
Troilus. T. 1. p. 441. c. 1.
Tropæum. T. 1. p. 8. c. 2.
Tumuli Devii. T. 2. p. 104. c. 1.
Turnus. T. 1. p. 479. c. 2. T. 2. p. 485. c. 2. Dranci reſpondet. T. 1. p. 501. c. 2. T. 4. pag. 438. c. 1.
Tuſſis medela. T. 4. p. 131. c. 1.
Tybris. T. 1. p. 449. c. 1. p. 474. c. 1.
Tydeus & Polynices. T. 3. p. 222. c. 1. 2. T. 4. p. 439. c. 2.
Tyrannus. T. 2. p. 474. ſeqq. T. 3. p. 332. c. 1. vitandus. T. 4. p. 318. c. 2.

V

VAcuum ſeu inane. T. 1. p. 338. ſeqq.
Valerius Proculus. T. 4. p. 429. c. 2. p. 450. c. 1.
Vanus. T. 3. p. 396. c. 2.
Varietas delectat. T. 4. p. 92. c. 1. 2.
Varro Terentius. T. 3. p. 107. c. 1.
Varus. T. 1. p. 417. c. 1. p. 419. c. 2.
Vates vid Calchas, Helenus, Tireſias, Thiodamas, Sibylla.
Vellus aureum, vid. Jaſon.
Venator, & Canis T. 4. p. 82. c. 2.
Venator & Leo. T. 4. p. 186. c. 1.
Venefica, vid. Canidia. T. 2. p. 148. c. 2. & Medea. T. 3. p. 34. c. 1.
Veneficium. T. 2. p. 389. c. 2. T. 3. p. 33. c. 2.

Ven-

Ventus. T. 1. p. 338. ſeqq.
Venti vid. Æolus.
Ventidius Baſſus. T. 4. p. 449. c. 1.
Ventris morbi curantur. T. 4. p. 133. c. 1.
Venus. T. 1. p. 336. c. 1. 2. T. 2. p. 7. c. 1. pag. 300. c. 2. p. 396. c. 1. impudens. T. 3. p. 518. c. 1. T. 5. p. 241. c. 2. fœda. T. 4. p. 93. c. 2. T. 4. p. 225. ſeq. p. 233. ſeq. p. 434. c. 2.
Venus Praxitelis. T. 5. p. 100. c. 2.
Venus armata. T. 5. p. 99. c. 1. 2.
Venus adfert Æneæ arma Vulcania. T. 1. p. 484. c. 2.
Ver. T. 2. p. 2. c. 1. p. 24. c. 1. p. 25. c. 2. T. 4. p. 225. ſeqq.
Verinus. T. 4. p. 429. c. 1.
Vertumnus. T. 2. p. 107. c. 2. p. 273. c. 2.
Veſta. T. 2. p. 315. c. 2.
Veſpaſianus & Titus. T. 4. p. 447. c. 2.
Veſuvius. T. 3. p. 123. c. 1. T. 3. p. 371. c. 2.
Vettius Agorius. T. 4. p. 461. c. 1. 2.
Vetula vid. Anus.
Viatores & Latro. T. 4. p. 81. c. 1.
Viatores & Urſa. T. 4. p. 184. c. 1.
Viciſſitudo vid. Mutatio.
Villæ. T. 3. p. 159. c. 2. p. 164. c. 2. T. 5. p. 127. c. 1.
Vinalia. T. 2. p. 307. c. 2.
Vincentius Martyr. T. 5. p. 202. c. 1.
Vindicta num bona. T. 3. p. 338. c. 1. T. 4. p. 303. c. 1.
Vini incommoda. T. 2. p. 97. c. 2.
Vini laus. T. 2. p. 5. c. 1. p. 19. c. 1. p. 57. c. 1. p. 65. c. 1. p. 66. c. 1. T. 3. p. 422. c. 1.
Vinum bonum cum malo mixtum. T. 3. p. 347. c. 1.
Vipera & Lima. T. 4. p. 78. c. 1.
Vir. T. 2. p. 63. c. 1. Vir magnus. T. 4. p. 270. c. 2.
Virbius. T. 1. p. 479. c. 2. T. 2. p. 319. c. 2.
Virgo. T. 4. p. 235. ſeqq.
Virgilius. T. 1. p. 437. c. 2. T. 2. p. 1. c. 2. p. 6. c. 1. p. 25. c. 2. p. 37. c. 1. 2. T. 2. p. 98. c. 1. T. 4. p. 231. ſeq. p. 430. p. 451. ſeqq.
Virgines non ſine dote nuptæ. T. 1. p. 233. c. 1. T. 4. p. 294. c. 2.
Virginis religioſæ character. vid. in Eulalia. T. 5. p. 199. c. 1. T. 6. p. 122. c. 1.
Virgo comparatur flori. T. 1. p. 402. c. 2. T. 5. p. 137. c. 2
Virgo an vidua melior uxor. T. 4. p. 291. c. 2.
Viri Uxoreſque. T. 4. p. 463. ſeqq.
Virtus quid. T. 2. p. 50. c. 1. p. 56. c. 2. T. 3. p. 139. c. 2. p. 247. c. 1. p. 52. c. 1.
Virtus omnibus rebus anteit. T. 1. p. 7. c. 2. latere non debet. T. 3. p. 463. c. 1.
Virtutis præmia. T. 2. p. 14. c. 1. p. 469. c. 2. felicitas. T. 3. p. 332. c. 2. p. 334. c. 1.
Vita. T. 1. p. 372. ſeqq. T. 3. p. 387. c. 1. non nimis curanda. T. 1. p. 361. ſeqq. irrevocabilis. T. 2. p. 24. c. 1. p. 14. c. 1. T. 4. p. 49. c. 2.
Vita tepida. T. 5. p. 19. c. 2.
Vitæ ratio electu difficilis. T. 5. p. 138. c. 1.
Vita brevis & ærumnoſa. T. 1. p. 429. c. 1. T. 2. p. 2. c. 1. p. 11. c. 1. p. 11. 12. p. 204. c. 1. p. 335. c. 1. pag. 403. c. 2. p. 430. c. 2. T. 4. p. 16. c. 1.
Vita læta, & beata. T. 2. p. 7. c. 1. p. 10. c. 1. p. 30. c. 2. unde fit. T. 3. p. 334. c. 1. p. 350. c. 1. p. 361. c. 1. p. 377. c. 1. p. 414. c. 1. p. 416. c. 1.
Vita privata. T. 2. p. 12. c. 1. p. 21. c. 2. vid. mediocritas. T. 2. p. 38. c. 2. p. 47. c. 2. p. 55. c. 2. p. 401. c. 2. p. 430. c. 2. p. 443. c. 2. p. 413. c. 1. T. 3. p. 20. c. 2. p. 318. c. 1. p. 526. c. 2.
Vita publicis negotiis implicata. T. 2. p. 47. c. 1.
Vita quomodo corrigenda. T. 2. p. 49. 50.
Vitæ longæ mala. T. 3. p. 333. c. 1.
Vitis. T. 4. p. 127. c. 1.
Vitium ſub virtutis ſpecie. T. 3. p. 339. c. 2.
Vitulus, & Bos. T. 4. p. 188. c. 1.
Ulyſſes. T. 1. p. 444. c. 1. T. 2. p. 50. c. 1. p. 78. c. 1. p. 114. c. 1. 2. p. 323. c. 1. Sen. in Troade. T. 4. p. 7. c. 2. p. 216. ſeqq.
Ulyſſis contra Ajacem oratio. T. 2. p. 262. c. 1.
Umbra Corporis. T. 1. p. 364. c. 2.
Univerſum ſive omne quid. T. 1. p. 343. c. 1. 2.
Voluntas. T. 1. p. 368. ſeqq.
Voluntas peccandi eſt peccatum. T. 3. p. 338. c. 2.
Voluptas. T. 3. p. 139. c. 2. p. 335. c. 2.
Voluptas non ſine mærore. T. 1. p. 7. c. 2. p. 50. c. 2.
Vox. T. 1. p. 365. ſeqq.
Urbs an magna viventibus incommoda. T. 3. pag. 317. 318. p. 434. c. 1.
Urbes nobiles. T. 5. p. 121. c. 1. 2.
Vulcanus. T. 1. p. 482. c. 2. uxorius. T. 3. p. 200. c. 2. T. 4. p. 236. p. 442. c. 1. 2.
Vulgus mobile. T. 3. p. 464. c. 1.
Vulpes ſatura & Muſtela. T. 2. p. 52. c. 2.
Vulpes ad perſonam tragicam. T. 4. p. 68. c. 2.
Vulpes & Corvus. T. 4. p. 69. c. 2.
Vulpes & Aquila. ibidem.
Vulpes & Uva. T. 4. p. 77. c. 1.
Vulpes & Hircus. T. 4. p. 78. c. 1.
Vultejus Mænas. T. 2. p. 52. c. 2.
Uxor optime dotata. T. 1. p. 10. c. 1. p. 29. c. 2. T. 2. 20. c. 2.
Uxor pauper diviti præferenda. T. 1. p. 28. c. 2. p. 32. c. 1. p. 75. c. 2. T. 3. p. 397. c. 2.
Uxoris iratæ jurgia. T. 1. p. 10. c. 2. p. 25. c. 2. p. 57. ſeqq. p. 116. c. 1. p. 118. c. 1. 2. p. 150. c. 2. p. 152. c. 2. p. 296. c. 2. T. 2. p. 388. c. 2.
Uxor viro non bona. T. 1. p. 132. c. 1.
Uxor infida, vid. Helena, Clytæmneſtra. T. 3. p. 205. c. 2. p. 321. c. 1.
Uxor fida. T. 1. p. 216. c. 1. T. 2. p. 323. c. 2. p. 333. c. 1. T. 3. p. 154. c. 1. p. 181. c. 1. p. 346. c. 2. p. 348. c. 2. p. 374. c. 1. p. 417. c. 2.
Uxorem pater filio dabat. T. 1. p. 168. c. 1. p. 313. c. 2.
Uxor diligens, & bona mater familias. T. 1. p. 422. c. 2. p. 483. c. 1. T. 3. p. 278. c. 1. T. 5. p. 108. c. 1.
Uxor omnibus dotibus prædita, non optanda. T. 3. p. 322. c. 2. nec uxor docta. ibid.
Uxor optima. T. 6. p. 35. c. 1.
Uxor nimium gravis. T. 3. p. 429. c. 2.
Uxor non ſine dote. T. 4. p. 295. c. 1.
Uxorius. T. 3. p. 322. c. 2.

X

Xerxes. T. 3. p. 351. c. 2. T. 4. p. 332. c. 2. p. 443. c. 2.

Z

Zacynthus. T. 3. p. 65. c. 1.
Zelotypia vid. Suſpiciones.
Zetes, vid Calais.
Zodiacus. T. 2. p. 423. c. 1.
Zoilus. T. 3. p. 434. c. 1.
Zona. T. 1. p. 422. c. 2. T. 2. p. 79. c. 1. p. 190. c. 1. 2.

FINIS.

GIFT FORM (BOOK SELECTION DEPT.)

EXTRA

RUSH

LOCATION

ATE

PA
6121
A7A56
t.6

Amati, Pasquale
Collectio pisaurensis
omnium poematum